
163
F
1



D. HAYMONIS EPISCOPI HALBERSTATTENSIS HOMILIARVM SIue concionum popularium in euãgelia de tempore & Sanctis, quemadmodum in ecclesijs per totum annum leguntur, nunc primum coniunctim excusarũ, pars utraque, hoc est, & hyemalis & æstiualis, quàm fieri potuit diligentissime elaborata.

Adiectæ sunt eiusdem Haymonis homiliæ aliquot aliæ, in epistolas D. Pauli apostoli, quarum in templis usus est, excusæ ante hac nusquam.

Addita est postremo Haymonis eiusdem homilia vna singularis in illam Apocalypseos lectionem, Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem &c. nec ipsa ante hoc tempus excusa vsquam.





Coloniæ ex officina Iohannis Prael, anno M. D. XXXVI. Mense Septembri.





SPLENDIDISSIMO

DOCTISSIMOQVE VIRO VTRIVSQVE IVRIS PEritissimo doctori, D. Hieronymo Vnicorni ecclesiæ Metropolitanæ apud inclytam Coloniam Canonico & illustrissimi principis archiepiscopi Coloniensis consiliario, atq; in spiritualibus Vicario, Ioh. Prael typograpus S. D. P.



Acit vir prudentissime pius vereq; cādidūs, animus tuus erga bona studia, facit & tua singularis diligentia in optimis quibusq; scriptoribus conquirēdis, efficit tuus demum in me fauor, vt partim communi studiorum nomine, partim & nostra causa existimē, me aliquid, vel potius plurimum tuo nomini debere: sed vtinā eruditissime Hieronyme hucusq; nō tā defuisset occasio & facultas tibi gratificandi q̄ semper flagrantissimum desiderium hoc debito me, non dico liberandi (malo enim hoc nomine tibi esse obnoxius) sed saltem id tibi comode testificādi, mihi adfuit: vt intelligas quam honesti officij genere plurimos hoīes tibi clientes efficias, dum causam studiorum, & studiosorum & eorum quoq;, quorum opera literarum monumenta quotidie in manus hominum distribuuntûr, sic agas, vt me hercle dignus sis cui ab omnibus doctis & bonis viris gratia habeatur: & à me quoq; tanto impensius, quanto minus præ ingenij mei fortunarumq; exiguitate ego quicquam præstare queam, quod tam exquisito tuo iuditio tuaq; rerum amplitudine dignum esse possit: fretus tamen tua humanitate ac facilitate, lubens ea occasione in quam nunc commodum incidi vtar, vt hoc pacto symbolum aliquod animi mei erga te nomini tuo consecretur: Est enī amicorum aliquot opera, quibus & ratio rerū mearū alicui curæ fuit, effectū: vt D. Haymo Episcopus, luculētus & familiaris scriptor, ac in theologia illa pura & vere Christiana (supra quàm ab talis seculi viro expectari debebat) versatus, in diui Pauli aliquot epistolas, tū in locū quēdam Apocalypseos nobis excudēdus traderet: quod scriptū tibi (es enī non leuiter doctus, nec parū in hoc studiorū genere versatus) valde probabitur, sic enī audiui de amicis quorū adhortatione & cōsilio hoc opus à me prelo datū est, omnibus videlicet doctis synceręq; Christianis, illud valde placiturū. Itaq; eam sentētiam vt sequerer, dignā arbitratus sum, eo p̄sertim tēpore, quo nostri opificij tractatio apud nonnullos ob id male audiat, quod cum passim non habito magno respectu religionis & materiæ, quælibet passim & vbilibet imprimantur, illa tamen primum opificem inueniant, quorum lucrū speratur certius, citius & maius. Ego certo vt pecuniæ spem ex opere & lucri cupiditatem, ad tuendum statum familiarem deprecari cum fide nequeo, ita vicissim non concipio successus opinionem ex malo aut inutili aut infami materia, etiam si talium mercium tractatione quidā satis feliciter emergant: mihi certe neq; oblatæ sunt, nec eas vnquam captaui. Inuenit & emptorem, vt ille inquit, proba merx. D. Haymo sæpe recuditur & distrahitur, emitur à doctis, & placet bonis: itaq; & ego aliquod operæprecium facturus videbar mihi, si has homilias, quas sic satis castigate scriptas ab amicis dono accepi, prælo traderem, & cum altero homiliarum opere nuper excuso copularē, ad illud enim argumentum & hæ quadrant, quas tamen nō omnes, quia me tempus nundinarum vrgebat, absoluere potui, statim alias prioribus additurus: quas omnes tibi vir ornatissime inscribēdas iudicaui: primum q̄ respublica literaria in conquirendis huiuscemodi libris tibi multum debeat: deinde quod summo studio, quantum à negotijs aulicis datur, huiusmodi scripta & scriptores legis: postremo vt aliqua parte magnitudinē tuam demererer exiguo hoc officiolo, sed tibi in primis (vt spero) grato. Commendare scriptorē ei qui longe rectius atq; ego de eo iudicare posset, ridiculum arbitratus sum, nos fama scriptoris & amicorum iudicio contenti fuimus. Accipe igitur hoc humanissime Hieronyme quicq̄d est officij, pro tuo solito cādore beneuolēter, neq; quantum ego in hoc donare potui, sed quantum ille qui donatur prodesse queat, expende. Vale ac diu te nobis Christus seruet. Coloniæ kalendis decembris. M. D. XXXVI.

INDEX HOMILIARVM D. HAYMONIS, TAM PROFESTORVM DIERVM QVAM FESTORVM, cum initijs & allegationibus euangeliorum, secundum temporis seriem pulchre digestus.

FERIAE, INVOCAVIT.

DOMINICA II. IN XL. REMI niscere.

Feriæ, Reminiscere.

DOMINICA III. IN XL. OCVLI

Feriæ, Oculi.

DOMINICA IIII. IN XL. LAE tare.

Feriæ, Lætare.

DOMINICA IN PASSIONE domini, Iudica.

Feriæ post Iudica.

DOMINICA PALMARVM.

PASSIO SECVNDVM MAT thæum.

Ferię, Palmarum.

PASSIO SECVNDVM MAR cum.

IN COENA DOMINI.

DIE PARASCEVES.

PASSIO SECVNDVM IOHAN.

Dominicæ post Trinitatis.

Feriæ quatuor temporum. post crucis.

In dedicatione ecclesiæ.

INDEX HOMILIARVM DE SANCTIS D. Haymonis, tum propriarum, tum communium, cum initijs & allegationibus Euangeliorum.

DE SANCTO ANDREA APOstolo.

IN FERIIS D. THOMAE APOstoli.

IN NATALI D. STEPHANI protomartyris.

IN FERIIS D. IOHANNIS APOstoli & Euangelistæ.

INDICIS FINIS.

D. HAYMONIS EPISCOPI HALBERSTAT. HOMILIAE

SIVE CONCIONES AD POPVLVM, SVPER EVANgelia dominicorum cæterorumq́; celebrium dierum, secundum seriem temporum feliciter digestæ.

DOMINICA PRIMA aduentus. Matthæi XXI.

In illo tempore: Cum appropinquasset (Iesus) Hierosolymis, & uenisset Bethphage ad montem oliueti. Et reliqua.



ON SOLVM opera & virtutes, quas fecit dominus, plena sunt mysterijs, sed etiã ipsa loca, in quibus docuit vel perambulauit, aliquoties à mysterijs vacua nõ sunt credenda, quod in exordio huius lectionis comprobatur, cum appropinquans dominus Hierosolymis, primum venisse Bethphage in mõtem Oliueti dicitur. Mons enim Oliueti non longe ab Ierusalem distat, mõs huberrimus & decorus, arboribus insitus, & maxime oliuarum, à quibus & nomen accepit. In cuius latere Bethphage quondam viculus sacerdotum fuit, ubi hostias præparabant, quas in templo domini oblaturi erant. Spiritaliter autem mons Oliueti dominum Iesum Christum significat, qui est mons pinguedinis, mons misericordiæ, quoniam misericorditer genus humanum redimere venit: quia ἔλεος græce, latine misericordia interpretatur. Hic
Mich.4. est enim ille mõs, de quo per Isaiam prophe
Isaie.2. tam dicitur: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & sublimis
Dani.2. erit valde. Et Daniel: Vidi præcisum lapidẽ de monte sine manibus, qui creuit in montẽ magnum, & impleuit totã terram. Bethphage autem quæ domus buccæ vel maxillarum interpretatur, significat ecclesiam, quæ sine intermissione os, quod vulgo bucca dicitur, in confessione domini apertum habet, dicẽs
Psal.94. cum Psalmista: Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Spiritaliter vero eadẽ ecclesia à deo reficitur ac pascitur, quæ potest dicere cum propheta: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, &
Psal.22. reliqua: Bene ergo Bethphage in latere montis Oliueti esse dicitur, quia de latere Christi pendentis in cruce, ecclesia formata est, quũ vnus militũ lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis redẽptionis, & aqua baptismatis. Ierusalem quippe quæ visio pacis interpretatur, cælestem patriã significat, vbi summa & vera est pax de visione cõditoris. Pulchre ergo dominus cũ Hierosolyma tendit, Bethphage ad montẽ Oliueti venisse describitur, quia oĩs qui ad visionem supernæ pacis venire desiderat, necesse est in primis dñm Iesum Christum & corde credat, & ore cõfiteať: & sicut Bethphage sacerdotes hostias præparabant & emundabant, quas in templo domini erãt oblaturi, ita vnusquisq; fidelis in præsenti ecclesia, ab omnibus vitijs & peccatis, per bona opera se purificare debet, vt acceptabilis hostia deo fiat, iuxta admonitionem apostoli Pauli dicẽtis: Obsecro vos Rom.12.
per misericordiam dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Talem hostiam se præparabat idem Apostolus, cum dicebat: Castigo corpus meũ & in ser- 1.Cor.9.
uitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum quod contra uos est.

Spiritualiter autem duo discipuli qui in castellũ mittũtur, duos ordines significãt prædicatorum, quorum vnus ad Iudæorum populum, alter vero ad gentium destinatus est. Quos specialiter Petrũ & Paulum suscepisse manifestũ est, teste Apostolo: Qui operatus Gala.2.
est Petro in apostolatũ circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Iuxta literam secundum quosdam Petrus & Philippus fuisse dicũtur, eo q̧ Philippus Samariæ p̃dicauerit, nomen Samariæ Asiam interpretantes. Aliter, duo discipuli quos ante se dominus præmisit, intellectũ & operationẽ significãt: quia vnusquisq; qui regimẽ ecclesiasticum assumpsit, & potestatem ligandi atq; soluendi, expedit ei vt intellectus & operatio præcedat: quia vnum absq; altero summum atq; præcipuum apud creatorem esse non potest, qui dixit discipulis suis: Scitis hæc, beati eritis, si Iohã.13.
feceritis ea. Primũ ergo discipuli præcedunt, postea Iesus sequitur, quia ad eorum corda dominus venit, qui intellectum recte credendi, & operationem bene viuendi habent, dicẽte scriptura: Intellectus bonus omnibus Psal.110.

facientibus eum, laudatio eius manet in seculum seculi. Castellum autem ad quod mittuntur, iuxta literam Ierusalem ciuitatem intelligimus, nec cuiquam absurdum debet videri, si urbs regia, castellum nominatur, quia vsus scripturæ est, aliquando castellum pro ciuitate, & ciuitatem pro castello vocare. Spiritaliter autem castellum ad quod mittuntur, mūdum significat, quod cōtra eos fuisse dicitur, quia in exordio prædicationis mundus eorum doctrinæ conatus est resistere, sicut apostolis Iudęi dixerunt: Actu.28. De secta autem hac nouimus, quod ubiq; ei contradicitur. Qui & ab Actu.13. apostolis improperando audierunt: Vobis quidem oportuit primum loqui uerbum dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quod autem subiungit,

Et statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea, soluite & adducite mihi.

Iuxta morem prouinciæ loquitur. Vsus enim erat in illis regionibus, & in singulis ciuitatibus vel viculis, vt asinus vel quodlibet animal ad sedendum aptum, pręparatum haberetur, & si cui ex ciuibus necesse esset itinere vnius diei, huius vehiculi sustētatione vteretur: habitatores autem vrbis de sustentatione vehiculi communiter cogitabant. Mos igitur iste Hierosolymis seruabatur, quando dominus discipulos suos illo misit, dicens: ⌊Et inuenietis asinam alligatam & pullum cū ea. Et reliqua.⌋ Spiritaliter autem per asinam quæ domita erat, synagoga figuratur, quæ iugo legis fuerat mansueta & attrita, & in legalibus ceremonijs obseruandis edomita. Per pullum uero lasciuium & indomitū, qui absque frenis huc illuc'q; discurrebat, gētilis populus designatur, qui nulla legis doctrina cōstrictus, nulla dei notitia instruct⁹, incertus, & errans, post idola manuum suarum currebat. De quo bene iuxta alium euangelistam dicitur:

Super quem nullus hominum sedit.

Quia super gentilem populū nullus prophetarum, nullus patriarcharum, suam prædicationem & eruditionem adhuc exercuerat. Non solum enim asina alligata, sed etiam pullus inueniri dicitur: quia non solum gentilis populus, sed etiam Iudæorū, peccati uinculis erat astrictus, teste Apostolo, qui ait in Rom.10. epistola ad Romanos: Non enim est distin-Rom.2. ctio Iudæi & Græci. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Et iterum: Tribulatio & angustia in oēm animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Et bene prius soluere præcepit, & sibi postea adducere, quia ordo rerum poscebat, vt prius homines ab infidelitatis vinculis soluerētur, & postea per fidem sibi præsentarentur. Vincu- Prou.5. la enim peccata sunt, vt ait Salomon: Funiculis peccatorum suorum vnusquisq; constringitur. Et alij quidem euangelistæ tantum pullum posuerūt, vocationem gentiū solummodo exprimere cupientes. Matthęus aūt vtrūque animal posuit, asinam videlicet, & pullū, vt significaret ex vtroque populo aliquos in Christo esse credituros. Quasi enim ad soluēdam asinā apostolos misit, qn̄ specialiter ad synagogam p̄dicandū eos destinauit, dicens: In viam gentiū ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorū ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Mat.10. Quasi ad pullum misit, quando post suam resurrectionem eis præcepit, dicens: Mat.28. Euntes in mūdum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti. Quid vero subiungit?

Et si quis aliquid uobis dixerit, dicite quia dominus his opus habet, & confestim dimittet eos:

Hoc est, quod iuxta Lucam euangelistam pullus quem discipuli soluerunt, multos dominos habuisse fertur, qa Iudæorum & gentium populus non vni errori, sed multis erat deditus. Domini autem qui solutionem contradicebant, immundi spiritus sunt intelligēdi, qui quondam tyrannidem post peccatum in humano genere sibi vendicabant. Cum'q; per prædicationem apostolorum eos ad fidem cōuerti cernerent, dixerūt: ut qd soluitis pullum? Qm̄ omni studio conati erant eorum prædicationi resistere, suscitantes reges & tyrannos ad eorum prædicationem, ne genus humanum ab eorum vinculis solueretur. Sed postquam discipuli dixerūt, Dn̄s his opus habet, confestim dimiserunt eos: quia postq̄ talia signa & miracula ōnderunt, s. suscitantes mortuos, & ab humano corpore immundos spūs expellentes. & cætera q̄; plura, vt à deo cognoscerentur esse missi, coacti nolentes'q; genus humanū relinquere. Infirmata est aūt virtus dęmoniorum, mox vt fides Christi patuit per prædicationem apostolorum, intantū vt illorum manibus idola destruerētur, quorum sumptu & labore fuerāt ædificata. Vn̄ & per obsessum hoiem dn̄o dixerūt: Quid nobis & tibi fili dei? venisti ante tempus torquere nos? Mat.8.

Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictū est per prophetā dicentē: dicite filię Sion. Ecce rex tuus uenit tibi māsuetus, & sedens super asinā & pullum filiū subiugalis.

Morem suum in hoc loco Matthęus euāgelista seruat. Qui enim Hebręis Hebræo ser

mone scripsit euangelium vbicunque se loci
opportunitas dedit, suam narrationem legis
& propheta℞ testimonijs cōfirmauit. Vnde
cū dixisset dominum misisse discipulos ad sol
uēdam asinam, & pullū, cōtinuo testimoniū
prophetæ adhibuit, dicens: ⌊Dicite filiæ Si-
Zach. 9. on, Ecce rex tuus venit, & reliqua:⌋Hoc testi
monium in Zacharia propheta est, quod nō
solum impletū est, quia prædictum erat, sed
etiam antea prædictum est, quia implēdum
erat. Vt autem omnem excusationem igno-
rantiæ à Iudæis auferret, cum dñi aduentum
prædiceret propheta, ipsam qualitatem dñi
aduenientis ostendit, dicēs: Dicite filiæ Sion,
& reliqua. Historialiter autem filiam Sion, Ie
rusalem appellat, in cuius sublimiori loco Si
on posita erat, non solum ad defendendū tu-
tior, sed etiam ad cōtemplandum sublimior
locus. Ac si diceret propheta: O vos Iudæi,
quos ille aduentus domini in carne inuentu-
rus est, his signis regem vestrum cognosci-
te: Cum videritis eum venientem mansuetū,
non superbum, sed humilem: non armorum
splendore terribilem, ut quōdam ad vestram
destructionem Nabuchodonosor & Antio-
chus venerunt, sed ad restaurationem: nō se-
dentem super spumeum equū discordię ama
torē, qui vngula terrā fodiat, & procul odo-
retur bellum, sed super asinā pacis amicā, vel
super pullum filium asinæ: non vt auferat à
te temporale regnum atq; terrenum, sed cō-
ferens tibi, si credideris, cæleste & sempiter-
num: non vt ducat te in terram alienam vin-
ctū, sed vt restituat in propria libe℞. Quod
autem ait, ⌊tuus,⌋tale est ac si diceret: Tuus
inquam, non alienus, nō extraneus, sed pro-
prius, ex te natus, & in te nutritus, & ad tuam
salutē veniens. Quod vero subiūgitur, ⌊mā-
suetus,⌋ostendit suam mansuetudinem non
solum in verbis, sed etiam in subiugali sessi-
one. Spiritaliter nanq; Sion, quæ speculatio
interpretatur, ecclesiam significat, quæ mun-
Iohān. 8. do cordo quotidie contemplatur eum qui di-
xit: Ego principium qui & loquor vobis: Et
iterum: Ego sum lux mundi. ⌊Dicite ergo
filiæ Sion⌋.i. ecclesię ⌊ecce rex tuus venit se-
dens super asinam & pullum⌋.i. non super-
bo℞, sed humiliū mentes inhabitās, vt discas
ab eo qui mitis est & humilis corde: quia qui
huius regis regni particeps eē desiderat, ne-
cesse est, ut humilis sit & mansuetus, nō red-
dens malum pro malo, nec maledictum pro
Psal. 36. maledicto, ut in eo℞ numero cōputari possit,
de quibus dr̄: Mansueti hæreditabunt terrā,
& inhabitabunt in seculum seculi super eam.
Mat. 5. Et ite℞: Beati mites, qm̄ ipsi possidebunt ter-
ram. Mansuetus aūt rex, māsuetos vult habe
Mat. 11. re subditos, sicut ipse dicit: Discite à me quia
mitis sum & humilis corde, & inuenietis req
em animabus vestris. Asinus enim in scriptu
ris, nec semper in malo, nec semper in bono
ponit̄, sed aliqñ asino℞ nomine, fatuitas stul
to℞ significatur, aliqñ luxuriantium petulan
tia, aliqñ simplicitas viri iusti. Fatuitas stulto Deut. 22.
rū, sicut scriptū est: Non arabis in boue simul
& asino .i. stultum sapienti in prædicatione
non socies. Luxuriantium petulantia, sicut p̄ Ieze. 23.
prophetam dicitur: Quo℞ carnes sunt vt car
nes asinorum, & fluxus eo℞ vt fluxus equo-
rum. Simplicitas viri innocētis, sicut per Isaiā Isaie. 32.
prophetam dicitur: Beati qui seminatis super
oēs aquas, immittentes pedem bouis & asini.
Ergo in hoc loco asina vel pullus, qui ad se-
dendum dño adducuntur, simplicem vel in-
nocentem significant aīam. Dn̄s enim super
asinam sedet, qñ simplicem mentē inhibitat, Isa. 66.
sicut ab eo p̄ prophetā dicit̄: Sup̄ quem re-
quiescet spiritus meus, nisi sup̄ humilem & quie
tū, & trementē sermones meos? Quasi enim
dn̄s asellū sedēs Ierusalem tēdit, cum simpli
cem mentem inhabitans, ad visionem intimę
pacis eam ardenter festinare docet. Quod be Iudic. 1.
ne in sacra veraciq; historia signatur, cū Ach
sam Chaleb filia super asinam sedens, suspi-
rasse legitur, quasi enim Achsam Chaleb filia
asinam sedens suspirat, quando mens simpli-
cis viri pro cælestis vitæ desiderio ingemi-
scit. Domini iussionem, obedientia secuta est
apostolorum. Vnde & subditur:

Euntes autem discipuli, fecerūt sicut
pręcepit eis Iesus & adduxerunt asi-
nam & pullum.

Iam superius per asinam & pullum vtrun
que populum diximus figurari, Iudęorum s.
& gentium. Quasi ergo missi discipuli asinā
adduxerunt, qñ nonnullos ex synagoga ad fi
dem Christi venire fecerunt, sicut in actibus
apostolorū legimus, quia prædicante Petro,
vna die crediderunt tria millia, & altera die
crediderunt quinq; millia hoim, & multa tur
ba sacerdotum obediebant fidei. Quasi vero
adduxerunt & pullum, qñ illis maxima ex
parte non credentibus, profecti p̄dicauerunt
vbiq; dño cooperante & sermonem confir-
mante sequentibus signis. Sed quia ordo ora
tionis poscit, vt prius instruatur homo in fi-
de, ac deinde deum sessorem habere possit,
recte subiungitur:

Et imposuerunt super eum uestimen
ta sua, & eū desuper sedere fecerunt.

Vestimenta apostolo℞, eo℞ doctrinam
significāt. Quasi ergo super asinā & pullum
vestimenta sua imposuerunt, ut Iesus mollius
sederet, quando sua doctrina corda hoīm in-
struxerunt, vt deum habitatorem habere pos
sent. Quæritur autem quō in tam breui spa
tio itineris super vtrunq; animal sedisse dici-
tur; si enim super asinam sedit, pullus absque

ſeſſore fuit: ſi autem ſup pullum (q̃d plus cõpetit) ſedit, aſina à ſeſſore libera mãſit. quod fieri poteſt, vt prius ſuper aſinam ſederit, deinde Hieroſolymis appropinquans, turbis ſibi obuiantibus, ſuper aſellum ſedere voluerit, ſicut dicit Iohannes euangeliſta:

Appropinquãs Ieſus Hieroſolymis, inuenit aſellum & ſedit ſuper eum.

Sed iuxta ſpiritualem intelligẽtiam (vt ſupra diximus) patet ſenſus quia ſuper vtrunq; animal ſediſſe dr̃, quoniam ex vtroq; populo nonnullos ad ſuam fidem vocauit:

Plurima aũt turba ſtrauerunt ueſtimenta ſua in uia. Alij autẽ cædebant ramos de arboribus, & ſternebãt in uia. Turbæ aũt quæ pręcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: O ſanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini.

Conſiderandum eſt in hoc loco iuxta ordinem perſonarum, qualitas meritorum: alij ſuper aſinã veſtimẽta ſua imponebãt vt Ieſus mollius ſederet: alij veſtimenta ſua ſternebãt in via, ne pes aſinę impingeret: alij ramos de arborib⁹ in via ſternebãt, vt iter aſinæ planũ & decorum redderent: & qui vicinius appropinquare neq̃bant, ſequẽtes clamabãt: Oſan-

2. Cor. 7 na filio Dauid &c. Qui ergo veſtimenta ſua ſuper aſinam impoſuerunt, apoſtoli fuerunt, quia doctrina ſua mẽtes hoim vt habitaculũ dei eſſent, præparauerunt. Qui aũt veſtimẽta ſua in via ſtrauerunt, ſancti martyres ſunt, q dum corpora ſua propter deum ad ſupplicia tradiderunt, quaſi veſtimenta ſua ſtrauerunt, iter ſimplicioribus oſtendentes, per quod ad cælum puenire poſſent. Qui vero ramos de arboribus præcidebant, & ſternebant in via, ſancti confeſſores ſunt, qui dum ſentẽtias patrum præcedentium multiplices & neceſſarias ad noſtram doctrinã proferunt, quaſi de ſpiritualibus arboribus ramos cædentes, cęleſtis patriæ iter decorant. Turbæ aũt præcedentes & ſequentes, vtriuſq; teſtamenti ſignificabant fideles, veteris. ſ. ac noui. Vna enim voce clamant, quia vna eſt fides præcedentium aduentũ dñi, & ſequẽtium, teſte apoſtolo Petro q ait: Per gratiã dñi Ieſu credim⁹ ſalua-

Act. 15. ri, quẽadmodũ & illi. Qd̃ em̃ illi p̄dixerũt futurũ, nos iã credimus factũ. Quid aũt clamãt audiamus: ⌊ Oſanna filio Dauid. ⌋ Oſanna quippe vox eſt exultantiũ pariterq; laudantium. Filiũ quoq; Dauid profitent̃, quia de Dauid ſtirpe natus ad nos ſaluator deſcẽdit, ſicut ait Apoſtolus: Qui factus eſt ei ex ſemine

Rom. 1. Dauid ſecundum carnem. Verſiculus autem iſte quem & pueri in introitu templi domino cantauerunt, ſumptus eſt de centeſimo ſeptimodecimo pſalmo, qui penè totus in perſona domini canitur, & hæc ad eius aduentum pertinent. Cum enim dixiſſet Propheta: La- Pſal. 117

pidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus ẽ in caput anguli, quędã interpoſita adiũxit: O dñe ſaluũ me fac, ò dñe bene proſperare, benedictus qui vẽturus eſt in noie dñi. Pro quo in Hebræo habetur, oſanna odonai oſanna, quẽ Symmachus more ſuo apertius trãſtulit, dicẽs: Obſecro domine ſaluum me fac. Oſanna ergo proprie Hebræorũ ſermo eſt, & interpretat̃ in noſtra lingua, ſalua, ſiue ſaluifica: cui ergo turbę ſalua ſiue ſaluifica clamabãt, vtiq; ſaluatorẽ credebant. Benedictũ quoq; venturũ in noie dñi profitebãtur, quia filius nõ in ſuo nomine, ſed in nomine patris Iohan. 5.

venit: nec ſuã, ſed patris gloriã quæſiuit, ſicut ipſe Iudęis nõ credentibus dixit: Ego veni in Iohan. 8.

nomine patris mei, & nõ ſuſcepiſtis me, ſi ali⁹ venerit in noie ſuo, illum ſuſcipietis. Et iterũ: Ego à meipſo nõ veni, ſed pr̃ meus miſit me.

DOMINICA SECVNDA Aduentus. Lucæ XXII.

In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Erũt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum. Et reliqua.

PRæuidens vel cõdeſcendens & cõſulens dñs humanæ fragilitati, tri- Dani. 7. & 9.

bulationes & preſſuras, quæ circa finẽ ſeculi venturę ſunt, lõge ante dicere voluit, vt tanto facilius tolerentur cũ venerint, quanto ab ipſo lõgius prædicte recoluntur. Minus em̃ iacula ferire ſolent, quę 2. Tim. 3.

præuideri poſſunt. Et electi qui circa finẽ ſe- Iohan. 16

culi futuri ſunt in carne, tribulationes & preſſuras mundi tanto leuius tolerabunt, quanto eas prius ab ipſo redẽptore prædictas memi- Mat. 24.

nerint. Nam interrogatus dñs à diſcipulis de Luc. 21.

aduentu ſuo, & de conſummatione ſeculi, vt ſupra euangeliſta retulit, reſpondit:

Audituri enim eſtis prælia & ſeditiones præliorũ, nolite terreri. Oportet primũ hæc fieri, ſed nõdũ ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gẽs contra gentẽ, & regnũ aduerſus regnũ, & erunt terræmotus magni per loca, & peſtilentiæ & fames, terroreſq; de cælo, & ſigna magna erũt.

Et quibuſdam de perſecutione reproborum & patientia electorum interpoſitis adiunxit hoc quod in capite huius lectionis audiuimus, dicens:

Erunt signa in sole & luna & stellis.

Vbi notandum est, quia ad vltionẽ reproborum hominũ ipsa etiam elementa mundi turbata dicuntur, quæ sigillatim dominus enumerat dicens: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, ecce cõturbatio hoim, terræmotus magni erũt p loca, ecce respectus iræ desup: Erũt pestilentię, ecce inæqualitas corporũ: Erit fames, ecce sterilitas terræ, terroresq; de cælo, & signa magna erunt, ecce inęqualitas aëris. Erũt signa in sole & luna & stellis, ecce commotio siderum:

præ confusione sonitus maris & fluctuum:

Ecce cõfusio fluminum. Iustũ est enim, vt insensati hoies qui in cunctis peccauerũt, in cunctis feriantur. i. si peccauerũt per aëris serenitatem, feriant per tẽpestatem. Sic de reliquis ab ipsis insensatis rebus feriant, & impleatur illud q̃d scriptum est in Salomone: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Quæ aũt signa in sole & luna & stellis futura fuut, alius euangelista, Matthæus scilicet manifestius declarat, dicens: Sapiẽ.5.

In diebus illis sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.

Vbi spiritaliter solis nõie dñs Iesus Christus intelligit. De q̃ scriptũ est: Vobis aũt q timetis deũ, orieĩ sol iustitiæ. Et iterũ: Ortus est sol & congregati sunt. Lunæ aũt nomine in hoc loco ecclesia designatur, sicut scriptũ est in Habacuc: Eleuatus est sol in ortu suo, & luna stetit in ordine suo. In dieb⁹ aũt illis, id est, in illa vltima tribulatione, sol obscurabitur, quia dñs Iesus Christus virtutis suę potentiam non manifestabit. Luna aũt non dabit lumen suũ, quia ecclesia miraculorũ fulgore non resplendebit. Vñ per Iohannẽ in Apocalypsi dr: Et factus est sol niger sicut saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis. Et Apostolus: Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant. Qm̃ cum dñs potentiam virtutis nõ ostendet, ecclesia pro veritatis testimonio martyrij cruore sanguinea erit, sicut per Ioelẽ prophetam dr: Sol conuerteĩ in tenebras, & luna in sanguinem, anteq̃ veniat dies dñi magnus & manifestus. Stellarũ autẽ nomine in hoc loco, hypocritę designantur, qui dum professionem fidei habent, in ecclesia q̃si stellæ & astra fulgent. Sed vltima tributatione imminente, stellæ cadẽt de cęlo, quia plurimi tunc ab ecclesia recedẽt de corpore, à qua prius recesserãt mente. Permittet enim dominus Antichristũ sæuire in sanctis, & suã feruitiam in eis grassari pertinaciter, vt patiẽtia eorũ probeĩ. Vt Apostolus dicit: Qui aduersatur & extollitur supra omne q̃d dr deus, aut quod colitur. Vnde in apocalypsi dr: Et misit draco caudã suam, & traxit tertiã partem stellarũ cæli. Hinc Daniel cũ antichristi tẽpora pdiceret, ait inter cætera: Robur datũ est ei contra iuge sacrificium pro peccato, & prosternetur veritas in terra, & faciet & prosperabitur. Et iterum: Et vsq; ad altitudinem cæli eleuatus est, & deiecit in fortitudine & de stellis, & conculcauit eas.

Psal.103. Haba.3. Apoc.6. 1.Cor.11. Ioel.2. 2.Thes.2 Apo.12. Dani.8.

Et in terris pressura gentium.

Non sufficient ad vindictã reproborũ hominũ signa de cælo, sed etiã in terris pressurę gentium erunt. Eiusdem terræ incolis inuicẽ se prementibus, & inuidiosa cõtentione in se cõsurgentibus, sicut dñs ait: Consurget pater in filium, & filius in patrẽ, & filia in matrẽ suã, & nurus aduersus socrum suã, & inimici hominis domestici eius. Vnde Isaias ait: Irruet vir in virũ, vnusquisq; in proximũ suum. Tumultuabitur puer contra senem, ignobilis cõtra nobilem. Et Paulus: In nouissimis diebus instabunt tẽpora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur. Vnde Matthæus eiusdem tribulationis magnitudinem expressius describens, ait: Luc.12. Isaie.3. 2.Tim.3.

Et erit tunc talis tribulatio qualis nõ fuit ab initio usque nunc, neq; fiet.

Nec solum cælum & terra, sed etiam mare & flumina ad vltionem reproborum hominum consurgent. Vnde & subditur:

Prę cõfusiõe sonitus maris et fluctuũ.

Confusio sonitus maris & fluctuum nõdũ noua exorta est, sed cum maxima ex parte q̃ prædicta sunt, cõpleta cernim⁹, de minimis q̃ restant dubitare nõ possumus. Iam enim gentes cõtra gentẽ, & regnum aduersus regnum surrexisse, vt vidimus & audimus, terræmotus per loca fuisse experti sumus: pestilentias, & fames, terroresq; de cælo, & signa magna fuisse non ignoramus: signa in sole & luna & stellis à quibusdam frequenter visa esse referuntur: confusio aũt sonitus maris & fluctuum, quia nondum venit, sine dubio ventura creditur. Tradunt enim nõnulli, q circa finẽ seculi mare, flumina, & riuuli, iuxta qualitatẽ & quantitatem suã voces & mugitus emittẽt, interitum suum quibusdã luctuosis vocibus deplorantes, & per hoc non paruum timorẽ hominibus audientibus incutient. Quia enim omnia finienda sunt, circa finem seculi omnia cõmouentur. Hinc per Iohannem in apocalypsi dicitur: & mare iam non est. Apoc.21.

Arescentibus hominibus.

Spiritaliter in vltima tribulatione homines arescere, est reprobos à pinguedine fidei & charitatis deficere. Multi enim in illa tribu

latione à fide arescent, qui prosperitatis tempore fideles putabantur, sicut dominus de iactatis seminibus supra petram ait: Quia orto sole aruerunt. Hanc ariditatẽ fatuæ virgines
Mat. 25. patientur, quando prudentibus dicent: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Recte autem dicitur:

Præ timore & expectatione, quę superuenient uniuerso orbi

Illa enim tribulatio vtcunq; tolerabilis est, post cuius finem gaudium speratur: illa dura, aspera & intollerabilis quę cum pręsentaliter cruciat, in futuro maiora cõminat. Vtrunq; enim reprobis in illa tribulatione cõtinget, quia & præsentialiter mala sustinebunt, & in futuro maiora expectabunt, quia & foris pœnas, & intus timorem habebunt, nec de præsenti neq; de futuro securitatẽ animæ habere poterunt. Et ideo recte dr: [Præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.]

Nam uirtutes cælorum mouebũtur, & tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube, cum potestate magna & maiestate.

Quidã in hoc loco virtutes cælorũ, magistros & rectores ecclesiæ intelligere volunt,
Isai. 66. Si enim aiunt, ecclesia spiritualiter cęlum est,
Sapiẽ. 7. vt est illud. Cælum mihi sedes est: &, Anima iusti, sedes est sapientię, nõ incõgrue virtutes cælorũ rectores ecclesiæ intelliguntur, episco
Isaie. 41. pi s. & sacerdotes. Et de his intelligi volunt quod scriptum est: Angeli territi purgabunt Angelorũ nomẽ sup sacerdotes interpretan
Mala. 2. tes, iuxta illud Malachiæ: Labia sacerdotis custodiunt sciẽtiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus dñi exercituum est. Commoueri aũt virtutes cælorũ dicuntur, quia in illo districto iudicio etiam pręsules ecclesiarũ rõnẽ exoluẽt: nõ solum pro suis actibus, sed etiam pro commissis sibi animabus, sicut dñs ait: Homini cui multum cõmissum est, multũ
Sapiẽ. 6. quæritur ab eo. Et sic alia scriptura dicit. Potentes potenter tormenta patientur. Nos aũt virtutes cælorũ specialiter in hoc loco, Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Principatus & Potestates, Cherubim & Seraphim accipimus, de quibus scri
Psal. 148 ptũ est: Laudate dñm oẽs angeli eius, laudate eum oẽs virtutes eius. Quæ virtutes moueri dicuntur, quia angeli non solum aduẽtum dñi comitabuntur, sed etiam præcessuri sunt,
Mat. 13. sicut dominus ait in euãgelio: Mittet filius hominis angelos suos, & colligẽt de regno ei omnia scandala. Et iterum: Exibũt angeli, & separabunt malos de medio iustorum. Et ali
Isaie. 3. bi: Dñs ad iudicium veniet cũ senibus. Et Sa
Prou. 31. lomon: Nobilis in portis vir eius quando sederit cũ senatoribus terræ. Vel certe alio mo

do commoueri dicuntur, vt terror & districtio iudicii ostendatur. Sicut enim, verbi gratia, cum rex seuerum & districtum iudicium in subiectis exercet, non solum illi timent qui pro suis meritis iudicantur, sed etiam illi qui eius lateri adhærere solẽt: sic cũ deus omnipotẽs in iudicio reprobos puniet, vt terror & districtio iudicii ostẽdatur, etiam illi timere dicuntur, qui æterna stabilitate firmati sunt. Vñ
bene per beatum Iob dr: Columnæ cæli con Iob. 26.
tremiscunt & pauent ad nutum eius. Quid ergo de talibus fiet, qñ columnæ cõcutientur? Quid ibi virgula deserti patietur, quando cedrus quę in Libano est concutietur? Quid miseri mortales homines facturi sunt, qñ ange
li timebunt? Et si iustus (vt ait Petrus aposto 1. Pet. 4.
lus) vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Huius diei districtionem cõspexerat
Sophonias propheta, cũ dicebat: Iuxta ẽ dies Soph. 1.
dñi, iuxta & velox nimis. Vox diei dñi amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irę, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies nebulæ & turbinis, dies tubę
& clangoris. Et iterũ: Væ qui desideratis diẽ Amos. 5.
dñi, vt quid vobis eam? & quasi si fugiat hõ à facie leonis, & mordeat eum coluber, sic dies
dñi ista tenebræ, & non lux. Et sicut Matthæ Mat. 24.
us ait: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Et iterũ: Tunc erunt duo in lecto
vno, &c. Et Lucas: Ecce venient dies in quib' Luc. 23.
dicent, beatæ steriles quæ non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere mõtibus, cadite super nos: & collibus, operite nos. Qui ergo in hac die securus esse desiderat, dũ in hoc corpore viuit, huius diei districtionẽ ante oculos mẽtis necesse est ponat. Tanto enim erit ibi quisq; securior, quãto in obseruandis mandatis domini modo fuerit timidior. Beatus enim vir qui timet dñm,
ait propheta: In mandatis eius volet nimis. Psal. 111.
Et sicut ait Salomon: Beatus homo qui semp Prou. 28
est pauidus, qui vero mentis est duræ, corruet in malum. In huius diei terrore magnã securitatem eleemosynarum largitas tribuet, quando ipse iudex ad dexteram positis, dictu
rus est: Venite benedicti patris mei, percipite Mat. 25.
regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me: Infirmus & in carcere, & venistis ad me.
Beatus eñ (ait propheta) qui intelligit super Psal. 40.
egenũ & pauperẽ, in die malo liberabit eum
dñs. Hinc iusti viri voce dicit: Fiducia magna Tob. 4.
erit corã summo deo eleemosyna omnibus facientibus eam, &c. Et iterum: Fili, eleemosyna à morte liberat, & nõ patitur hoiem ire in tenebras. Notandum autem, quia quanto fortiora signa manifestantur, tanto domini aduentus vicinior esse intelligitur. Sicut enim

cum rex ad aliq̃d palatiũ vel ciuitatẽ vẽturus
est, nunc alij atq; alij mittunt, sed cũ illi vi-
deri cœperint q ex eius latere sedere solent,
de eius aduentu nõ dubitat: sic aduẽtum illũ
dñicum signa in sole, & luna & stellis, & mul
ta alia pcessura sunt. Sed cum angeli qui ei sp
assistunt cœperint apparere, statim aduentus
dñi vicinus cognoscitur. Vnde cum dixisset,
Nam virtutes cœlo moucbunt adiũxit:
Et tunc videbunt filium hois venientem in
nube, cum potestate magna & maiestate. Fi
liũ ergo hois in iudicio visuri sunt, qa in for
ma serui.i. in forma hois quã p nobis assum
psit, ad iudiciũ venturus est, sicut scriptum ẽ:
Apoc. 1. Ecce veniet in nubibus, & videbit eũ ois ocu
lus, & q eũ pupugerũt, & plangẽt se sup eum
Iohã. 19. oẽs tribus terræ. Et item: Videbunt in quem
transfixerũt. In potestate aũt magna, & maie
state eum visuri sunt, quẽ in humilitate loquẽ
tem audire cõtempserunt. Dignum est enim
vt ipse filius dei, qui in forma hois iniuste iu
dicatus est, in eadem forma oẽs in iudicio iu
Iohã. 8. ste iudicet, sicut ipse dicit in euangelio: Pater
nõ iudicat quenq̃, sed omne iudicium dedit fi
lio. Et item: Potestatẽ dedit ei pr̃ iudicium fa-
cere, quia filius hois est. Sed postq̃ hęc ad ter
rẽdos reprobos dicta sunt, mox ad cõsolan
dos electos dñs sermonem cõuertit, dicens:

His autem fieri incipientibus, respi-
cite & leuate capita uestra, quoniam
appropinquat redemptio uestra

Acsi diceret dñs: Cũ crebris mundi ruinis
& assiduis plagis eius signũ appropinq̃re vi-
deritis, nolite de mũdi interitu flere, nolite de
vobis timere: quia cum eius finis venit, quem
non amastis, inuenietis gaudium qđ sp quæ
sistis. Sępe aũt in scripturis sanctis, caput pro
Eccles. 2. mente ponit, sicut per Salomonem dr̃: Sapi-
entis oculi in capite eius. Si enim corpoream
visionem attendimus, nõ solum sapientis, sed
etiam stulti oculi in capite sunt. Sed sapientis
oculi in capite esse dicuntur, qa discretionem
spũs habet in mente. Quia sicut à capite mem
bra corporis regunt, ita & mente cogitatio-
nes discernũtur. Et sicut caput principale mẽ
brum est corpis, ita & mens principatus cor-
dis. Ita ergo & in hoc loco cum capita iubet
leuare, mentem præcipit ad remuneratiõem
æternam præparare. In quibus verbis osten
dit, quia electi diem iudicij nõ tantũ debent
timere, q̃tũ optare. Vñ quotidie in orone po
scunt, dicentes: Adueniat regnũ tuũ. Quod il
lo est facere, qui gr̃a dei se præueniente bo
na operatos esse recolunt, sicut per Iohãnem
1. Ioh. 3. dr̃: Charissimi, si cor nrm non reprehenderit
nos, fiduciam habem⁹ in die iudicij. Et ne ad
hæc intelligenda humana mens pigra rema-
neret, similitudinem de rebus visibilibus do-
minus adiunxit. Vnde & subditur:

Et dixit illis similitudinem: Videte
ficulneam & omnes arbores, cũ pro
ducunt iam ex se fructum, scitis quia
prope est æstas.

Ipsam nanq; exposuit, addens:

Ita & uos cum uideritis hæc fieri, sci
tote quoniam prope ẽ regnum dei.

Acsi diceret dñs: sicut ex fructu arboris vi
cina æstas cognoscit, ita & vos ex ruinis mũ
di regnum dei proximum & vicinum esse co
gnoscite. Vnde bene alius Euangelista, scili-
cet Matthæus, vt celeritatem venientis do- Mat. 24.
mini ad iudicium ostenderet, ait: Ita & vos
cum videritis hæc omnia fieri, scitote qa pre-
pe est regnum dei in ianuis. Pulchre autem
regnum dei æstati comparatur, quia sicut æ-
statis tempore sol lucidior & splendidior ap
parens mundum illuminat, ita post iudici-
um omnis humana fragilitas, omnisq; ten-
tatio transiet. Et cum sol iustitiæ dominus Ie
sus Christus in claritate visionis suæ appa-
ruerit, sanctos maiori splendore glorificabit,
quando implebitur quod dominus alibi ait:
Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno pa- Mat. 13.
tris eorum. Et tunc impletum erit quod 1. Co. 13.
ait Apostolus: Quod nunc videmus per
speculum & in ænigmate, tunc videbimus
facie ad faciem. Sicut autem hyemis tem-
pore arbores cernimus folijs nudatas, fru-
ctibus expoliatas, & pene mortuas esse, ita in
præsenti vita sancti mortificantes membra
sua super terram, humiles & despecti appa-
rent, dicentes cum Propheta: Propter te
mortificamur tota die, æstimati sumus sicut Psal. 43.
oues occisionis. Et sicut appropinquante æ-
state iterum rediuiuæ arbores vestiuntur fo-
lijs, decorantur floribus, ornantur fructib⁹,
ita in die iudicij, sancti de terra & puluere cõ
surgentes, induti stola immortalitatis, iu-
cundi & floridi apparebunt, dicente Psal-
mista: Iustus vt palma florebit, & sicut ce- Psal. 91.
drus Libani multiplicabitur. Taliter quasi
in hyeme in præsenti vita spiritales arbores
mortuas inspexerat Paulus Apostolus cum
dicebat: Mortui enim estis, & vita vestra Colos. 3.
abscondita est cum Christo in deo. Qua-
si iterum appropinquante æstate easdem ve
stiri folijs, & decorari spiritualibus flori-
bus considerabat, quando aiebat: Cum e-
nim apparuerit Christus, vita vestra, tunc
& vos apparebitis cum ipso in gloria. Si-
militer & Dauid Propheta spirituales ar-
bores mortuas inspexerat, cum dicebat: Psal. 125
Euntes ibant & flebant, mittentes semi-
na sua. Et quasi æstate regno appropin-
quante iterum viuificandas inspexerat, quan
do aiebat: Venientes autem venient cum ex-
ultatione, portantes manipulos suos. Vñ san

cta ecclesia post resurrectionẽ dñi fructu iu-
stitiæ repleri se gaudens, in amoris cantico
Cant.2. audiuit à domino: Veni electa mea, formo-
sa mea, columba mea, immaculata mea. Tota
pulchra es amica mea, & macula non est in
te vlla: Iã enim hyems transijt, imber abijt
& recessit, flores apparuerunt in terra, tem-
pus putatiõis aduenit, mane surgamus ad vi-
neas. Vel certe aliter, per ficulneam synago-
gam intelligere possumus. Hæc est enim fi-
culnea, ad quã iuxta aliã euãgelij parabolam
Mat.21. dñs venisse legit: Quærens fructũ in ea, & nõ
inueniẽs, dixit: Nunq̃ ex te fructus nascat in
sempiternũ. Cũ ergo uiderimus hãc ficulneã
.i. synagogam ex se fructus credulitatis pro
ferre, sciamus quia prope est regnũ dei, quo
niã circa finem seculi p prædicationem Eliæ
& Enoch synagoga ex parte creditura est, te-
ste Apostolo, q ait: Cũ plenitudo gẽtiũ sub-
Rom.11. intrauerit, tũc oĩs Israel saluꝰ fiet. Et iterũ: Nõ
prius qđ spiritale, sed quod aĩale, deiñ qđ spi
1.Co.15. ritale. Vñ & dñs per Mala. ꝓphetã repromi-
sit, dicens: Ecce ego mittã ad vos Eliã The-
Mal.4. sbiten, qui cõuertat corda patrum in filios, &
corda filiorum ad patres eorum.

Amẽ dico uobis, quia non præter-
ibit generatio hæc, donec oĩa fiant.

Amen, ꝓprie Hebræorũ sermo est, & ẽ ad-
uerbiũ affirmantis, & cũ possit interp̃tari ve-
re siue fideliter, à nullo interpretatum est, sed
ob honorẽ & reuerẽtiam dñi, q hoc sermone
in sua locutiõe freq̃nter vsus est, ita relictus
est sine interpretatiõe. Generatio aũt hæc, si
de Iudæorũ gente intelligat, nõ præteribit, vt
plures illorũ nõ sint, q̃adusq; oĩa q̃ à domino
prædicta sunt, impleant. Si vero ad totam hu
mani generis massam referat, manifeste patet
qa nõ præteribit genus humanũ, quoadusq;
oĩa q̃ à domino prædicta sunt, consummata
sint. Prædicta est enim domini incarnatio, &
Isaie.7. impleta est. Prædicta est eius passio, & resur
et.35. rectio, & impleta sunt. Prædicta est gloriosa
eius ascensio, & cõpleta est. Prædicta est ec-
clesia, p vniuersum mũdũ futura, & oculis cer
nimus impletum. Prædicta sunt signa in sole
& luna, & stellis, impleta sunt. Prædictus est
sonitus maris & fluctuũ, nulli dubium qđ ad-
ueniat. Prędicta est dies iudicij, qa nondũ im
pleta est, sine dubio implenda credit. Prædi-
ctum est vniuersale iudicium, & vita æterna,
& complenda expectamus. Cum quanta au-
tem firmitate credenda sint, q̃ à domino præ
dicta sunt, ipse manifestat, cum adiungit:

Cælum & terra transibũt, uerba autẽ
mea, non transibunt.

Nihil enim rebus visibilibus cælo & terra
durabilius, nihil in rebus humanis velocius
quàm verba transeunt, q̃ nec perfici nisi trãs-
eundo possunt. Cum ergo dominus dicit:
[Cælũ & terra transibunt, verba autem mea
non trãsibunt,] ostendit quia quæ apud nos
fixa videntur, apud illum transitoria sunt: &
quæ apud nos transitoria vident, in eius ver
bis firma & stabilia sunt, quia fixas & perma
nentes sententias format eiꝰ sermo dñi trans-
it. Sed quærit cum dominus dicat: [Cælum
& terra transibunt,] quomõ stare possit illud
quod ait Ecclesiastes: Generatio præterit, & Eccles.1.
generatio aduenit, terra vero in sempiternũ
stat. Si enim iuxta domini vocem [cælum &
terra transibũt] quõ terra in sempiternũ sta-
re dr? Ad quod dicẽdum, quia aliud est cælũ
aẽreum, aliud sidereum, & aliud ęthereũ. Cæ
lum ergo aẽreum terræ vicinum est, vnde &
aues cæli nominamus, quas super aẽra volita
re cernimus. pluuia dicit cadere de cælo, cũ
vtiq; de nubibꝰ quas cernimus, pluat. Cęlum
ergo hoc aẽreũ & terra trãsire dicunt, Psalmi Psal.101.
sta dicẽte: Initio tu domine terram fundasti,
& opa manuum tuarũ sunt cæli, ipsi peribunt.
Non ut omnino non sint, sed vt in melius im
mutanda sint. Ipsa ergo immutatio transitus
appellat. Transire vero dicitur non solum id
quod ita perit q nunq̃ sit, sed quod immutat
vt melius sit. Sicut metalla aurea & argentea
per ignem transeunt, non vt non sint, sed vt
pulchriora fiant. Quoniam cælum & terra, q̃
nostris iniquitatibus polluta sunt, per ignem
in die iudicij purganda sunt, sicut ait Psalmi-
sta: Ignis ante ipsum præcedet, & inflamma-
bit in circuitu inimicos eius. Et tantum arde-
bit ignis iudicij in aẽre, vt nonnulli tradunt,
quantum aquæ diluuij occupauerunt sup ter
ram, & ipsa immutatio cæli & terræ, transitꝰ
appellatur. Sicut enim hõ amictũ vel quod-
libet vestimẽtum à se proijcit, vt alterum de
centius induat, ita deus omnipotens cælum
& terram per ignem purgabit, vt purgata in
melius cõsistãt. Vnde & per Psalmistam dr:
Et velut amictum mutabis eos, & mutabunt. Psal 101.
Hinc per Petrum apostolum dicit: Cæli au- 2.Pet.3.
tem qui nunc sunt & terra eodem verbo re-
posita, igni reseruata sunt in die iudicij. Et ite
rũ: Dies domini sicut fur, ita in nocte veni-
et, in quo cæli magno impetu transibunt, ele
menta vero calore soluentur. Hinc p Isaiam Isai.65.
dominus dicit: Ecce ego creo cælum nouum
& terram nouam, non vt condenda sint, sed
vt in melius immutanda. Sic & per Iohannẽ
in Apocalypsi dicit: Ecce noua facio omnia. Apo.21.

DOMINICA TERTIA Aduentus Matthæi XI.

In illo tempore: Cum audisset Iohan
nes in uinculis opera Christi, mittẽs
duos de discipulis suis, ait illi: Tu es
qui uenturus es. Et reliqua.



IN exordio huius lectionis ingrendum est, quare Ioh. Bapt. ppheta, & plus q̃ propheta, qui saluatorē alijs digito ostēderat, dicens: Ecce agnus dei, ecce q tollit peccata mundi. Et quem venientem ad baptismum expauerat, dicens: Ecce à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Nunc in carcere Matt. 3. positus, quasi quis sit ignorans, discipulos ad interrogandum misit, dicens:

Tu es qui uenturus es, an alium expectamus?

Nunquid ergo ignorabat eum, quem alijs demonstrauerat, & super quem spiritum sanctum in columbæ specie descendētem & manentem viderat, vocemq́ patris intonantem audierat: Hic est filius meus dilectus in quo mihi cõplacuit. Et de quo multa testimonia perhibuerat, dicens: Qui de terra est, de terra loquit: qui de cęlo venit, super omnes est? Non, sed hęc interrogatio Iohannis, illius discipulis potius q̃ illi necessaria erat. Vt qd ergo interrogauit: Tu es q venturus es, an alium expectam⁹? Ad quod rñdendum, quia in hac interrogatione (vt diximus) non sibi, sed discipulis suis cõsuluit, id non propter suam ignorantiā, sed ppter incredulitatem interrogantiū discipulorum. Quod aūt discipuli Iohānis erga dominū, quem adhuc verum deū non cognoscebant, aliqd mordacitatis vel liuoris haberent, supior textus euāgelij ostendit. In illo die accesserunt discipuli Iohannis ad Iesum, dicentes: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et iterum: Accesserunt discipuli Iohannis ad eū, s. ad Iohannem, dicentes: Magister, cui testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnis turba post eum vadit. Acsi dixissent: Nos relinquimur, & illum omnis turba sequitur. Positus ergo Iohannes in carcere, sciens se pro veritatis testimonio moriturum, discipulos quos ad credendum Christo præparauerat, in hoc errore relinq̃re noluit, & ideo sub obtentu interrogationis eos ad interrogandum misit, vt dum ad interrogādum eum pergerent, videntes signa & miracula q̃ faciebat, verum deum esse illū cognoscerent, ac crederent, & sic ab ipso errore liberarent. Est & alia rõnabilis causa, pro qua Iohannes ad interrogandum Chrm discipulos misit. Nouerat enim pro redemptiõe hoim Chrm natum de virgine in mūdum venisse, utrū autem moriens per seipsum eos q in inferno iniuste tenebantur, liberaturus esset adhuc ignorabat: & ideo nõ dixit, tu es q venisti, sed tu es q venturus es. Ac si diceret: Ego in carcere clausus ab Herode capite trucandus, ad inferna descensurus sum: Manda mihi vtrum debeam aduentum tuum annunciare inferis, qui nunciaui superis, an non conueniat filio dei, ut gustet mortem, & ad hoc sacramentum pagendum. i. ad liberandas animas, alium quàm te missurus es.

Matt. 3. — Matt. 9. — Iohan. 3.

Et rñdēs Iesus, ait illis: Eūtes renūciate Iohāni q̃ audistis & uidistis. Cæci uidēt, claudi ambulāt, leprosi mūdantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.

Respõsio ista domini ad supiorem sensum ptinet, q nõ ad interrogationem Iohannis respõdit, sed ad cogitatiões interrogātium. De morte nanq; sua reqsitus, miraculorum virtutes enumerauit; vt videntium aios ad suam credulitatem puocaret. Ac si diceret: Conferte opa q̃ in me uidetis, cum pphetarum oraculis quæ legistis, vt in me illum esse cognoscatis, de quo olim ppheta gaudens dicebat: Dñs ipse veniet, & saluabit nos. ⌊Cæci vident,⌋ vt impleat illud propheticum: Tūc aperient oculi eorum ⌊claudi ambulant,⌋ vt impleatur Isa. 35. illud: Tunc saliet sicut ceruus, claudus ⌊lepsi Isa. 53. mundantur,⌋ qa sicut p pphetam dr: Ipse iniquitates nras tulit, & lāguores nros ipse portauit, cui⁹ liuore sanati sum⁹ ⌊surdi audiunt⌋ vt impleatur: Et aures surdorum patebūt ⌊mor Isa. 35. tui resurgūt⌋ vt impleatur illud: Viuēt mor Isa. 26. tui, interfecti mei resurgent ⌊Pauperes euangelizantur.⌋ vt illorum ministeriū impleatur, de qbus dr: Dñs dabit verbum euangelizantibus virtutē multam. Spūaliter aūt Iohānes uinct⁹ in carcere, legē significat uinctā in cordibus Iudæorum quæ dum nõ spiritualiter, sed carnaliter intelligebat. q̃si uinculata & ligata iacebat ⌊Misit ergo Iohānes duos discipulos ad Chrm, vt interrogarent eum: ⌊Tu es qui venturus es, an alium expectam⁹?⌋ Misit & lex scribas & pharisæos, qui saluatorem interrogarent: Si tu es Chrs, dic nobis palā. Et ite Luc. 20. rum: Dic nobis in q̃ potestate hæc facis. Quibus congrue à dño rñdetur: Euntes renunciate Iohanni quæ audistis & vidistis: ⌊Cęci vident, & reliq.⌋ Per has em̄ infirmitates corporum, debilitas aiarum significata est. Infirmorum vero curationes enumerauit, quia non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ait enim: ⌊Cæci vident.⌋ Ac si dicat alijs verbis, Iam tempus gratiæ meæ apparuit, quo verum lumen resplendens in mundo, eorum oculos qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant illuminet, & purgato mentis oculo, illum aspicere incipiant, qui ait in Euangelio: Ego sum lux mundi, vt impleatur in eis: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. ⌊ Claudi ambu- Iohan. 8. lant.⌋ Hoc est, illi qui in via dei claudica- Matt. 5. bant, nunc vtriusq; testamenti instructi lectione, & dilectione dei & proximi confirmati,



& gressum mentis firmum habentes, viã mãdatorum dei currunt, & de terrenis ad cælestem patriam peruenire festinant, vt impleatur in eis: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. ⌊Leprosi mundantur,⌋ id est, illi qui varijs peccatorum facinoribus immũdi & fœdati erant, nũc p̃ baptismũ & pniam se purificari desiderant, & non solũ de prçteritis pctis lugent, sed etiam ꝓ vitæ æternę desiderio suspirant, & in ꝓsperis humilitatẽ, & in aduersis patientiam seruant, vt impleatur in eis: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabũ
Matt. 5. tur, & ut mundationem animæ recipere possint, in tãtam perfectionem excrescunt, vt nõ solum mala non irrogent, sed etiam ab alijs irrogata æquanimiter ferãt, vt impleatur in eis. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustiam ⌊Surdi audiunt.⌋ qa illi q prius aures clausas habebant ad audiendum uerbũ dei, apertas ad audienda ludibria: nunc ecõ obdurant aures suas ne audiãt sanguinem, & uerbum dei ardenti animo audire desiderant
Eccl. 30. & ut opere implere possint, esuriunt atq; sitiunt, ut impleatur in eis: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur ⌊Mortui resurgunt,⌋ id est, illi q quasi insensibiles in peccatis mortui iacebant, econtrario mẽbra sua mortificantes, spiritualiter viuere incipiunt, & misericordiam quam in se expti sunt, alijs etiam inquantum præualent impendunt, cupientes implere illud scripturæ: Miserere animæ tuæ placens deo, ut impleatur in eis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur ⌊Pauperes euãgelizantur,⌋ id est, illi qui virtutibus tenues erant & pauperes & vitijs repleti: nunc è contrario ut in cælo thesaurizari possint, tẽporales diuitias cõtemnunt, & per cõmunionem charitatis & spiritussancti gratiam, bonum quod didicerunt, alijs annunciare non cessant, vt impleatur in eis. Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: & qui ante virtutibus pauperes erant & vacui, nunc incipiant esse pauperes spiritu, vt in eis impleatur quod dominus ait in euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

Conclusio ista dñi ad interrogationem Iohannis ptinet. De morte em̃ sua reqsitus, primo signorũ virtutes enumerauit, & postea ad hoc quod inquisitus fuerat respondit, dicens: ⌊Beatus qui nõ fuerit scandalizatus in me,⌋ id est in mea morte. Acsi diceret: mira quidem & magna sunt quæ facio, quia cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mortuis vitam restituo. Sed tamen cum hæc oĩa faciam, ad vltimum mortem pro humani generis redemptione sustinere non dedignor. Et necesse est hoĩbus, ut qui in me signa venerantur, ad suum scandalum mortem in me nõ despiciant. Plures enim fuerunt, q cũ prius domini virtutes mirarent̃, mortem turpissimã crucis in eo despexerunt. Visis autem tot signis tantisq; virtutibus miraculorũ nõ scandalizari quisq; potuit, sed admirari. Sed mens infidelium graue contra eum sumpsit scandalum, qñ post enumeratis miraculorũ signis, eũ cõprehendi, ligari, flagellari, & in sepulchro collocari cõspexit. Scandalizabant̃ quoq; quando eum quem mortuos suscitautem aspexerant, mortuum videbant. De quibus ait Apostolus: Nos autem prædicamus 1. Cor. 1.
Christum crucifixum, Iudæis scandalum quidem, gentibus autem stultitiam.

Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Iohanne: Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatam?

Acsi diceret: Ne circunstantes turbæ putarent interrogationem Iohannis vel de inuidia, vel de ignorantia natam, discipulis illius recedentibus miris & magnis laudibus dominus Iohannem extollit, dicens de illo ad turbas: ⌊quid existis in desertum videre? arũdinem vento agitatam?⌋ Acsi diceret: Nunqd ad hoc venistis in desertum, vt videretis hominem calomo similem, qui leuitate mentis de me dubitet, quem antea paululum vobis prædicauit? Quod non affirmando, sed negãdo protulit. Arundo quippe canna est ab ariditate sic dicta, quæ tres differentias in se naturaliter habere dinoscitur. Primam, quia in humectis & aquosis locis nascit̃: Secundam, quia exterius pulchra, & interius vacua est: Tertiam, quia quacunq; aura tacta fuerit, in aliam partem flexibilis vertitur, significat carnalium mentes, qui dum petulantiam libidinis diligunt, quasi in aquosis & humectis locis nascuntur. Vnde propheta: Computruerunt iumenta in stercore suo. Et iterum: Cõ Ioel. 1. Psal. 48.
parati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Cumq; per hypocrisim dissimulant se sanctos, quod nõ sunt, quasi arundo exterius nitidi apparent, sed interius vacui sunt. Tales erant scribæ & pharisæi, quos dominus fortiter increpabat, dicens: Væ vo Mat. 23.
bis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum atque omni spurcitia. Ita vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Et quia deum in corde habitatorem nõ habent, immundis spiritibus aditum præbent. Sicut de diabolo ad beatum Iob domin' ait:

Iob.40. Sub vmbra dormit in secreto calami in locis humentibus. Cũ vero humanis laudibus eleuātur,& detractionibus deijciūtur, quasi more arundinis vento tacti, in aliam partem flectuntur. Si enim carnalis mens fauorem laudis transitoriæ audierit, delectatur, hilarescit, & gaudet. At uero si ab eodem ore processerit uētus detractionis,& quo fauor laudis humanæ exire consueuerat, statim ad iracundiā prouocatur. Sed non talis erat Iohānes, quippe qui ex castis parentibus & longæuis natus uirginitatis amator pariter extitit & custos. Sed nec exterius pulchēr & interius inanis erat, quia sanctitatem quam ostendebat exterius, multo magis seruabat interius. Neq; more arundinis uentus detractionis uel laudis hūc eleuare uel deijcere poterat, sed inter aduersa & prospera immobilis permanebat, seruans in prosperis humilitatem, & in aduersis patientiam. De cuius laude adhuc recte subditur.

Sed quid existis uidere? hominē mollibus uestitum?

Et hoc dominus negando, non affirmando intulit. Molibus enim Iohannes vestitus non erat, quia de camelorū pilis, ex quibus asperū cilicium texit, indumentum habebat. Qui ergo putant in cultu uel insuperfluitate preciosarum vestium peccatum non esse, discant exemplo Iohānis appetitum suum compescere. Si enim virtus non esset vilibus indui vestib⁹, nequaq̄ dominus Iohannem de vestitus sui asperitate laudasset. Et si peccatū nō esset pretiosa & supflua induere vestimenta, neq̄quā de pœna purpurati diuitis locuturus præmitteret, qa induebat purpura & bysso. Sed neq; beatus paulus Apost. ab appetitu preciosarū vestium mulieres cōpesceret, dicens: Non in

1.Tim.2. veste preciosa, non in tortis crinibus auro & margaritis. Vbi considerādum est, quā verecundū sit, hoc viris appetere, à quo magister ecclesiæ studuit fœminas cohibere. Vnicuiq; enim nostrum sua conscientia testis est, quia preciosa vestis, nisi propter inanem gloriam nō quæritur, q̄d si in occulto sit vbi à nemine videatur, non ei cura est qualibus induat vestibus. At vero cum ad publicum processerit, preciosa vestimēta q̄rit, nō vt sanctior, sed vt honorabilior & pulchrior plurib⁹ appareat. His ergo exemplis instructi, tanta ac talia vestimenta quæramus, quibus & nuditas operiri,& frigus possit arceri, quia sicut ait Aposto

1.Tim.6. lus: Nihil intulimus in hunc mundum, sed neque aliquid auferre possumus. Habentes autē victum & vestimentum, his cōtenti simus. Iuxta spiritalem vero intelligentiam Iohannes mollibus vestitus non erat, qui peccātium vitia nō blandiendo fouere, sed increpando nouerat castigare, in tantum vt ipsum Herodem regem de incestis nuptijs argueret, dicens: Non licet tibi habere vxorem fris tui, illo viuente. Nā & vnusquisq; doctor induit Mar.6. asperis vestibus in exemplo Iohannis, q̄ peccantes duris redarguit increpationibus, sicut per Salomonem dicitur: Verba sapientium quasi Eccle.12 stimuli,& quasi claui in altum defixi. Et recte verba sapientium clauis & stimulis comparantur, quia culpas delinquentium non nouerunt dissimulando palpare, sed feriendo pungere, sicut faciebat Iohannes, quando Iudæis dicebat: Genimina viperarum, quis vobis de- Luce.3. monstrauit fugere à ventura ira? At vero ecōtra mollibus doctor induit vestimentis, quando peccantium vitia non increpando redarguit, sed blādiendo vel tacendo nutrit. Quod quia aliquando timore, aliquando amore agitur, recte subiungitur:

Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt.

Quod est aperte dicere: Non cælesti, sed terreno regi militant, qui timore persecutionis vel amore laudis peccantium vitia nō redarguunt. Et vt temporalia patrimonia acquirere possint, illis se conformant.

Sed quid existis uidere? prophetam? Etiam dico uobis & plusquam prophetam.

Non Iohannem dominus prophetam negauit, sed plus q̄ prophetam eum affirmauit. Prophetæ enim officiū est, ventura prædicere, nō aūt ondere. Iohānes aūt & propheta & plusq̄ ,ppheta fuit, qa eum quem post se venturū prædixit, etiam digito demonstrauit, dicens: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata Iohan.1. mundi. De quo Iohanne, dominus alibi disci Mat.11. pulis dicit: Inter natos mulierum maior non surrexit Iohanne baptista, sed quia dominus Iohannem arundinem vento agitatam esse negauerat, quia non esse mollibus vestitum dixerat, & quia non solum prophetam, sed etiam plusq̄ prophetam eum ostenderat, q̄lis esset manifestauit, adiungens:

Hic est enim de quo scriptū est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam qui præperabit uiam tuam ante te.

Hoc autem testimonium in Malachia scriptū est, in persona utiq; Iohannis. Cum enim propheta venturæ dñm prædiceret, etiā p̄cursoris eius personam ostendit, cū dixit: [Ecce mitto angelum meū.] Altū ergo nomen, sed nō est inferius meritum. Impleuit quippe in opere, quod accepit in nomine. Quia enim angelus græca locutione, latine nuncius dicitur, recte nunc angelus vocatur, q̄ aduentū dñi uenerat nunciare, dicens: Veniet fortior Matt.3.



me,post me,cuius nõ sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Et,cuius ventilabrum in manu sua,& permundabit aream suam. Nec solum Iohannes huius participationem vocabuli meretur, sed etiam omnes sacerdotes & ministri ecclesiæ, qui verbum dei in ecclesia prædicant, & venturum iudicium nunciant, angelici nominis consortiũ merebunt, iuxta
Mala. 2. illud Malachiæ: Labia sacerdotis custodiunt scientiam,& legem requirũt ex ore eius,quia angelus domini exercituum est. Et nõ solum sacerdotes, sed etiam fideles laici,si iuxta modulum scientiæ suę bonũ quod nouerunt,fratribus annunciauerint, ad angelorum consortium pertinebunt. Quia in ornamento tabernaculi non solum phialæ, sed etiam cyathi iussi sunt fieri. Quoniam nõ solum huberior doctrina deo accepta est, sed etiã & minima, iu-
Apo 22. xta illud, qđ ait in Apocalypsi Iohãnes: Qui
1.Cor.4 audit, dicat ueni. Et Apostolus: Spectaculum facti sumus mundo, angelis atq; hominibus. Iohannes vero viam domini præparauit, non lapides tollendo, nec aspera coæquando, sed mentes hominum preparando, quando annũ
Matt. 3. ciauit,dicens: Pœnitentiã agite,appropinquabit enĩ regnũ cælorũ. Siue viã domini præparauit, quando corpora humana baptizãdo abluit, sed peccata non dimisit: illum præfigurans, qui non solum in aqua, sed etiam in spiritusancto erat baptizaturus, & peccata hominibus remissurus.

FERIA QVARTA QVAtuor temporum. Lucæ .I.

In illo tempore. Missus est angelus Gabriel a deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Et reliqua.



IDcirco angeli priuatis nominibus censentur, vt signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant. Neq; etenim in illa sancta ciuitate, quã visio dei omnipotentis plenam scientia perficit, idcirco propria nomina sortiũtur, ne eorum personæ sine nominibus sciri non possint, sed cũ ad nos aliquid ministraturi veniũt,apud nos etiam nomina à ministeriis trahunt. Ad Mariam ergo virginem Gabriel mittitur, qui dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas potestates aëreas,humilis apparere dignatus ẽ. De quo per
Psal.23 Psal. dicitur: Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Et rursum: Dominꝰ virtutum ipse est rex gloriæ. Per dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum dominus & potens in prælio, contra potestates aëreas ad bella veniebat. Mẽsem autem sextum Martium intellige, cuius 20. & 5. die dominus noster & conceptus traditur & passus, sicut & in 25. die mensis Decẽbris natus. Quod si vel hoc die (vt nonnulli arbitrãtur) æquinoctium vernale, vel illo solstitium brumale fieri creditur, conuenit vtiq; cum lucis incremento concipi, vel nasci eum, qui illuminat omẽm hoiem venientem in hunc mundum. At si quis ante dominicæ natiuitatis & conceptionis tempus lucem vel crescere, vel tenebras superare cõ-cicerit, dicimus & nos quia & Iohannes tunc ante faciem aduentus eius regnum cælorum euangelizabat, & nunc quoq; prędicatoribus imperatur: Iter facite ei qui ascendit super oc- Psal.67.
casum. Cur autem Iohannes circa æquinoctium autumnale conceptus, circa solstitium æstiuum sit natus, docet ipse qui uel ex sua, vel ex veteris testamenti (vt multi autumant) persona loquitur: Illum oportet crescere, me au- Iohan 3
tem minui.

Ad uirginem desponsatã uiro cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen uirginis Maria.

Multas ob causas saluator non de simplici virgine, sed de desponsata voluit nasci. Primo videlicet, vt per generationem Ioseph, cuius Maria cognata erat, Marię quoq; nosceretur origo. Neq; enim mos est scripturæ, fœminarum genealogiam texere. Nam & de vtroque põt intelligi, quod dicitur de domo Dauid. Deinde, ne vel ut adultera lapidaretur à Iudęis, malens aliquos de suo ortu, quàm de pudore dubitare parentis. Simul & virginibus impudicis occasionem tollens, ne matrem quoq; saluatoris dicerent falsis suspicionibus infamatam. Tertio, vt in Aegyptum fugiens & rediens, haberet solatiũ uiri, q integerrimæ virginitatis custos pariter ac testis existeret. Quarto, ne partus eius diabolo pateret, qui si eum de virgine natum cognosceret, forsitan quasi cæteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret. Maria autem Hebraice stella maris, Syriace vero domina vocatur. & merito, quia & totius mundi dominum, & lucem seculi meruit generare perennem.

Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus.

Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam quam nulla alia meruerat assequitur, vt ipsum videlicet gratiæ conciperet & gigneret autorem.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

Disce virginum moribus, disce virginum verecũdia, disce virginum oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes

viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris, imitari solam in penetralibus, quam nemo viorum videret, solus angelus reperiens, solā sine comite, solam sine teste, ne quo degeneri deprauaretur affectu, ab angelo salutat. Disce virgo verborum vitare lasciuiam. Maria etiā salutationem angeli verebatur. Erat tamen cogitans (inquit) qualis esset ista salutatio. Et ideo cum verecundia, quia pauebat: cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta.

Et ait angelus: Ne timeas Maria, inuenisti em̄ gratiam apud dominum.

Quia salutatione insolita, vtpote quæ ei soli seruabatur, vt viderat turbatam, quasi familiarius notā vocans ex nomine, ne timere debeat, iubet. Et quia gratia plenam vocauerat, eandem gratiam & astruit plenius, & huberius explicat, dicens:

Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum.

Iesus saluator siue salutaris interpretatur. Cuius sacramentū nominis alloquens Ioseph angelus, exposuit: ipse enim (inquiēs) saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Non ait populum Israel, sed populum suū, hoc est, in vnitatem fidei ex præputio & circuncisione vocatum. Quibus ex diuersa parte congre- Iohā. 10.
gatis, fieret vnum ouile & vnus pastor.

Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur, & dabit ei dn̄s deus sedem Dauid, patris eius.

Dictum est & de Iohanne, qa erit magnus, sed quasi homo magnus: hic, quasi deus magnus. Ille enim magnus coram dn̄o, hic autē erit magnus (inquit) & filius altissimi vocabitur. Idem ergo filius altissimi, qui in vtero virginali conceptus & natus est, idem homo in tempore creatus ex matre, qui deus est ante tempora natus ex patre. Si autē idem homo, qui deus est, omittat Nestorius tantū hoīem dicere ex virgine natum, & hunc à verbo dei non in vnitatem personæ, sed in societate, inseparabilem esse receptū. Alioqui non vnum Christum verū deum & hominem, sed duos (quod dici nefas est) asserere, ac per hoc non trinitatem, sed quaternitatem prædicare conuincitur. Catholica aūt fides, sicut vnūquem libet hominem carnem & animam, ita hoiem & verbum vnum Christum rectissime confitetur. Iuxta quod & angeli verba significant, quæ dandam illi sedem Dauid patris eius asseuerant. Qui enim eundem ipsum patrem haberet Dauid, quē filium altissimi vocari pronunciat, in duabus vtiq; naturis, vnam Christi personam demonstrat. Accepit aūt sedem Dauid, vt nimirum gentem, cui Dauid quondam & filij eius temporalis regni gubernacula præbuerunt, ipse perpetuū vocaret ad regnum, q̄d eis paratum est ab origine mūdi.

Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Et Isaias ait: Multiplicabitur eius imperiū, Isaie. 9.
& pacis nō erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt cōfirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia. Non dixit in acquisitione gloriæ, gazarumq; terrestriū, non in victoria gentium plurimarum, vrbiumq; debellatione superbarū, sed in iudicio & iustitia. Per hęc em̄ regnū Christi, & in singulis quibusq; fidelibus, & in vniuersa p orbem multiplicatur pariter & confirmatur ecclesia. Domum nanq; Iacob, totam ecclesiam dicit, quæ vel de bona radice nata, vel cū oleaster esset, merito tamen fidei in bonā est inserta oliuā: quam post triumphū passionis alloquens saluator ait: Qui timetis dn̄m, lauda Psal. 21.
te eum, vniuersum semen Iacob magnificate eum. Non ait ideo futuri tēporis verbo magnus exiturus Iesus, filius altissimi vocādus, sceptrum Dauid accepturus, & in domo Iacob regnaturus asseritur, quia iuxta quod hæretici sapiunt, atq; à veritate desipiunt, Christus ante Mariam non fuerit: sed quia homo assumptus in deū, clarificatus est ea claritate, quam verbum dei habuit, priusquam mūdus esset, apud patrē. Hoc est, vt idem filij nomen eandem Christi personā homo cum deo plenus gratia & veritate sortiretur.

Dixit aūt Maria ad angelum: Quō fiet istud, qm̄ uirum non cognosco?

Propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ qa prima fœminarū tantæ seruituti se mancipare curauit, iure singularari p̄ cæteris fœminis beatitate meruit excellere. Quō (inquit) fiet istud? Non ait, vnde hoc sciam? sed quō (inquit) fiet, quoniam virū non cognosco? Ordinē videlicet obsequij cui subdatur, inquirens, non aūt signū cui credat, flagitans. Neq; enim decebat electam generaturа deum virginē, dubiam diffidentia, sed prudētia cautam existere: quia nec facile poterat homo nosse mysterium, quod in deo manebat à seculis abscōditum. Quia ergo legerat: ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, sed quō id fieri posset non legerat, sciscitabatur ab angelo, q̄d in propheta non inuenit.

Et respondens angelus, dixit ei: Spiritussanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi.



Non virili(inquit) quod nō cognoscis, semine, sed spiritussancti, quo impleris, opere concipies. Erit in te conceptio, libido nō erit concupiscentiæ. Non erit æstus, vbi vmbrā faciet spiritussanctus. Verum in eo quod ait, [Et virtus altissimi obūbrabit tibi,] potest etiam incarnati saluatoris vtraq; natura designari. Vmbra quippe à lumine solet & corpore formari. & cui obumbratur, lumine quidem vel calore solis, quantum sufficit, reficitur. sed si ipse solis ardor perferri nequeat, interposita vel nubecula leui, quolibet alio corpore temperatur. Beata igitur virgo, quia quasi purus homo omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter capere nequibat, virtus ei altissimi obumbrauit. i. incorporea lux diuinitatis, corpus in ea suscepit humanitatis. De quo
Isaie.19. pulchre propheta: Ecce dn̄s(inquit) ascendet super nubē leuem, & ingredietur Aegyptū, quod est dicere: Ecce verbum dei patri coæternum, lumenq; de lumine ante secula natū, carnem in fine seculorum, atq; animam nullo peccati pondere grauatam suscipiet, & de vtero virginali tāquam sponsus de thalamo suo procedet in mundum.

Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei.

Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe etsi sancti efficimur, non tn̄ nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione cōstringimur, vt merito cum propheta gemen
Psal. 50. tes singuli dicamus: ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex cōmixtione carnalis copulæ conceptus non est. [Sanctum(inquit) vocabitur filius dei.] Quid ad hoc dicis Nestoriane, qui beatam Mariam dei negas esse genitricē, apertam niteris impugnare veritatem? Ecce dixit deum superuēturum, dei filium nasciturum. Quomodo ergo aut dei filius deus nō est, aut quæ deum edidit, quomodo theotocos. i. dei genitrix non esse potest?

Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi quæ uocatur sterilis, quia non erit impossibile apud deum omne uerbum.

Ne virgo se parere posse diffidat, accepit exemplum anus sterilis parituræ, vt discat oia deo possibilia, etiam quæ naturæ ordini videntur esse contraria. Si quem vero mouet, quomodo beatæ Mariæ cognatā dicat Elizabeth, cum hæc de domo Dauid, illa de filiabus Aaron originē duxerat, animaduertat proauos earum liberis inuicem nuptū traditis, vtrāq; tribum potuisse cōiungere. Cui si hæc expositio forte nō sufficeret contentiose insistenti, quasi hoc contra interdictum legis fieri nequiuerit, legat Exodum, vbi scriptum est: Acce- Exod.6.
pit autem Aaron vxorē Elizabeth, filij Aminadab, sororem Naason, quæ peperit ei Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Videatq; ante edictum legis superna prouisione sacerdotalem regali iam iunctam fuisse progeniem, vt videlicet dominus Iesus Christus, qui secundum carnem verus rex & sacerdos erat futurus, ipsam quoq; carnem de vtraq;, Dauid s. & Aaron, stirpe susciperet. Vnde & in hac vtraq; tribu chrisma per legem mysticū celebratur, Christi nimirū nominis pariter & generationis prænūcium: & ipse Dauid domū dei ingrediens, panem sanctum & gladium quasi rex & sacerdos accepit, illum videlicet de suo semine venturum præfigurans, qui & pro vestra libertate regis iure pugnaret, & pro vestra libertatis absolutione panem suæ carnis offerret.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla dn̄i, fiat mihi secundum uerbum tuum.

Quāta cū deuotione humilitas, quæ & angeli promissum optat impleri, & seipsam quę mater eligitur, nuncupat ancillam, apertissime insinuans quia nihil sibi meriti uendicet in eo, quod domini iussis obsecūdet. Fiat(inquit) sine viri semine conceptus in virgine, nascatur de spiritusancto integra caro. Sanctū quod nascitur de homine matre, sine homine patre, vocetur dei filius.

FERIA SEXTA QVATVOR TEMPORUM. Lucæ, III.

In illo tēpore exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ. Et reliqua.



Ccepto virginis cōsensu, mox angelus cælestia repetit: illa petit mōtana, festinat inuisere Elizabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exēplo: sed vt lęta pro voto, religiosa pro officio, typicū pariter exemplū tribuēs, quod omis aia quæ verbū dei mente cōceperit, virtutū celsa statim cacumina gressu cōscendat amoris, quatenus ciuitatem Iudæ. i. confessionis & laudis arcem penetrare, & vsq; ad perfectionem fidei, spei & charitatis, quasi tribus in ea mensibus valeat commorari.

Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.

Disce virgo humilitatem Marię, vt & cor-

pora casta, & pectore possis esse deuota. Visitat iunior seniorem, salutat virgo vxorẽ. Decet enim vt quo castior virgo, eo sit humilior: & senioribus honorem deferens, habitum castitatis præconia commendet humilitatis. Aliter: Maria ad Elizabeth, dñs ad Iohãnem. Hæc, vt spiritusancto repleatur, illius vt baptismo consecret. Maiorq́ꝫ humiliatio, minoꝝ est vtiq; exaltatio. Deniq; seqtur:

Et factum est ut audiuit salutationẽ Marię Elizabeth, exultauit infans in utero eius. Et repleta est spiritusancto Elizabeth.

Vide distinctionem, singulorumq́ꝫ verborum proprietates. Vocẽ prior Elizabeth audiuit, sed Iohannes prior gratiam sensit: Illa naturæ ordinem audiuit, iste exultauit rationem mysterij: Illa Mariæ, iste dñi sensit aduẽtum. Illæ gratiam loquuntur, illi intus operantur pietatis mysterium, antequam maternis adoriuntur profectibus, dupliciq́ꝫ miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, & repleta est mater. Nõ prius mater repleta, q̃ filius. Sed cum filius esset repletus spiritusancto, repleuit & matrem.

Et exclamauit uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui.

Notandum quod præmissam de Christo prophetiam, nõ tantum miraculis, sed & verboꝝ proprietate cõplectitur. Iste est enĩ fructus, qui Dauid patriarchæ sub iureiurando promittitur: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Simulq́ꝫ intuẽdum, quod eadẽ voce Maria ab Elizabeth, qua à Gabriel, benedicitur, quatenus & angelis & hominibus veneranda, & cunctis merito fœminis præferenda monstretur. Psal. 131.

Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me?

Non quasi nescia perquirit, quod nimirũ sanctũ spiritus esse cognoscitur, se videlicet à matre dñi ad pignoris sui perfectum salutari: sed miraculi nouitate pculsa, non hoc sui muneris, sed muneris fatetur esse diuini.

Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.

Erubescebat Elizabet onus parientis, q̃ diu nesciebat mysterium religionis. Sed quę occultabat se, quia conceperat filium, iactare se cœpit, quia generabat prophetam. Et quæ ante erubescebat, benedicit: & quæ dubitabat ante, firmatur. ⌊Ecce enim (inquit) vt vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.⌋ Itaq; magna voce clamauit, vbi dñi sensit aduentũ, quia religiosum credidit partum, vbi prophetæ ortus, non affectatæ fidem generationis adsciscceret.

Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a domino.

Vides nõ dubitasse Mariã, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. Beata (inquit) quæ credidisti, & vere beata, quæ sacerdote præstantior, cum sacerdos negasset, virgo correxit & pignore. Pariterq́ꝫ notandum, quanta Elizabeth animum gratia, Maria intrante, ditauit, quam simul de præterito, pręsenti atq; futuro, prophetiæ spiritus illustrauit. Dicens enim ⌊quæ credidisti beata⌋ apte indicat, quia verba angeli, quæ dicta ad Mariam fuerant, per spiritum agnouit. Atq́ꝫ subiungẽs, ⌊perficientur ea quæ dicta sunt tibi à dno,⌋ quæ etiam eam in futuro sequerentur præuidit. Matrem vero domini sui nominãs, quia redemptorem humani generis in vtero portaret, intellexit:

Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo.

Tanto (inquit) me dñs tamq́ꝫ inaudito munere sublimauit, quod nõ vllo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi. Et ideo totas animi vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplandam magnitudinem eius cui non est finis, quicquid viuo, sentio, discerno, gratulanter impendo. Quia & eiusdem Iesu. i. salutaris spiritus meus æterna diuinitate lætatur, cuius mea caro temporali conceptiõe fœtatur. Cui simile est illud Psalmistæ, Anima autẽ mea exultabit in domino, & delectabitur super salutari eius. Psal 34. Et ipse enim patrem filiumq́ꝫ pari venerabatur amore.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Cuius humilitas respicitur, recte beata ab hominibus cognominanda gratulatur: sicut econtrario, cuius superbia despecta condemnaſ, Euæ. i. uæ, siue calamitatis nomine multata tabescit. Decebat enim vt sicut per superbiam primæ parentis nostræ mors in mundum intrauit, ita denuo per humilitatem Mariæ introitus panderetur vitæ.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.

Ad initium carminis respicit vbi dictũ est, ⌊Magnificat anima mea dñm,⌋ Sola quippe



anima illa, cui dominus magnafacere dignatur, dignis eum præconijs magnificare, & ad cõsortes eiusdem voti ac propositi potest co-
Psal. 33. hortando dicere: Magnificate dñm mecum, & exaltemus nomen eius in inuicem. Nam q dñm, quem cognouit, quantum in se est, magnificare & nomen eius sanctificare contempserit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Sanctum autem nomẽ eius vocatur, quia singularis culmine potentiæ trãscendit omnem creaturam, atq; ab vniuersis quæ fecit, longe segregatur. Quod græca locutiõe melius intelligitur, in qua ipsum verbum quod dicitur ἅγιον quasi extra terram esse significat. Cuius etiam nos imitatiõe, pro modulo nostro segregari præcipimur, ab omnibus qui nõ sunt sancti, nec deo dicati, dicente domino: Sancti
Leui. 20. estote, quia ego sanctus sum. Quicunq; enim se consecrauerit, merito extra mũdum videbitur. Potest enim & ipse dicere: Super terrã ambulantes, conuersationem in cælis habemus.

Et misericordia eius in progenies & progenies timentibus eum.

A specialibus se donis ad generalia dei iudicia conuertens, totius humani generis statum describit. Et quid superbi, quid humiles mereantur, quid filij Adæ per liberum arbitrium, quid filij dei siue per gratiã, alterius versibus expicat. Non ergo (inquit) soli mihi fecit magna, qui potens est, sed in omni gente & progenie, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Fecit potentiã in brachio suo, disper sit superbos mente cordis sui.

In brachio suo, in ipso dei filio significat. Non quod pater figura determinetur carnis humanæ, eiq; filius tanquam membrum corporis adhæreat, sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium dñi dictus est. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, sic dei brachiũ dictum est eius verbum, per qd verbum operatus est mundũ. Cur enim homo brachium, vt aliquid operetur, extendit, nisi quia non continuo fit quod dixerit? Si autẽ tanta potestate præualeret, vt sine vllo motu corporis sui quod diceret fieret, brachium eius verbi eius esset. Cum ergo audiuimus brachium dei patris, esse dei filium, nõ nobis obstrepat consuetudo carnalis, sed quantum illo donante possumus dei virtutem, & dei sapientiam cogitemus, per quem facta sunt omnia.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Quod dixit in brachio suo, & quod præmisit in progenies & progenies, his quoque proximis per singula commota est adnectendum versiculis, quia videlicet per omnes seculi generationes, & perire superbi, & humiles exaltari, pia iustaq; diuinæ potẽtiæ dispẽsatione non cessant.

Suscepit Israel puerum suum, memorare misericordiæ suæ.

Pulchre puerum domini appellat Israel, q ab eo sit ad saluãdum susceptus, obedientem videlicet & humilem, iuxta quod Osee dicit: Osee. 11. Quia puer Israel, & dilexi eum. Nam qui contemnit humiliari, nõ potest vtiq; saluari, nec dicere cum propheta: Ecce enim deus adiuuat me, & dominus susceptor est animæ meę. Psal. 53. Quicunq; autem humiliauerit se sicut paruulus, hic est maior in regno cælorum. Mat. 18.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraam & semini eius in secula.

Semen Abraæ nõ carnale, sed spiritale significat, id est, non tãtum carne progenitos, sed siue in circuncisione, seu in preputio, fidei illius sequẽtes uestigia. Nam & ipse in preputio positus credidit, reputatumq; est ei ad iustitiam, atq; eiusdem fidei signaculum circuncisionem accepit, vt sic vtriusq; populi pater fieret per fidem, iuxta quod Apostolus ad Romanos plenissime disserit. Aduentus ergo saluatoris, Abraæ est & semini eius promissus in secula, hoc est, filijs promissionis, quibus dicitur: Si autẽ vos Christi, ergo Abrææ semen estis, secundum promissionem hæredes. Bene autem vel domini vel Iohãnis exortum matres prophetando preueniunt, vt sicut peccatum à mulieribus cœpit, ita etiam à mulieribus bona incipiant. Et quæ per vnius deceptionem perijt, duabus certatim prę-conantibus mundo vita reddatur.

SABBATO QVATVOR temporum. Lucæ .III.

In illo tempore: Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha. Et reliqua.



Erodes, Philippus, & Lysania, qui cum Pilato præside Romano Iudæam regebant, filij sunt Herodis, illius sub quo dñs natus est. Inter quos & ipsum He

rodem Archelaus frater eorum decem annis regnauit. Qui à Iudæis ob intolerabilem animi ferocitatem apud Augustum criminatus, æterno apud Viennam disperijt exilio. Regnũ vero Iudææ quo minus validum fieret, idem Augustus per tetrarchias scindere curauit. Porro Pilatus duodecimo anno Tiberij Cæsaris in Iudæã missus, procurationẽ suscepit gentis, atq; ibi per decem continuos annos, vsq; ad ipsum penè finẽ Tiberij perdurauit. ⌊Sub principibus sacerdotũ Anna & Caipha, factum est verbum dñi super Iohannem Zachariæ filium in deserto.⌋ Ambo quidem, incipiente prædicatione Iohannis. i. Annas & Caiphas, principes fuere sacerdotum, sed Annas illum annũ, Caiphas vero illum, quo dñs crucẽ ascẽdit, administrabat, & quidem tribus alijs in medio pontificatu perfunctis, verum his maxime, q ad dñi passionem pertinerent, ab euangelista commemoratis. Legalibus nanq; tũc præceptis vi & ambitu cessantibus, nulli pontificatus honor vitæ vel generis merito reddebatur: sed Romana potestate alijs nunc, item & alijs summi sacerdotij honor præstabatur. Deniq; Iosephus refert in hunc modum, dicens: Valerius Gratus, Anna sacerdotio deturbato, Ismaelem põtificẽ designauit, filium Bassi. Sed & hunc nõ multo post abijciens, Eleazarum Ananiæ põtificis filium pontificatui subrogauit. Post annum vero etiam hunc arcet officio. Octauianus imperator regnauit annis quinquaginta sex, & Simoni cuidam Camfi filio pontificatus tradidit ministerium. Quo non amplius & ipse quã vnius anni spatio pfunctus, Iosephum cui & Caiphas nomen fuit, accepit successorẽ. Ac per hoc omne tẽpus quo dñs noster in terris docuisse describitur, intra quadriennij spatio coartatur, in quo quatuor istę (quas Iosephus memorat) successiones pontificum describuntur, vix vnoquoq; per annos singulos ministrante. Quia ergo Iohannes illum prædicare veniebat, qui & ex Iudæa q̃sdam, & multos ex gentibus redẽpturus erat, per regem gentium, & principes Iudæorum prædicationis eius tẽpora designantur. Quia aũt gentilitas colligẽda erat, & Iudęa pro culpa pfidiæ dispergenda, ipse quoq; descriptio terreni principatus ostẽdit. Qm̃ & in Romana republica vnus præfuisse describitur, & in Iudææ regno per quartã partẽ plurimi principabantur. Voce em̃ nostri redemptoris dr: Omne regnum in seipso diuisum, desolabit. Liquet ergo quod ad finem regni Iudæa peruenerat, quæ tot regib' diuisa subiacebat. Apte quoq; non solum quibus regibus, sed quib' etiam sacerdotibus actum sit, demonstratur: vt quia illum Iohannes Baptista prædicaret, q simul rex & sacerdos existeret. Lucas euangelista prædicationis eius tempora, per regnum & sacerdotium designauit.

Luc. 11.

Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.

Cunctis legentibus liquet, quia Iohannes baptismum pœnitentiæ non solum prædicauit, verumetiam quibusdam dedit, sed tñ baptismum suum in remissionem peccatorũ dare non potuit. Remissio etenim peccatorum, in solo vobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaq; quod dr, prędicans baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorũ, quoniã baptismum quod peccata solueret, quia dare nõ poterat, prædicebat. Vt sicut incarnatum verbum patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ quo peccata solui non possunt.

Sicut scriptum est in libro sermonũ Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas dei nostri. Isaie. 40

Idẽ vero Iohannes Baptista requisitus qs eẽt, rñdit: Ego vox clamãtis in deserto. Qui ideo vox à propheta vocatus est, quia verbũ præibat. Qui etiam in desertum clamat, quia derelictæ ac destitutæ Iudææ solatium redẽptionis annunciat. Quid autem clamaret, aperitur cum subditur: ⌊Parate viam domini, recte facite semitas eius.⌋ Omnis qui fidem rectam & bona opera prędicat, quid aliud q̃ venienti dño ad corda audientium viam parat, vt hanc vis gratiæ penetret, lumen veritatis illustret. Vt rectas deo semitas faciat, dũ mũdas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format?

Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.

Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles? quid mõtium & collium, nisi superbi homines designantur? In aduentu igitur redemptoris ualles impletæ, montes vero & colles humiliati sunt, quia iuxta eius vocem omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit, mons autem & collis humiliatus decrescit. Quia nimirum in fide mediatoris dei & hominũ, hominis Iesu Christi, & gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidiæ, hoc vnde tumebat, perdidit.

Et erunt praua indirecta, & aspera in uias planas.

Praua indirecta fiunt, cum malorum corda per iniustitiam detorta, ad iustitiæ regulã diriguntur. Et aspera in vias planas mutãtur, cum immites atq; iracundiæ mentes, per infusionem supernæ gratiæ, ad lenitatem man-

suetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente nõ recipit, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit. Sed cum iracunda, per acceptam mansuetudinis gratiam, correptionis vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi prius pro asperitate itineris pergere, id est, prædicationis gressum ponere non valebat.

Et uidebit omnis caro salutare dei.

Quia omnis caro accipitur omnis homo, salutare dei, videlicet Christum, in hac vita omnis homo videre non potuit. Vbi ergo in hac sententia propheta prophetiæ oculũ nisi ad extremũ iudicij diem tendit? vbi cũ apertis cælis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis, in sede maiestatis suæ Christus apparuerit, oẽs hunc & electi & reprobi pariter videbunt, vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti in vltione suplicij in perpetuum gemant.

DOMINICA QVARTA ADuentus. Iohannis I.

In illo tempore: Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad Iohannem, ut interrogarent eum, tu quis es. Et reliqua.

POtest mouere ad inuestigãdum, quare Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas mittentes ad Iohannem, tam solicite & studiose requirerent eũ, dicentes: ⌊tu quis es?⌋ Sed ad hæc facilis & vera patet responsio, q̃a vulgata res erat apud Iudæos in frequentatione
Deu. 18. legis, vt illud Moysi: Prophetã suscitabit vobis deus de fratribus vestris, tanq̃ me, ipsum audietis, iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Et ex oraculis prophetarũ manifestatũ, quod Christus esset in mũdũ venturus, & nouam doctrinam prædicaturus: & ideo quia audierant Iohannem per repromissionem angelicam de sene patre & sterili matre esse natũ: audierant in eius natiuitate linguã patris solutam, videbantq́ iuuenem deserta sectantem, & inauditã prius pœnitentiam in remissionem peccatorũ, vel doctrinam prædicantẽ, miram abstinentiam conseruãtem, baptismũ quoq; non solum docentem, sed etiam dantem: æstimauerũt apud semetipsos, quod ipse esset Christus, q eis fuerat promissus: & ideo miserunt ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad Iohannem, vt interrogarent eum, ⌊tu quis es? Quod enim hac suspicione permoti, ad eum interrogandum miserint, alius euangelista Lucas scilicet manifeste declarat, di-
Luc. 9. cens: Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, ne forte ipse esset Christus.

Miserunt ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas, ut interrogarent eum, tu quis es?

Sed veritatis præco quid de se dicat, audiamus.

Et confessus est & non negauit, & confessus est quia non sum ego Christus.

Si quæras quid confessus est, & quid non negauit, confessus est quod non erat, nõ negauit quod erat. Confessus est se non esse Christum, sed non negauit se præcursorem Christi. Confessus est se non esse iudicem, sed non negauit præconem se esse iudicis. Confessus est non se esse sponsum, sed se nõ negauit amicum sponsi. Confessus est non se eẽ uerbum, non se negauit eẽ vocem. Elegit enim solide subsistere in se, ne humana opinione inaniter raperetur super se. Magis enim voluit humilis inter membra Christi numerari, q̃ eius nomen immeritus vsurpare, & ab ipso corpore Christi abscindi. Quia cum eum magnũ alij putarent, ipse paruum se æstimauit. Alijs eñ magna de se æstimantibus, ipse de se minima sensit, conseruans illud quod scriptura dicit:
Quanto magnus es, humilia te in omnibus, Eccle. 3.
& coram deo inuenies gratiam.

Er interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? qui dicit, non sum.

Et de persona ideo Iohannem interroga-
bant, quia in oraculo Malachiæ prophetæ, Mala. 4.
Eliæ aduẽtum promissum habebant, dño dicẽte: Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, qui conuertet corda patrum in filios, & corda filiorum ad patres eorũ. Sed quod de secundo aduentu domini prædictũ erat, illi de primo dictũ arbitrantes, confitente Iohanne, q̃d nõ esset Christus, interrogauerunt eũ, dicentes: ⌊Quid ergo? Elias es tu? qui dicit, non sum.⌋ Ex cuius responsione non parua nobis quæstio oritur, si aliam euangelij lecti-
onem ad memoriam reducamus. Legimus Mat. 17.
eñ alibi, quod requisitus dñs à discipulis de aduentu Eliæ, respondit: Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quæcunq; voluerunt. Et si vultis scire, Iohannes ipse est Elias. Cum ergo dominus dicat, Iohannes ipse est Elias, quare Iohãnes inter-
rogatus dicit, non sum Elias? Nihil magis [illegible]
dissonum videri potest, q̃ esse, & non sum. Nunquid aliud veritas sentit, & aliud præcursor & propheta veritatis? Nunquid aliud iudex nunciat, & aliud præco clamat? non. An simul Elias & Iohãnes esse poterat? Sed vtrũque quomodo verũ sit, cito cognoscimus, si verba angeli, quibus ad Zachariam locutus

est cum Iohānem nasciturum prædiceret, ad
memoriam reducamus. Ait enim inter cæte-
Luc. 1. ra: Ipse præibit ante illum in spiritu & virtu-
te Eliæ. Ex quibus verbis ostenditur, quia Io
hannes in persona Elias non erat, in spiritu
autem Elias erat. Quia sicut Elias aduentum
domini secundum præcessurus est, quando
venturus est iudicare mundum: sic Iohannes
aduentum domini primum præcessit, quan-
do venit redimere mundum. Et sicut ille præ
co futurus est iudicis, ita iste præcursor fa-
ctus est redemptoris. Et ideo quod dn̄s dicit
de sp̄u, hoc Iohannes denegat de persona. Et
quod Iohannes de persona negat, hoc domi
nus de spiritu affirmat. Quamuis igitur tem
pore fuissent diuisi, tamen spiritu fuerunt vni
ti. Et quia dominus spiritualib⁹ discipulis lo
quebatur, quibus datum erat nosse mysterii
regni dei, dignum erat vt spiritualem de Io
hanne sententiam proferret, dicens: Iohānes
ipse est Elias. Iohannes vero requisitus à Iu-
dæis, qui tantum literam, non autem spiritū,
pensare nouerant, dignum fuit vt non de spi
ritu, sed de sua persona diceret: Non sum E-
lias. Deniq; si quis amborum præconum
actionem diligenter inspiciat, unum eundēq;
spiritum, in vtrisq; operatum, intelligit. Eli-
as nanq; in deserto fuit, similiter & Iohannes
Elias quadraginta diebus & noctibus ieiuna
uit, & Iohannes inauditam prius abstinenti-
am tenuit: quia locustas & mel syluestre co-
medit. Elias zonam pelliceam habuit circa lū
bos, similiter & Iohannes. Elias Iordanem
3.Re.18. fluuium pallio diuisit, & Iohannes in Iorda-
ne fluuio baptizauit. Elias persecutionem ab
Achab rege & impijssima regina Iezabel pas
sus est, & Iohannes ab Herode propter He-
rodiadem capite truncatus est.

Propheta es tu? Et respondit: Non.

Ideo autem Iohannes prophetam se esse
negauit, quia plusquam prophetam se esse in
tellexit. Prophetæ enim officium est ventu-
ra prædicere, non autem demonstrare. Ergo
Iohannes plusquam propheta fuit, quia eum
quem venturum prædixit, etiam venisse digi
to demonstrauit, dicens: Ecce agnus dei, ec
ce qui tollit peccata mundi. Sed sacerdotes
& leuitæ, qui ad Iohannem missi fuerant, ad
huc diligentius quis sit inquirunt, dicentes:

Quis ergo es, ut responsum demus
his qui miserunt nos? quid dicis de
teipso?

Sed ille qui se Christum negauerat, qui se
neq; Eliam neq; prophetam eē dixerat, quid
de se sentiat, aperit cum subiungit:

Ego uox clamantis in deserto.

Pulchre se Iohannes vocem dixit, qa ver
bum præibat. In humana enim locutiōe vox
præcedit, & postmodum verbum sequitur:
quia non poterit verbum formari, nisi prius
vox sonuerit. Recte ergo Iohānes se vocem
fatetur, quia verbum præibat, illud scilicet de
quo Iohannes Euangelista dicit: In princi-
pio erat verbum, & verbum erat apud deum
& deus erat verbum. Et iterum: Verbum ca
ro factum est, & habitauit in nobis. Ne enim
domino apparente humana cæcitas in eius
claritate subito offenderet, missus est Iohan
nes ante dominum quasi lucerna ante solem
vox ante verbum, præco ante iudicem, vt sci
licet per eius prædicationem corda homi-
num ad videndum deum præpararentur, sic
ut per Iohannem euangelistam dictum est:
Fuit homo missus à deo, cui nomen Iohānes
erat. Hic venit in testimonium, vt testimoni
um perhiberet de lumine, vt omnes crederēt
per illum. Non erat ille lux sed vt testimoni
um perhiberet de lumine. Clamabat ergo Io
hannes in deserto. i. in Iudæorum populo.
Quia enim desertum dicitur derelictum, re
cte deserti nomine Iudæorum cēsetur popu
lus, qui derelinquens dominum, derelictus ē
ab eo, sicut eis alibi dominus exprobrat, di
cens: Ecce relinquetur domus vestra deser Luc. 13.
ta. In hoc ergo deserto Iohannes clamabat,
cum peccantibus pœnitentiam prædicabat,
dicens: Genimina viperarum, quis ostendit Luc. 3.
vobis fugere à ventura ira? facite ergo fruct⁹
dignos pœnitentiæ. Sed adhuc quid clama
uerit, audiamus:

Dirigite uiam domini, sicut dixit Isa
ias propheta.

Via enim domini ad cor dirigitur, cum ad p̄
cepta dei audienda cor humiliter inclinatur.
Aliter, via domini ad cor dirigitur, cū bonū
quod cor intelligit, manus operatur. Sed do
ctor quilibet in exemplo Iohannis dirigit vi
am domini, quando declinare à malo, & face
re bonū persuadet, vt videlicet mundato adi
tu cordis, illum habitatorem habere possit q̄
dicit: Ecce ego sto ad ostium & pulso. Si qs Apoc. 3.
aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo
cum illo, & ille mecum. Taliter igitur nobis
viam domini præparantibus, Iesus ad cor no
strum per fidem venire dignabitur, sicut ipse
ait in Euangelio: Si quis diligit me, sermonē Ioh. 14.
meum seruabit, & pater meus diliget eum, &
ad eum veniemus, & mansionem apud eum
faciemus. Vnde per Psalmistam prædicatori Psal. 67.
bus dicitur: Iter facite ei, qui ascendit super
occasum dn̄s nomen illi. Sed quia sacerdo-
tes & leuitæ magis reprehendendi studio q̄
discendi voto Iohannem interrogabant, taci
te Euangelista manifestare curauit, cum ad-
iunxit.

Et qui missi fuerant, erant ex pha-
risæis.

Acsi diceret: Illi Iohannẽ de suis actibus re
quirebãt, qui magis solebant doctrinam in-
uidere, quam imitari.

Et interrogauerũt eũ & dixerũt ei.

Sed hi qui missi fuerant, quia de persona re
sponsum acceperant, etiam de ministerio in-
quisitionem faciebant dicentes:

Quid ergo baptizas, si tu nõ es Chri
stus, neq̧ elias, neque propheta?

Acsi dicerent: Cuius autoritatis es, vt nouã
doctrinam audeas docere, & inauditũ prius
hominibus baptismum dare, cum tu non sis
Christus, neq; Elias neq; propheta? Et qa se
1.Petr.3. cundum apostoli Petri sententiã, parati sem
per esse debemus, ad reddendam rationẽ o-
mni poscẽti, de ea q̃ in nobis est fide, percõta
tus Iohãnes cur baptizaret, respondit dicẽs:

Ego baptizo in aqua.

Marc. 1. Vbi notandum, quia in aqua se baptizare
dixit, non in spiritu: quia corpora abluebat,
sed peccata non dimittebat. De quo scriptũ
Actu. 1. est: Erat Iohannes in deserto prædicans ba-
ptismum pœnitentiæ. Et iterũ Iohannes ba-
ptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiri
tu sancto. Quare ergo baptizabat, si peccata
non dimittebat? Nũquid per hoc eius baptis
mum vacuũ videbatur? Non. Nimirũ vt præ
cursionis suæ ordinem seruans, qui nascitu-
rum Christũ nascendo præuenerat, baptiza
turũ quoq; in spiritu baptizans in aqua præ-
ueniret. Nã & sacerdotes hodie in aqua bap
tizant, quia per exterius ministeriũ bapizato
rum corpora in aqua intingunt, sed ille solus
in spiritu baptizat, qui per spiritum sanctum
peccata dimittit. De quo voce patris ad eun
dem Iohannẽ dictum est. Super quẽ videris
spm̃ sanctum descendentẽ quasi columbã, &
manentẽ super eũ, hic est qui baptizat in spũ
sancto. Et sicut verbũ predicando præibat, ita
suũ baptismum in quo peccata non soluebã-
tur, illi⁹ verũ baptismum præueniret, in quo
peccata relaxarẽtur. Vnde secundũ aliũ euã
gelistam, videlicet Matthæũ bene respondis
Matt.3. se Iohãnes dicit. Ego quidẽ aq̃ baptizo vos
in pœnitẽtiã, & post pusillũ adiecit: Ipse vos
baptizabit in spũ sancto & igni. Ignis enim
nomine spũs sanct⁹ designat. De quo salua-
Luc.12. tor ait. Ignem veni mittere in terrã, & qd vo
lo nisi vt ardeat? Nec putendũ est baptismũ
Iohannis parũ profuisse hominibus, qui etsi
peccata non dimittebat, omnes tamen qui ab
illo baptizabantur, sub peccati vinculo con-
strictos esse sentiebat. Et ideo redemptorem
nostrum & mundatorem, mox vbi apparu-
isset, qui peccata dimittere posset, quærere ne
necesse habebant. De quo voce præcursoris
sui adhuc subditur:

Medius autem vestrum stetit, quem
uos non scitis.

Medium autem hic dominum Iesum
Christum dicit, qui dum sit excelsus su-
per omnia, ex Iudæis carnem assumens, in-
ter homines conuersari dignatus est, sicut i-
pse ait discipulis: Ego autem in medio ve- Luc.22.
strum sum, sicut qui ministrat. Quem me
dium stetisse, non autem cognitum esse di-
cit: quia per humanitatem hominibus vel Iu
dæis visibilis apparuit, sed plurimis per diui
nitatem incognitus mansit. Vnde Iohannes
Euangelista dicit: In propria venit, & sui eũ
non receperunt. De quo adhuc subditur:

Ipse est qui post me uenturus est,
qui ante me factus est, quod est dicere,
post me venturus est, quin post me natus est
post me prædicare incipiet, sed ante me fa-
ctus. i. mihi dignitate prælatus. i. antepositus.
Quod aũt ait, ante me factus est, ad excellen
tiam dignitatis pertinet. cui⁹ prælationis cau
sãs idem Iohannes alibi aperit, dicens: quia Iohan.3.
prior me erat. Acsi diceret. Inde me post na-
tus superat, quia natiuitatis suæ tempora eũ
non coangustant. Quoniam qui post me na
tus est de matre sine patre, ante omnem cre-
aturam, sine vllo initio, genitus est ex pa-
tre sine matre. De quo alibi ipse Iohãnes ait:
Me oportet minui, illum autem crescere. In
cuius comparationis magnitudine, quam se
paruum credat, manifestat adiungens:

Cuius non sum dignus ut soluam e-
ius corrigiam calceamenti.

Vbi considerandum est, quia cum magna
sit Iohãnis sanctitas, nõ minor eius declarat
hũilitas. Cum enĩ tantæ sanctitatis esset, vt a
turbis Christus esse putaretur, tantæ humili
tatis fuit, vt ad soluendam eius corrigiam cal
ciamenti indignum se iudicaret. Si spiritalem
sensum seq̃mur, est in corrigia calceamenti,
ligatura mysterij. Calceamentum quippe ex
mortuo fit animanti. Quia enim calceamen-
tum pedes munire solet, recte per calceamen
tum domini, eius humanitatis incarnatio de
signatur. Quoniam cum inuisibilis deus in
homine, quem assumpsit, nobis uisibilis appa
ruit, q̃si calceata diuinitas ad nos venit, sicut
ipse per Psalmistam dicit: In Idumæam ex- Psal.59.
tendam calceamentum meũ. Idumæa autem
quæ sanguinea interpretatur, significat genti
lem populum, qui varijs facinoribus pecca-
torum erat sanguinolentus. Quasi enim do-
minus in Idumæam calceamentum extendit,
quando per incarnationis suæ mysteriũ gen
tibus se manifestauit. Sed eius corrgiam cal-
ceamenti Iohannes soluere non præsumpsit,
quia incarnationis eius secretum, qualiter ob
umbrante spiritu sancto virgo conceperit,
nec ipse perscrutari præsumpsit; qui cum in

carne venientem etiam digito demõstrauit. Alta enim & inscrutabilia sunt sacramenta diuinitatis, nec ea mortalium quisq; discurrere potest, sicut per prophetam dicitur: Generationem illius quis enarrabit? Huius inscrutabilem profunditatem considerabat Paulus apostolus, cum dicebat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & quàm inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis cõsiliarius eius fuit? Et Psalmista: Quàm magnificata sunt opera tua domine: Est quoq; & in corrigia calciamenti aliud, quod considerari subtiliter potest.

Isaie.53. Rom.16. Psal.90.

Consuetudo enim fuit apud veteres, vt si qs vxorem fratris defuncti accipere nollet, ille eius corrigeam calciamenti solueret, qui ad hanc propinquitatis iure sponsus accederet, & ob hanc causam illius domus, discalciati domus appellaretur in Israel, sicut exemplo Ruth Moabitidis discimus. Christus autem inter homines sanctæ ecclesiæ sponsus apparuit, sicut per Psalmum dicitur: Tanquã sponsus procedens de thalamo suo. Et idẽ Iohannes: Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus vero sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Vnde & ipse dominus ait in euangelio: Nunquid possunt filij sponsi ieiunare, quàm diu cum illis est sponsus? Cum autem miræ sanctitatis Iohannem homines cernerent, cum huuc Christum putarent, quasi sanctæ ecclesiæ sponsum credere volebant, sicut de eo dominus ait: Vos venistis ad Iohannem, & voluistis exultare in nomine eius. Sed Iohãnes ad corrigiam calceamenti soluendam indignam se dicit, quia cum se Christum, quod putabatur esse negauit, sponsi nomen immeritus non vsurpauit, ac per hoc se esse sponsum sanctæ ecclesiæ, negauit. Ac si diceret: Non sum ego sponsus, sed amicus sponsi.

Psal.18. Iohan.3. Matt.9.

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Iohannes baptizans.

Bethanias duas esse legimus: est nanq; Bethania in latere montis Oliueti, vbi dominus Lazarum suscitauit, ipsa est & Betphage. Est & alia Bethania trans Iordanem, vbi erat Iohannes baptizans, & vbi hæc facta fuisse referuntur. De qua idem Iohannes Euangelista commemorat, dicens: Erat Iohannes baptizãs in Aenon iuxta Salim, eo quod essent ibi aquæ multæ. Spiritualiter autem Bethania in nostra lingua domus obedientiæ interpretatur. Pulchre ergo præcursor domini in Bethania (quæ domus obedientiæ interpretatur) baptizare dicitur, ut intelligant homines, quia si à peccato originali, quod per obedientiam primi hominis contigit, absolui desiderant, submisso corpore & credulo corde, baptismi sacramentum suscipere debent. Quoniam sicut ait Saluator alibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest introire in regnum dei. Iordanis autem, descensus eorum interpretatur: quorum, nisi baptizatorum? quasi enim in Iordane baptizantur homines, quia antequam ad baptismum veniant, filij iræ & filij diaboli sunt. Sed cum in baptismum descendunt, descendentibus peccatis, filij pacis & filij dei per adoptionem ascendunt.

Iohan.3.

IN VIGILIIS NATIVITATIS domini. Matthæi .I.

In illo tempore: Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequã conuenirent, inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Et reliqua.



Cum natiuitatem domini & saluatoris nostri IESV Christi, qua æternus ante secula dei filius, hominis ex tempore filius apparuit, Matthæus euangelista breui quidem sermone, sed ab Abraham vsq; ad Ioseph virum Mariæ perduxisset, omnesq; communi humanæ creationis ordine genitos simul & generantes ostendisset, mox de ipsa locuturus, quantum eius generatio à cæteris distaret, aperuit: quia videlicet cæteri per coniunctionem maris & fœminæ solitam, ipse autem per virginem, vtpote filius dei nasceretur in mundum. Et quidem decebat omnibus modis, vt cum deus homo propter homines fieri vellet, non ex alia quã de virgine nasceretur, cum virginẽ generare contingeret, non alium, quàm qui deus esset, filium procrearet. Cum esset (inquit) desponsata mr Iesu Maria Ioseph, anteq; conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Quo ordine, vel in qua ciuitate sit celebrata conceptio, Lucas euangelista sufficienter exponit. Q̄ qa vestræ sanctitati constat esse notissimum, dicendum est paucis, de his quæ Matthæus scribit. Notandumq; in primis, in eo quod ait, Antequam conuenirent, verbo conueniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum, quæ præcedere solẽt, tempus insinuatur, quando ea quæ prius spõsata fuerat, esse coniunx incipit. Ergo anteq; conuenirent dicit, antequam nuptiarum solennia rite celebrarent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Siquidem memorato ordine postea conuenerunt, quando Ioseph ad præceptum angeli, accepit coniugem suam, sed non concumbebant,

quia sequitur, L.&non cognoscebat eam.]In uenta ē autem in vtero habens, à nullo alio q̃ Ioseph, qui licentia maritali futuræ vxoris pene omnia nouerat, ideoq; tumentem eius vterum mox curioso deprehendit intuitu. Sequitur:

Ioseph autem uir eius, cum esset iustus,& nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam.

Videns autem Ioseph sponsam concepisse suam, quam bene nouerat à nullo uiro fuisse attactam, cum esset iustus & iuste omnia vellet agere, optimum duxit, vt neq; hoc alijs proderet, neq; ipse eam acciperet vxorē. Sed murato occulte nuptiarum proposito, in cōditione eā sponsæ manere pateret, vt erat Nā & in Isaia legerat, virginē de domo Dauid esse concepturam & parituram deum, de qua etiam domo nouerat genus duxisse Mariam, atq; ideo non discredebat in ea prophetiam hāc fuisse complendam. Sed si eam uoluisset occulte dimittere, neq; accipere coniugem,& illa sponsa pareret, nimirum pauci essent, qui eam virginem,&non pon⁹ æstimarent esse meretricem. Vnde Ioseph con silium repente consilio meliore mutatur, vt videlicet ad conseruandam Mariæ famam, ipse eam celebrato nuptiarum conuiuio, con iugem acciperet, sed castam perpetuo custodiret. Maluit nanq; dominus aliquos modū suæ generationis ignorare, quàm castitate in infamare genitricis. Nam sequitur:

Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini in somnis apparuit ei, dicēs: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Qd enim in ea natum est, de spiritusancto est. Pariet autem filium, & uocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.

Quibus profecto verbis, modus concepti onis eius simul & dignitas partus edocetur, quia videlicet & de spiritusancto conciperet & paritura sit Christum. Quem etsi apta voce angelus Christum non appellet, in eo tamen quod etymologiam nominis Iesu exponens, ipsum salutis ostendit autorem, populorumq; saluatorem eum nuncupat, manifesta ratione, quia sit Christus, significat vt per hæc & quæ nesciérat, discat Ioseph, vt à con tactu dei genitricis funditus mentem amoueat. Quam tamen dispensatione iustæ necessitatis accipere iubetur, solo de nomine coniugem, ne uidelicet quasi adultera lapidaretur à Iudæis, & vt in AEgyptum fugiens, haberet solatium masculi, qui familiari cura, & custos fœmineæ fragilitatis, & testis eius perpetuæ virginitatis existat. Prodit & catholici expositores alias causas, quare dei genitricem Ioseph accipere debuit coniugem, quas in suis qui vult, inueniēt locis. Adhibet autē Euangelista partui virginali etiam propheti ci sermonis exemplum, vt tantæ miraculum maiestatis eo certius videretur, quo hoc non solum ipse factum crederet, sed etiam à propheta prædictum recoleret. Nam & huic euangelistæ, i. Matthæo, moris est, omnia quæ narrat, etiam propheticis affirmare testimonijs. Scripsit nanq; euangelium suum ad eorū maxime causam, qui ex Iudæis credebāt, nec tamen legis ceremonijs, quamuis renati in Christo, valebant auelli. Et propterea satagebat eos à carnali legis & ꝓpherarum sensu, ad spiritualem, quæ de Christo est, erigere, q̃ tenus sacramenta fidei Christianæ tanto securius perciperent, quanto hæc non alia esse, q̃ quæ prophetæ prædixerant, cognoscerent.

Ecce uirgo (inquit) in utero habebit & pariet filium, & uocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus.

Nomen saluatoris, quod nobiscum deus à propheta vocatur, vtramq; naturam vnius personæ ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex patre deus est, ipse in plenitudine temporum Emanuel, nobiscum deus, in vtero matris factus est: quia nostræ fragilitatem naturæ in vnitatem suæ personę suscipere dignatus est, quādo verbum caro factum est, & habitauit in nobis: mirum videlicet in modum incipiens esse quod nos sumus, & non desinens esse quod erat: sic assumens naturam nostram vt quod erat, ipse non perderet.

Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præceperat ei angelus domini. Et accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam.

Accepit eam ad nomen coniugis, ob causas quas prædiximus, & non cognoscebat eam, ad opus coniugale, ob arcana quę didicerat. Quod si quis huic nostræ expositioni obsistere, &contendere voluerit, beatam dei genitricem nunquā à Ioseph celebratis nuptijs in nomen coniugis assumptam, exponat ipse melius hūc sancti euangelij locum, pariterq; ostendat licitum fuisse apud Iudæos, vt sponsæ suæ quisq; carnali copula misceretur, & sano eius intellectui libenter cedimus: tantum ne erga matrem domini quicquam gestum, quod publica opinione possit infamari, credamus. Quod vero additur:

Donec peperit filium suum primogenitum.

Nemo ita intelligendum putet, quasi post natum filium eam cognouerit, vt quidam peruerse opinantur. Scire enim debet vestra fraternitas, quia fuerunt hęretici, qui ppter hoc quod dictum est, Lnon cognoscebat eam donec peperit filium suum, Jcrederēt Mariam post natum dominum cognitā esse à Ioseph, & inde ortos eos, quos fratres domini scriptura appellat, assumpto & hoc in adiutoriū sui erroris, quod primogenitus nuncupatur. Dominus deus auertat hanc blasphemiam à fide omnium vestrum, donet& nobis catholica pietate intelligere, parentes nostri saluatoris intemerata semp fuisse virginitate præclaros, & non filios, sed cognatos eorum fratres domini scripturarum more nuncupari: & ob id euangelistam, an post natum filium dei eam cognouerit non curasse, qa nulli de hoc ambigendum putauerat, coniuges, quibus in virginitatis castimonia permanentibus dei filium nasci singulari gratia datum est, nullatenus ex eo castitatis iura temerare potuisse. Notandum quoq; est, quod primo geniti non iuxta hæreticorum opinationem soli sunt, quos fratres sequuntur alij: sed iuxta autoritatem scripturarum, omnes qui primi vuluam aperiunt, siue fratres eos aliqui, seu nulli sequantur, primogeniti vocantur. Attamen dominus speciali ratione potest primogenitus dictus intelligi, iuxta hoc quod
Apoc.1. in Apocalypsi dicit de illo Iohannes: Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. Et apostolus Paulus:
Roma.8. Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primo genitus in multis fratribus. Primogenitus in multis fratribus: quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatē filios dei fieri. Quorum recte primogenitus appellatur, quia omnes adoptionis filios, etiam illos qui incar nationis eius tempora nascendo præcesserūt, dignitate prægreditur. Siquidem possunt illi cum Iohāne veracissime testari: Qui post
Iohan.1. nos venit, ante nos factus est. i. post nos qui dem in mundo genitus, sed merito virtutis & regni, primogenitus omnium nostrum iure est vocatus. Qui & in ipsa diuina natiuitate non inconuenienter potest primogenitus dici, quia priusquam creaturam gigneret aliquam, coæternum sibi pater genuit verbum. Vnde ipsum uerbum, ipse filius, dei videlicet virtus & sapientia, loquitur: Ego ex ore altissimi prodiui, primogenitus ante omnem creaturam. Deus de deo natus erat, & in ea creatus ex humanitate, oēm merito creaturam præibat.

Et uocabis (inquit) nomen eius Iesum

Iesus Hebraice, Latine salutaris siue saluator dicitur. Cuius vocationē nominis, prophetis liquet esse certissimam. Vnde sunt illa, magno visionis eius desiderio cantata: Anima autem mea exultabit in domino, & de- Psal.34.
lectabitur in salutari eius. Et item: Defecit in Psa.118.
salutari tuo anima mea. Et alibi: Ego autem Habc.3.
in domino gloriabor, gaudebo in domino Iesu meo. Et maxime illud: Deus, in nomine tuo saluum me fac. Acsi diceret: Nominis tui gloriam, qui saluator uocaris, in me saluando glorifica. Iesus ergo nomen est filij, qui ex virgine natus est angelo exponente, significans quod ipse saluet populum suum à peccatis eorum. Qui autem saluat à peccatis, idē, vtiq; à corruptionibus mentis & corporis, q ob peccata contigerunt, saluabit. Christus vero vocabulum est sacerdotalis vel regiæ dignitatis. Nam & sacerdotes & reges in lege à chrismate, id est, vnctione olei sancti appel labantur Christi, significātes eum qui verus rex & pontifex in mundo apparens, unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis. A qua vnctiōe, id est, chrismate, ipse Christus, & eiusdem vnctionis, id est, gratię spiritualis participes, sunt Christiani vocati. Qui per id qd saluator est, nos saluaret à peccatis: per id qd pontifex est, nos reconciliaret deo patri. Per id quod rex est, regnum nobis patris dignaretur æternum.

Christi autem generatio sic erat.

Quæritur cur non ait, Iesu Christi, sed solummodo Christi, quod angelo mox dicturo seruauit. Generatio, ipse Christus in carne generat^9. Acsi diceret: Generatio, quæ est Christus, sic erat, bifarie explanandum, vel ad decursæ genealogię locum, vbi ait: Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Omnes igitur generationes ac Abraham vsq; ad Dauid, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsque ad trāsmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et à transmigratione Babylonis vsq; ad Christum, generationes quatuordecim.

Christi autem generatio sic erat. Cū esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, & reliqua.

Sic autem erat Christi generatio, id est, sic ad Christum pertinet hæc genealogia. LCū esset desponsata. JHis causis non de simplici virgine, sed de desponsata natus est Christus: Ne per fœminam, sed per virum iuxta morem scripturæ genealogia texeretur. Ne lapidaretur à Iudęis vt adultera. Vt in Aegyptum fugiens, haberet viri solatium. Vt par-

tus eius celaretur diabolo,dum putat non de
virgine,sed de vxore genitum. Ne temera-
tæ virginis aduerteretur infamia. Maluit enim
dominus aliquos de suo potius ortu, quã de
matris pudore dubitare. Ne virginibus vela
men excusatiõis fieret,quod infamata fit ma-
ter domini. Ne dicente domino: Nõ veni sol
uere legem,sed adimplere, vllus obijceret,ꝙ
cum legis iniuria natus sit. Vt testis pudoris
maritus adhiberetur,qui posset delere & vin
dicare opprobrium, si non agnosceret sacra-
mentum. Ne videretur Maria culpam obum
brare mendacio: causam enim mentiendi de
sponsata non habuit, cum cõiugij præmium
partus sit fœminarum. Ne Herodi & Iudæis
excusandi præberetur occasio, quod natum
ex adulterio persequerentur. Vt fidelibus cõ
iugatis ex pari consensu continentia insinua
retur. Vt nisi præuaricationi esset obnoxia,
qualiter humana progenies multiplicari sine
virginitatis detrimento potuisset, demõstra-
retur. [Desponsata,] i. nondũ nupta. [Ma
ter eius,] Mater eius(inqt)non vxor Ioseph
In ipsa ianua amborum ponuntur nomina,
quæ factis congruunt.

Antequam conuenirent.

Proximum nuptiarum tempus ostendit,
non quod sequeretur vt postea conuenirent,
sicut hoc dicit Heluidius.

Inuenta est. A nullo alio nisi à Ioseph,
qui maritali licentia futuræ vxoris omnia no
uerat. Hic Matthæus prætermisit multa quæ
Lucas narrauit, dicens:

In mense (inquit) sexto, missus est Gabriel angelus a deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomẽ uirginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, dominus tecum, &c.

Nimirum enim ad id vsq; ad genealogiã
deduxit, vt diceret, Ioseph viræ Mariæ, de q̃
natus esset Chr̃s. Et ideo cõceptum eius, quẽ
transcenderat, Lucæ narrandum reliquit.

In utero. Non in vterum accipiens. i. nõ
aliunde acceptum, sed interius veniente spi-
ritusancto habitum, vt illud: fœmina circun-
dabit virum.

De spiritusancto. Quæritur, si inuenta
est à Ioseph habens de spiritusancto, cur di-
mittere eam voluit? Ideo scilicet, quia nec to-
tum sciuit, nec totum ignorauit. Nouerat in
vtero habentem, non de carnali concubitu,
sed spiritali virtute. De quo vero spiritu con
ceperit ignorabat, quod ei apperit quasi ne-
scienti de spiritu, dum inducit, sancto, & re-
liqua. Item quæritur, cur Matthæus anticipa
uit, quod mox angelus dicturus erat, pro spi Deu. 17.
ritali feruore: & ne lectoris animus paucissi- 3. Cor. 13
mis licet lineis dubitaret, & vt in ore duorũ
vel trium testium stet omne verbum,

Ioseph uir eius. In scripturis sponsæ vxo
res, & sponsi viri vel mares dicuntur.

Cum esset iustus.

Cum conscij criminum, obnoxij sint pec
cati, cur Ioseph cum crimen celer, iustus vo-
catur? Id est, ut idoneũ eius testimonium cõ-
mendet. In plerisq; exemplarij additur, cum
esset homo iustus, vt ostendat secundum hu
manam iustitiam Ioseph iustum fuisse, quia
comparatiõe iustitiæ dei, pro nihilo ducitur.
Et ideo recte sequitur,

Quod nollet eam. Non solum celat, sed
nec audet cõtingere templum dominici cor
poris, recte iustus iustitiæ templum non cor
rumpit.

Traducere. Acsi diceret: Nollet ducere
spõsam, quam suspicatus est esse adulteram.
Aut aliter, siue traducere ad pœnam, quam
sciebat non ab homine concepisse. Traducti
onis enim verbum, sæpius in mala quàm in
bona parte inuenitur. Quod etiã Græcus nõ
absurde sermo significat παραδειγματίσαι, id est,
propalare, quod est palam facere, & omnibus
notum facere conceptum.

Occulte. Ne aut dimissa vxore sua, alieni
coitus reatum super eam induceret, aut libe-
rata seipsum quasi adulterij innocentem libe
raret. Ecce Adam cælestis noua opponit ve-
teribus. Priori vice, ex solo viro fœmina fa-
cta est sine matre. Secunda vero, vir ex sola
muliere natus est sine carnali patre. Ex fœmi
nis decuit noua redemptio, à quibus præces-
sit antiqua preuaricatio. Terrenus Adam de 1. Co. 15.
incorrupta terra formatus est, secundus Adã
de incorrupta carne virginis Mariæ.

Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini.

Bono viro & iusto, bona & iusta cogitan
ti bonus & iustus apparet nuncius. Ideoq; ad
ditur [domini] ad distinctionem apostata-
rum angelorum. Hunc angelum Gabrielem
multi putant, juxta Lucæ videlicet narratio-
nem. Non quasi ipse sit nuncius natiuitatis o-
mnium, sed quia interpretatur fortitudo dei,
& victoria bellorum ei commissa est, ideo in
natiuitate Iohannis & Christi nuncius veni
entium recte mittitur. Recte quoque de deo
cogitanti opportuna adhibetur consolatio,
sicut duobus in via ambulantibus ostensus
est Christus.

In somnis apparuit. Sermo apparendi

insolitam rem significat. Duobus modis lo-
cutio diuina distinguit, aut per angelos, aut
per semetipsum. Sed cum per semetipsum fit,
sola inspiratione interius sine verbis & syl-
labis cor docet, qui auditum aperit, & habe-
re sonitum nescit, sicut Philippo spiritus di-
Actu. 8. xit: lūge te ad currum istum. Cum vero per
angelum, his modis fit. Aliquando verbis si
ne vlla imagine, sicut Christo dicente: Pater
Iohā. 17. clarifica filium, protinus respondetur: clarifi-
caui, & iterum clarificabo, & reliqua. Aliquā
do rebus, sine verbis, sicut Iezechiel electri
Iezec. 1. speciem vidit in medio ignis, per hanc Chri
sti incarnationē designans. Aliquando ver-
Gen. 3. bis & rebus, sicut Adam ambulantem domi
num in paradiso post meridiem vidit, signi-
ficans lucem veritatis à se recessuram. Ali-
quando imaginibus cordis oculis ostensis, si
Gene. 28 cut Iacob innixam cęlo scalam, & Petrus vas
Actu. 10. plenum animātibus in extasi viderat. Aliqñ
imaginibus ante corporeos oculos ex aëre
assumptis, sicut Abraam tres viros non solū
Gene. 18. vidit, sed in domum accepit, & insuper eti-
am pauit. Aliquando cælestibus substantijs,
sicut baptizato domino vox insonuit, dicēs:
Matt. 3. Hic est filius meus. Aliquando terrenis & cę
Exod. 3. lestibus, sicut coram Moyse in mōte ignem
rubumq; sociauit, significans se doctorem
populi fore, qui legis flammam acciperet, tñ
peccati spinā non relinqueret: siue q̄d ex illo
populo exiret, q ignē diuinitatis in humani-
tatis nostræ spinas imponeret. Aliqñ huma-
nis cordibus secreta præsentia inspirat, vnde
Zacharias ait: Et dixit ad me angelus qui lo-
Zach. 1. quebatur in me. Cum vero huic beato Io-
seph apparuisse dicitur, imagine cordis osten
sa apparuit.

Ioseph fili Dauid. Blandientis affectu lo
quitur, notum eum significans & familiarem
cuius nomen & genus designatur. Hinc ap-
paret quod ex eadē tribu erat Ioseph & Ma-
ria, iuxta illud. Nemo copuletur nisi de tribu
Num. 36 sua. Inquo notandum, quod non tam carne,
quàm spiritu filium Dauid cum dixerit, vt iu
stum virum ex genere iusti propagatū, hoc
meruisse declararat.

Noli timere. Apparet quod causa timoris appetierit dimittere eam, qui timebat profiteri spirituale cōiugiū. Vide quod metus ille non coercitus, quo accipere vxorem prohibitus est, sed iubetur ne ad suam præsentiam illam accipere expauescat. Prius timor expellitur, vt libentius dicenda postea audiantur.

Coniugem tuam. Solet scriptura spōsas, coniuges vel vxores vocare. Siue ideo Maria coniunx dicitur, quia sub eodem iugo educatura saluatorem erat.

Quod (inquit) natum est, non extrinsecus seminatum.

De spiritu sancto est. Hic soluit, quod Ioseph scierit quod ignorauit. Sed non ob hoc spiritus pater Christi existimādus est, vt deus pater verbum genuerit, spiritus vero hominē, sed quia eius ministerio natiuitas Christi adimpleta est.

Pariet autem filium. Apparere tamen faciet sine dolore pariendi, sicut sine peccati voluntate fuit conceptus. Hic monstrantur quatuor incerta vniuscuiusq; nascentis, quia pariet filium qui vocabitur Iesus, qui saluum faciet populum suum.

Et uocabis. O Ioseph, vocibus prophetarum non contradicas. Notandum quod iuxta Matthæum ad Ioseph, iuxta Lucam ad Mariam vocare nomen pueri prędictum sit, quia Iesus ad salutem vtriusq; sexus venit. Iesum sequitur etymologia nominis, cum ait: **Ipse enim saluū faciet populū suum.** Vere suus, qui saluus esse possit.

A peccatis. Contra Iudęos, qui putant populum de captiuitatibus, non de peccatis per Christum liberandum.

Eorum. Nota quod eius est salus, nostra vero sunt peccata.

IN DIE SANCTO NATIuitatis domini Iohannis. I.

In principio erat uerbum, & uerbū erat apud deum, & deus erat uerbū. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et reliqua.



Ominicæ natiuitatis diem, qua temporaliter natus est, annua reuolutione colentes, libet oculos mentis ad contemplandam naturam diuinitatis conuertere: & quia in tribus euangelistarum dictis, Matthæi scilicet, Marci & Lucæ, modus humanæ natiuitatis describitur, ad consubstantialem dei patris essentiam, oportet beati Iohannis euangelistæ dicta considerare. De cuius euangelio locuturi, breuiter quidem, sed rationabiliter commemorandum videtur, quare tam domini dilectus discipulus, in ordine euāgelistarum ponatur extremus. Quia enim suum euangelium scripsit nouissimus, ideo iure ponitur vltimus: iam vero tria euangelia scripta erant, atque in vniuersum orbem diuulgata. Per Matthæum quippe in Iudæa, per Marcum vero & Lucam in genti-

bus. Ipse autem post ascensionem domini, per sexaginta ferme annos euangelium suum, absque vllo adminiculo scribendi, Asiæ partibus prædicauit: sed postquam à Domitiano impijssimo Cæsare ac crudelissimo tyranno, propter insuperabilem euangelizandi constantiam, in Patmos insulam exilio esset relegatus, eruperunt hæretici in ecclesiam, Marcion, Cerinthus, & Ebion, & alij filij diaboli, quos ipse in epistola sua Antichristos appellat, qui eam diuersis dogmatibus scindere conati sunt, dicētes Christum ante Mariam non fuisse. Postea vero cum permittente pijssimo rege Nerua, regressus de exilio, Ephesi moraretur, rogatus traditur ab vniuersis episcopis & presbyteris, vt quia iam in tribus euangelistarum libris (vt diximus) temporalem domini natiuitatem pleniter habebant expositam, eis de diuinitate sermonē faceret, & ad memoriam futurorum scriptū relinqueret, vt scilicet post eius recessionem de mundo, haberēt fideles vnde fidem suam munirent, & hæreticorum falsa dogmata destruerent. Quod primum se negauit facturum, sed illis in prece perseuerantibus, non aliter hoc facere acquieuit, nisi prius triduano ieiunio omnes in commune dominum precarentur. Quod cum libentissime ab omnibus factum esset, die tertia expleti ieiunij tanta domini gratia, secundum sui nominis cōgruam interpretationem dicitur repletus, vt vsque ad contemplandam diuinitatis substantiæ naturam vltra omnes homines raperetur, & regem in decore suo cernens, de ipso purissimo fonte diuinitatis hauriret, quod nobis sitientibus propinaret, & sic per totum sui euangelij textum pauca de humanis actibus saluatoris inserens, sufficiēter ex diuinitate scripta reliqt. Vnde bene in cœna super pectus dn̄i recubuisse dr̄. Quia enim in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, inde gustās quàm suauis est dominus, nobis esurientibus cibū vitæ æternæ est impartitus. Vnde bene inter quatuor animalia aquilæ speciem rationabiliter habere describitur, quia sicut aquila præ cæteris auibus altius volat, & præ cūctis animātibus iubar solis irreuerberatis oculis cōtēplatur, ita Iohannes præ cūctis hoībus subtilius ex diuinitate sensit, & præ cunctis mortalibus altius æterni solis naturam contemplatus est, dicens:

In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum.

Alij enim euangelistæ Christum in tempore natum describunt, ille vero ante omnia tempora cum fuisse commemorat, dicens: ⌊In principio erat verbum.⌋ Alij cum subito hominem inter homines apparuisse commemorant, ille semper cum deo patre manere ostendit, dicens: ⌊Et verbum erat apud deum.⌋ Alij hunc verum hominem describunt, ille verum confirmat deum, dicens: ⌊Et deus erat verbum.⌋ Alij corporaliter de Maria virgine natum, temporaliter inter homines conuersatum fuisse asserunt, ille cū deo patre semper fuisse demonstrat, dicens:

Hoc erat in principio apud deum.

Alij signa & virtutes quas inter homīes fecit, ille quod deus erat per filium omnem creaturam condiderit, manifestat, cum ait:

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Et mirabili ordine beatus Iohannes Euangelista in exordio sui euangelij, & fidem credentium roborat, & hæreticorum falsum dogma damnat. Fuerunt enim hæretici qui dicebant: si ergo natus est Christus, erat tempus quando ille non erat. Quorum errorem euangelista in ipso exordio sui euangelij destruit, cum dicit: ⌊In principio erat verbū.⌋ Quia non dixit, in principio cœpit esse verbum, sed in principio erat verbum, ostendit nullum tempus eius naturam antecessisse, sed ipsum ante omnia tempora semper esse, sicut ipse in Euangelio dicit: Ego principiū, qui & loquor vobis. Et in Prouerbijs: Domi- Iohan. 8
nus possedit me in initio viarum suarum an- Prou. 8.
tequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Et iterum: Quando præparabat cælos, aderam, simul cum illo componens omnia. Hinc per Psalmistam dicitur: Priusquā montes fierent, aut formaretur terra & orbis Psal. 89.
à seculo & vsque in seculum tu es deus. Iterum fuēre alij veritatis inimici, qui tres personas sanctæ trinitatis negare volentes, dicerent: Pater quando vult, filius est: quando vult, spiritus sanctus est: filius qn̄ vult pater, qn̄ vult spiritussanctus ē: spiritussanctus quādo vult, pater est aut filius, idem tamen vnus est. Et horum falsissimum errorem verax euangelista dissipat, cum subiungit: ⌊Et verbum erat apud deum.⌋ Si enim alter apud alterum erat, manifestum est, quia alia est persona patris, alia filij, alia spiritussancti. Nec pater iuxta illorum fallaciam aliquando mutatur in filium, aut filius in patrem, neq; spiritus sanctus in patrem aut filium, sed pater semper est pater, filius semper est filius, spiritus sanctus semper est spiritussanctus. Non enim diuina natura vel substantia mutari potest, teste Iacobo apostolo, qui ait: Apud quē Iacob. 1.
non est transmutatio, nec vicissitudinis obūbratio. Item fuerunt alij filij diaboli, q Christum hominem tantum crederent, deum ve-

rum negarent. Et horum fallaciam spirituali mucrone euangelista amputauit, cum adiungit: ⌊Et deus erat verbum.⌋ Congrua enim ratione coęternus patri filius verbum dicitur quia sicut nos interiorem cordis nostri volūtatem per verbum patefacimus, ita deus pater per filium cuncta quæ videntur operatus
Psal. 32. est, teste Psalmista, qui dicit: Verbo dei cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Siue verbum patris filius dicitur, quia
1. Cor. 1. vt ait Apostolus: Virtus & sapientia est patris. De quo alibi Psalmista ait: Eructauit cor meum verbum bonum. Fuerunt rursus alij, qui deum Christum quidem crederent, sed ex Maria exordium sumpsisse putarent, quorum vnus mente captus dixisse fertur: Non inuideo Christo facto deo, quia si volo, possum fieri similis illi. Et horum nefandissimū errorem sanctus Euangelista opprimit, cum adhuc subiungit:

Hoc erat in principio apud deum.

Ostendens illum non ex tempore incremētum sumpsisse, sed semper in coęternia substantia cum patre esse. Item fuerunt & alij veritatis inimici, qui quasdam creaturas à deo, quasdam à quodam principe tenebrarum factas assererent, & hos destruit euangelic⁹ sermo, cum adiungit:

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Quæ enim subsistūt, per ipsum facta sunt, sicut scriptum est: Qui manet in æternum, creauit omnia simul. Non quædam bona, quædam mala, vt illi putauerunt, sed omnia valde
Gen. 1. bona, sicut scriptum est: Vidit cuncta quę fecit, & erant valde bona. Quod vero quædam creatura mala eē videtur, propter peccatum hominis contigit, sicut per quendam sapientem dicitur: Bestiarum dentes scorpij & serpentes, omīa in vindictam creata sunt. Nam peccatum, quia subsistendi naturam non habet, non est à deo creatum, sed à diabolo inuentum, & ideo nihil est, & quicquid nō subsistit, nihil est, sicut de cultura idolo℞ Aposto.
1. Cor. 8 dicit: Scimus quia nihil est idolū. Fuerūt & alij hęretici, qui diuinæ naturæ substantiā subtilius quàm deberent perscrutantes, vnigenitū filium dei, in diuinitatis forma à deo factum & non à patre dicerent genitum, sicut fuit Arrius, vt per hoc eum minorem patre assererent, quod non ex deo genitum, sed à deo factum prædicarent. Quorum errorem vel dementiam fide armatus Euangelista conculcat cum dicit: ⌊Omnia per ipsum facta sunt⌋ Si enim omnia per ipsum facta sunt, ipse nō est factus, qui omnia fecit: & ideo non creatura, sed creator: non factura sed factor, in æquali rate patris credendus est, sicut ipse ait in Eu-
Iohā. 10. angelio: Ego & pater vnum sumus. Et quia aliam creaturam rationalem rationabilis dei sapientia creat, ne putares eius volūtatem esse mutabilem, vt subito vellet facere aliam creaturam quam in æterna sua dispositiōe nō fecisset, rem necessariam euangelista subiunxit, dicens:

Quod factum est, in ipso uita erat.

Qui versiculus ita distinguēdus est, vt primum dicamus, quod factum est: deinde inferamus, in ipso vita erat, & est sensus: Quod factū est ab illo, in tempore apparuit, siue viuens siue vita carens, in ipso vita erat. i. in eius æterna sapientia, etiam illa quæ non viuunt, antequam crearentur, viuebant, scilicet ante initium mundi, quia vt postea fierēt dispositum erat, ac per hoc quasi factum erat, quia omnis creatura in ipso filio dei imaginata erat. Quod vt manifestius possit intelligi, de rebus uisibilibus exemplum adhibeamus, verbi gratia: Faber lignarius pergit in syluam, inspicit arborem, cogitat ex illa facere arcam, vel quodlibet vas, & cū arbor maneat adhuc non scissa, iam in eius sapientia quantæ longitudinis & latitudinis futura sit consideratur, cuius fabrica in eius arte ex eo viuere comprobatur, cum tamen ex se nō viuat, quasi aut vetustate aut igne consumpta fuerit, iterum eiusdem quantitatis & qualitatis nouit vas fabricare. Ita deus omnipotens antequam mundum crearet, antequam mundi creaturas in proprias species formaret, in eius sapientia, non solum quæ viuunt, sed etiam quæ vita carent, uiuebant. Sed ne æstimares omnem creaturam in hoc seculo vitam habere & illuminatam esse, rectè subditur:

Et uita erat lux hominum.

Quod est aperte dicere, quia ipsa vita & sapientia per quam cuncta sunt creata, & in qua per quandam rationem (vt dictum est) viuere dicuntur, lux est hominum. i. rationabilium creaturarum, non irrationabilium. Non enim bestiæ & pecora, sed homines illuminantur, qui rationabiles sunt. Licet namq; bestiæ viuant, tamen non illuminantur, vt possint sapientiam & intellectum atq; spiritum discretionis habere. Quibusdā enim creaturis tribuit esse, viuere, sentire & non discernere, vt animalibus: alijs esse, viuere, sed non sentire, vt arboribus: alijs etiam esse, nec viuere, nec sentire, ut petris. Hominibus autem tribuit esse, viuere, sentire, atq; discernere, vnde bene illuminati sunt, qui ad imaginem dei creati sunt. Sed & animalis quicunque est homo, non percipit ea quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. Sed quia nullam excusationem de ignorantia carnaliter viuentibus æterna dei sapientia reliquit, rectè subinfertur:

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Tenebræ enim homines sunt iniqui, ho-
micidæ, adulteri, raptores, immundi, & his si
milium patratores. De quibus per Iohan-
1. Ioh. 2 nem dicitur: Omnis qui odit fratrem suum,
in tenebris est, & in tenebris ambulat, & ne-
scit quo eat, quia tenebræ excæcauerunt ocu
Ephes. 5. los eius. Vnde & Apostolus credentibus ait:
Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux
in domino. Sic lux in tenebris lucet, quia hi
qui carnaliter viuunt, de ignorantia excusa-
tionẽ habere non possunt, quando sapientes
sunt vt faciant mala, bene autem facere nesci
unt. Quia enim sensum rõnalem, ꝑ quem &
dominum & eius voluntatem possunt co-
gnoscere, carnaliter viuentes obtenebrant,
lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non cõ
prehenderunt. Solet autem contingere ali-
quoties, vt maioris sensus acumine, hi q car
naliter viuunt, splendeant, quàm illi qui sim-
pliciter, sicut dominus ait in euangelio: Filij
Luc. 16. huius seculi prudentiores filijs lucis in gene
ratione sua sunt. Igitur lux in tenebris let, qa
quamuis iniqui homines nõ videant lucem,
id est, Christum, tamen opera eorum mala
videntur à luce. s. à Christo, cuius oculis nu-
da & aperta sunt oĩa, Psalmista teste qui ait:
Psal. 33. Vultus autem domini super facientes mala.
Verbi gratia, si ponatur cæcus ad solem, sic-
ut ipse non videt lumen solis, sed circa con-
funditꝰ ab ipso, sic prædicti hoĩes non vident
deum, sed videntur à deo. & ideo quia deus
hos videt, lux in tenebris lucet, id est, in ipsis
hominibus: vel certe in tenebris lux lucet, qa
ipsa sapientia per quam nos homines esse co
gnoscimus, & aliquid facere intelligimus, cõ
parati iumentis insipientibus, & similes facti,
veram lucem, id est, deum, nos qui sumus te
nebrę, non comprehendimus. Vnde bene di
cit Euangelista:

Et tenebræ eam non comprehenderunt.

Nulla quippe participatio (vt ait Aposto-
2. Cor. 6 lus) luci ad tenebras, nulla conuentio Christi
ad Belial, nec pars fideli cũ infideli. Quia ve-
ro dei lucem ineffabilem humana mens in te
nebris posita, subito venientem sustinere nõ
poterat, ne in his tenebris remaneret, ipsa lux
ventura, mundo præmisit hominem ante se
magni meriti, velut lucernam ante diem, luci
ferum ante solem, per cuius testimonium &
prædicationem, ad videndam veram lucem,
lippitudo mentis humanæ præpararetur, &
cognosceretur deus & homo. Si enim domi
ni lux subito nobis appareret, magis inde
excæcaremur quàm illuminaremur. Sed pau
latim dominus per patriarchas & prophe-
tas, suum aduentum nobis denunciare volu-
it: vt verbi causa, sicut cum in valle consisti-
mus, orientem solem cernere nõ possumus,
tamen in eius summitatem ascẽdentes, illius
ortum resplẽdere videmus, & scimus ipsum
radiare cito. Ita & dominus, per sanctos su-
os mentes nostras ad suam lucem contem-
plandam trahere voluit. De quibus monti-
bus fuit iste, de quo & subditur:

Fuit homo missus a deo.

Vbi in primo verbo obedientię, virtus in
illo commẽdatur, cum dicitur: Fuit homo
missus à deo. Non enim à semetipso, id est,
sua præsumptiõe venit, sed à deo missus est.
Aliud ẽ enim à se venire, aliud à deo mitti.
A se quippe venit, qui præsumptiue, in eo ꝙ
docet, suam gloriam quærit. Vnde de pseu-
doprophetis dictum est: Ipsi veniebant, & Iere. 23.
non mittebam eos: loquebantur, cum non
præceperam illis: ergo non erat de talibus
Iohannes, sed potius ex illis erat, quibus
Saluator ait in Euangelio: Ego vos elegi de Iohã. 15.
mundo, vt eatis, & fructum afferatis, & fru-
ctus vester maneat. A deo quippe mittitur,
qui in eo quod docet, dei laudem & anima-
rum lucra quærit, qualis erat Moyses, cui di
ctum est: Veni, & mittam te in Aegyptum,
qualis erat Isaias propheta, qui dicente do-
mino: Quem mittam, & quis ibit nobis ad Isaie. 6.
populum istum? Respondit: Ecce ego, mit-
te me. Talis erat Iohannes Baptista, de quo
dicitur: Fuit homo missus à deo. Qui voca
batur homo ille? sequitur:

Cui nomen erat Iohannes.

Ad quid autem missus fuit à deo, manife-
statur cum subditur:

Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.

Vt quid testimonium perhibuit de lumi-
ne? Declaratur cum subinfertur:

Vt omnes crederent per illum.

Non dixit vt omnes crederent in illum,
quia maledictus homo qui confidit in homi
ne, sed vt omnes crederent per illum, id est,
per eius testimonium omnes crederent in
Christum. Aliud est enim credere illum, ali-
ud per illum, aliud in illis. Credere illum, &
ꝑ illum, ad fidelem hominem referri potest:
credere autem in illum, nisi ad eum non per-
tinet, verbi gratia: Credo Paulũ, & per Pau-
lum credo, id est, per eius prædicationem, ta
men non credo in Paulum, sed in deũ quem
prædicat.

Non erat ille lux, sed ut testimoniũ perhiberet de lumine.

Quæritur, quare euangelista dicat de Io-
hanne dilecto dñi, & inter natos mulierum

maiore, non erat ille lux, cum dominus discipulis dicat: Vos estis lux mundi, sed ad hæc facilis patet responsio, quia alia est lux quæ illuminat, alia quæ illuminatur. Lux est quæ illuminat, quæ nec initium accipit, nec fine cōcluditur, nec augmentum capit, nec defectū patitur, sed semper æqualis permanet. Cui luci, id est, Christo, si comparentur homines, tam minores quàm perfectiores, tenebræ cō putabuntur. Nam & nostra iustitia si illius iustitiæ comparetur, iniustitia reputabitur. Illuminantur enim homines, vt lux sint, ab illo qui ait in euangelio: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Qualis erat iste Io-
Iohan. 5. hannes de quo dominus alibi ait: Ille erat lucerna ardens & lucens. Ardens dilectione & amore, lucens sermone: sed non esse Iohānes lux dicitur, ad comparationem veræ lucis, q̄ omnes illuminat, & à nullo illuminatur. Tātum enim distat inter lucem quæ illuminat, & quæ illuminatur, quantum inter lucernam & luciferum & solem. Illa est igitur principalis lux de qua adhuc subditur:

Erat lux uera quæ illuminat omnē hominem uenientem in hunc mundum.

Vbi cum omnem hominem veniētem in hunc mundum posuit, ostendit quia sine spirituali gratia, siue naturali ingenio illuminētur homines, tantum ab illo possunt illuminari, à quo procedit omnis sapiētia, cum quo fuit semper & est ante æuum.

In mundo erat, & mundus per ipm factus est, & mundus eum non cognouit.

Hic manifeste euangelista in mundi vocabulo, tres differentias ostendit. Aliquādo enim mundi nomine sancti significantur, aliquando situs orbis terrarum, aliquando mūdi amatores. Quod ergo ait ⌞in mūdo erat⌟ ad sanctos pertinet, de quibus alibi, dominus dicit: Non venit filius hominis vt perderet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum
1. Cor. 5. Et Paulus apostolus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Quod vero subiungit: ⌞Et mundus per ipsum factus est,⌟ ad situm pertinet orbis terrarum, iuxta illud quod dominus ait in Euangelio discipulis: Euntes in mūdum vniuersum. Quod autem infert: ⌞& mundus eum non cognouit⌟ ad mundi pertinet amatores. De quib⁹ alibi dominus ait: Pater iuste, mundus te non cognouit. In eo vero quod ait: ⌞In mundo erat,⌟ ostendit per diuinitatem eum vbiq; esse præsentem: quia nullo concluditur loco, vel excluditur, sed ipse est superior & ipse inferior, ipse interior & ipse exterior. Legitur ⌞in mundo erat⌟ id est, in orbe terrarum. Quidam tamen in mundo, in sanctis hominibus exponunt. ⌞Mūdus per ipsum factus est,⌟ quia omnis creatura per ipsum, & ab ipso facta est ex nihilo ⌞Et mundus eū nō cognouit⌟ id est, mundi amatores. Recte enim mundi amatores, mundi nomine vocantur, quia mente & desiderio mundum incolunt. Visibiliter autem eum signa facientem, scilicet Iudæi viderunt, & ipsum non cognouerunt. Nam cælum cognouit, q̄n eo nato nouam stellam misit: mare cognouit, q̄n sub plā- Exo. 14.
tis eius se calcabile præbuit: terrra cognouit, quando eo moriente contremuit: sol cognouit, quia radios suos in eius morte abscondit. Sed (vt diximus) mundi amatores, scilicet Iudæi, non cognouerunt, de quibus adhuc subiungitur:

In propria uenit, & sui eum non receperunt.

In propria quippe venit, quia non solum ex stirpe Iudæorum carnem assumpsit, sed etiam inter eos docuit, prædicauit, signa & uirtutes inenarrabiles ostendit: ⌞Sed sui eum non receperunt,⌟ id est, Iudæi quos sibi peculiariter prioribus tēporibus velut proprios asciuerat, q̄s in terra repromissiōis eiectis hostibus habitare fecerat, quib⁹ legis notitiā dederat, & ad quorum eruditionē p̄phetas miserat, & ex q̄bus nasci elegerat. Siue certe ⌞in propria venit,⌟ quia in mundo apparuit per humanitatem, quem fecerat per diuinitatem Venire quippe & abire, humanitatis est: manere & esse, diuinitatis. ⌞Sed sui eum non receperunt⌟ id est, homines quos ad imaginē & similitudinem suam fecerat, magna ex parte in eum credere noluerunt. Sed nunquid omnes ab eius notitia alieni remanserūt? Nō. Nam sequitur:

Quotquot autem receperunt eum:

Illi eum receperunt, qui eum à patre missum filium dei crediderunt. Sed quid eis pro fuit quod eum receperunt?

Dedit eis (inquit) potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Vbi larga misericordia dei ostenditur, quando qui serui non fuerant digni, etiam filij vocantur: non per naturam, sed per adoptionis gratiam, vt hic heredes dei per fidem cohæredes efficiamur Christi per gratiam, iuxta quod idem Iohannes in fine euangelij sui scripsit, dicens: Hæc autem scripta sunt vt credatis, quoniā Iesus est filius dei, & vt cre- Iohā. 20.
dentes, vitam habeatis in nomie eius. Quid ergo benignius, quid misericordius, quàm vnicus filius dei, nolēs manere solus, nostra carne sumpta, nos fecit dei filios, & sibi ado-

ptauit in fratres, vt quod ipse habebat p naturam, nos haberemus per gratiam. De qui-
Mat. 7. bus ipse dicit in euangelio: Quicunq; fecerit voluntatē pris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror & mater est. Et post resurrectionem discipulos fratres vocare dignatus, ait: Ite, nunciate fratribus meis. Ad hanc adoptionem non venit, nisi q fide crediderit in no-
Habac. 2. mine eius, quoniam sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit, sine qua impossibile est placere deo. Et ne putares hāc natiuitatem carnalem esse & non spiritualem, recte subiungitur:

Qui nō ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri.

In quo loco cum ex sanguinibus posuit, contra regulam artis grammaticæ fecit, quia apud grammaticos sanguis semper singulariter, & nunquam pluraliter enunciatur secundum regulam. Sed non curæ fuit euangelistæ obseruare regulam artis grammaticæ, vt perfectius sensum explicare posset. Si enī diceret ex sanguine, viri tantum videretur significare semen, & non pleniter quod vellet exprimeret: cum vero dicit ex sanguinibus, viri pariter & fœminæ coniunctionem ostendit. Vnde ne quis interrogaret, quare ex sanguinibus dixisset, exponendo subiunxit, dicens: Neq; ex voluntate viri, neque ex vo-
Gene. 2. luntate carnis. Carnem pro vxore posuit, iuxta illud quod scriptum est: Hoc nūc os ex
Ephe. 5. ossibus meis, & caro de carne mea. Et erunt duo in carne vna. Et Apostolus: Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit eam & fouet. Vel ex sanguinibus, id est, vitijs & peccatis, sicut per Psalmistam dicitur: Libera me de sanguinibus deus deus salutis
Iohan. 3. meæ.

Sed ex deo nati sunt.

Qualiter vel quomodo ex deo nascantur homines, vt filij dei sint per adoptionem, dominus alibi manifestat, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest introire in regnum dei. Et iterum: Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Vna est enim natura carnalis, altera spiritualis. Vna visibilis, alia inuisibilis.

Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis.

Versiculus iste ex superioribus pendet, ac si diceret Euangelista: Vt homines per adoptionem filij dei fieri possent, illud verbum quod erat in principio, deus apud deum, illud inquam verbum factum est caro, id est, deus factus est homo, non tamen in carne cōuersus, assumens quod non erat, nec desinēs esse quod erat, permanens deus, factus est homo. Qui cuncta fecit in forma dei, id est, cum esset deus, factus est in forma serui, factus est qui fecerat, vt inueniret qui perierat. Sed cū dicit: Verbū caro factum est, carnis noīe perfectum hominem significat, qui constat ex anima rationali & carne. Vsus namq; scripturæ est, aliquando per solam animam, aliquando per solam carnem totum hominem significare. Animæ nomine totus homo significa- Gen. 46
tur, sicut scriptum est: Descendit Iacob in Aegyptum in animabus lxx. Iterum carnis nomine totus hō significatur, sicut scriptum est in Propheta: Et videbit omnis caro salutare dei. Non enim animæ sine corporibus in Aegyptum descenderunt, nec caro sine anima salutare dei videre poterit, sed alibi (vt diximus) per solam animam, alibi per solam carnem totus homo significatur. Ita ergo & hoc in loco, cum dicit: Verbum caro factum est, non aliud est dicere, quām deus homo factus est ex anima rationali (vt diximus) & carne. Fuerunt enim nonnulli hæretici, q dixerunt dominum carnem absque anima suscepisse. Si enim quod minus est, fecit vtique & quod maius est, suscepit. Qui enim pro liberandis animabus carnem suscepit sine dubio humanam animam suscepit. De qua ipse loquitur: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Et iterum: Tristis est anima mea vsque ad mor- Iohā. 10.
tē. Quod vero subditur: Et habitauit in nobis, ad illos specialiter pertinet, quibus visibiliter apparuit, & cum quibus corporaliter conuersatus est. Vel aliter, habitauit in nobis, vt habitaremus in ipso, habitat in nobis protegendo, habitamus & nos in ipso vt protegamur ab illo. Vt autem inter nos habitare posset, cum esset in forma dei, nō rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

Et uidimus gloriam eius, gloriā quasi unigeniti a patre.

Gloriam eius viderunt in humanitate, qui videre non poterant in diuinitate, quia quam ante incarnationem videre non poterant, videre postquam verbum caro factum est. Gloriam igitur dei latētis in homine, illi specialiter uiderunt, qui eum miraculis coruscantē cōspicere meruerūt. Illi & q; eius gloriā manifesti⁹ cōspexerūt, q eū an passionē trāsfiguratū in mōte contēplati sunt, audiētes desup vocē pris intonantē: Hic ē filius me⁹ dilect⁹, Matt. 3.
in q mihi cōplacui. De qbus vnus fuit iste Iohānes, de q talia reuelata sunt, & p quē talia signa sunt monstrata, quæ nullus facere posset, nisi qui vnigenitus patris esset. Nā & post resurrectionem spiritussanctus eosdem disci

pulos obumbrare atq; replere dignatus ē, vt per hæc & vnigenitum dei cognoscerent filium, & ex matre primogenitum. Sed est differētia inter vnigenitum & primogenitum, qa non omnes primogeniti vnigeniti, sed oēs vnigeniti primogeniti vocantur. Primogenitum enim dicimus, non solum quem alij sequuntur, sed etiam quem nullus præcedit. Ex
Matt. 1. eo autem quod euāgelista Matthæus ait: Donec peperit filium suum primogenitum, occasione trahere voluerūt hæretici, beatæ Mariæ virginitatem infamare cupientes. Dixerunt enim eam alios filios post dominum ex Ioseph habuisse, & ipsos esse voluerūt, qui in euangelio fratres domini appellantur, non considerantes, quia fratres in scripturis varijs modis vocantur. Aliquando enim natura fratres dicuntur, aliquādo cognatione, aliquando gente, aliquando etiam dilectione. Natura, sicut Cain & Abel, Esau & Iacob, Pe-
Gene. 13. trus & Andreas. Cognatione, vt Abraam & Lot, iuxta quod ipse Abraam ait: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus. Si militer Iacob & Laban, eodem Laban dicente: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? Gente, sicut oēs Iudęi fratres dicti sunt, dicente ipso latore legis Moyse: Si constituendo constitueris super te regem, non habebis potestatem aliæ gentis hominem constituere, sed eum qui sit frater tuus, id est, de gē te tua. Dilectione, sicut omnes Christiani fra
Matt. 12. tres vocant, domino discipulis dicente: Oēs enim vos fratres estis. Eodem modo fratres domini cognatione dicti sunt, qa de illi⁹ erāt progenie. Ergo dominus non solum vnigenitus, sed etiam primogenitus dicitur, quod nō solum alij ex Maria post eum nati non sunt, sed quia ante eum nullus. Quod autem subiungitur,

plenum gratiæ & ueritatis. singulari gratia dei filio in homine quem assumpsit data sum est à patre, vt ex quo homo esse inciperet, perfectus esset deus, perfectus & homo. Nec eandem gratiam ad mēsuram accepit vt puri homines, sed factus homo plenus gra-
Colos. 2. tia fuit, sicut dicit Apostolus: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et Iohānes baptista: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. De q̄
Psal. 44 plenitudine gratiæ per Psalmistam dī: Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Veritate quoq; plenus fuit, sicut ipse in euāgelio dicit: Ego sum via, veritas & vita.

DE SANCTO STEPHAno Protomartyre, Matthæi XXIII.

In illo tempore dixit Iesus turbis. Iudæorum: Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris. Et reliqua,



arrat superior textus euāngelij, qualiter dn̄s conflictum habens cū Iudæis, conuiceret eos homicidas & homicidarū filios, qui cū ædificarēt sepulchra prophetarum, & ornarent monumenta iustorum, dicentes: Quia si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nō essemus socij eorum in sanguine prophetarū. In hoc se filios eorū ostēdebant, qui prophetas occiderant, quod aim plenum habentes inuidiæ, Christum eiusq; discipulos psequebantur. Vnde & dominus adiungit, dicens: Itaque testimonio estis vobismetipsis, quod filij estis eorum qui prophetas occiderunt, & vos implete mensuram patrum vestrorum. Acsi diceret: Quod illis defuit, vos implere cupitis. Illi occiderūt membra, vos caput persequimini: illi prophetas, vos ipsum dominum prophetarū, qui ab eis prædictus est, occidere desideratis, & me meosq; discipulos, quos illi ideo quia non viderunt, non occiderunt: vos videntes, illorum desiderium implere desideratis. Quibus congruit quod subditur: Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Recte ergo viperarū nomine isti vocantur, quia sicut ex viperis viperæ, & ex serpentibus serpentes nascuntur, sic isti ex venenatis parentibus venenatum animum trahētes, Christum eiusq; discipulos persequi moliebantur. Conuenit autem istis, quod viperarū natura traditur esse, vt in conceptione moriatur pater, in parturitione mater. Quamuis enim diuersa sint genera viperarum & serpētium, tradunt tamen tantummodo duas esse viperas in partibus Arabiæ, vbi nulla habitatio hominum consistit, quia nō solum homo si accesserit, verumetiam si auis desuper volauerit, à flatu earum interimitur. Quarum conceptio tarde euenit, sed quotiescunq; euenerit, ita fit, vt in conceptione moriatur pater (vt diximus) & in parturitione mater. Nam tempore conceptionis, mas caput in ora fœminæ mittit, at illa prę nimio amore stringēs caput illius abscindit. Cum vero tempus parturitionis euenit, scinditur vēter matris, & sic filij egrediuntur, & ita fit, vt in conceptione moriatur pater, & in parturitione mater. Vel de vipera dicta est, quod vi pariat, vel vi perire faciat. Tales ergo per similitudinem fuerunt Iudæi, quia Christum, qui eos spiritualiter generare venerat, crucis patibulo cruētis manibus tradiderunt, dicentes: Crucifige crucifige illum. Si hunc dimittis, non es Matt. 27.

amicus Cæsaris. Ecclesiam quoq; quæ spiri-
tualis mater erat eorum futura, persecuti sunt
primum in apostolis, per quos sancta eccle-
sia regebatur, deinde in eorum successoribus
de quibus nunc dicitur:

Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas.

Sed in exordio huius lectionis hæreticorum
dogma destruitur, qui dixerunt alium deum
esse veteris testamenti & alium noui, cum di-
cit: ⌊Ecce ego mitto ad vos prophetas & sa
pientes & scribas.⌋ Ac si diceret: Ego q quon-
dam ad patres vestros misi prophetas & sapi
entes & scribas, idem ipse & non alius mit-
to nunc prophetas, & sapientes, & scribas. Fu
erunt enim in veteri testamento prophetę, sa
pientes & scribæ: fuerunt & in nouo. In vete
ri testamento fuerunt prophetæ, Isaias, Iere-
mias, & multi alij: fuerunt sapientes, sicut Sa
lomon & Samuel, & plures alij: fuerũt & scri
bæ, qualis fuit Moyses, qui legem scripsit, &
Ezras, qui post captiuitatem Babyloniæ, in-
censis bibliothecis, legẽ recuperauit. De quo
1.Ezr.7 scriptum est: Ascendit Ezras de Babylone,
Act.11. & ipse fuit scriba velox in lege Moysi. In no
uo testamẽto legimus Agabum prophetasse,
& quatuor filias Philippi. Et omnis qui futu-
Act.21. ra mala cauere monet, & bona diligere, pro-
pheta est. Fuerũt sapientes, sicut apostoli, sic-
ut euangelistæ, qui dicta vel facta dominica
nobis scripta reliquerunt. De quibus domi-
Matt.13. nus in euãgelio: Omnis scriba doctus in re-
gno cęlorum, similis est homini patrifamili-
as, qui profert de thesauro suo noua & vetera.
Sed patres eorum ex illis occiderunt Isaiam,
Ieremiam, & multos alios: isti autem Iacobũ
iustum de pinnaculo templi præcipitauerũt,
Stephanũ quoq; (cuius hodie colimus solen-
nitatem) lapidauerunt, Petrum & Andream
crucifixerunt, & Paulũ decollauerunt. Quod
Act.5. autem in synagogis suis flagellauerunt & p-
secuti eos fuerunt de ciuitate in ciuitatem, li-
ber Actuum apostolorum pleniter narrat, cum
dicit: quia ibant discipuli à conspectu conci-
lij gaudentes, quoniam digni habiti erãt pro
nomine Iesu contumeliam pati.

Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus.

Quęritur quomodo omnis sanguis iustus
super eos, quibus hæc dominus loquebatur,
venire dicatur, cum non ipsi omnem sangui-
nem iustum fuderint? Ad quod responden-
dum, quod malorum generationi per imita-
tionem se sociauerunt, ideo & in retributio-
ne vindictæ participes eorum esse dicuntur.

A sanguine Abel iusti, usque ad sanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ, quẽ occidistis inter templum & altare.

De Abel qui fuerit, vel quod à fratre p in-
uidiã occisus sit, nulla est ambiguitas. Quod
autem iustus fuerit, non solum in Genesi le- Gene.4.
git, vbi eius munera deo accepta eẽ memorã
tur, & vbi sanguis eius ad dominum clamasse
dr, sed etiam nũc testimonium ei perhibet, di
cẽs: ⌊A sanguine Abel iusti.⌋ Quæritur au-
tem quis iste Zacharias fuerit, quia multos
legimus Zacharias, & ne cuiquã errandi tri-
buatur facultas, adiunctum est ⌊quem occi-
distis inter templum & altare.⌋ Diuersa enim
de hoc, diuersi senserunt. Nonnulli dixerunt
hunc Zachariam fuisse, qui inter duodecim
prophetas minores vndecimus ponitur, no-
mine patris ei consentiente, eo quod filius
fuerit Barachiæ, sed occisionis locus minime
concordat, quia quõ inter templum & altare
occisus fuerit, non reperitur, maxime suo tẽ-
pore templum ab his qui de captiuitate ascẽ-
derant, reædificaretur, & idem Zacharias, qa
prospera eius prophetaret, in magna venera
tione à populo habebatur. Alij dixerunt hũc
Zachariam fuisse patrem Iohannis Baptistæ,
& propterea quod aduentum dñi venturum,
prædicaret, à populo sit interfectus: sed hæc
opinio magis ex apocryphorum somnijs &
deliramẽtis descendit, quam ex veritate. Sed
cum ab his excludimur, recurrit mens ad re-
gnorum libros, in quib⁹ legimus, quia Ozia 4.Re.11
rege mortuo, cum Athalia impijssima regina
locum eius suscepisset, & interficeret omne
semen regium, tulit Ioiada pontifex vnum de
filijs regis, qui erat minor natu, Ioas nomine,
& abscondit eum in templo domini sex an-
nis. Septimo autem anno vnxit eum in regẽ,
inijtq; cum eo fœdus & cum omni populo,
vt in lege dei ambularet, quod & fecit cũctis
diebus quibus vixit Ioiada. Mortuo autem
Ioiada, successit ei in honore & ordine sacer-
dotali filius eius Zacharias nomine, vir bo-
nus & iustus. Cumq; Ioas declinare cœpisset
à lege domini, frequenter arguit eum Zacha
rias. Propter quod odiũ regis incurrit, intantũ
vt vna die cum publice argueret eum, iratus
rex, iussisset eum lapidare in porticu domus
dñi, qui cũ moreretur inter lapides, ait: Vide
at deus & iudicet, & sicut ipsa scriptura adiũ
git. Non est recordatus Ioas quæ pater eius
fecisset ei bona, sed occidit collactaneum su-
um filiũ eius qui se nutrierat. Hic est ergo Za
charias, q occisus est à Ioas rege, cuius iusti-
tiæ dñs testimoniũ perhibet, dicens: ⌊A san
guine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zacha-
riæ filij Barachiæ, quem occidistis inter tem-
plum & altare⌋ .i. inter ædem templi, & alta-
re incensi. Fecerat Salomon altare æneum,
vt Regum narrat historia, ante fores domus
domini, in porticu templi, vt offerentur in eo

sacrificia quotidie mane & vespere: quia altare aureum quod erat in domo domini, non poterat sustinere omnia holocausta quæ offerebantur. Iuxta altare vero æneum fons Siloe erat, vbi etiam lapides rubri apparent, vnde & à simplicibus æstimatur quod sanguine huius iusti viri sint fœdati. Sed cum Zachariam habemus, & occisionis cōsentiat locus, nomen patris discordare videtur, quia ibi legitur filius Ioiadæ, hic dicitur filius Barachię. Vbi quamuis possit prudens lector respondere, hunc fuisse iuxta veterem consuetudinem fortasse binomium, & alibi Ioiadam, & alibi Barachiam fuisse nominatum, nos tamen dicimus, quia vbicunque in Latina lingua scriptura deficit, recurrēdum est ad Græcam vel Hebraicam proprietatem, ex quibus eadem scriptura sumpserat originem, vt per interpretationem congruam conueniens appareat, quod ad literā inconueniens sonat. Ioiada ergo interpretatur iustitia domini, Barachias memoria domini, Zacharias benedict⁹ domini. Quia ergo de iustitia domini, & de memoria domini nascitur benedictio dñi, iuxta congruam interpretationem nihil discordare videtur, vtrum Barachiæ, an Ioiadæ filius legat. Nam in euāgelio quo Nazaræi vtuntur, pro filio Barachiæ, filius Ioiadę dicit. Nō autem sine causa putandum est, quod dñs beatorum martyrum mentionē faciens, hos duos specialiter nominare voluit, Abel s. & Zachariam, cū ab initio seculi multi alij pro eius nomine fuissent occisi. Tales ergo ponere voluit, per quorū martyriū oīm passiones significarentur, qui pro eius nomine passi fuerant, vel passuri erant. Per Abel vero, qui nō propter prædicationem, sed propter inuidiam in agro occisus, non reluctasse dicitur vel legitur, illi significantur, qui simplices sunt in doctrina, firmi tamen in fide, qui scientes tantū Christum & hunc crucifixum, magis eligūt pro eius nomine mori, quàm eius fidem negare. Per Zachariam vero, qui sacerdos fuit in ordine pontificali, & non in agro, sed propter prædicationem inter templum & altare est occisus, illi significantur, qui magistri & doctores ecclesiæ sunt, & propter constantiam euāgelizandi, vel propter correptionem reproborum, martyrium sumpserunt. Quorum primus post domini passionem fuit beatus Stephanus Leuita, cuius hodie festiuitatem celebramus, quia ad prædicandum ordinatus ab apostolis, cum ex autoritate diuinæ legis CHRISTVM dei filium doceret, reproborum manibus est lapidatus. Nec tamen inter lapides amisit patientiam, sed in oratione puram exhibuit conscientiam, supplicans pro lapidantibus & dicens: Domine
Act. 7. Iesu, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.

Amē dico uobis, uenient hæc oīa super generationem istam.

Si quem mouet quomodo hæc omnia super generationem vnam venire dicantur, cū nec Abel nec Zachariam ipsi occiderint, intelligat, quia autoritas sacræ scripturæ est, duas generationes commemorare, bonorū scilicet & malorum. De bonis legimus: Generatio rectorum benedicetur. Et iterum: Hæc Psal. 111.
est generatio quærentium dominum, quærentium faciem dei Iacob. De malis vero, Generatio praua & peruersa. Et iterum: Generatio quæ non direxit cor suum. Et gens absque consilio, & sine prudentia. Vnde & dominus in euangelio ait: Generatio praua & adultera signum quærit. Omnes ergo persecutores fidelium, à primo Cain vsque ad vltimum qui venturus est, in vna generatione computantur, quoniā etsi diuisi sunt in tempore, vniti sunt in mala voluntate. Similiter & illi, qui per bona opera generationi rectorum adhærent, iu futuro prēmium cum eis accipient.

Psal. 23.

Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

Cum dominus ad Ierusalem loquitur, non ad saxa vel ædificia putandus est loqui, sed metaphorice ad ipsos homines, vt per inhabitatum habitantes intelligas. Quos paterno planxit affectu, quia eorum interitum cito p̄sciebat esse venturum, iuxta quod alibi legimus: quoniam cum vidisset Iesus ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu. Cum autem adiunxit, ⌊ quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt, ⌋ ostendit præteritis temporibus, prophetas ad salutem eiusdem populi esse missos. Quæritur autem quomodo dominus dicat, ⌊ Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti, ⌋ cum alibi scriptum sit: Omnia quęcunque voluit dominus, fecit, Psal. 134.
in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Quia enim omnia quę vult facit, quomodo filios Ierusalem congregare voluit, & non congregauit? Ad quod dicendum est, quia omnipotens deus, hominum seruitia nō non vult habere coacta, sed spontanea & voluntaria, vt inueniat in nostrā bona voluntate, quod remuneret ex sua gratuita largitate: & ideo pius & omnipotens deus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: non propterea reliquit filios

Ierusalem, quia congregare non potuit, sed quia illos nolentes spontaneam voluntatem exhibere, congregare noluit. Quod vero ait, ⌊Quoties volui congregare filios tuos &c.⌋ tale est acsi diceret: Ego volui, sed tu noluisti: ego quod meũ est feci, sed tu q̃d tuũ erat, non fecisti: ego pro tua salute ad te prophetas misi, sed tu eos interfecisti: ego ad te ipse veni, & tu me recipere noluisti. Vult enĩ deus omnipotens omnes homines saluos fieri, & tamen non omnes saluantur, quia in duritia cordis impœnitens perseuerat. Nec absq; considera tione prætereundum est, quod gallinæ se cõparauit cum filijs, cum filios Ierusalem congregare se velle dixit. Gallina enim simplex & mitissima est auis, quę dum pullos fouet ac nutrit, plumas erigit, & totam se hispidã reddit, alas deponit, vocem attenuat, & totam se infirmã exhibet, vt pullos fortiores reddat, bestiolis quoq; & auibus insidiantibus pro salute pullorum usq; ad mortẽ se opponit. Iuxta ergo hanc similitudinem dominus gallinæ se comparauit, quia vt nos de infirmis firmos faceret, & de terrenis ad cœlestia sublevaret, quasi infirmis exhibuit se infirmum, q̃n de cælo descendit in terras, sciens q̃a non est
Matt. 9. opus sanis medicus, sed male habentibus: & quasi totum se hispidum in passione reddidit qui mitis & mansuetus apparuit. De quo Isa-
Isaia. 53. ias ait: Et vidimus eum non habentem speciem neq; decorem. Vocem attenuauit, q̃n pendens in cruce dixit: Deus deus meus, vt quid me dereliquisti? Et vt perfecta in nobis esset liberatio, morti etiã pro nobis se obtulit. Nec indignum debet videri, si redemptor noster in assumpta humanitate gallinæ se comparauit hic, qui etiã vermibus se assimulauit, sicut
Psal. 21. ipse per prophetam dicit: Ego autẽ sum vermis & non homo. Et pulchre se gallinæ com
Luc. 13. parauit, qui persecutorem suum Herodẽ vulpem nominasse legitur, dicens: Ite, dicite vulpi illi, quia hodie & cras miracula faciam, & die tertia proficiscar. Callida enĩ bestiola vulpes insidiatrix & inimica gallinæ comprobatur, ita quoq; & Herodes callidus & ingeniosus gallinam persecutus est, quia dñm cum exercitu suo spreuit. Pullis eius insidiat⁹ est, q̃a apostolos persequi nõ destitit, & ideo persecutores domini vulpibus comparantur, cum
Psal. 62. per prophetam dicitur: Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Duæ autem alæ gallinæ quibus pullos fouet, duo sunt dñi testamenta, vt duæ alæ gallinæ, Moyses & Aaron, per quos dñs Israeliticum populum de Aegyptia seruitute liberauit. Siue Iesus & Zorobabel, p quos eundem populum de captiuitate Babyloniæ reduxit. Sed his & alijs beneficijs ingratus, non solum credere noluit, sed etiam nutritorem suum morti tradidit. Vnde & cõtigit eis merito, quod subditur:

Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta.

Si quis corporalibus oculis intueatur, videbit etiam ad literam hanc domini vocem esse impletam, quia domus domini, quæ nobiliter in Ierusalem ædificata fulgebat, propter incredulitatem illorum ad solum vsque destructa est à Tito & Vespasiano, ita vt non relinqueretur in ea lapis super lapidem. Vnde & dudum discipulis domino ædificia ciui tatis ostendentibus, ait illis: Videtis hæc oĩa? Mat. 24
Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Dicitur namq;: ⌊Ecce relinquet vobis domus vestra deserta.⌋ Domus illorum ideo dicitur, quia deserta relicta est, quæ quondam domus domini dicebatur, quando hostia & sacrificia in ea offerebantur, modo domus vestra dicitur, quia deserta relicta est. Spiritualiter autẽ domus Iudæorum deserta relicta est, quia illis in incredulitate perseuerantibus, Christum in cordibus suis hospitem non susceperunt, qui ait: Ego ad ostium sto & pulso, si quis Apoc. 3.
aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Impleta est prophetia Ieremiæ dicentis: Reliqui domum meam, Iere. 12.
dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hyænæ,, quod est paruum quidem, sed rusticum animal, nocte sepulchra fodiẽs, & cadaueribus vescẽs mortuorum: cui merito comparantur Iudæi, qui Christum negantes, omni immunditiæ & iniquitati se tradiderunt, dispersi de gente in gẽtem, & de regno ad populum alterum, relicti sine deo, sine lege, & sine sacerdotio, impleta in eis prophetia, quæ dicit: Famem pa- Psal. 58.
tientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.

Dico enim uobis non me uidebitis amodo, donec dicatis, benedictus q uenit in nomine domini.

Hæc sentẽtia iuxta literã tunc impleta est, quando dominus super pullum asinæ sedẽs, Herosolymis appropinquans, honorifice à turbis susceptus est, quando cum ramis palmarum occurrerunt ei, dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini. Versiculus iste, spiritualiter potius, quàm ad literam est intelligendus, & est sensus: ⌊Dico enĩ vobis, nõ me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini.⌋ Id est, me vobiscum in cordibus vestris manentem non habebitis, quousque me credatis filium dei ad salutem hominum à patre esse missum.

DE SANCTO IOHANNE euangelista & apostolo. Iohannis vltimo.

In illo tempore: Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus, uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem. Et reliqua.


N serie huius lectiõis, tria sunt quæ nobis beatus Iohãnes euãgelista commendat, priuilegium scilicet amoris domini erga se, resolutionem sui corporis, atq; descriptionem euangelij. Priuilegiũ amoris sui nobis commendat, cum dicit:

Conuersus Petrus, uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem.

Resolutionem sui corporis ostendit, cum ait: ⌊Et non dixit ei Iesus, non moritur, sed sic eum volo manere.⌋ Descriptionem euangelij, cum subiungit: ⌊Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc.⌋ Sed vt exordia huius lectionis plenius intelligere valeamus, libet superiora paritper attendere. Supra enim retulit idem Iohãnes euangelista, quia discipulis post resurrectionem dñi in cõclaui residentibus, dixit ei Simõ Petrus: Vado piscari. Dicũt ei alij discipuli: Venimus & nos tecum. Ascendit ergo Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Illis frustra tota nocte in piscando laborantibus, mane stetit Iesus in littore, eorumq; rete copiosa multitudine piscĩũ repleuit. Egressisq; illis ad terram, ait: Venite, prandete. In quo prãdio dñs Petrum ter, an se amaret, interrogauit. Cui post trinam negationem, tertio confitenti suum amorem, tertio suas oues ei commendauit, dicens: Si diligis me, pasce oues meas, siue agnos meos. Post cõmendationem quoq; ouiũ, quid pro eisdẽ ouibus passurus eẽt, intimare curauit, dicens: Amẽ amẽ dico tibi, cũ esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cũ aũt senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc aũt dicebat (ait euãgelista) significans qua morte esset clarificaturus deũ. Et ne dura & intolerabilis Petro videret passiõ crucis, hanc suo exemplo pius magister lenire curauit, dicens: ⌊Sequere me.⌋ i. imitare me. Acsi diceret dñs: Tanto ergo tolerabilius crucis passionem sustinebis, quãto in eius sufferentia mea te sequi vestigia recordaberis: vt sicut pro tua salute crucis patibulum sustinere non distuli, ita quoq; & tu pro confessione nominis mei pati te debere memento. Quia eo gloriosiorem palmam martyrij consequeris, quo ad hanc promerendam arctius iter magistri sequeris. Sequi enim dominum, imitari est, sicut ipse dicit: Si quis vult post me venire, & reliqua. (Mat. 16.) Et iterum: Qui mihi ministrat, me sequatur. (Ioh. 12.) Secutus est Petrus apostolus dominum, quia pro ouibus sibi creditis, crucis patibulum sustinere non distulit, sicut & ipse dominus pro redẽptione generis humani amplecti dignatus est, implens illud q̊d ait Iohannes apostolus: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. (1. Ioh. 2.) Iam vero post hæc quid dominus & Petrus fecerint, manifeste Euangelista nõ declarat, tamen ex eo quod ait: ⌊Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequẽtem,⌋ tacite innuit, quia mox vt domin⁹ dixit Petro, ⌊Sequere me,⌋ surrexit à loco conuiuij & abire cœpit. Cuius iussionẽ Petrus etiam ad literam implere desiderans, secutus est illum corporali gressu. Secutus est autem dominũ & Petrũ ille discipulus, quem diligebat Iesus, Iohãnes scilicet nomine, cuius est hoc euangelium. Neq; enim à consectatu illius se indignum æstimauit, cum etiam maioris dilectionis gloria præ cæteris à domino amplexatum se nouerat. Nec incredibile est, quod Petrus & Iohannes vestigio corporali dominum sint secuti, quia necdum adhuc intelligebãt, quid spiritualiter significaret hoc, quod dominus Petro dixerat, Sequere me. Sed quia beatus Iohannes personam suam ex nomine innotescere noluit, designauit ex merito, cũ dixit: Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus. Diligebat enim eum Iesus, non exceptis cæteris singulariter solum, sed specialiter inter cæteros vnũ. Oẽs enim se diligere cõprobauit, quibus ante suam passionem loquebatur, dicens: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea. (Iohã. 15.) Sed hunc præ cæteris diligebat, quem integritas virginalis maiori dilectione fecerat dignum. Tradunt nanq; historiæ, quod eum volentem nubere, de nuptijs vocauit, & propterea quad à complexu carnali eum subtraxerat, spirituali dilectione eũ fecerat esse digniorem. In eo autem quod ait: ⌊Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem,⌋ morem sanctorum beatus Iohannes Euangelista seruauit, cum proprium nomen tacens, alio indicio suam personam demonstrauit. Hanc enim consuetudinẽ habẽt sancti viri, vt quoties de se mira & magna loquuntur, ad aliam transeant personam, & sic de se, quasi de alio loquantur: sicut fecit Moyses, quando de se, quasi de alio locutus est, dicens: Et erãt Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. (Num. 12) Similiter & beatus Iob dicturus: Et erat (Iob. 1.)

vir ille simplex & rectus, ac timens deum, de se quasi de alio præmisit, dicens: Vir erat in terra Hus, nomine Iob. Hanc ergo humilitatem seruans beatus Iohãnes, in tota serie sui euangelij, proprium nomen ponere noluit. Dat autem & aliud indicium suę cognitionis beatus Iohannes euangelista, cum subiungit:

Qui & recubuit cæna super pectus domini, & dixit: Domine quis est qui tradet te?

In vltima cœna, quam dominus cum discipulis habuit suis, vt superius textus euangelij narrat, discipulus ille supra pectus magistri recubuit: & cum diceret dominus. Vnus ex vobis me traditurus est, contristatis omnibus, innuente sibi Petro, interrogauit magistrum Iohannes, dicens: ⌊Domine, quis est qui tradet te?⌋ Et ne omnium cõscientias dira suspicio torqueret, certos eos reddidit, dicens: Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet. Quod autem discipulus ille supra pectus magistri recubuit, non solum præsentis dilectionis indicium fuit, sed etiam futuri mysterij signum. Quia enim in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, Iohã. 13. merito ille supra pectus magistri recubuisse dicitur, qui de ei⁹ diuinitate altius & profundius cæteris erat descripturus.

Hunc ergo cum uidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?

Quia enim Petrus apostolus in extensione manuum, in cinctione alterius, in ductu q̃ nollet, suam passionem intellexerat significatam, voluit scire de fratre & cõdiscipulo qua morte & ipse trãsiturus esset ad vitam. Et videns eum sequentem, ait:

Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum uolo manere, donec ueniam, quid ad te? tu me sequere.

Ac si diceret: Nolo eum per passionẽ martyrij præsentis vitæ cursum cõsummare, sed sic eum volo manere donec ecclesiastica pace firmata, transitu naturalis mortis, perpetuam eum ducam ad vitam. Vbi putandum non est, quod negauerit dominus Iohannem pro sua fide multas tribulationes esse passurũ, sed prædixit eum, per martyrium, præsentẽ vitam non esse consummaturũ. Nam in acti- Actu. 5. bus apostolorum publice virgis cæsus legitur, quando ibant discipuli à conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumelias pati. Et à Domitiano impijssimo Cæsare, in feruentis olei dolium missus legitur, ex quo tantum liber exijt à dolore corporis, quãtum alienus erat à corruptione carnis. Nam in historia Ecclesiastica legimus, eum veneno esse potatum, & nihil mali passum, impleto in eo, quod à dño dictum fuerat: Et si mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit. Postea vero propter insuperabilem constantiam euangelizandi, ab eodem principe in Patmos insulam exilio est relegatus, vbi consortio destitutus humano, consolationem promeruit angelorum. Ibi enim ꝓpria manu Apocalypsim scripsit, quam ei dominus reuelare dignatus est, pro statu ecclesiæ, præsentis scilicet & futuræ. Et ideo cum dominus dixit, ⌊Si eum volo manere donec veniam,⌋ non negauit eum corpore moriturum, sed per passionem martyrij non esse cõsummãdum prędixit. Sed sermonem sic manendi, ita quidem discipuli eodem tempore tractare cœperunt, quasi Iohannes iam non esset moriturus. Vnde & subditur:

Exijt ergo sermo iste inter fratres, q̃d discipulus ille non moritur.

Sed hunc eorum errorem idem Iohannes corrigere curauit, cum subiunxt:

Et non dixit Iesus, non moritur, sed sic eum uolo manere donec ueniam.

Morte enim corporis veraciter mortuus est Iohannes, quia ex eo die q̃ primo homini dictum est. Quocunq; die comederis de li- Gene. 2. gno scientiæ boni & mali, morte morieris, nullus est qui gustet vitã, qui nõ gustet mortẽ. Deniq; etsi Elias & Enoch adhuc viui esse creduntur, tamen sciendum est, quia ad tempus mortem corporis distulerunt, non penitus euaserũt, quia temporibus antichristi interficiẽdi sunt. Etsi dominus in forma humanitatis mortem suscepit, nullus est qui mortẽ corporis euadere possit, Psalmista testante, q Psal. 88. ait: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortẽ? subauditur nullus. Deniq; sicut in patrũ literis inuenimus, cũ lõgo affectus senio Ephesi moraretur, intãtum, vt discipulorum manibus sustentatus, vix ad ecclesiam pergeret, sciens diem mortis suæ imminere, iussit sibi præparari, sepulchrum, & dominica die post celebrationem missarum, & admonitionem factam discipulorum, perceptione corporis & sanguinis domini seipsum muniuit. Ac deinde valedicens fratribus, descendit in defossum sepulturæ suæ locum, quem sibi p̃parauerat, & quasi in lectulo, ita collegit se in sepulchro, atq; oratione expleta, videntibus discipulis, appositus est ad patres suos, tã extraneus à dolore corporis, q̃ alenus fuerat à corruptione carnis. Quo in loco, terra sensim ab imo dicitur ebullire, ita vt nonnulli eũ crediderint viuere. Sed quoniam alijs apostolis per passionẽ martyrij consummatis, ipse solus in pace ecclesiæ naturali morte vitam finiuit, ideo à domino dictũ est: ⌊Si eum volo manere donec veniam.⌋ Quod est dicere:

Nolo eum per violentiam persecutoris vitā finire præsentem, sed sic eum volo manere, quoadusq; veniens ad vitam eum ducā perennem, & æterna remuneratio eum clarificē. Spiritualiter autem per hos duos discipulos, duas fidelium uitas, in quibus ecclesia cōstat, accipere possimus, actiuam scilicet & contēplatiuam. Quarum vna in labore est, altera in requie. Per Petrum enim, cui dictum est, ⌊Sequere me⌋ actiuæ vitæ labor exprimitur, ad quam pertinet esurienti cibum, sitienti potum, nudo tribuere vestimentum, suscipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum, errantē corrigere, insipientem docere, pro veritate & iustitia etiam, si necessitas fuerit, vsq; ad mortem certare. His aūt qui in regimine positi sunt, qualiter subiecti victum & vestitum habeant, intenta solicitudine pui dere. Per Iohānem vero, de quo dictum est, ⌊Sic eum volo manere donec veniam,⌋ contemplatiuæ vitæ suauitatis designatur, ad quā pertinet, remotis omnibus curis & solicitudinibus, lectioni & orationi assidue insistere. Crebra quoq; lachrymaꝝ compunctione, ꝓ peccatorum remissione & æternæ vitæ perceptione, dulcissime suspirare. Sed tamen vtrūque discipulum, vtraq; vita nullus ignorat esse perfectū. & actiua quidem vita generaliter ad oēs fideles pertinet, q̄ se ab hoc seculo immaculatos custodientes, mentem, manū, linguam in bono opere exercent. Contemplatiua vero illis maxime datur, q̄ post longa exercitia monasticæ vitæ, secreta loca eremi sibi eligunt, vbi absq; impedimento hoīm, lectioni & orationi insistere & soli deo possint inhærere, & quātum humana fragilitas patitur, aliquoties cœtibus angelorum mente adiungi, dicentes cū Psalmista: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Hoc aūt inter actiuam & contemplatiuam vitam distat, qa actiua hic incipit & hic finitur: contemplatiua vero hic habet initium, sed in futuro plenius pficietur. Quis enim in illa vita esurientibus tribuet cibum, vbi esurit nemo, cum panis sit ibi viuus? Quis ibi sitienti potum tribuet, vbi est fons viuus, ex quo qui gustauerit, nunq̄ sitiet in æternum? Quis vestiet nudū, vbi stola est immortalitatis? Quis visitabit infirmū, vbi q̄ infirmet non est? Quis sepeliet mortuum, vbi regio viuētiū? Vnde (sicut diximus) actiua vita hic habet initium & finem, mercede restante: contēplatiua vero hic habet initium, sed in futuro perfectionem habebit: qa quod nunc videt per speculum & in ænigmate, tūc videbit facie ad faciem. Vnde bene de Iohanne dictū est: ⌊Sic eū volo manere donec veniam,⌋ id est, eos quos gustu meæ cōtemplationis inebriauero, semper proficere volo, quoadusq; me in die iudicij apparente, cum æterna remuneratione de fide transeant ad speciem. Iam enim descriptionem sui euāgelij beatus Iohannes nobis commendat, cū dicit:

Psal. 54.

1. Co. 13.

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc.

Perhibuit quippe Iohannes domino testimonium docendo, perhibuit recte viuendo, perhibuit euangelium scribendo, perhibet etiam quotidie, cum euangelium quod scripsit in ecclesia à fidelibus legitur vel auditur. Sed gratum forte videbitur, si quæ occasio illi euangelium scribendi fuerit, breuiter cōmemoremus. Nam post domini ascensionem, per sexaginta ferme annos absque ullo adminiculo scribendi euangelium prędicauit. Sed cum propter insuperabilem constantiā euangelizandi (vt diximus) à Domitiano impijssimo Cæsare in Patmos insulā exilio relegatus fuisset, irrūpentes in ecclesiam dei hæretici Marcion, Cherinthus & Ebion, & cæteri filij diaboli, quos ipse in epistola sua Antichristos appellat, diuersis dogmatibus eam scindere conati sunt, dicentes Christum ante Mariā nō fuisse. Postea vero cū pmittēte Nerua pijssimo rege, de exilio reuersus Ephesi moraretur, rogatus dicitur ab omnibus Asiæ episcopis & præsbiteris, quia iam in tribus euangelistarum libris de humanitate saluatoris satis scriptum habebant, vt eis de diuinitate sermonem faceret, atq; ad memoriam futuroꝝ scriptum relinqueret, maxime ad cōuincendam illorum hæresim, qui dicebant Christum ante Mariam non fuisse: quod primum se negauit facturū, sed illis in prece perseuerantibus, non aliter acquieuit, nisi omnes triduano ieiunio dominum in cōmune precarentur: quod cum fecissent, tanta gratia spiritussancti dicitur fuisse repletus, vt vsque ad contemplandā patris & filij eiusdemq; spiritussancti diuinitatem mente raperetur, & de æternæ vitæ purissimo fonte potaret, quod nobis sitientibus propinaret. Vnde & euāgelij sui tale est exordium. In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum, & sic per totum euangelij sui textum, pauca de humanis actibus interponens, sufficienter de diuinitate saluatoris scripta reliquit. Quàm firmiter autem & absq; vlla ambiguitate credenda sint quæ Iohannes scripsit, ipse manifestat cum subiungit:

Et scimus quia uerum est testimonium eius.

Et nos ergo cū cæteris fidelibus vera credentes quæ scripsit, seruemus quæ docuit, vt perueniamus ad hoc quod promisit, quod ipse præstare dignetur, qui cum patre &c.

DE INNOCENTIBVS. Matthæi II.

In illo tẽpore: Apparuit angelus domini in somnis Ioseph. Et reliqua.



Aerent sibi diuinę lectiones, & frequenter vna pendet ex altera, ita vt nonnunquam exordia subsequẽtis, facilius intelligantur ex cõsideratione præcedentis, quod in hac lectione facile aduertimus, si illius superiora parumper attendimus. Supra enim retulit euangelica lectio, quia cum magos ab oriente Hierosolyma venientes, Herodes Bethleem misisset, dixit eis: Ite & inquirite diligẽter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eũ. Sed quia disponebat occidere, quem se promittebat adorare, illi ab angelo responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodẽ, ꝑ aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Statimq́; euangelista adiunxit, dicens:

Qui cum recessissent, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph.

Vbi considerandum, quod minister cælestis angelus, insidias Herodis præuenit, monens cum puero fugere in Aegyptum, ne rabiem sui furoris Herodes, sicut in cæteros, in puerum Iesum explere posset. Sed forte quęret aliquis, quare angelus Ioseph in somnis apparuit, cum legatur pastoribus vigilantibꝰ apparuisse, & domini natiuitatem nunciasse? Sed ad hoc dicendum, quia in hac angelorũ diuersa apparitione, sanctitas simul & prudentia Ioseph commendatur. pastores enim, qa rudes erant, vtpote pastores, & diuina mysteria dinoscere non poterant, necesse fuit vt illis angelus visibiliter appareret, & occultum mysterium manifeste panderet. Ioseph vero, quia non solum sanctus, sed etiam prudens erat, non necesse fuit vigilanti apparere, sed tantum in somnis: quoniã (vt ait Apostolus)
1.Co.14 linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Et quia illam angelicam visionem discernere prudẽter valebat, illius Ioseph nõ solum carnis origine, sed etiam nominis consortio particeps, qui se somnio præferendum fratribus viderat, & somnia prudenter interpretando, prælatus vel dominus Aegypti cõstitutus fuerat. Quantum autem ad moralem
Gen.41. sensum ptinet, angelus Ioseph in somnis apparuit, vt ostenderet quia illi ad angelorum consortium sunt peruenturi, qui à mundi impedimentis ac carnalibus curis velut dormientes sunt alieni. Quasi ergo dormiens vigilat, qui mundi superfluas solicitudines postponens, oculum mentis in amorem dei aperit sicut ecclesiæ voce dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quid autem in somnis Cãt.5.
angelus apparens dicat, audiamus:

Surge et accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.

Vbi notandum, quia non dixit, accipe filium tuum vt falso Iudæi dicere voluerunt, sed accipe puerum, id est, accipe quasi baiulus & nutritius, non quasi pater proprius. Non dixit, accipe vxorem tuam, vt Photiniani dicere voluerunt, quamuis & sponsæ vxores dici possint, sed accipe matrem eius, id est, accipe quasi custos castitatis & sustentator fragilitatis, nõ vt violator virginitatis. Fugit autem puer Iesus ante persecutionem Herodis, non quod mortem timeret, qui pro hominibus mori venerat, sed vt tempore congruo, nõ quam persecutor inferre volebat, sed quã ipse disposuerat, sustineret mortem, ostendẽs potestatem se habere ponẽdi animam suam, & iterum sumendi eam. Ordo enim rerum necessarius erat, vt prius miracula faciẽdo se deum innotesceret, & postmodum mortem pro nostra redemptione sustineret, videlicet turpissimã crucis. Qm̃ dignũ erat, vt qa primus hõ per lignũ vetitũ peccãdo ceciderat, ꝑ lignũ sanctę crucis restauraret. Si enim tunc occideretur, quis eum dominum cognosceret, excepto Maria, & Ioseph, & Elizabeth, & paucis alijs quibus spiritussanctus reuelauerat? Ab alijs enim qui eum nouerant, omnibus filius Ioseph putabatur, & ideo distulit mortem, non timuit, ostendens fidelibus suis, ibi rabiem persecutorum non esse timendam, vbi mortem suam ad aliorum vitam viderint proficere: ibi autem esse mortem fugiendam, vbi eam ad nullius profectum viderint prouenire, iuxta illud quod dominus alibi ait: Cum vos persecuti fuerint in vna ciui- Matt.10.
tate, fugite in aliam. Quare autem tam solicite cum puero & matre eius fugere angelus in Aegyptum moneret, manifestat cum dicit:

Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Quæret (inquit) ad perdendum, sed non inueniet ad interficiendum. Quanto autem studio Ioseph & solicitudine, paratus esset angelicis obedire præceptis, manifestatur cum subiungitur:

Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum.

Non enim noctis tenebras metuens, lucẽ expectauit, non perfidæ gentis crudelitatem

pauens, in alteram partem declinauit, sed L cōsurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum. ⅃ Magna potentia domini, sed non minor eius claret humilitas. Ille enim ante faciem persecutoris fugere voluit, cui angeli ministrāt. Fugit domin' in Aegyptum idolis plenam, cunabila Iudææ gentis relinquens, etiam ipso situ corporis ostendens, quod post modum dicturus erat:
Marc. 9. Nō veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Et erat ibi, usque ad obitū Herodis.

Quod nonnulli post quadrienniū tempus, alij post bienniū factum esse commemorant. Spiritualiter autē Maria & Ioseph, legem synagogamq; significāt. Aegyptus quoq;, quæ tenebræ vel mœror interpretatur, mundum significat, qui post domini incarnationem in tenebris ignorātiæ, & vmbra mortis vel mœroris & angustiæ positus sedebat, sicut Apostolus dicit: Tribulatio & angustia in omnē
Rom. 2. animā hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Quasi enim Maria & Ioseph portātibus, dñs Aegyptum venit, qñ lege & synagoga pcedentibus, mundum in tenebris erroris positum, sua visitatione illustrauit, impleta prophetia Isaiæ, dicentis: Ecce dñs ascē
Isaie. 19. dit super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & cor Aegypti tabescet in medio eius, & commouebūtur simulacra Aegypti, & cætera quæ sequunt. Nubes leuis, virgo est Maria, quæ non est grauata semine virili, & quasi super nubem leuem dominus ascendens, Aegyptum intrauit, quando carnem ex virgine assumens, mundo visibilis apparuit.

Vt adimpleretur quod dictū est per prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filum meū.

Consuetudo est huic euangelistę, videlicet Matthæo, vt frequenter suam narrationē oraculis prophetarum confirmet. Quia enim Hebræis Hebræo sermone suum euāgelium primus scripsit, vbicunq; loci oportunitas se dedit, suam narrationem ex eorum libris confirmare studuit, vnde cum dixisset dominum monente angelo à parentibus in Aegyptum fuisse deportatum, adiecit cōtinuo oraculum propheticum, dicens: L Ex Aegypto vocaui filium meum. ⅃ Hoc testimonium in Oseæ propheta legitur iuxta Hebraicam veritatē, sed inter Septuaginta interpretes non habetur. Quia enim Ptolemæo rege iubente, scripturas in Græcum vertebāt eloquium, Iudæi prudenti consilio dicunt factum, vt vbicunq; manifeste de filio mentio fieret, aut aliter interpretarentur, aut omnino prætermitterent, ne Ptolemæus, qui vnius dei cultor videbat, trinitatem nō intelligendo, in varios deos incideret: vnde plura in nostris codicibus legū tur, quæ in Septuaginta interpretibus nō habētur, sicut est hoc: Ex Aegypto vocaui filiū
meum. Et illud, Qm̄ Nazaræus vocabitur. Iudi. 13.
Et, Videbunt in quem transfixerunt. Nōnulli autem hoc testimonium de Numerorum libro sumptum voluerūt esse, illud scilicet Balaā diuini, vbi scriptū est: Deus ex Aegypto
vocauit eum, & gloria eius quasi vnicornis. Osee. 11.
Quod quāuis de Iudæorum populo possit intelligi, qui de Aegypto ad terram repromissionis vocatus est, potest & de filio dei accipi, qui post obitum Herodis, iterum monēte angelo, ad terram Israel est reuersus.

Tunc Herodes uidens quoniam illusis esset a magis, mittēs occidit oēs pueros, qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a magis.

Quod autem ait, L Tunc Herodes videns qm̄ illusus esset à magis, ⅃ ad superiora euangeliū respicit, vbi dictum est, quia cum Herodes mitteret magos in Bethleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & reliqua. Sed quia responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodē, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam, videns suas insidias esse frustratas, iratus est valde, quoniam illusus esset à magis. Et quia occulte perdere puerū non potuit, in manifestam persecutionem cōtinuo exarsit.

Et mittens occidit om̄es pueros qui erant in Betheleem, & in omnibus finibus eius.

Putabat em̄, q̄ si omnes pueri occiderent, vnus quem quærebat, euadere non posset nō ęstimās infelix, qa non est consiliū, non est sapientia, non est prudentia contra deū. Vnde L à bimatu & infra ⅃ pueros iussit occidere, hoc est, à puero duorum annoru, vsq; ad puerum vnius noctis. Quod vero dicitur, L secundum tempus quod exquisierat à magis, ⅃ tradūt historiæ Iosephi & Egesippi, quod eo tempore qñ natum regem Iudæorum à magis audierat, accusantibus aduersarijs, vocatus ab imperatore, Romam venit: & cum venisset ante Cæsarem & vniuersum senatum, vt erat callidus animo & prudēs eloquio, potentissime & honestissime purgauit, quæcunque sibi fuerant obiecta. Cumq; aliter ab inimicis putaret, maiori gloria ab imperatore est exaltatus, intantum, vt ei regium diadema tribueret, & regnandi potestatē in Iudæa confirmaret: & cum post duos annos in magna gloria in Iudæam esset reuersus, recogitans quod audierat à magis natum esse regē Iudæorum, L mittens occidit omnes pueros,

qui erant in Bethleem,& in omnibus finibus eius,à bimatu & infra,secundum tempus q̃d exquisierat à magis, [æstimans(vt dimus)q̃ omnibus occisis, vnus effugere non posset. Quod autem nato domino persecutio cœpit, significatur per omne tempus vitæ præsentis,non deesse futuros,qui electos dei persequantur, sicut dominus ait in euangelio : Si
Iohã. 15. me persecuti sunt,& vos persequent. Et Apo
2.Tim.3. stolus:Oẽs qui pie volunt viuere in Christo,persecutionem patientur. Et sicut ait scri
Eccl. 27 ptura: Vasa figuli probat fornax,& homines iustos tentatio tribulationis. Quod vero pueri pro domino occisi sunt,significat per humilitatis meritum ad coronam martyrij esse veniẽdum,quod omnis(vt dominus ait) qui se humiliat,exaltabitur: Puerorum enim innocentia, humilitatem significat simplicium.
Mat.19. De qualibus dominus ait:Sinite paruulos venire ad me,talium est enim regnum cælorũ. Et itẽ:nisi cõuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli,non intrabitis in regnum cælorũ. Quando autem pueri (vt diximus)pro Christo interfecti sunt, sed Christus qui quærebatur non est inuentus,ostenditur quia persecutores martyrum corpora male tractare possunt & occidere,sed neq; à viuentibus, neq; à morientibus Christum auferre,qui possunt dicere: Siue viuimus, domino viuimus:siue morimur, dño morimur. Siue eñ viuimus, siue morimur,dñi sumus. Per eos autem qui bimi occisi sunt,illi significantur,qui perfecti sunt in opere & doctrina,qui cum bene viuẽdo & recte docendo, aliorum nequitiam increpant, vsq; ad effusionem sanguinis decertant: Per illos vero qui infra, significãtur simplices, qui scientes Christum tantum & hũc crucifixum,magis eligunt mori, quàm eius fidem negare. Quod autẽ non solum in Bethleem, sed etiam in omnibus finibus eius pueri occisi sunt, significatum est, quia non solum in Iudæa, vnde ecclesia originem sumpserat,persecutio erat futura,sed etiam vsque ad fines terræ. Et quod dominus propter ꝑsecutionem Herodis in Aegyptum fugit, significat electos propter persecutionem prauorum, aliquoties à proprijs sedibus esse fugandos,exilioq; relegandos. Quod vero defuncto Herode, iterum angelo monente, ad terram Israel reuersus est,significauit eosdem electos post compressam hæreticorum falsitatẽ, ad proprias sedes esse reuersuros: quod de Hilario Pictauiensi,& Athanasio Alexandrino,& pluribus alijs legimus.

Tũc adimpletũ est, quod dictũ est ꝑ Ieremiã prophetã, dicentem: Vox in Rama audita ẽ, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

Nostram superiorem narrationem Matthæus euangelista confirmat, cum suis sermonibus oracula infert prophetarum. Quod autem ait: [Vox in rama audita est,] non hic Rama nomen vrbis vel loci (vt quidam putant)simpliciter sonat,sed potius in excellum significat.Quod est enim dicere, Vox in Rama audita est, idem est dicere, persecutionis procella longa lateq; diffusa est. Quæritur ad literam, quomodo Rachel filios suos plorasse dicitur, cum Bethleem in qua pueri occisi sunt, non in tribu Beniamin, qui de Rachel ortus est, sed in tribu Iuda fuerit, qui de Lia sorore eius natus est? Ad quod respondendum,quia tribus Iuda & Beniamin (vt vetus narrat historia) iuxta se hæreditatem acceperunt,& funiculus sortis Beniamin ꝓpe Bethleem perueniebat. Et quia Herodes præceperat non solum in Bethleem,sed etiam in omnibus finibus eius pueros occidi, intelligimus per hanc occasionem permultos de stirpe Beniamin esse cæsos,quos Rachel mater eleuata in excelsum voce plorasse dicitur,vt ꝑsecutionis immanitas exaggeretur, quando ipsa mater egisse dicitur, quod ab eius tribu factum cognoscitur. Est & aliud quod in hoc loco prudens lector adijcere potest,quia sic- Gene. 35.
ut Genesis narrat historia, Rachel sepulta est prope Bethleem, iuxta viam quæ ducit Hebron, sicut titulus monumenti eius testatur. Quod ergo ab alijs constat factum,ipsa prophetico more fecisse dicitur, ex cuius sepultura locus ille insigne nomen habebat. Spiritualiter vero Rachel(quæ ouis vel visus prin- Iohan. 8.
cipum interpretatur)ecclesiam significat, quę recte visus principium dicitur, quia mundato cordis oculo, illius pulchritudinem contemplari desiderat, qui ait: Ego principium qui & loquor vobis. Ipsa quoq; est ouis centesima, quam pius pastor inuentam proprijs humeris imposuit, & sic reportauit ad gregem. Plorat ergo Rachel filios suos,quia ecclesia pro persecutione fidelium gemit. Non vult autem consolari super eos,qui non sunt, quia illam cõsolationẽ non vult recipere, vt iterũ redeant ad certamina seculi pugnaturi, q regnãt cũ Christo per martyriũ coronati.

Defuncto autem Herode.

Igitur Herodes, qui tantorum scelerum se fecerat autorem,vt nec ab ipsius domini persecutione manum traheret, non poterat remanere inultus. Quia enim fraudulenter regnum Iudæorum primus ex gentibus adeptus fuerat,non solũ Iudæis multa mala intulerat, verumetiam in filijs proprijs patricida extiterat. Et super omnia mala, quæ longum est enumerare, cum saluatorem mũdi natum audisset, fellis inuidia commotus, vt vnum ꝑ-

dere poſſet, quem ad regnandum audierat natum, omnes pueros in Bethleem, & in omnibus finibus eius interficere iuſſit. Tantaq; rabies eius animum ſuccẽderat, vt nec propter multitudinem morientium, nec propter paruulorũ innocentiam, ſua ſæuitia ceſſaret. Propter quod diuina vltione percuſſus, immedicabilem paſſus eſt ægritudinem. Erat enim febris, acerrima ſuſpiria, & anhelitus aſſidui, ſpaſmus quoq; totius corporis, ita vt vix reſpirare poſſet. Hydropis morbus corpus attenuauerat, ita vt veſtigia inflatione pedũ grauarentur, interiora quoq; viſcera tanto dolore vrebantur, vt per ſecretum naturę digerere videretur. Prurigo quoq; totius corporis intantum intolerabilis erat, vt etiam verenda putrida vermibus ſcaturirent. Inerat etiam & anhelitus fœtidus, intantum vt vix medicorũ aliquis pro adhibẽdis medicaminibus ad eũ accedere poſſet. Deniq; nonnullos medicorum in ipſa ægritudine poſitus dicitur occidere præcepiſſe, quaſi q eius ſaluti prodeſſe poſſent, nec vellẽt. Inſuper etiam famem ſitimq; intolerabilẽ ſuſtinebat. Et quod grauius erat, omnis cibus & potus in faſtidium ei erat. Inſomnietatẽ talem ſuſtinebat, vt dies noctesq; peruigiles duceret. Quod ſi parũ obdormiſſet, phantaſma patiebaẽ, vt ſe obdormiſſe pœniteret. Sed cum nimio amore præſentis vitę æſtuaret, iuſſit ſe deferri trans Iordanem, vbi erant aquæ calidæ, quæ etiam languentibus medicabiles dicebantur. Sed quæ alijs vtiles erant, illi nihil profuerũt, vt intelligeret ſe diuina vltione eſſe percuſſum. Viſum etiam fuit medicis, vt in fomentum olei tepidi eũ deponerent. Quod cum fuiſſet ingreſſus, ita totum corpus eius reſolutum dr̃, vt etiam oculi in ſimilitudinem morientium verſarẽtur, intercluderetẽ vox, & ſenſus abeſſet. Et cũ poſt paululum amicorũ & famulorũ vocibus excitatus ſenſum recepiſſet, iuſsit ſe deferri Iericho. Cumq; iã de ſua vita deſperatus eẽt, oẽs principes Iudæorũ ex ſingulis ciuitatibus & caſtellis ad ſe conuocatos, in cuſtodia retrudi iuſſit. Vocãsq; ſororem ſuam Salomen, & virum eius nomine Alexandrum, dixit: Noui Iudęos de mea morte gauiſuros, ſed honorabiles exequias habere potero ex planctu lugentium, ſi vos meis volueritis parere præceptis, vt mox cum ego ſpiritum exhalauero, oẽs principes Iudæorum, quos in cuſtodia recluſi, interficiatis. Sicq; fiat, vt q de mea morte gaudere cupiũt, ſuorum ciuium interitum lugere cogãtur. Et ne ab eorũ ſanguinis effuſione manum retraherent, ſingulis quinquagenas argẽti drachmas dari iuſſit. Cumq; dolore ingenti anguſtiaretur, Antipatrũ filium ſuum, quem quaſi de nece paterna tractantẽ vinculis religauerat, iuſſit interficere, eo quod audita eius morte gauiſus nũciaretur. Iam vero tantis malis obſeſſus, & quia ſe viuere nõ poſse cognouerat, mortem accelerare cupiebat. Vnde quadam die cum reſediſset, iuſsit ſibi dari pomum, & ad eius purgationem gladium. Cumq; ſuper ſiniſtrã recubuiſset, ictũ ferientis in ſeipſum librauit, ſeq; propria manu percuſſit, atq; ſtatim vitã finiſſet, niſi vnus ex amicis qui vicinior aſtabat, Achiab nomine, manũ cũ gladio retraxiſſet. Talem igitur Herodes habuit finem, qui propter ſaluatoris odium, multũ ſanguinẽ fuderat innoxiũ.

Quo defuncto, ecce angelus domini iterum apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrẽ eius, & uade in terrã Iſrael. Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Qui conſurgens, accepit puerum & matrem eius, & uenit in terram Iſrael.

Et quia non dixit, defunctus, ſed defuncti, ex his angeli verbis intelligim⁹, multos principes Iudæorum cum Herode in nece dñi cõſenſiſſe: & ideo diuina vltione actum eſt, vt multi ex his cum illo perirẽt, cum quo in nece domini conſenſerãt. Spiritualiter vero obitus Herodis, terminum ſignificat inuidioſæ contentionis, qua nunc Iudæa contra eccleſiam ſæuit. Quod autem poſt obitum Herodis puer Ieſus ad terram Iſrael eſt reuerſus, ſignificat, quia circa finem ſeculi ad ſynagogã eſt reuerſurus, cum per prædicationem Eliæ & Enoch in eum crediderint. Vnde cũ Aegyptum deferri iubeatur & fugere, hoc in nocte præcipitur: cum vero ad terram Iſrael reuertitur, nec noctis fit mentio: quia q̃s nũc propter incredulitatem in tenebris deſerit, circa finem ſeculi credentes in lucem fidei recipiet.

Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire.

Archelaus autem vnus fuit de Herodis filijs, quem poſt ad ſe regnandum in Iudæa Herodis inſtituerat, ſed poſtea inſolentiam eius accuſantibus Iudęis, iudicio ſenatus apud Viennam, quæ Galliarum eſt vbrs, exilio relegatus, vitam finiuit. Archelaus autẽ, qui vincens leo interpretatur, Antichriſtum ſignificat. Qui ad tempus in ſanctis victoriam habebit, & quaſi leo terribilis apparebit. In illã ergo partẽ qua regnabat Archelaus, Ioſeph cum puero ire noluit, quia in illam partẽ populi Iudæorum, quæ in antichriſtum creditura eſt, Chriſtus per fidem non habitabit. Poſt necem autem Archelai Chriſtus ad terram Iſrael reuertitur, quia poſt interfectio-

niem antichristi synagoga in eum creditura
Rom.11. est, vt ait Apostolus: Cum plenitudo gentiū intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. Sed quia in ecclesia manet & manebit, audiamus vbi habitauerit.

Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, & ueniēs habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareht.

Quia enim Nazareth flos siue virgultum interpretatur, significat ecclesiam, quæ & florem habet munditiæ, & virgultum virtutum.
Cati.4. Cuius virgulti pulchritudinem admirabatur sponsus in Canticis canticorum, dicens: Quę est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmētarij? Cui iterum voce sponsi dicitur: Ego flos campi, & lilium cōuallium. Et quia ecclesia de pǣnis vitæ amo
Cant.2. re ad cæleste desiderium transit, recte etiam Nazareth Galilææ dicitur, quæ transmigratio interpretatur. Quod autem subdidit:

Vt adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazareus uocabitur,

Hoc testimonium (vt diximus) in Septuaginta interpretibus non habetur. Nonnulli enim de Isaiæ prophetæ libro sumptum esse volunt, vbi scriptum est: Exiet virga de radi
Isa.11. ce Iessæ, & flos de radice eius ascendet. Nos autem dicimus, quia si sixum de scripturis po suisset euangelista testimonium, non diceret prophetas, sed per prophetam. Omnes enim prophetę dominum Nazareum vocant, quia sanctum eum prædicāt. Ipse est enim de quo per Danielem dicitur: Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit vnctio. Et Dauid: Non dabis sanctum tuum videre corruptionē. Et iterum: Scitote quoniam mirificauit domin⁹ sanctum suum.

DOMINICA INFRA OCTAUAM natiuitatis domini. Lucæ II.

In illo tempore. Erat Ioseph & Maria mater Iesu mirātis super his, quæ dicebantur de illo. Et reliqua.

SI superiora huius euangelij cōsideremus, inueniemus non sine causa nec frustra Mariam & Ioseph miratos super his, quæ de puero Iesu dicebantur. Recolebant enim quod in eis natiuitate à pastoribus audierant angelos apparuisse, & gaudium omni populo nunciasse, atque virginem concepisse & peperisse. Recolebāt eum à magis nō solum adoratum, sed etiam quod mystica munera ei oblata viderant, Recolebant quomodo à Simeone in manibus acceptum & benedictum viderant, etiam & Annam viduam de eo prophetasse, & sup his & huiusmodi mirabantur. Qui enim mirabilis est in sanctis suis, scilicet in virtutibus sanctorum, mirabilior apparere voluit in ipsis exordijs suis, siue in suis virtutibus, sicut idem euange
lista alibi ait: Stupebant autem omnes, & mi- Luce.2.
rabantur super prudentia & responsis eis, & videntes admirati sunt: vt scilicet deum, qui in homine latebat, per exteriora signa demōstraret. Sed forte mouet aliquem, quare euangelista patrem saluatoris Ioseph appellauerit. Ad quod respondendum, quia non est oblitus, quod superius eum de spiritusancto conceptum, ex Maria virgine natum descripserat, dicēs: quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius dei, sed aliorū opinionem secutus est. Excepto enim Maria & Ioseph, & Elizabeth, vel Simeone, & paucis alijs, quibus mysterium eius incarnationis spiritussanctus reuelauerat, ab omnibus Ioseph filius tunc putabatur: non quod vere iuxta Photinianos eius pater fuerit, sed quod ad famam Mariæ conseruandam, ab omnibus eius pater sit æstimatus, ne lapidaretur à Iudeis quasi adultera, si virum non haberet, & filium genuisset. Eo enim modo eius pater appellatus est, cum eum non genuerit, quo & vir Marię dictus est, cum eam non cognouerit: vbi & hoc dicere possumus, quia & multo expressius & consultius eius pater dici potuit, quem ex sua sponsa virgine nouerat natum, quàm si esset aliunde adoptatus. Cum enim publicæ leges permittant, vt extraneus filius in adoptionem assumptus, omnia quæ simulati patris sunt, ita sibi vindicare, quasi proprius filius possit, multo etiā vicinius filius Ioseph dici potuit, qui de sua spōsa virgine fuerat natus. Nam & nutritios & baiulos, patres consueuimus appellare, non quod carnaliter nobis patres sunt, sed quod nutriēdo paternum in nos ostendant affectuum.

Et benedixit illis Simeon, & ait ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum.

Simeon senex, qui humanitatem, domini in mundo expectauerat, postq̄ eū vidit, postquam manibus portauit, postq̄ benedixit, etiam Mariam & Ioseph benedicit. Vbi intelligendum est, quia in eo quod ait, [benedixit illis,] non ad Christum à quo omnis benedictio procedit, teste Apostolo qui dicit, Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Chri
sti, qui benedixit nos in omni benedictione Ephe.1.
spirituali in cælestibus in Christo, sed ad Mariam & Ioseph refertur, vt diximus. Intelle-

xit enim illam omni benedictiõe esse dignis-
simam, quæ illum, qui est sup omnia deus be
nedict⁹ in secula, ex se meruit generare. Vn-
de angelus ait ad eam: Benedicta tu in muli-
eribus, & benedictus fructus ventris tui. Et
Elizabeth: Beata es quę credidisti. Et ipsa vir
go de se: Ex hoc beatam me dicent omes ge-
nerationes. Neq; ab hac benedictiõe Ioseph
extraneum putauit, qui pro magna sanctita-
te, & sponsus Mariæ vocari, & pater saluato-
ris meruit appellari, vt & curã exhiberet vir-
gini, & baiulus esset infantis. Post hæc pro-
phetat in ruinam & resurrectionem multorũ
venisse dominum saluatorem, vt intelligam⁹,
quia Christi natiuitas, nõ credentibus ruina,
& credentibus resurrectio facta ẽ. Quod ve-
ro ait: Positus est hic in ruinam & resurre-
ctionem multorum, spiritu prophetiæ intel-
lexit nonnullos ex Iudęis credituros, multos
autem in incredulitate permansuros, iuxta il
lud quod ipse ait in euangelio: In iudiciũ enĩ
Iohan. 9. ego in mundum hunc veni, vt qui non vidẽt
videant: & qui vident, cæci fiãt. Vnde etiam
& per prophetam lapis offensionis, & petra
scandali appellatur, in quo qui non credide-
rit, cadet super eum: super quẽ vero cecide-
rit, conteret eum. Quia illi qui in homie quẽ
assumpsit scandalizati sunt, in deum offende-
runt. In ruinam enim venit illis, quibus do-
minus ait in euãgelio: Si nõ venissem & locu
tus eis fuissem, peccatum non haberent. Nũc
aũt excusationem nõ habent de peccato suo,
quia viderũt me, & odio habuerunt me gra-
tis. Et alibi: Qui nõ credit, iam iudicatus est.
Iohan. 3. In resurrectionem autem illis venit, de qui-
bus ipse dicit: Venit hora & nunc est, quãdo
mortui audient vocem filij dei, & resurgent,
In ruinam venit illis, quibus ipe dicit: Ego ve
ni in nomine patris mei & nõ suscepistis me.
In resurrectionem illis, de quibus alibi dicit:
Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me
etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis q vi-
uit & credit in me, non morietur in æternum
Et iterum: Omnis qui credit in filium homĩ
nis, habet vitam & resurrectionem. Non so-
lum autem ipse Christus, sed etiam & aposto
li alijs in ruinam, & alijs in resurrectiõem fu
erunt. Illis in ruinam fuerunt, quibus dixe-
runt: Vobis quidem oportuit primum loquĩ
Actu. 13. verbum dei, sed quia repellitis illud, & indi-
gnos vos iudicatis æterna vita, ecce conuer-
timur ad gentes. In resurrectionem illis, qui
audire merentur ab Apostolo: Si consurre-
xistis cum Christo, quæ sursum sunt quæri-
te, vbi Christus & cætera. Nam prædicatio
veritatis illis est in ruinam, qui audita negli-
gunt: illis in resurrectionem, qui libenti ani-
mo audiunt, & libentius faciendo complent.
Sed si subtilius consideremus, inueniemus,
quia non solum alijs in ruinam, & alijs in re-
surrectionem saluator venit, sed etiam vni eĩ
demq; homini in ruinam pariter & resurre-
ctiõem apparet, in ruinam scilicet vitiorum,
& resurrectionem virtutum. Omis enim ho-
mo aut vitijs aut virtutibus repletur. Quicun
que hodie superbus est, si audita domini vo-
ce, vbi ait: Omnis qui se exaltat humiliabitur 1. Petr. 5.
Et apostoli Petri: Superbis deus resistit, su-
perbiam calcare, & humilitatẽ didicerit ama
re, in ruinam pariter & resurrectionem illi
saluator venit. Similiter adulter siue fornica-
tor, si ad prædicationem domini vbi ait: Qui Matth. 5.
viderit mulierem ad concupiscendum eam,
iam mœchatus est eam in corde suo, & illud
Apostoli: Neq; adulteri regnum dei posside-
bunt, carnis suæ desideria calcare & castitatẽ
didicerit amare, in ruinã & resurrectionẽ pa-
riter ei dñs venit. Siue alius iracũdia plenus,
fortasse manus effusione sanguinis polluit, si
audierit ipsum dicentẽ: Ois qui irascitur fra-
tri suo, reus erit iudicio: iracundiam à corde
expellens, charitatem diligit, ei dominus in
ruinam & resurrectionem pariter venit. Ebri Luc. 21.
osus quoque aliquis vel crapulator audiens
eius verba, in quibus ait: Ne grauentur cor-
da vestra in crapula & ebrietate, vitium ebri
etatis & crapulæ deserens, sobrietatem dili-
git, ei dominus in ruinam & resurrectionem
pariter venit. Raptor & cæterorum crimi-
num sectator, si ad prædicationem domini vi
tia contemnere, & virtutes studuerit habe-
re, in ruinam pariter & resurrectiõem illi ve-
nit, quia cecidit vitium, quod male viuebat,
& resurrexit virtus, quæ male iacebat. Et be-
ne primum in ruinam, & post in resurrectio
nem venisse dicitur: quia nisi corruant vitia,
virtutes in homine resurgere non possunt,
ipso domino dicente: Nemo potest duobus
dominis seruire. Vnde Psalmographus nos
admonet, dicens: Declina à malo & fac bo-
num. Cum quali ergo gaudio auditur, quod
in resurrectionem multorum venit, cum tali
lætitia audiendum est, quod in ruinam venis
se dicitur. Non autem in ruinam & resurre-
ctioem omnium, sed multorum venisse dici-
tur, vt non intelligamus hoc non de corpo-
rali, sed de spũali resurrectione esse dictum.
Duæ enim sunt resurrectiones, vna aĩaꝝ, al-
tera corpoꝝ. Et illi qñq; resurgẽt in corpe fe
liciter, qui modo resurgunt in aĩa veraciter.

Et in signum cui contradicetur.

Hic manifeste domini passio à Simeone
pphetatur. Signum cui contradicendũ prędi
cit, vexillum crucis accipitur, cui contradixe
runt Iudæi blasphemãtes, sicut apostolo Pau
lo dixerũt: De secta autem hac notum est nõ Actu. 28.
bis, quod vbiq; ei contradicitur. Nõ solum
domini passio signum fuit, cui contradixerũt
Iudæi, sed etiã alia eius opera quæ fecit, signa

fuerunt quibus contradixerunt hęretici. Quę enim virgo concepit,& virgo peperit,signũ fuit,sed huic signo contradixerunt Manichęi negantes Christum verum corpus assumpsisse,sed per virginem Mariam velut aquã per fistulam trãsisse. Quod vero animam pro nostra redemptione suscepit,signũ fuit,sed huic signo contradixerunt Donatistæ hæretici sed horum omnium contradictiones,diuinæ scripturæ conculcat autoritas. His enim qui dixerunt virginem impossibile esse concipere & parere,& post virginem permanere,cõ
Isaie. 7. tradicit sermo propheticus,qui ait: Ecce virgo concipiet & pariet filium,& vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiscum deus. Illis autem qui eum verã carnem suscepisse negauerunt, fide armatus oc-
Roma. 1. currit Apostolus,dicens: Qui factus est ei ex
Gala. 4. semine Dauid secundum carnem. Et iterum: Cum plenitudo temporis venit,misit deus filium suum factum ex muliere,factum sub lege,vt eos qui sub lege erant,redimeret. Illorum autem opinionem, qui dixerunt rationalem animam Christum non posse suscipere,destruxit ipse dominus cum ait: Tristis ẽ anima mea vsq; ad mortem. Et iterum: Potestatem habeo ponendi animam meam,& iterum sumendi eam. Et quia longum est ire p singula,omnia opera quæ fecit,signa fuerũt, sed his signis contradixerunt reprobi hoĩes.

Et tuã ipsius aĩam ptransibit gladius

Nulla docet litera, nulla commemorat historia, beatam Mariam virginem materialis gladij percussione ab hac vita migrasse, quãuis & si hoc fieret, non anima inuisibilis, sed caro corporali gladio posset transuerberari. Vnde in hoc loco,gladij nomine, duram tribulationem & immanissimum dolorem, quem de domini passione tolerauit, debem⁹ intelligere, Licet enim filium dei non dubitaret, licet resurrecturum sine dubio crederet, nequaquam tamen putandum est,quod sine magno dolore potuerit videre crucifixum, quem de sua carne immaculata nouerat natum. In cuius doloris magnitudine olim propheta dixisse putandus est: O vos omnes q transitis per viam, attendite & videte, si ẽ dolor sicut dolor meus. Ipsum ego dolorem,ipsum cruciatum,quem de eius morte sustinuit,gladij appellatione Simeon signare voluit cum dixit: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, .i. quia vsus scripturæ est, duram tribulationem, gladij nomine appellare vel signare,sicut de Ioseph tribulationes Aegypti fortiter tolerãte dictum est: Ferrum pertransiit animam eius. Possumus quoq; & gladium,qui animam Marię pertransire dicitur, illum accipere, de quo ait Apostolus: Viuus est enim sermo dei & efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus,compagũ quoq; & medullarum,& discretor cogitationum & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Sed nunc & vsq; ad finem seculi animam ecclesiæ gladius pertransibit, cum non solum ab extraneis persecutionem patetur, sed etiam eos qui credere videbantur, à fide & bona operatione retrolapsos gemit. Dolet enim ex eorum perditione,de quorũ gaudebat salute: Sicq; multorum cordium cogitationes reuelantur, dum superbit impius, incenditur pauper. Quod vero subiungit:

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Nõ solum ad passionem domini pertinet, sed etiam ad resurrectionem. Ante enim quã in carne apparuisset, incertũ erat quinam ex Iudæis in illum essent credituri,& q in incredulitate permãsuri: sed illo nato, multorum cordium cogitationes reuelatæ sunt, quia pastores ab angelis commoniti,ad eum adorandum festinauerunt: at uero Herodes audita eius natiuitate, turbatus est,& omnis Hierosolyma cum illo. Postea vero illo prædicante in perfecta ætate,& miracula faciente, multorum cordium cogitationes reuelatæ sunt, qa alij ad illum quasi ad magistrum veritatis cõfluebant,alij qsi à seductore recedebant. Alij Iohã. 7.
dicebant: quia bonus est,alij vero, nõ: sed seducit turbas. Alij dicebant: Si non esset hic à deo,non poterat facere quicquam. Alij dicebant: Hic homo non est à deo, qui sabbatum non custodit. Sed illo in cruce pendente,multorum cordium cogitationes reuelatæ sunt, qa alij dicebant, cũ sine culpa cũ morti tradi viderent: Vere dei filius erat iste. Alij irridẽtes dicebant: Vah qui destruit templum dei, & in triduo reædificat illud. Si filius dei est, descendat de cruce,& credimus ei. Confidit in deo,liberet nunc eum si vult. Alij percutientes pectora sua,reuertebantur. Alij etiam eo sepulto insidiari volebant, dicentes ad pręsidem: Domine,recordati sumus, quia sedu- Mat. 27.
ctor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsq; in diem tertium. Et hoc ẽ quod à Simeone dicitur, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, .i. ex irridentium & dolentium, .i. malorum & bonorum.

Et erat Anna prophetissa, & reli.

Post Simeonis prophetiam Anna vidua introducitur, quia ordo rationis poscebat, vt primũ à viris, deinde à fœminis domini natiuitas testimonium acciperet. Quia enim omnem sexum & omnem ætatem dominus redimere venerat, dignum erat, vt omnis ætas

in eius natiuitate testimonium perhiberet. Et quia prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo, prophetauerat senex, etiã introducitur Anna vidua, vt nullus sex⁹, nulla ætas in eius laude deesset, & impleretur illa prophetia, quæ dicit: Laudate dominũ de cælis, laudate eum in excelsis, &c. Vsq; ad id quod ait: Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini. Vbi etiam notandum, quia euangelista Annæ officium, genealogiam, ætatem & mores, vno versiculo comprehendit, vt hanc ex omni parte dignam esse ostenderet, quæ domino testimonium perhiberet. Ad officium quippe pertinet, quod ait: ⌊ Et erat Anna prophetissa. ⌋ Ad genealogiam, cum adiungitur:

Filia Phanuel de tribu Aser.

Ad ætatem, quod subiungit:

Hæc processerat in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septẽ, a uirginitate sua. Et hæc uidua erat, usque ad annos octoginta quatuor.

Ad morum scilicet sanctitatem pertinet, quod subinfertur:

Quæ non discedebat de templo, ieiunijs & orationibus seruiens domino nocte ac die.

In quibus verbis nostra tepiditas reprehẽditur, nostra segnitia redarguitur, qui ad orationem tarde conuenimus, citius quàm necesse est recedimus, & nostræ vitæ tempus in conuiuijs & superfluis locutionibus occupamus. At vero cum esset Anna sexu fragilior, sed mente deuotior, ⌊ non discedebat de templo, ieiunijs & orationibus seruiens nocte ac die, ⌋ ante Apostolum implens illud apostolicum:
1. Thes. 5 Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Vbi considerandum est, quia etsi ad tempus recedebat propter corporalẽ necessitatem, tamen deuotione mentis semp in oratione perseuerabat, secundum Apostoli præceptum: Siue manducans, siue bibens, siue aliud quid agens, om̃ia in nomine domini nostri Iesu Christi. Sicut ergo habent coniugatæ in Elizabeth quod imitentur, & virgines in Maria quod sequantur, & senes in Simeone quod amplectantur, sic habent & viduæ exemplum viduitatis in Anna quod imitentur, vt discant, nõ circuire domos, nec deliciose viuere, non fabulis ociosis occupare linguam, sed in ieiunio & oratiõe semper seruiant domino nocte ac die, vt in eorum numero computentur, de quib⁹ ait Apostolus:
1. Tim. 5 Quæ em̃ vere vidua ẽ & desolata, sperat in domino. At contra, vidua quæ in delitijs est, viuens mortua est. Discant ergo viduę secunda & tertia declinare coniugia. Discãt etiam post virorum suorum mortem, carnis vitare lasciuiam: quia Anna à virginitate postquam amisit virginitatem, septem annis cũ viro viuens, octogintaquatuor vidua permansit. Pudeat igitur in senectute viduas castitatem violare, quam Anna in iuuentute custodiuit. Insuper sane deuotio illius ostenditur, quia cũ haberet potestatem in secundis nuptijs se matrimonio copulare, noluit hac potestate vti, sed etiã maluit in potestate deo seruire, q̃ viri amplexibus perfrui, adimplens illud q̃d ait Apostol⁹: Nemo militãs deo, implicat se negotijs secularib⁹. Et item: Mulier innupta cogitat quæ sunt dei, vt placeat deo: quæ aũt nupta est, cogitat quæ sunt mundi, vt placeat viro. Sed hęc tanta instantia dño famulabatur, vt merito de ipsa euangelista diceret: ⌊ Quæ non discedebat de templo, ieiunijs & orõnibus seruiens nocte ac die. ⌋ Q; ẽni tale ieiuniũ, talis afflictio, talis deuotio, talis orõ mercedem consequatur, manifestatur cũ subdit:

Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur domino.

Cõfitebat̃ em̃ dño, q̃a laudabat dñm. Cõfessio nãq; in scripturis aliq̃n ad pct̃m pertinet, aliq̃n ad laudẽ. Nisi em̃ ad pct̃m ptineret cõfessio, Psalmista non diceret: Dixi, confitebor aduersum me iniustitias meas dño, & tu remisisti impietatem pct̃i mei. Et nisi ad laudẽ pertineret, alibi non diceret: Confitebor domino nimis in ore meo, & in medio multorũ laudabo eum. Vnde ipse vnigenitus dei filius, qui pct̃m non fecit, in euangelio ait: Con Matt. 11
fitebor tibi pr̃, dñe cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sed quia omnis qui deum laudat, alios etiam ad laudandum eum prouocare debet, recte de Anna dicitur:

Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Ierusalem.

Nolens dare sanctum canibus, nec mittere margaritas suas ante porcos. Spiritualiter vero Anna vidua, sanctam significat ecclesiam, quę pro eo vidua dicitur, quia domini sui morte viduata, reditum eius ad iudicium expectat. De qua vidua per Psalmistam dicitur: Viduam eius benedicẽs benedicam, pau Psal. 131.
peres eius saturabo panibus. Hæc est enim illa vidua, quæ iuxta euangelium, quotidie interpellat iudicem, & de qua per quendam sapientem dicitur: Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam eius, & exclamatio eius vsque ad deducentem eas? Congruit autem mysterijs ecclesiæ, quod Anna gratia dei in nostra lingua dicitur. Et filia Phanuel, qui facies dei interpretatur, esse narratur: & de tribu Aser, qui inter duodecim patriarchas nascendi ordine habetur octauus,

& interpretatur beatus, quoniam vt ecclesia faciem dñi videre mereatur, ab ipso ardenti amore illuminari desiderat, canens cũ Propheta: Ostende nobis dñe misericordiam tuam & faciem tuam, & salui erimus. Et iterũ:
Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Et vt ad resurrectionis beatitudinem peruenire possit, totum de dñi gratia accipit. Sed nec tempus quo in viduitate permãsit, à mysterij alienum est. Sicut enim per septem tpa annorũ quo cum viro suo permansit, tps illud quo dominus in carne fuit significat, ita anni octoginta quatuor quibus vidua perseuerauit, tempus vitæ præsentis, in quo ecclesia semetipsam bonis operibus exercet significat. Septies qppe duodecim, octoginta quatuor faciunt, & septem quippe ad præsenis vitæ cursum pertinent, qui per septem dies voluitur. Duodecim quoq; ad sacratum numerum duodecim apostolorum: quia per prædicationem duodecim apostolorum, ecclesia in præsenti vita bonis operibus insistẽ dum didicit, hoc est, bona opa facere cognoscit. Octoginta vero ad corporum resurrectionem pertinent: porro quatuor, ad doctrinam quatuor euangeliorum. Octauus quippe numerus ad mysterium noui testamenti pertinet, qui octaua die .i. dominica, conscribitur, in quo dominus resurrexit, cuius gratia liberati sumus. Nam in reuolutione hebdomadis octauus dicitur, quoniam vnaquæque hebdomada ab eo in quo bonis operibus insistere, & futuram resurrectionem sperare didicimus, quasi duodenis septies multiplicatis, octogintaquatuor implemus.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.

Hic prætermisit Lucas Euangelistasta, qđ
Matt. 2. à Matthæo sufficienter scriptum nouerat, scilicet quomodo propter persecutionem Herodis, angelo monente, in Aegyptum sit deportatus, & post eius mortem, iterum angelo monente, in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth reuersus. Vsus est enim euangelistarum, vt vnus aliquando prætermittat, qđ ab alio dictum meminit.

Puer autem Iesus crescebat, & confortabatur plenus sapientia.

In hoc versiculo duorum hæreticorũ dogmata destruuntur, Manichæorum scilicet, & Apollinaristarum. Manichæi dixerunt dominum verum corpus non assumpsisse, horum dogma destruitur, cum Euangelista dicit: ⌊Puer autem Iesus crescebat & confortabatur.⌋ Nisi enim veram carnem habuisset, nec crescere, nec confortari potuisset: quia in natura dei, nec minui, nec augeri ptõ. Apollinaristæ dixerunt illum veraciter humanam animam non assumpsisse. Et horum dogma destruitur, cum subinfertur, plenus sapientia Sicut enim crescere & confortari ad corpus pertinet, sic sapientia repleri ad animam. In eo autem quod puer vocatur, & paulo minus ab angelis est minoratus, crescere & confortari potest, quia pro nostra salute carnem suscepit. In eo vero quod ait, plenus sapientia, nec crescere (vt diximus) nec confortari, Sed notandum in eo quod ait, plenus sapientia: quoniam non ad mensuram veluti homines gratiam spiritussancti accepit, sed sicut dicit Apostolus, in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quod vero subiungitur: ⌊Et gratia dei erat in illo,⌋ specialis gratia à deo patre homini Iesu Christo data est, vt ex quo homo esse inciperet, perfectus esset deus & homo, humana assumens, & diuina non deserens. De quo Iohannes euangelista dicit: Vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritatis. Cui Psalmista ait: Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

IN CIRCVNCISIONE domini. Lucæ secundo.

In illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circuncideretur puer. Et reliqua.



QVia mediatoris dei & hominũ circuncisionem hodierna lectione recitatã audiuimus, libet ad initia eiusdem circũcisionis animum conuertere, & quo tempore, vel ex quibus patribus exordium sumpserit, cõsiderare, aut quam vtilitatem habuerit vel ob quam causam dominus Iesus Christ', qui sine peccato in mundo venit, voluit eam suscipere. Ad quam rem instruendam liber Geneseos in promptu est, in quo legimus, quia post diluuium extitit vir quidam de se-
mine Sem, filij Noe, nomine Heber, de cui- Gene. 5.
us domo & familia egressus est Thare, q genuit filium nomine Abram, cui dixit deus: Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quã monstrauero tibi. Qui cum obediens esset deo, exiens & nesciens quo pergeret, & reputatum illi esset ad iustitiam, venissetq; in terram Chanaan, & merito atq; sanctitate cre-
sceret, promisit ei deus eandem terram in hæ Gene. 12.
reditatem esse daturum, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium. Cumq; merito & sanctitate magis ac magis proficeret, præcepit ei deus vt circuncideret carnẽ præputij sui, dicens: Circuncidetur omne mascu

linum in vobis, vt sit pactum fœderis mei in
ter me & vos. Et circuncisus est Abraam cē-
tesimo ætatis suæ anno, Isaac autem filius ei⁹
octaua die. Porro Ismael tredecim annos im
pleuerat. Ex eo tempore ritus & religio cir-
cuncisionis, à beato patriarcha Abraam sum
sit exordium. Si quis autem quærat, quare ea
dem circuncisio data sit, intelligat varias ob
causas esse datam. Primum ꝓpter meritum
fidei Abrææ, vt sicut fide distabat à cæteris na
tionibus, sic distaret etiam signo circuncisio-
nis. siue certe signum circuncisionis datū est
vt populus qui ex eadem progenie nascitu-
rus erat, per signum circuncisionis peculia-
ris ac familiaris deo agnosceretur. Siue aliter
signum circuncisionis datum est, vt si qui ex
eorum populo in prælio corruissent, ob si-
gnum circuncisionis cogniti, quia de stirpe
sancta descenderant, sepulturæ traderentur.
Vel certe, quia in tali membro circūcisio ius
sa est, per quod carnis origo propagaretur, si
gnificabatur tunc ille ex eodem semine car-
nem de virgine assumpturus, qui virginitatis
amator, & vitiorum præputij esset amputa-
tor, dominus scilicet Iesus Christus. Nec pu
tandum est, paruam vtilitatem suo tempore
habuisse circuncisionem: sed sciendum quia
tantum valebat tunc circūcisio contra origi
nale peccatum, quantum nunc valet aqua ba
ptismatis, excepto quod ille nondum vene-
rat, qui peccata soluere posset, vel q ianuam
regni cælestis reseraret. Quoniam qui nunc
per euangelium dicit: Nisi quis renatus fue-
rit ex aqua & spiritusancto, non potest intra
re in regnum dei: ipse tunc per legem clama
Gen.17. bat: Masculus cuius caro præputij circuncisa
non fuerit, peribit anima illa de populo suo,
quia pactum meum irritum fecit. Non quod
infans recens natus, boni & mali ignarus, pa
ctum domini ꝑ se irritum facere posset, sed
quia de illius radice omnes nascebantur, qui
pactum dei in paradiso irritū fecerat, aut cir
cuncisione, aut alijs modis purificari indige-
bant, quia vinculo originalis peccati teneban
tur astricti, dicēte Psalmista: Ecce enim in ini
quitatibus conceptus sum, & in delictis pe-
perit me mater mea. Nec solum per circunci
sionem, sed etiam per hostiarum oblatiōem
plures deum placare studebant, sicut exēplo
patientiæ Iob discimus, qui se suosq; liberos
q̄tidianis sacrificijs purificabat. Alij vero so-
la tantummō fide saluabantur, sicut scriptum
est in Habacuc: Iustus autem ex fide viuit, si-
Habac.2. ne qua impossibile est placere deo. Nec putā
dum est, quod aliqua necessitate dominus cir
cuncisionem susceperit, qui immaculatā car-
nem ex virgine sine peccato assumpsit, sed
ideo circuncidi voluit, vt etiam suo tempo-
re circuncisionem sanctam fuisse & bonam
ostenderet. Et vt omnem occasionem in se
non credentibus Iudæis auferret, noluit pa-
tribus esse dissimilis, qui nō venerat legē sol
uere, sed adimplere. Siue certe circuncisio-
nem corporaliter suscepit, vt in ipso carna-
lis circuncisio finem, & spiritualis haberet ex
ordium. Finis enim legis (vt ait Apostolus) Rom.10.
Christus, ad iustitiam omni credenti. Et be-
ne octauo die circunciditur Iesus, quia legis
præceptum erat, domino dicente: Infans o-
cto dierum circuncidetur. Sed quamuis hoc
frequenter in lege præceptum sit, non facile
de aliquo in tota serie veteris testamenti scri
ptum inuenitur, absque solo duntaxat Isaac fi
lio repromissionis, quod non sine mysterio
credimus prætermissum. Circuncisio enim
Isaac, domini circuncisionem significabat.
Circuncisio vero domini nostram geminam
circuncisionem significat, moderni scilicet tē
poris & futuri. Circuncidimur nanq; in præ
senti, cum qui per baptismum à pctōrum sor
dib⁹ purificamur, & quicquid ad vetustatem
veteris hominis ptinet respuentes, induimus
nouū, implētes illud qđ ait Apost. Exuite ve Colos.3.
terem hoiem cum actibus suis, & induite eū
q renouatur de die in diē. Et iterū: Renouami
ni spū mentis vestræ, & induite nouū hoiem
qui secundum deum creatus est, in iustitia &
sanctitate veritatis. Melius autem circuncide
mur in futuro, quando mortalitas carnis no
stræ, in qua nunc peccamus, in immortalita-
te fuerit immutata, & soli deo inhærebimus,
vt ait apostolus: Nos q residui sumus, q relin 1.The.4
quimur, simul rapiemur cum illis in nubibus
obuiam Christo in aera, & sic semper cū dño
erimus. Et qñ iam non erit conflictus cū car
ne & sanguine, quādo corpus quod corrum
pitur non aggrauabit aiam, nec terrena inha
bitatio sensum multa cogitantem opprimet,
sed absorpta morte in victoria, corruptibile
hoc induet incorruptionem, implebitur q; in
illis, qui illo seculo digni inuenti fuerint, qđ
dñs ait in euangelio: In resurrectiōe neq; nu Luc.20.
būt, neq; nubent, sed sunt sicut angeli dei in
cælo. Aequales eñ angelis erunt, cum filij re
surrectionis fuerint. Pulchre ergo circunci-
ditur puer. Factus est enim puer, qui pueros
quærebat, id ē, puros. Quis est iste puer, nisi
ille, qui cum sit magn⁹ & laudabilis nimis, &
cuius magnitudinis nō est finis, propter nos
puer fieri dignatus ē? De quo scriptum est: Isaie.9.
Ecce puer meus electus quem elegi, posui
principatum super humerum eius, & voca-
bitur nomen eius admirabilis, consiliarius,
deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pa-
cis. Quod autem die circūcisionis pueris no
mina imponebantur, ex eo in consuetudi-
nem venisse arbitramur, quod beatus patri-
archa Abraam .i. pater multarum gentium,
cum signaculo circūcisionis augmentū & im
mutationem promeruit nominis, vt q hacte

nus diceba tur Abrā.i.pater excelsus, deinceps diceretur Abraam, id est, pater multarū gentium, domino dicente: Quia patrem multarum gentiū cōstitui te ante deū, cui credidisti. Nec solum ipse, sed etiā venerabilis vxor eius augmentū nominis cū immutatiōe promeruit, vt quæ prius dicebatur Sarai. i. princeps mea, deiñ diceretur Sara. i. princeps sanctarum fœminarū, siue princeps domus. Vnde errant qui putāt nomen Saræ per duo rr. scribendū. Primum enī apud Hebræos per sin, res, & iot elementū scribebatur. Sublato ergo iot elemento de fine nominis additū est Alaph, & dictum est Sara. *Gen. 17.*

Vocatum est nomē eius Iesus. quod uocatū est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.

Si quis autē quærat, quādo eius nomen ab angelo, anteq̄ in vtero conciperetur, vocatū sit, tunc sine dubio, quādo ait angelus ad Mariam: Aue gr̄a plena, dominus tecū, bñdicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quod enī ex te nascetur sanctū, vocabitur filius dei. Ne timeas Maria, inuenisti gratiā apud deū, ecce concipies & paries filiū & vocabis nomē eius, Iesum, hic erit magn⁹, & filius altissimi vocabitur. Nec solū hoc sanctissimū nomen anteq̄ cōciperet in vtero ab angelo vocatū est sed etiam longe antea patriarchis, & prophetis prædictū, quod filius dei homo factus, hoc nōie vocaret videlicet Iesus: quia Iesus Hebræa lingua, in nostra saluator siue salutaris dicit. Vbicunq; enī apud nos salutare legitur, in Hebræo Iesus habet, sicut est illud: Salutare tuum expectabo dñe. Et Isaias: Gaudens gaudebo in dño, & exaltabit anima mea in deo Iesu meo. Et in Psalm. Memento nostri domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo, & multa talia. Et nō solū sanctū eius nomē à prophætis & patriarchis, antequā conciperet, prædictū est, sed etiā ante omnia secula à deo patre p̄scitum & prædestinatū, vt deus homo factus Iesus vocaretur. i. saluator, vt sicut à Christo Chr̄iani vocamur: sic etiā à saluatore, saluati nūcuparemur: q̄a nō est aliud nomē sub cœlo datū hominibus, vt ait Petrus apostolus in quo oporteat nos saluari. Nec solum autē in etymologia nominis eius nostra salus cōtinetur, sed etiā in ipsis literis, quibus hoc nomen apud Græcos scribitur, magna salus nostra inuenitur, Iesus enī apud Græcos sex literis scribitur,,,,,,, Quæ literæ continent in se magnū numerum & in ipso numero magnum sacramentū. x. videlicet & viij. cc. lxx. cccc. & iterum cc. qui simul iūcti fiūt, d. ccc. lxxxviij. & denarius quidem numerus ad decalogum legis pertinet, quia decem præcepta legis Moysi data sunt: octo autem, ad resurrectionem pertinent, quia octauo die dominus resurrexit, & in octaua seculi ætate resurrecturos nos monstrauit, iuxta illud quod in Salomone legitur: Da partes septem, necnon & octo. Septuaginta quoq; ad pœnitentiam pertinent, quia ille populus qui deo peccauit, per septuaginta annos in captiuitate Babylonis sub Nabuchodonosor rege fuit. Et cum de remittendis peccatis Petrus magistrum interrogasset, dicens: Quotiens peccabit in me frater meus & dimittam ei, vsq; septies, tunc Iesus ait illi: Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. Centenarius quippe numerus perfectionem vitæ æternæ significat, sicut de eodem dominus, qui omnia sua p̄ eius amore reliquerat, ait: Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Huius numeri sacramentum, in ipsa digitorum computatione ostenditur, quando cētenarius numerus de læua transit in dexterā & circulum exprimens, fit in modum coronæ: illa corona æternam beatitudinem significat, quam pro bonis operibus se accepturū nouerat, qui dicebat: Bonum certamen certaui cursum consumaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Et nos igitur in hoc sanctissimo nomine denarium numerum reperimus, cum decalogi mandata seruamus: tenemus octonarium, cum fidē resurrectionis credimus: habemus & septuagenarium, quando peccata nostra flendo punimus. Tunc autem ad centenarium perueniunt, cum post corporalem resurrectionē ad summam & perfectam beatitudinem animæ & corporis perueniūt, quia ibi erit om̄is perfectio, vbi nulla fuerit corruptio ibi perfecta lætitia, vbi nulla tristitia, q̄ñ absterget deus omnem lachrimam ab oculis sanctorū. Etiam non erit luctus, neq; clamor, neq; vllus dolor: quoniam priora transierunt. quando gaudium & lætiam obtinebunt qui redempti fuerint à domino, & fugiet ab eis dolor & gemitus, & veniēt in Syon lætantes, & lætitia sempiterna super capita eorum. Quod gaudium bene significat Isaac, qui de centenario patre natus, octauo die circuncisus, risus interpretatur. illum nimirū spiritualem risum vel gaudium significans, quod noster Isaac, dominus scilicet Iesus Christus, p̄romisit dicens: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et de quo per beatum Iob dicitur: Os veracium replebitur risu. Et in laude ecclesiæ: Et ridebit in die nouissima. Sed quia sermo de circuncisione domini se intulit, libet intueri quid est, quod toto tempore ducatus Moysi, nullus ex filijs Israel circuncisus fuisse legitur, excepto vno filio eius, quem vxor illius in itinere, ne ab angelo percuteretur, acutissima petra circuncidit, dicens: Spōsus san

Eccle. 11 *Matt. 19* *I. Tim. 4* *Isai. 24.* *Iohā. 16.* *Iob. 6.*

guinum tu mihi es. Quid est enim quod iussio domini & consuetudo antiqua quadringentis obseruata sit annis, & ab ipso Moyse frequenter fieri commonita, ita per quadraginta annos sub suo tempore relicta est penè quasi nunquam esset? Nõ hoc sine causa, nec sine mysterio contigisse putandum est. Denique præputium quod sub Moyse creuit, idẽ populus, qui sub eo incircuncisus remansit ꝓpter iminens bellũ à successore eius Iesu Naue amputatũ est, & hoc cultris petrinis trans Iordanem in campestribus Moab, contra Iericho. Breuiter ergo huius mysterium videamus. Quid per Moysen, nisi lex figuratur? Quid per Iesu Naue, nisi gratia noui testamenti, quæ legi successit, exprimitur? Quid per præputium, nisi peccatum? Præputium ergo sub Moyse creuit, quia data lege, peccatũ ampli⁹ apparere cœpit, teste Apostolo. Lex

Rom. 4. iram operatur. Et, Vbi non est lex, nec præuaricatio. Nam concupiscentiam nesciebam,

Rom. 7. nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione aũt accepta, peccatum per mandatũ operatum est in me omnem concupiscentiã, & factum est quod erat ad vitam, hoc esse ad mortẽ. Sed quia pręputiũ, q̃d sub Moyse creuit, à Iosue amputatum est, significat, q̃a peccatum quod lex ostendebat, non etiam auferebat: dominus Iesus Christus conditor & ordinator noui testamenti, quem Iosue opere significauit & nomine, ꝑ gratiam noui testamenti non solum ostendit, sed etiam misericorditer dimisit. Lex enim (ait euangelista)

Iohan. 1. per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Vnde bene cultris petrinis idem populus à Iosue circuncisus legitur, quia ille solus peccata dimittit, de quo

1. Cor. 10 ait Apostol⁹: Petra autem erat Chr̃s. Sed q̃a dñi Iesu Christi corporalem circuncisionem celebramus, debemus ad nostram spũalẽ circuncisionem animum inflectere: & quõ non corpore, sed spũ circuncidi conueniat, considerare. Ideo enim ille corporaliter circuncisus est, vt nos spũaliter circuncidi doceret, sicut ait Apostolus: Dico enim Christum Ie-

Rom. 15. sum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem dei, ad confirmandas promissiões patrum. Hoc autem summopere considerandum est, quia circuncisio spũalis non vnius membri, sed oĩm membrorum vitia amputare docet. Nec prodest iam circuncisio corporalis, vbi defuerit spũalis, Vnde Moyses legislator, cum mundissima dei verba audisset, circuncisum se labijs conquestus est, dicens: Obsecro domine, mitte quem missurus es. Nõ eñ audiet me Pharao, præsertim cum sim incircũcisus labijs. Et Stephanus ꝓtomartyr q̃sdã circuncisos corpore, incircũcisos aũt corde redarguit, dicens: Vos incircuncisi corde & auribus, sp̃ spiritusancto re-

stitistis, sicut patres vestri. Ex quibus colligimus (sicut diximus) quia circuncisio spiritalis non vnius membri, sed oĩum vitiorum debet esse amputatio. Circuncidendi sunt oculi ab illicito visu, ne videant mulierem ad concupiscendam eam. Vnde & ipsa veritas in euangelio loquitur, dicens: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eã, iam mœchatus est eã in corde suo. Vt veraciter cum ꝓpheta dicam: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et iterum: Oculi mei semper ad dominum, & reliqua. Et cum beato Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Circuncidendæ aures sunt, ne libenter audiant verba detractionis, falsitatis murmurationis, & his similia, sed semꝑ paratę sint ad audiendum verbum diuinum, vt impleatur illud in nobis: Beati qui audiũt verbum dei, & custodiunt illud. Et cum beato Iob dicere valeamus: Auditu auris audiui te domine. Et cum Isaia: Dominus deus aperuit mihi aurem. Et cum Psalmista: Audiam quid loquatur in me dominus deus. Et iuxta illud quod prophera admonet, dicẽs: Sepi au-

res tuas spinis, ne libenter audiant verba detrahentium. Eccl. 28.

Circuncidendæ sunt nares ab illicitis odoribus, ne per illecebras odoris animus in consensum delectationis cadat, sed secundum Apostolum, semper Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Circuncidenda est lingua à maledictionibus, periurijs, falsitatibus, murmurationibus, & à consuetudine ociosi sermonis, nonnunquam etiam propter taciturnitatis custodiam à bono colloquio conuenit abstinere, vt cum Propheta dicere possimus: Dixi custodiam vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui & humiliatus sum, & silui

à bonis. Mors eñ & vita in manibus linguę. Pro. 18.

Et qui custodit os suũ & linguã suam, custodit ab angustijs animam suã. Tota enim nostra vita quodammodo per linguam cõmaculatur, nisi sub taciturnitatis custodia teneatur, quia sicut ait Apostolus: Corrumpũt bo-

nos mores colloquia mala. Nam sicut Iaco- 1. Cor. 15

bus apostolus ait: Qui se putat religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducẽs cor suum, huius vana est religio. Et in lege vas quod operculum non habet, inter immũda vasa computatur. Et Psalmista nos admonet, dicens: Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Circuncidamus manus ab effusione sanguinis & læsione proximi, & semper eas paratas habeamus ad operandum quod bonum est, vt habeamus vnde tribuamus necessitatem patientibus. Et cum Psalmista dicere queamus: Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum domine. Et cum ecclesia. Ma- Canti. 5.

nus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei plenimyrrha probatissima. Circuncidamus pedes, ne festinent ad effundendum sanguinem, & discordias seminandas, sed potius ad ecclesiam conueniant, ad orationẽ studiosius properent, & inter fratres pacem & concordiam portent, vt adimpleatur illud quod dicitur: Beati pedes euangelizãtium pacem, euangelizantium bona. Quod vt facere possimus, supplices cum propheta rogemus: Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me. Et iterum: Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Et rursus: Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Nec solum exteriora, sed etiam quæ interiora sunt, circuncidere debemus, id est, cor, vt abstineamus nos à malis & immundis cogitationibus, & prauis delectationibus, & iniquo consensu, ne per assiduitatem cogitationis, in consensum delectationis cadamus, quia vt dominus ait: De corde exeunt cogitationes malæ. Et sicut Salomon nos admonet, dicens: Omni custodia

Prou. 4. serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Hanc spiritualem circuncisionem prædicabat propheta tenendam esse, cum dicebat: Circuncidite præputia cordium vestrorum.

Deut. 10 Et iterum: Circuncidimini domino deo vestro, & nolite circuncidere carnes præputij vestri. De hac ipsa Moyses legislator ait: In nouissimis diebus circũcidet deus cor tuum & cor seminis tui. Et si taliter circuncisi fuerimus, & hic circuncisionis domini participes erimus, & in futuro regem in decore suo videre merebimur. Quanta autem gloria præparanda sit ei, qui spiritualiter circuncidimur. Isaias propheta indicat, qui cũ dixisset: Quis

Isaie. 33. poterit habitare ex vobis cum igne deuorante, aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? adiecit continuo de spirituali circuncisione. Qui ambulat in iustitia, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obdurat aures suas ne audiant sanguinem, & claudit oculos suos ne videant malũ, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, regem in decore suo videbunt oculi eius. Verum considerandum est diligentius, ne forte spiritualem circuncisionem, inani gloria surripiente, propter appetitum humanæ laudis seruemus, quod pro solius diuini amoris gratias agere debemus.
Ipse enim se amore circuncisionis priuat, qui spiritualem circuncisionem nõ propter amorem dei, sed propter inanem gloriam seruat,

Gene. 34 in exemplo Sichimitarum, qui religionem circuncisionis non propter amorem dei, sed propter carnis suæ desideria explenda susceperunt; & ideo non solum mercede priuati sunt, sed etiam tertia die quando grauissimus dolor vulnerum inerat, ipsi vna cum ruina suæ ciuitatis perierunt. Dignum est enim, vt qui in præsenti vita spiritualiter circunciduntur, in meliorem circuncisionem, id est, immortalem, quę sanctis repromissa est, semper animum teneant. Vnde bene de domino, qui octaua die circuncisus est, adhuc subditur:

Et postquã impleti sunt dies purgationis eius secũdum legem Moysi, tulerũt illum in Ierusalem, ut sisterent eum domino, id est, sanctificarent.

Dominus Iesus Christus, qui non venit legem soluere, sed adimplere, non solum circũ- Matt. 5.
cisus est octaua die, cum nõ indigeret: sed etiam triginta & tribus diebus post hæc ab ingressu templi se abstinuit, iuxta ritum legis: non quod vllo modo purificari indigeret, qui nullius originalis peccati vinculo tenebatur astrictus, sed vt ostenderet, cum quanto studio & solicitudine euangelij præcepta obseruare debeamus, quando illa præcepta legalia quæ per seruum dederat, cum tanta diligentia obseruauit. Decretum nanq; legis erat, vt puer recens natus, octaua die circunciderετur, & tricesima tertia die post hæc vna cum oblatiõe sua in templo præsentaretur. Quod nulla necessitate, sed sola volũtate dominus voluit obseruare, vt ostenderet suis temporibus legem sanctam fuisse & bonam, & in seipso regulam nostræ religionis dignatus est demonstrare. In eo quod prius templum noluit ingredi, quàm circunciderετur & purificaretur, ostendit, quia ecclesiam intrare non possumus, nec corporis & sanguinis eius participes esse, nisi pri⁹ ab originalis peccati immunditia per baptismum simus pu-
rificati, iuxta illud quod ipse dicit: Nisi quis Iohan. 3.
renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest intrare in regnum dei. Adhuc iuxta sacratiorem intelligentiam, in eo quod prius templum ingredi noluit, quàm circunciderετur, & dies purificationis impleret, ostendit, quia in templo æternę beatitudinis, quod est in cælo, nequaquã intrabimus, nisi in pręsenti vita per pœnitentiam & bona opera fu-
erimus purificati, teste Propheta: Non habi- Psalm. 5.
tabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Et sicut per Paulum dicitur: Caro & sanguis regnum dei non possidebunt. Neque corruptio incorruptelam possidebit. Quia sicut dicit Augustinus de agone Christiano: Cæleste corpus erit, vbi nulla corruptio. Vel caro & sanguis, opera carnis & sanguinis intelliguntur, & eos dei regnum non possessuros, qui perseuerabiliter ista dilexerint. Quod in ipsius ma-

terialis templi constructione præfiguratum
est, quando lapides, ex quibus domus dei ędi
ficata est, alibi cæsi, & alibi deportati, in ædi-
ficatione inuenti leguntur, ita vt scriptum ē:
3. Reg. 6. Non est vox mallei audita neq; securis in do
mo domini, cum ædificaretur. Sicut enim Ie-
rusalem, quæ visio pacis interpretatur, cæle-
stem significat patriam, sic domus dei æternā
significat cum deo habitatiōem sanctorum, q̄
ædificatur ex lapidibus viuis & preciosis. i.
animabus sanctorum. De quibus per Isaiam
Isa. 54. prophetam dicitur: Lapides viui voluētur su
per terram, Et iterum: Ecce ego sternam per
ordinem lapides tuos, & fundabo te in sap-
phiris. De talibus Petr⁹ Apostolus dicit: Et
1. Pet. 2. vos tanquam lapides viui supædificamini do
mus spiritualis. Lapides ergo ex quibus do-
mus dei ædificatur, alibi ceduntur, & alibi in
ædificio ponuntur: quia animæ sanctorum
in præsenti vita per pœnitentiam & elee-
mosynas, & cordis compunctionem, atque
proximorum compassionem, purificantur &
quodammodo tribulationibus poliuntur, vt
in templo æternæ beatitudinis apti inueniā-
tur. In cuius domus ædificatione aptum se in
Psal. 26. ueniri optabat spiritualiter lapis, qui dicebat:
Vnam petij à domino, hanc requiram, vt in-
habitem in domo domini omnibus dieb⁹ vi-
tæ meæ: vt videam volūtatem domini, & vi
sitem templum eius. Cuius pulchritudinem
idem Psalmista admirans, ait: Quam dilecta
tabernacula tua domine, concupiscit & defi-
cit anima mea in atria domini. Verum si dili-
gentius verba legis scrutemur, inueniemus
non solum dominum Iesum Christum à iu-
go legis solutum, sed etiam sanctam eius ge
nitricem à vinculo legalis obseruantiæ esse li
beram. Sic enim legitur Leuitici duodecimo
de immundicia mulieris puerperæ, mundati
one & oblatione eius. Locutusq; est domin⁹
ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel, & di
ces ad eos: Mulier si suscepto semine peperit
Leui. 12. puerum, immunda erit septem diebus, iuxta
dies separationis menstruæ, & octaua die cir
cuncidetur infantulus, ipsa vero triginta tri-
bus diebus manebit in sanguinis purificatio-
ne. Omne sanctum non tanget, nec ingredie
tur in sanctuarium. Vbi considerandum est,
quia non ait, omnis mulier quæ pepererit pu
erum, immunda erit, sed quæ suscepto semi-
ne pepererit, ad distinctionem illius quæ nō
ex semine viri, sed ex obumbratione spiritus
sancti concepit & peperit filium dei. Illa e-
nim sola nulla immunditia tenebatur obnoxia
post partum, quam nulla immunditia præ-
cessit ante partum. Et ideo sicut dominus Ie-
sus Christus nulla necessitate, sed sola uolun
tate legem obseruauit, sic ei⁹ sancta genitrix.
non coacta, sed spontanea iugo legis se sub-
didit, vt ostenderet suis temporibus legem
sanctam & bonam fuisse. Quod vero sub-
iungit:

Sicut scriptum est in lege domini, qa omne masculinum adaperiens uul-uam, sanctum domino uocabitur.

Consuetæ narrationis ordinem secutus est
euāgelista. Ex eo enim tempore quo dñs pri
mogenita Aegyptiorum percutiens, filios
Israel de Aegyptia seruitute mirabiliter libe-
rauit, omnia primogenita eorum sibi offerri
præcepit, tam ex hominibus quàm ex iumē-
tis, non solum mundis, sed etiam immundis:
ita duntaxat, vt munda quæq; domino offer-
rentur, immunda vero aut mutuarentur mū
dis, aut occiderentur. Vnde in lege præcipi-
tur: Primogenitum asini mutabis oue, homi Exo. 13.
nis vero primogenitū precio redimebatur.
Cuius redēptio erat post vnū mensem quin
q; siclis argenti. Sic enim ait dominus Moy-
si: Præcipe filijs Israel, vt omnia sanctificent
mihi primogenita sua Mea enim sunt primo
genita eorum, pro primogenitis Aegyptio-
rum. Sed nunqd illa primogenita omnia san
cta fuerunt? Nunquid Achab sanctus, & illi
sancti fuerunt, qui cum ex primogenitis nati
essent, perdite vixerunt? Non. Sed omnia illa
primogenita figuram primogenitorum san-
cti sanctorū, id est, domini nostri Iesu Chri-
sti tenuerunt, qui vnigenit⁹ ex patre, primo-
genitus est ex matre: qui merito sanctus dici
tur, quia peccatum nō fecit, nec inuentus est
dol⁹ in ore eius. De quo per Psalmistam dr̄: Psal. 15.
Non dabis sanctum tuum videre corruptio-
nē. Mystice vero in hoc pręcepto nos cōmo
nemur, vt om̄ia primogenita nr̄a deo offera
mus, id est, quicquid bonum & iustum in no
stris operibus inuenimus, eius gratiæ, nō no
stris meritis reputemus, dicentes: Nō nobis
domine non nobis, sed nomini tuo da glori-
am. Si autem immundum aliquid parimus, id
est, si peccatum in opere perpetramus, aut oc-
cidamus malum quod latebat, & radicitus
euellamus, iuxta Apostolum, mortificantes
membra nostra quę sunt super terram. Et ite
rum: Non regnet peccatum in vestro morta Colos. 3.
li corpore. Aut certe mutuemus ea mundis,
declinantes à malo, & facientes bonū: vt sic-
ut exhibuimus membra nostra seruire im-
munditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita ser
uiamus munditiæ in sanctificatione. Nam
potest quis mortificare membra, & non face Roma. 6
re bonum, sed cum mortificans membra bo-
num facit, tunc mutuat vitium bonis. Siue vt
quidam tradūt, quia masculum & fœminam
mulier primogenitis parit, sed si masculum
pepererimus, id est, fortia virtutum, deo (vt
dictum est) offeram⁹. Si autem fœminam, id
est, immundam actionem in nostris operi
bus peperimus, aut mutuemus mundis, aut

redimamus quinque ficlis. Hominis ergo primogenitum, quia fine peccato esse non possumus, quinque ficlis argenti redimimus quando per quinque sensus corporis bona opera & dignos fructus pœnitētiæ facimus. Ex eo vero quod ait: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, hæretici occasionem sumere voluerunt, qui beatæ Mariæ virginitatem infamare cupientes, dixerunt eam ante partum virginem fuisse, & post partum virginem non permansisse. Quibus è diuerso respondere possumus & debemus, quia in humana natiuitate, non tunc primum mulier virginitatem amittit, quando filium parit, sed magis quando concipit, & ideo dei genitrix virgo permansit post partum, quia viri non cognouit ante partum. De cuius perpetua virginitate Iezechiel propheta dicit:
Iez. 44. Conuerti me ad portam domus domini, quę respiciebat ad Orientem. Et dixit dominus ad me. Porta hæc quam vides, clausa erit, & vir non transiet per eam, quia dominus deus Israel ingredietur per eam, & erit clausa principi. Quæ est enim ista porta in domo domini clausa, nisi Maria virgo intacta? Et quid ē, vir non transiet per eam, nisi quia Ioseph nō cognouit eam? Et quid est, quod domin' ingressus est per eam, & erit clausa principi, nisi quia dominus matri suæ sic contulit fœcunditatem, vt virginitatem non auferret? Dignum quippe erat vt cum deus homo fieret, non ex alia quàm ex virgine nasceretur, & virgo quæ pareret, non alium quàm dominum pepererit, & ideo sicut virgo ante partum fuit, sic virgo post partum permansit,
Cant. 4. Cuius voce sponsi in Canticis Canticorum dicitur: Hortus conclusus est soror mea spōsa, hortus conclusus & fons signatus. De cuius etiam integerrima ac perpetua virginitate Sedulius in carmine alphabeti pulchre cecinit, dicens: Beatus autor seculi, seruile corpus induit, vt carne carnem liberans, non perderet quos condidit. Clausa parentis viscera cælestis intrat gratia, venter puellæ baiulat secreta, quæ non nouerat. Domus pudici pectoris templum repente fit dei, intacta nesciens virum, verbo cōcepit filium. Enixa est puerpera, quem Gabriel prædixerat, quem matris aluo gestiens, clausus Iohannes senserat.

Et ut darent hostiam secūdum quod dictum est in lege domini, par turturum aut duos pullos columbarum.

In his verbis considerandum est, quia dominus Iesus Christus cum diues esset, pauper pro nobis fieri dignatus est, vt sua nos inopia diuites faceret, hic in fide, & in futuro cælesti regno. Præceperat enim dominus in lege Moysi, vt die qua infans præsentaretur in templo vna cum matre, non esset vacua manus parentis à munere, sed tam pro sua, quàm pro sobolis purificatione, offerret agnum anniculum immaculatum de grege. Quod si tam pauper esset, vt non sufficeret manus eius inuenire agnum de grege, offerret duos turtures, vel duos pullos columbarum. Hostia ergo hæc pauperum erat. Imitemur ergo nos dominum nostrum, & amemus spontaneam paupertatem, vt habentes victum & vestitum, his (iuxta Apostolum) contenti simus, vt impleatur in nobis, quod ipse in euangelio promittit, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Matt. 5. cœlorum. Ergo tam pauperes parentes elegit dominus, qui non haberēt agnum, quem pro eo offerrent, sed obtulerunt tantum par turturum, aut duos pullos columbarum. Sed quia superius commemorauimus, quomodo spiritualiter deo nostra primogenita offerre debeamus, hinc considerandum videtur, qualia munera pro emundatione nostra deo offeramus, iuxta spiritualem vero intelligentiam, in hoc præcepto nos commonemur, vt si de grege operum nostrorum agnum innocentiæ, vel principales virtutes inuenerimus, qualis est charitas, humilitas, eleemosynarum largitas, & cæt. deo offeramus, id est, quod digne viuimus, non nostris meritis reputemus, sed illius gratiæ, qui ait in euangelio: Sine me nihil potestis facere. Ipse enim Iohā. 15. dat velle & perficere. Si autem tam pauperes sumus, vt in opere nostro principales virtutes non inueniamus, offeramus saltem duos turtures, vel duos pullos columbarū, id est, duo genera compunctionis, timoris videlicet & amoris. Quod enim istæ duæ auiculæ pro cantu gemitus edere solent, luctum sanctorum significat, qui in conualle lachrymarum non solum pro suis suorumq; diluendis peccatis, sed etiam pro impetrandis virtutibus, quotidie deflent, dicentes cum Propheta: Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, Psal. 119. multum incola fuit anima mea. De quibus bene dicitur: Vnum pro peccato, & alterum in holocausto. Quia omnis peccator prius timore compungitur, & post amore. Cum enim quis mala opera sua ad memoriam reuocans, pœnas etiam inferni reminiscens, flere incipit, timendo ne ducatur ad pœnam, dicens cum Propheta: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo, quasi turturem Psalm. 6 vel columbam pro peccato offert. Cum vero ex longa consuetudine flendi, animus securitatem acceperit, & cœperit flere, non timens ne ducatur ad pœnam, sed quia tanto tempore differatur à regno, cantans cum Propheta, & dicens: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recor- Psal. 136.

daremur tui Sion, quasi turturem vel columbam in holocausto offert. Hoc ergo differt inter sacrificium & holocaustum, quia omne holocaustum sacrificium est, non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio enim pars pecudis offerebatur. Holocaustum vero, tantum incēsum est. Qui enim cor contritum & humiliatum deo spiritū pro peccatis offert, quasi turtures & colūbas in sacrificio immolat. Qui vero non timore gehennæ, sed amore æternæ vitæ flet, quasi turtures vel columbas in holocausto mactat, dicens cum Propheta: Holocausta medullata offeram tibi.
Psal. 65. Aliter vero per hæc duo genera auium, duas ecclesiæ accipimus vitas, actiuam scilicet & contemplatiuam. Hoc enim inter columbas & turtures interest, quia columbæ gregatim volant, vel gemunt, turtur vero adeo singularitatem diligit, vt si casu coniugem vel parem amiserit, de reliquo singularis perseueret. Vnde per columbas, qui gregatim volant vel gemunt, actiuæ vitæ societas designatur. De qua scriptum est: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Et iterum: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Per turturem quæ singularitatem diligit, contemplatiuæ vitæ dulcedo exprimitur, quæ remotis omnibus curis, soli meditationi & orationi insistere desiderat: quia quanto est sublimior, tanto vtiq; rarior. Solus enim Iacob luctamen cū angelo iniit, solus Moyses pauente procul populo, montem ascendit, solus Daniel fugientibus socijs inter angelos remansit, solus Iezechiel apertis cælis, super fluuium Chobar, quadrigam Cherubim vidit, solus Petrus in extasi mente raptus fuit, solus Paulus vsq; ad tertium cælum ductus fuit. Et ad comparationē actiuæ vitæ, raro inuenitur, qui hac dulcedine perfruat. Actiua vero vita offert deo sacrificium, contemplatiua holocaustum. Cū enim quis bene viuens, ad bene viuēdum alios hortatur, dicens: Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum
Gene. 32. Exo. 34. Denie. 2. Hez. 1. 5. 2. Cor. 12 Actu. 10.
Psal. 94. Et iterum: Venite adoremus & procidamus ante deum, ploremus coram domino qui fecit nos, quasi turturem vel columbam in sacrificio offert. Cum vero remotis omnibus curis & solicitudinibus, ea quæ cælestia sunt solūmodo contemplat, dicens cū Propheta: Ingrediar in locū tabernaculi admirabilis vsq; ad domum dei, quasi turturem vel columbam in holocausto offert. Et quia vtraq; istæ vitæ deo acceptæ sunt, non est diffinitum, vtrum ꝑ domino turtures, an columbæ sint oblatę, sed sic indifferenter dictum est: Obtulerunt pro eo domino par turturū, aut duos pullos columbarum.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon.

Quia dominus noster Iesus Christus oēm sexum & omnem ætatem liberare venerat, dignum erat, vt omnis ætas & sexus eius incarnationi testimonium perhiberet: & quia prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo, Simeonis senis & iusti persona introducitur, quem & longæua ætas idoneum, & iustitia sanctum fecerat, vt ex omni parte dignus esset testimonium domino perhibere, & impleret prophetia quæ dicit: Laudate dominum de cælis, laudate eum in excelsis, vsque ad id quod ait: Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini. Psal. 148

Et homo iste iustus & timoratus.

Iustus autem & timoratus dicitur, vt ad testimonium domino perhibendum idoneus inueniatur. Bene priusquam dixit iustus, addidit timoratus, id est, timore dei plenus, qa iustitia sine timore difficile custoditur. Illorū enim opera comitatur iustitia, quorum mentes timor dei illuminat, teste Psalmista qui ait: Beatus vir qui timet dominum, in mandatis eius volet nimis. Et iterum: Timor domini sanctus permanet in seculum seculi, iudicia dñi vera iustificata in semetipsa. Et alibi: Initiū sapientiæ timor dñi. Et Salomō: Qui timet dominum, nihil negligit. Iustus quippe erat, quia non solum suam, sed totius populi salutem quærebat.

Expectans consolationem Israel.

Consolatio Israel, id est, videntibus deum domini aduentus in carne fuit. Sancti enim patres, quos metus originalis peccati contristabat, per dominum incarnationem consolari credebant, & ideo prophetæ quotiescunq; domini aduentum prædicabant, non paruā consolationem credentibus exhibebant. Vnde Isaias cum domini aduentum prædiceret specialem consolationem populo intulit, dicens: Consolamini consolamini popule meus, dicit deus vester. Et iterum: Dicite pusillanimis, confortamini & nolite timere. Ecce deus vester, ipse veniet & saluabit vos. Hanc consolationem Simeon qui obediens interpretatur, expectabat, quem matura ætas de mundo vt exiret compellebat, cum propter desiderium videndi dñm in carne manebat. Isa. 40.

Et spiritussanctus erat in eo.

Bene dicturus euangelista de Simeone, quia spiritussanctus erat in eo, præmisit quod erat iustus & timoratus, quoniam in illorum cordibus deus habitat, qui timentes deum iustitiam seruent, sicut ipse per prophetam dicit: Super quem requiescam nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea? Et Isaie. 66

in euangelio: Si quis diligit me, sermonē meum seruabit, & pater meus diliget eum. Nec solum Simeonem spiritumsanctum dei habuisse credimus, sed etiam cæteros sanctos, qui domini incarnationem prædixerant, spiritumsanctum habuisse non dubitam⁹, teste aposto-
2.Pet.1. lo Petro, qui ait: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu dei repleti, locuti sunt sancti dei homines. Hinc Isaias ait: Spiritus domini super me, eo quod vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me. Et Dauid, qui dixerat: Audiā quid loquatur in me dominus deus, eius spiritum in se credebat esse, dicens: Spiritus tuus bonus deducet me in terrā rectā. Et sicut Apo-
1.Cor.7 stolus discipulis suis ait: Puto q̄d & ego spiritum dei habeam.

Et responsum acceperat a spiritusancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum domini.

Ab ipso scilicet spiritu, qui in ipso erat, inuisibiliter in corde responsum accepit, & intellexit quod non esset visurus mortem, nisi videret Christum domini natum. Ex qua responsione hoc intelligimus, q̄a iste senex Simeon sciebat vicinum esse tempus dominicæ incarnationis. Hoc enim senex quotidie in suis orationibus præcabatur, vt non exiret de hoc seculo, antequam videret natum, qui venerat redimere seculum. Vnde secundum suum desiderium respōsum accepit, quod non esset visurus mortem, nisi videret Christum domini. Nec solum Simeon desiderio videndi dominum flagrasse credimus, sed etiā oēs sancti, qui per spiritumsanctum eius incarnationem præuiderunt, eum corporaliter, si fieri posset, videre optauerunt, iuxta illud quod dominus loquitur, dicens: Dico vobis quod
Luc.10. multi prophetę & reges voluerunt videre, q̄ vos videtis, & non viderunt: & audire quę auditis, & non audierunt. Hoc desiderio flagrabat venerabilis senex Iacob, qui eum moriturus filios bñdiceret, ait: Salutare tuū expecta-
Gen.40 bo dñe. Hoc etiā amore ardebat Isaias, cum
Isa.64 dicebat: Vtinam disrumperes cælos & descēderes. Et Dauid eodem æstuans amore, aiebat: Domine, inclina cęlos tuos, & descende. Et vnus prophetarum hoc etiam ardebat a-
Mich.7. more, cum dicebat: Expectabo dominum saluatorem meum, & præstolabor eum dū prope est. Quæritur quare dicat, non esse visurum mortem, cum mors potius oculos claudat, quàm aperiat. Sed ad hoc dicēdum, quia videre in hoc loco, pro sentire vel experiri dicitur. Iste modus in scripturis vsitatissimus est, vt videre pro sentire vel experiri aliquando ponatur, sicut in euāgelio dominus dicit: Si q̄s diligit sermones meos, mortem non videbit in æternum. Et ideo quod dicit euangelista, i. non esse visurum mortem, tale est ac si diceret, & nō esse gustaturum in se vel sensurum mortem.

Et uenit in spiritu in templum.

Non putatur in extasi raptus venisse in tē-
plum, sicut Iohannes in Apocalypsi se in ex- Apoc.1
lo fuisse testatur, sed ab ipso spiritu commonitus, à quo responsum acceperat, intelligens horam esse impletam, qua videret dominum corporaliter venit in templum, vt desideriū suū ex visione dñi satiaret, & de eo multa coram testibus prophetaret. Vnde & subditur:

Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundū consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas.

Et ecce impleta promissio est spiritussancti, quia non solum videre dominum meruit, sed etiam portare in vlnis, id est, in brachijs. Et mira res. Portabat senex, à quo portabat. Magna hic domini est potestas, sed nec minor eius claret humilitas, quoniam quem cælum & terra capere non possunt, vnius hominis portabatur in vlnis. Ille portabat Christū in humanitate, à quo portabatur per diuinitatem, ferebat senex Christum infantem, qui illum regebat in senectute degentem. Felix q̄-dem Simeon, qui non solum videre, sed etiam Christum portare meruit in carne. Nec minus felices animæ, quæ non viderūt & crediderunt. Vnde dominus cuidam se palpanti ait: Quia vidisti me credidisti, beati qui nō Ioh.20.
viderunt & crediderunt. Typice Simeon senex mundum significat, qui cum post quinq̄ millia & eo amplius annos Christum natum agnouit, quasi in senectute puerum portauit. Accepit eum in vlnis, quibus nos onera portare solemus, vt discamus tollere sup nos iugū Christi i. leue, & onus eius suaue. Portat autem spiritualiter ecclesia in bonis operibus, quem Simeon portauit corporaliter in manibus: quia per manus & brachia, opera intelliguntur, monente Paulo apostolo, ac dicēte: 1.Cor.6
Glorificate & portate dominum in corde vestro. Vnde fideles in ista die missarum solennia celebrantes, luminaria in manibus deferunt, illud ineffabile lumen recolentes, quem Simeon hodierna die portauit in manibus. Figurate autem cū senex portat, innuit nobis vt veterem hominem cum actibus suis exuentes, portemus & induamus nouum. i. Christum, vt quodammodo de senectute damnabili ad spiritualem infantiam redire possim⁹, iuxta illud Apostoli: Nox, id ē, Infidelitas pręcessit, dies autem appropinquauit. Quam au- Rom.13.
tem magnitudinem cognouerit Simeō in eo quem paruum esse videbat, manifestatur cū subditur:

Et benedixit deum.

Benedixit autem deum, non quod homi-
nis benedictio aliquid deo conferre possit, à
quo omnis benedictio procedit, dicente Apo
stolo: Benedictus deus & pater domini no-
Ephe.1. stri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni
benedictione spirituali in cælestibus in Chri
sto, sed sic dicitur, benedixit deum, quasi di-
catur, bene laudauit dominum, vel bene de
eo dixit, siue digne de illo & bene propheta-
uit. Nam consuetudo sanctorum est, deum
semper benedicere, siue in prosperis, siue in
aduersis, dicentes cum Psalmista: Benedicam
dominum in omni tempore, semper laus ei⁹
in ore meo. Quid autem benedicens dicat au
diamus:

Nunc dimittis seruū tuum domine, secundum uerbum tuum in pace.

In quibus verbis ostendit, quia non ob ali
ud manere volebat in seculo, nisi vt dominū
videret natum, quem mox vt vidit, mox vt
portauit, vt ore laudauit, exiliens gaudio, q̄si
licentiam de mundo egrediendi postulans,
benedixit: ⌊Nunc dimittis seruum tuum do
mine, secundum verbum tuum in pace.⌋ Acsi
diceret: Quia video pacem, dimitte me in pa
ce, in illam s. quam commendaturus erat disci
pulis, dicens: Pacem do vobis, pacem relin-
Iohā.14 quo vobis. Sciebat enim se de laboriosa vita
ad locum pacis & quietis trāsiturum, ex quo
post domini resurrectionem peruenturus es
set ad cælestem regionem. Nec solum Sime-
on ab hac vita ad alium transire concupiuit,
sed etiam plures sanctorum ad hanc perfecti
onem peruenerunt, vt sarcinam carnis depo-
nerent, quatenus in sinu Abrahę. i. ad requiem
optarent transire, & aduentum eius postula-
rent, qui eius ianuam vitæ cælestis aperiret,
sicut Idithun transilitor cupiditatum, cum ma
la mundi crescere cerneret, incalescens ani-
Psal.138. mo, ait: Notum fac mihi domine finem meū,
& numerum dierum meorum quis est vt sci-
am. Et iterum: Ecce veteres posuisti dies me-
os. Et Dauid: Ne reuoces me in dimidio die-
rum meorum, in generatione & generationē
&c̄. Iam vero noui testamenti patres, tāto se-
curius ab hac vita exeunt, quanto sibi aliam
vitam pręparatam esse certius credunt, quod
perfectorū est agere. Qualis erat Paulus Apo
stolus, qui pro bonis operibus securus dice-
bat: Cupio dissolui & esse cum Christo. Dis-
solui enim & cū Christo esse, multo melius:
permanere autem in carne, necessarium pro-
pter vos. i. propter discipulos. Et iterum: Dū
2.Cor.5 sumus in in corpore, peregrinamur à domi-
no. Quare autem Simeon dimitti se optaret,
manifestat, adiungens:

Quia uiderūt oculi mei salutare tuū.

Salutare dei, Iesu est. Nam vbicunq; apud
nos saluator siue salutaris legitur, in Hebręo
Iesus habetur. Quod vero subditur:

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Manifestum est, quia salutare dei. i. Chri-
stum oēs populi in carne videre non potue-
runt: quia tm̄modo in Iudęa per semetipsum
prædicauit. Sed ante faciem omnium populo
rum præparatum dr̄, quod per prædicationē
apostolorum ad notitiam peruenit omnium
populorum, sicut scriptum est in euangelio: Mar.15.
Illi autem profecti prædicauerunt vbiq;, im-
pleta prophetia, quæ dicit: In omnem terram
exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ
verba eorum. Et iterum: Nō sunt loquelæ ne Psal.18.
que sermones, quorum non audiantur voces
eorum. Siue aliter ante faciem omnium popu
lorum salutare dei paratum dicitur, quia in iu
dicio omnibus apparebit, nō solum iustis, sed
etiam iniustis, sicut scriptum est: Et videbit o- Luce.3.
mnis caro salutare dei nostri. Et Iohannes in
Apocalipsi: Et videbit eum omnis oculus, &
qui eum pupugerunt, & plangent se super eū
om̄es tribus terrę. Ad quid aūt dn̄s in primo
aduentu venerit, declaratur cum subinfertur:

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Salutare quippe dei, lumen gentium fuit,
quia gentes quæ sedebant in tenebris & vm-
bra mortis, per eius aduentū illuminatę sunt, Isaie.9.
impleta prophetia Isaiæ, dicentis: Populus gē
tiū qui ambulabat in tenebris, vidit lucē ma-
gnā. Habitantibus in regione vmbrę mortis,
lux orta ē eis: Vn̄ ipse in euāgelio dicit: Ego
sum lux mūdi, q sequit̄ me, nō ambulat in te-
nebris, sed habebit lumē vitę. Gloria q̄q; Isra
eli salutare dei fuit, qui alijs, qui ex Israel cre
dere in eū voluerunt, magna gloria facta est,
quando ex eorum stirpe dei filius carnem as
sumere dignatus est: quia inter eos docuit, &
suis miraculis eos sacrauit: sed quia rari ex Iu
dæis, & multi ex gentibus in eum credituri
erant, ante gloriam Israel, reuelationem gen
tium præmisit. Quod etiam Psalmista fecisse
legitur, qui cum domini aduentum in carne
prophetasset, dicēs: Notum fecit dominus sa- Psal.67.
lutare suum, in conspectu gentium reuelauit
iustitiā suā, subiecit dicēs: Recordatus est mi-
sericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel.

IN EPIPHANIA DOMINI. Matthæi secundo.

In illo tempore: Cum natus esset Ie-
sus in Bethleem Iudæ, in diebus He-
rodis regis. Et reliqua.



N capitulo huius lectionis, tria sunt quæ nobis beatus Matthæus euangelista commēdat, personam scilicet nascentis, locum natiuitatis & tempus. Decebat enim, vt in illa domini natiuitate nihil autoritatis deesset. Personam ergo ostendit, cum ait:

Cum natus esset Iesus: locum, cum subiunxit: In Bethleem Iudæ: tempus cū infert: In Diebus Herodis regis.

Bene autem, postquam dixit Bethleem, addidit Iudæ, ad distinctionem alterius Bethleem, quæ esse in Galilæa, ex libro Iesu Naue cōprobatur. Pulchre ergo dominus in Bethleem nasci voluit. Bethleē quippe domus panis interpretatur, eo quod ibi pauerit Iacob patriarcha pecora sua, imponens ei nomen Bethleem, ob futuræ significationis mysterium, quæ prius Ephrata vocabat. Locus nanque in q̄ dominus nasciturus erat, ante Bethleem vocatus est, quia futurū profecto erat, vt verus panis ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes æterna satietate reficeret, ipse scilicet qui ait in euāgelio: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Et de quo per Psalmistam dicitur: Panem de cælo
Psal. 77. dedit eis. Et, Panem angelorum manducauit homo. De quo etiam pulchre Sedulius cecinit, dicens: Christus erat panis, Christus petra, Christus in vndis. Recte etiam in diebus Herodis nasci voluit, vt impleretur prophetia Iacob, dicentis: Non auferetur sceptrū de
Gen. 49. Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ex quo enim de Aegypto ascenderunt, suæ gentis principes, reges & duces habuerunt. Iam vero deficientibus principibus ex Iuda, primus ex alienigenis Herodes regnum Iudæorum arripuerat. Cuius quia se mentio intulit, qualiter ad Iudaici regni apicē peruenerit, breuiter commemorandum videtur. Cum enim hi qui de Marathię stirpe descenderant, per aliqua annorum spatia ducatum regni Iudęorum tenuissent, peruenit tandem potestas ad quendam virum, ex eorum stirpe genitum, nomine Alexandrum. Qui cum post aliquod tēpus obijsset, reliquit vxorem cum duobus filijs paruulis, quorum vnꝰ Aristobolus, alter Hyrcanus vocabatur. Qui cum adulti essent, desiderio regnandi iurgia inter se habere cœperunt. Erat tunc quidam vir nomine Antipater, fortis viribus, facultate ditissimus, ex Herode quodam genitus, qui in templo Apollinis æditus erat. Hūc ergo sibi Hyrcanus in amicitiam & societatem cōtra fratrem vocauit. Cumq; eum non solum armis, sed etiam in facultatibus adiuuaret, etiam vt Romanorum ducū auxilium peteret, perdocuit, eo quod tunc Romani præ cæteris hominibus, in ordinandis regni negotijs, fide & sapientia atq; fortitudine præcelleret. Et quia longum est ire per singula, cum Aristobulus à Romanis captus, Romam sub custodia duceretur, ducatus regni Iudaici ad Hyrcanum peruenit. Tunc memor beneficij ab Antipatro sibi collati, eum in amicitiam & socium coluit, intantum vt procurationem alicuius partis Iudaici regni ei sub se cōmitteret. Habuit vero idem Antipater vxorem Cipridem nomine, ex Arabia generatam, ex qua sumpsit filios, quarum vnum Phaselum, alterum Herodem nominauit. Cumq; longo confectus senio, vitam finisset præsentem, potestatem, quam ab Hyrcano in Iudæis acceperat, Herodi filio suo reliquit. Qui cum callidus & cautus animo strenue ea quæ ad se ꝑtinebant agere cœpisset, Hyrcani neptē Aristobuli filiam in coniugium suscepit. Cum vero post aliquod tempus Hyrcanus in prælio, quod contra Arabas sumpserat, captus esset, etiam exilio detentus est. Et tunc primum Herodes, quasi vice illius, potestatem illius obtinuit. Sed cum post aliquod tempus Hyrcanus amputatis auribus Iudæam reuerteretur, simulauit se idem Herodes eum in pace suscipere: sed postea cū eum fraude necasset, fraudulenter potestatem illius obtinuit, & primū à Cassio Romanorū duce, postea ab ipso imperatore potestate accepta, regnum Iudæorū sibi subiugauit. Hac igitur fraudulentia primus ex alienigenis Herodes, regnum sub sua potestate Iudæorum accepit, quo regnāte dominus Iesus Christus secundum prophetas prædictus, natus in Bethleem oppido Iudæ. Quia enim deficiētibus principibus ex Iuda, alienus & extraneus atq; falsus regnum Iudæorum arripuerat, instabat tempus quo verus rex nasceretur, cuius tertiadecima die natiuitatis magi ab oriente venerunt Hyerosolymam, dicentes:

Vbi est, qui natus est rex Iudæorū? Vidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum.

Et bene ab oriente veniebāt, qui orientem quærebant, ipsum scilicet de quo scriptū est: Ecce vir oriens nomen eius. Et iterum: Visitauit nos oriens ex alto. Non autem casu, sed Luc. 1. diuina dispensatione actum est, vt magi regem natum primū Hierosolymæ quærerent, quæ est metropolis ciuitas Iudæorum, vt scilicet ipsi locum natiuitatis à Iudęis discerent, & Iudæi ab ipsis regem suum natum audirēt: & si cum ipsis ad adorandum pergerent, saluarentur: si autem pergere nollent, inexcusabiles essent. Sed ipsi locum natiuitatis ex suis libris alijs ostenderunt, sed tanq̄ stulti & cæci in tenebris permanserunt. Factiq; sunt illis

quasi lapides in militario, qui itinerantibus vi
am ostendunt, sed tamen eis pertrāseuntibus
stolidi & immobiles permanent. Ita quidem
& Iudæi alijs locum natiuitatis Christi ostē-
derunt, sed in se stupidi remanserunt. Quæ
autem hic ab euangelista Hierosolyma voca
ta est, ipsa est ciuitas quæ à Sem filio Noe ędi
ficata, primum dicta est Salem, postea vero
propter habitatores Iebusæorum appellata
est Iebus. Vnde & ex vtrisq; compositum est
nomen eius Ierusalem. Temporibus vero Sa
lomonis regis, eius sapientia & decore am-
pliori honore exaltata, dicta ē Hierosolyma,
quasi Hierosolomonia. Vnde quidam metri
corum ait: Hiero quem genuit Salomonia re
gem. Suis quoq; verbis magi eum quem q̄-
rebant, hominem regem, paritér'q; deum fa-
tebantur. Hominem quippe quęrere se osten
dunt, cū dicunt: Vbi est qui natus est? re-
gem, cum subiungunt, rex Iudæorū. Eun
dem'q; deum esse confitentur, cum subijciūt:
Vidimus enim stellam eius in oriente, & ve-
nimus adorare eum. Sed forte quærit aliquis,
quæ ista sit differentia, vt magis in oriente na
tiuitatis domini index stella appatuit, cū an-
gelus in Iudæa eandem natiuitatem pastori-
bus nunciauerit. Ad quod rñdendū est, quia
dignum fuit vt pastoribus, qui Israelitæ erāt,
& deū cęli cognoscebāt, rationalis creatura .i.
angelus appareret, qui eos de natiuitate dñi
instrueret: magis vero, tanq̄ gentilibus & ra-
tione carētibus, irrationalis creatura stella ap
pareret, quæ insolito fulgore coruscans in cę
lo, regem cæli in terris natum ostenderet, &
ita fieret, vt & illi per angelum, & isti per stel
lam admoniti, ad angularem lapidem curre-
rent, & ex vtroq; populo vnum parietem fa-
cerent, ab illo coniuncti, de quo ait Aposto-
lus: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnū,
Ephe. 2. & medium parietem copulauit, dissoluēs ini-
micitias in carne sua, & veniens euangeliza-
uit pacē his qui lōge, & q prope sunt. Sed for
te interrogat aliquis, vtrū hæc stella in cælo
sidereo permaneret, sicut & cæteræ, vel p aë-
rem, an per terram discurreret. Ad quod di-
cendum, quia neq; in cælo sidereo fixa erat,
neq; in terra, sed per aëra discurrebat, vt dux
& præuia magorum vsq; ad natum puerum
esset. Sed neq; antea fuisse credit̄, neq; postea
permansisse, sed cum nouus homo natus est
in mundo, nouū sidus apparuit in cælo. Oīa
enī elementa creatorem suū in mūdo venisse
cognouerunt. Cęlum cognouit, quia mox eo
Mat. 27 nato, stellam nouam misit: mare cognouit, qa
sub plantis eius se calcabile præbuit: sol co-
gnouit, quia in eius morte radios sui luminis
abscondit: saxa & lapides cognouerunt, quia
eo moriente scissæ sunt: terra cognouit, quia
eo resurgente contremuit. Sed quem irrati-
onales creaturæ cognouerunt, dura & stulta
corda Iudæorum adhuc nō cognoscunt. Sed
illud prætermittendum non est, quia fuerūt
Priscillianistæ hæretici, qui dixerunt vnum-
quenque hominem sub fato stellarum nasci,
hoc in adiutorium sui erroris assumere vo-
lentes, quia mox vt dominus natus est, eius
stella in oriente apparuit. Quibus ē diuerso
nos respondemus, quia non puer ad stellam,
sed stella ad puerum venit: si liceret dici vllo
modo, magis puer fatum stellę, q̄ stella fatum
pueri crederetur. Dicebant autem, quod qui
sub signo nascebantur Libræ, trapezitas esse
futuros, plurimæ autem gentes sunt, quæ tra
pezitas non habent, & tamen sub eodem si-
gno multi homines, sicut in alijs regionibus,
nascuntur. Dicebant etiam eos qui sub signo
Aquarij nascebantur, piscatores esse futuros,
cum sine dubio multi homines sub eodem si-
dere, sicut in cæteris regionibus, nascantur,
qui piscatores non sunt. Nam in Francia plu
rimarum'q; gentium regnis, reges ex origine
succedere solent, & nullus ignorat, quia sub
eodem signo, & eadem hora qua filius regis
nascitur, multi ex seruili conditione in eodem
regno sub eodem sidere nascūtur, & tñ filius
regis cum adultus fuerit, regni dignitate sub-
limatur, cum illi qui cum eo nati sunt, vsq; ad
mortem in seruitute permaneāt. Sed ne par
ua hæc ad Priscillianistarum hæresim destru
endam videantur, etiam scripturæ sacræ auto
ritatem adhibeam⁹. Legimus enim, quia vna
eadem'q; hora, ex ijsdem visceribus Rebecca
mater duos filios habuit, Esau scilicet & Ia- Roma. 9
cob, & tamen vnus electus alter vero repro-
batus, dicente domino: Iacob dilexi, Esau au-
tem odio habui. Si autē fatum esset, aut vter-
que electus, aut vterque esset reprobatus. Ex
quibus omnibus cognoscimus, quia non fa-
talis accidentia, sed diuina prouidentia homi
num vitam ordinat atque disponit. Sed so-
lent ad hæc mathematici obijcere, quia con-
stellatio fatalis in ictu pungentis fiat. Qui-
bus nos econtrario respondemus, quia ho-
mo non in ictu nascitur, sed nascendi moras
agit. Et si fatum credendum esset, tot coge-
rentur credi fata, quot sunt hominis mem-
bra. Non ergo stella quæ in oriente apparu-
it, natum puerum aliquid iuuit, sed indicium
nascentis fuit, atque sua coruscatione magorū
mentes, ad quærēdum eum qui natus fuerat,
illuminauit. Forte etiam quærit aliquis, qui
isti magi fuerunt, vel ex qua gente venerunt,
qui natum puerum tam solicite ad adorandū
quæsierunt. Cui nos diuersorum opiniones
de his adhibemus, vt eligat quod salubri-
us iudicauerit. Nonnulli enim dixerunt eos
ex Tharso vel Arabia aduenisse, & in his im
pletam volunt esse prophetiam ad literam,
quæ dicit: Reges Tharsis & insulæ munera
offerent, reges Arabum & Saba dona addu-

Isai. 60. cent. Et iterum: Omnes de Saba venient aurũ & thus deferentes, & laudem domino annunciantes. Alij dixerunt, ex Persarum regione eos venisse, sicut quidam de sapientibus dicit: Tunc iubet & Persas celeres ptendere gressus. Plerique autẽ arbitrati sunt eos Chaldæos fuisse, quia Chaldæi stellas cæli deos esse putauerũt, & in arte astronomica peritissimi fuerunt. Alij etiam dixerunt, ex stirpe Balaã prophetæ eos descẽdisse, qui mox vt nouam stellam viderunt, regem natum intellexerũt, & recolentes propheciam Balaam, dicentis:
Nu. 24. Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel, & dominabitur gentium, primi cũ muneribus ad adorandum eum festinauerunt. Sed tamen qui quilibet horum fuerunt, sciendum est, quia primitiæ gentium fuerunt, & gentes in Christum credituras signauerunt. Bene autem tres magi fuisse dicuntur, quia gentilis populus ad fidem veniens, indiuiduã trinitatem deũ confiteri didicit. Siue tres fuerunt, quia qui deum adorant, tres principales virtutes habere debent, fidem, spem, charitatem. Siue certe tres fuerunt, quia qui deũ videre desiderant, cogitationem, locutionem & operationem suam obseruare debent à malis: & memoriam, intellectum, & voluntatem occupare in bonis. Vel certe tres magi cum tribus muneribus venerunt, quia gentilis populus ad fidem veniens, tres naturales virtutes secum detulit, physicam scilicet, ethicam & logicam, id est, naturalem, moralem & rationalem.

Audiẽs autẽ Herodes rex, turbatus est & omnes Hierosolyma cum illo.

Herodes (vt diximus) qui fraudulenter & callide regnum obtinebat Iudæorum, mox vt regem Iudæorum audiuit natum, metuẽs successorem, conturbatus est animo, timens vt quod iniuste tenebat, iuste amitteret, non intelligens quia ille non venerat vt tolleret regnum terrenum, sed vt credentibus cõferret æternum. Sed quia non solum Herodes, sed etiam omnis Hierosolyma cum illo turbata esse dicitur: sciẽdum est, quia ex vna magorum interrogatione, non omnes vno modo turbati dicuntur. Alij enim turbabantur propter inuidiam, sicut Herodes: alij propter timorem, vt Iudæi, qui audientes regem quæri Iudæorum, occasionem sibi aliquam nascẽdam metuebant, tam ex parte Herodis, quàm etiam ex Romanorum: alij vero nec propter inuidiam, nec propter timorem, sed pro solo gaudio turbabantur. Qualis erat Simeon senex, & Anna vidua, & cæteri tales, qui spiritusancto reuelante didicerant vicinam esse Christi natiuitatem. Sed cum audissent factum, quod totis votis desiderabant, præ nimia lætitia turbabantur. Quod enim præ magno gaudio humana mens soleat conturbari, exemplo Petri discimus, qui cum vidisset dominum in monte clarificatum, conturbatus est, nesciens quid diceret.

Et conuocans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

In eo autem quod Herodes, noui regis natiuitate audita, sacerdotes & scripturarũ magistros interrogauit, imitabile nobis exẽplũ reliquit, vt quoties aliquid nouum in ecclesia oritur, semper ad autoritatem scripturarum recurramus, propter illud quod scriptum est: Omnia cum cõsilio fac, & ea respondeamus, quę patres nostros respondisse vel tenuisse cognouerimus, & iuxta vocẽ Salomonis: Non transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri, sed impleamus illud quod per Ieremiam prophetam dicitur: State
Iere. 6. super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit bona via, & ambulate in ea. Sed sacerdotes & scribæ requisiti ab Herode, vbi Christus nasceretur, quod legerant & didicerant, responderunt, dicentes:

In Bethleem Iudæ, confirmantes hoc autoritate prophetica, dicentes:

Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda.

Non solum enim quia Christus nasceretur nouerãt, sed etiam vbi Christus nasceretur. Quoniam spiritussanctus, vt omnem occasionem non credendi auferret, non solum Christum per prophetas nasciturum prædixit, sed etiam locum vbi nasciturus erat designauit, dicens per Micheam: [Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es, &c.] Acsi diceret, O Bethleem quæ es in terra Iuda, videris in multitudine populi minor, in amplitudine murorum angustior, altitudine turrium humilior, sed nequaq̃ minima eris. Quare?

Quia ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel.

Vnus iam ex te egressus est, sed alter egredietur. Egressus est Dauid filius Iessæ, temporaliter nascens, & temporaliter moriẽs: egredietur filius dei ex Mariæ virginis vtero temporaliter nascens, sed æternaliter permanens: egressus est Dauid decorus & pulcher, sed egreditur speciosus forma præ filijs hominum: egressus est Dauid, regnum Israel rationabiliter ad tempus gubernans: & egredietur filius dei, qui Israel videntẽ deum, & hic ab incursione dæmonum spiritualibus armis defendet, & in futuro ad cælestis regni pascua perducet.

Tunc Herodes clam uocatis magis, diligēter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.

Postquam Herodes locū natiuitatis Christi autoritate scripturæ didicit, ad callidas insidias animum conuertit, tractans quomodo occulte eum perdere posset, quem palam audierat quærere. Vocatisq; clam magis, id est, occulte, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Quod scilicet ideo fecit, vt si magi ad eum non redirent, quod postea contigit, ab illo tempore quo regem Iudæorum natum audierat, omnes pueros in Bethleem interficiēs, eū quē metuebat, interficere posset, non intelligens stultus, qā nō est sapientia, non est prudentia, non est consiliū contra dominum.

Et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite, & interogate diligenter de puero. & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorē eum.

In eadem calliditate qua Herodes fraudulenter regnum Iudæorum arripuerat, etiam in domini nece perseuerauit, promittens se adorare, quem disponebat occidere. Cuius exemplum simulatores, id est, hypocritę modo sequuntur, qui dum speciem sanctitatis ostendunt exterius, quam non habent interius, deum quem ficto corde quærunt eum Herode, inuenire non merentur: quia sicut prope est dominus omnibus inuocantibus se in veritate, ita longe est à peccatoribus salus. Vnde bene idem Herodes pelliceus siue pellis gloria interpretatur, quia cum hypocritæ exterius quasi de bono opere gloriari appetunt, interiori versutia fœdi pariter & sæui sunt, iuxta illud quod ait dominus: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matt. 7.

Qui cum audissent regem, abierūt.

Non casu contigit, sed nutu dei actum est, vt stella quæ magorū præuia fuerat, appropinquantes eos ad Herodem relinqueret, quatenus ipsi Iudæis Christum natum nunciarent, & ab eis locum natiuitatis autoritate scripturę discerent. Sed cum ab Herode recessissent, Ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos sicut prius, vsq; dum veniens staret supra vbi erat puer. Discimus ergo per hanc stellam gratiam domini non incōgrue figurari, & per Herodem, diabolum. Ingredientibus ergo magis ad Herodem, stella eos reliquit: quia eos qui seruitio diaboli se subdunt, diuina gratia deserit. Sed si ab Herode egressi fuerint, si per pœnitentiam iugum diaboli à ceruicibus suis excutientes, deum quærere cœperint, iterū diuina gratia eis apparebit, iterum eos illuminabit, iterum viam qua dñs inueniatur, demonstrabit. Et solet cōtingere, vt maiori lætitia exultet anima, cū gratiam dei receperit post peccatum, q̄ gauderet in eius perceptione ante peccatum, sicut dñs in euangelio de oue perdita & inuenta similitudinē exponēs, ait: Dico vobis, gaudiū erit in cælo sup vno peccatore pœnitentiā agente, q̄ supra nonagintanouē iustis, qui non indigent pœnitentia. Et de reuersione prodigi filij, cum maior filius contristatus esset, voce patris audiuit: Oportet te fili gaudere, qā frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat & inuentus est. Vnde bene nunc de magis dr: Luc. 15

Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrātes domum, inuenerūt puerum cum Maria matre eius.

Nulli dubium est, quod stella, quæ in oriente magis regem Iudæorum natum ostenderat, certum signum & indicium stando supra domum vbi erat puer, dederit, scilicet vt ipsum sine dubio esse agnoscerent, quem in oriente positi natū in Iudæa didicerant. Nam quàm magnum eum in corde tenuerint, quē videbant esse paruum, manifestatur cū subiungitur:

Et procidentes adorauerunt eum.

Quem enim demissis in terram vultibus adorauerunt, sine dubio eum deum crediderunt. Et quia eum pro nobis hominem factū mortalem intellexerunt, mysticis muneribus hunc deum, regem, pariterq; hominem prædicabant. Vnde & subditur:

Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

Aurum regi conuenit, thus in dei sacrificio offertur, myrrha mortuorum corpora cōdiuntur. Omnia enim hæc sancta fides veraciter Christo offerre nōn desinit, dum vnum eundemq; verum deum, verum regem, verumq; hominē credit, & vere pro nobis mortuum veraciter recognoscit. Cum ergo magi vnum eundemq; puerum deum regem pariterq; hoiem credebant, simul ei auru, thus & myrrham offerebant. Fuerunt autem nōnulli hæretici, qui ei aurum & thus obtulerunt, sed myrrham offerre noluerunt, quia deum vbiq; regnantem crediderunt, sed hoiem factum credere despexerūt. Itē: fuerunt alij, q ei solummodo myrrhā obtulerūt, auū & thus offerre noluerunt, quia purum hoiem tātum crediderunt, sed diuinitatē in eo nō intellexerunt. Sed nos istorū exempla refugientes, offeramus regi nr̄o auū, vt eum vbiq; regnātem

credamus: offeramus & thus, vt eum verum deum & creatorem omnium, sine initio existentem cõfiteamur: offeramus eidem & myrrham, vt propter salutem nostram mortale corpus eum assumpsisse non dubitemus. Aliter, apertio thesaurorum, præcordia significat sanctorum. Per aurum enim nitor eloquij de
Prou.21. signatur, Salomone dicente: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Per thus, quod in sacrificio dei offertur, oratio munda cum compunctione cordis: per myrrham, q̃ mortuorum corpora condiuntur, vitiorum mortificatio exprimitur. Nos igitur toties regi nostro munera offerimus, quoties secretũ præcordiorum nostrorũ in eius laudibus occupamus, sicut per Psalmistam dicitur: In me
Psal.55. sunt deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Apertis autem thesauris aurum ei offerimus, cum omne quod digne sapimus & loquimur, in eius gratia reputamus. Quasi thus offerimus, cum in oratione nostra cor contritum & spiritum humiliatum exhibemus, dicentes cũ Psalmista: Dirigatur oratio mea sic-
Psal.140 ut incensum in conspectu tuo. Quasi myrrhã offerimus, cum pro eius amore carnis nostræ desideria mortificamus, implentes illud quod
Col.3. ait Apostolus: Mortificate mẽbra vestra quæ sunt super terram, id est, fornicationem, immunditiam, auaritiam & his similia.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.

Ne suam crudelitatem Herodes callide in puerum implere posset, eius insidias præuenit angelus, monens magos in somnis, ne redirent ad Herodem. Sed imitabile nobis exemplum magi in suis actibus reliquerunt, cũ per aliam viam in regionem suam reuersi fuerunt. Regio enim nostra propria, paradisus est, quia ad hoc conditi fuimus, vt si primus homo non peccasset, sine morte corporis paradisi gaudijs frueremur. Qui ergo ab illa p̃ peccatum cecidimus, necesse est, vt per pœnitentiam quasi per aliam viam ad eam redeamus, vt qui cecidimus superbiendo, inobediendo, vetita gustando, per aliam viam ad eam redeamus, id est, humiliando nosmetipsos, obediendo, & non solum ab illicitis, sed etiam à licitis abstinendo, quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ. Iohannis I.

In illo tempore: Vidit Iohannes Iesum uenientẽ ad se, & ait: Ecce agnus dei. Et reliqua.



IN huius lectionis breuitate cõsiderãdum est, quàm latissime trinitatis essentia inseparabilis nobis commendetur. Cum enim filius baptizatur, patris vox audítur, spiritussanctus in specie columbæ videtur, vna deitas in substantia, trina in personis declaratur. In quo loco etiam præcursoris domini sanctitas commendatur, qui homo ex hominibus natus, per diuinã gratiam ad tantam celsitudinem est perductus, vt nõ solum filium dei in forma hoīs baptizaret, sed etiã patris vocem desuper intonãtem audiret, & spiritumsanctum in specie columbæ videret. Sed cuncta per ordinem videamus.

Vidit, inquit, Iohannes Iesum uenientem ad se.

Visio enim ista non solum ad corporales oculos pertinere putanda est, sed etiã ad spirituales. Vidit ergo eum corpore ambulantem, sed intellexit in eo diuinitatem manentem. Et ideo exclamauit, dicens:

Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Acsi diceret: Ecce innocens inter peccatores, iustus inter reprobos, inter impios pius: quia etsi veram humanam carnem traxit ex Adam, nullum tamẽ peccatũ ex origine sumpsit Adæ, ideo potens est tollere peccata mũdi. Quia cum esset homo inter homines, in eo vestigium peccati nulli potuit inueniri: q̃m vt ait Petrus apostolus, Peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Agnus enim dominus dictus est, nõ per naturam, sed per figuram, quia sicut agnus pro peccatis populi in sacrificio offerebatur, ita offerens se pro nobis hostiam patri in odorem suauitatis, peccatorum nostrorum maculas suo sanguine lauit, sicut per Iohannem dicit in apocalypsi: Apoc.1.
Qui dilexit nos, & lauit nos à pc̃tis nostris in sanguine suo. Cuius typum & figuram ille agnus paschalis in veteri testamento tenuit, qui ob recordationem liberationis Israel, per singulos annos in pascha iussus est immolari, illum nimirum agnum significãs, cuius sacram passionem Isaias prædicens, ait: Sicut Isaie.53.
ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & nõ aperiet os suum. Iste est enim ille agnus, de quo Iohannes ait in apocalypsi: Vidi agnum quasi occisum, habentem cornua septem & oculos septem. Apoc.5.
Et iterum: Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, qui empti sunt de terra. Quo autem ordine agnus iste peccata mundi tollat, Petrus apostolus insinuat, cum dicit: Non corruptibilibus auro & argento re- 1.Petr.1.
dempti estis de vana vestra conuersatione pa

ternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi. Nec tunc solum dominus peccata mundi tulit, cum se singularem hostiam pro mundo obtulit, sed etiam quotidie tollit peccata mũdi, cum per communionem corporis & sanguinis sui, fidelium animas à peccatorum maculis abluit, iuxta quod ipse eiusdem corporis & sanguinis sui mysterium discipulis tradens, ait: Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effun-
Marc. 14 detur in remissionem peccatorum Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in meam commemorationem. Sed quale testimonium suus p̄cursor domino perhibeat, audiamus:

Hic est enim de quo dixi: Post me uenit uir, qui ante me factus est.

In quibus verbis humanam pariter & diuinam naturam ostendit, cum ait: ⌊Post me venit vir, qui ante me factus est.⌋ Ac si diceret: ⌊Post me venit,⌋ q̃a post me natus, post me prædicare incipiet. ⌊Ante me fact⁹ est,⌋ quia mihi dignitate prælatus est, ante enim in scripturis nõ semper ad tempus refertur, sed aliquãdo ad dignitatem, sicut de Ioseph filiis legitur: Posuit Ephraim ante Manassen, id ẽ,
Gen. 48. amplioris gratiæ & dignitatis eum futurum ostendit: siue certe quod ait, ⌊Post me venit vir,⌋ ordinẽ humanæ naturæ insinuat. Quod vero subiungit, ⌊Ante me factus est,⌋ excellentiam diuinæ potentiæ ostendit. Ac si diceret: Cum post me natus sit, inde me superat, quia natiuitatis tempora in diuinitate eũ non angustant. Vnde bene subiungit:

Quia prior me erat.

Illum in his verbis insinuat, de quo Iohannes in exordio euangelio sui ait: In principio erat verbum, & ver-
Iohan. 1. bum erat apud deum, & deus erat verbum. Et pulchre dominus à præcursore suo vir appellatur. Vir enim à virib⁹ dictus est. Et hoc nomen specialiter illi cõgruit, q̃ velut agnus mansuetus & humilis, leonis sæuitiam solus potuit superare. De quo scriptũ est: Ecce vir oriens nomen eius.

Et ego nesciebam eum.

Cum omnibus fidelibus manifestũ sit, q̃a sciebat Iohannes dominũ, quem clauso matris vtero senserat, & cui testimonium perhibuerat, dicẽs: Ego à te debeo baptizari, & tu
Matt. 3. venis ad me? & multa talia, quid est quod nũc dicit, Ego nesciebam eum? Sed ad hoc dicendum, quia cum eum baptizaret, tantũ in eius cognitione creuit, vt ad comparationem eius cognitionis nihil se esse putaret, quod prius de illo cognouerat, & ideo dicit. ⌊Et ego nesciebam eum.⌋ Ac si diceret, tam perfecte nesciebam eum, in quo tantam excellentiam diuinitatis nõdum esse compereram. Cum enĩ baptista domini, patris vocem desuper intonantem audiuit, & spiritumsanctum in specie columbæ descendentem vidit, non est dubitandum, ex hoc visu & auditu, in diuina cognitione eum multum profecisse. Sed quia ad hoc deus pater filium suum reuelauit Iohanni, vt per eius prædicationem aliis ostenderetur, recte subiungitur:

Sed ut manifestetur Israel, propterea ueni ego in aqua baptizans.

Quod est aperte dicere: Non ideo missus sum ante illum in aqua baptizare, vt baptizãdo p͡ctã tollere possim, sed vt in eo baptismo illius baptismũ præcurrem, qui post me venturus in spiritusancto erat baptizaturus. Ille autem solus baptizat in spiritusancto, qui per spiritumsanctum peccata in baptismo dimittit, qui ait in euangelio: Nisi quis renatus fue- Iohan. 3.
rit ex aqua & spiritusancto, non potest intrare in regnum dei. De quo baptismo ascensurus in cælum, discipulis ait: Vos autem bapti- Actu. 1.
sabimini spiritusancto non post multos hos dies. Quod quia inuisibiliter & non visibiliter fit, dominus alibi manifestat: qui cum de eodem spiritu dixisset, Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat, continuo adiunxit: Sic oĩs qui natus est ex spiritu. Et q̃m oĩs qui diuinam notitiam accipit, aliis annunciare debet, recte de eodem Iohanne subditur:

Et testimonium perhibuit Iohannes, dicens: Quia uidi spiritũ descendẽtem quasi columbam de cælo, & mãsit super eum.

In quibus verbis non solum quærendum est, quare aliquando spiritussanctus in specie columbæ, aliquando in linguis igneis visus esse legatur, sed etiam illud solicite inuestigãdum, cur super dominum in specie columbę, & super apostolos in igne apparuit, ita vt nec super dominum in igne, nec super apostolos in specie columbæ visus sit. Per singula ergo hæc manifestanda sunt. Quia enim columba simplex est auis, recte spiritussanctus in specie columbæ apparuit, vt ostenderet, quia illorum corda inhabitat, qui mansueti & humiles corde vnanimem concordiam cum fratribus seruant, & pacem sequuntur cum omnibus & sanctimoniam, iuxta illud quod scriptum est: Super quem requiescet spiritussanctus, nisi super humilem & quietum, & tremẽtem sermones meos? quam significant oscula columbarum. Quia vero ignis quod tangit, accendit & illuminat recte idem spiritus in ignis visione apparuit, quia cor quod tangit, & in amorem inflammat, ad videndum eius voluntatẽ illuminat. Hic est ille ignis de quo Luce. 12
saluator in euangelio ait: Ignem veni mittere

in terram, & quid volo nisi vt ardeat? De hoc
igne p Moysen dicitur: In dextera eius ignea
Hebr. 12 lex. Et per Apostolum: Etenim deus noster
ignis consumens est. Hoc igne illorum cor-
da calefacta fuerant, qui dicebant: Nonne cor
Luc. 24. nostrum ardens erat in nobis (de Iesu) dum
loqueretur in via, & aperiret nobis scriptu-
ras? Quod super dominum in columbę spe-
cie, & super apostolos in igne apparuit, cito
cognoscimus, si vniuscuiusq; personæ quali-
tatem subtilius consideremus. Quia enim co
lumba (vt diximus) simplex est auis, recte spi
ritussanctus super dominum in columbæ spe
cie apparuit, quia in primo aduentu suo pec-
cata nostra non per zelum venit punire, sed
per mansuetudinē dimittere. Quia vero apo-
stoli, vt puri homines, non solum à peccato-
rum rubigine excoquendi erāt, sed etiam ad
prædicandum euangelium zelo rectitudinis
accendendi, recte idem spiritus super eos in
linguis igneis apparuit. Sed quia ex hodier-
na lectione spiritumsanctum in columbæ spe
cie apparuisse audiuimus, ad considerandum
naturam columbæ diligentius redeamus. Vt
si spiritumsanctū accipere volumus, hoc ser-
uemus in mente, quod columba habet in cor
pore. Septem quippe naturales differentias in
se columba habere traditur: vnam, quia felle
amaritudinis caret: aliam, quia pro cantu ge-
mitus edere solet: tertiam, quia gregatim vo-
lat, vel gemit: quartam, quia iuxta fluenta a-
quarum residere delectat, vt facilius aduentū
accipitris præcauere possit: quintam, quia ni-
hil viuum comedit: sextam, quia non cum vn
gulis, nec cum rostro, velut cæteræ aues, se
defendit, sed sese defendendo alis percutit: se
ptimam, quia in petris nidificat. Columba er
go felle amaritudinis caret: & nos iuxta ad-
monitionem Petri apostoli, deponam⁹ oēm
1. Pet. 2. iram & simulationem & inuidiam. Colum-
ba pro cantu gemitus habet: & nos in cōual
le lachrymarum positi, non solum pro remit
tendis peccatis, sed etiam pro perceptione vi
tæ æternæ miseri simus & lugeamus, in exē-
plo illius qui ait: Lauabo per singulas noctes
lectum meum, lachrymis meis stratum me-
um rigabo, vt impleatur in nobis quod do-
minus ait: Beati qui nunc fletis, quoniam ipsi
Luce. 6. ridebitis. Columba gregatim volat: & nos
vnanimitatem diligamus, & non solum ami-
cis, verumetiam inimicis bonum quod possu-
mus, propter dominum impendamus, vt in
eorum numero computemur, de quibus di-
citur: Multitudinis credentium erat cor vnū
& anima vna. Et iterum: Ecce quàm bonum
& quàm iucundum, habitare fratres in vnū.
Columba iuxta fluenta aquarum residere so-
let, vt aduētum accipitris facilius cauere pos-
sit. Et nos vt diaboli insidias præuidere & ca-
uere possimus, in meditatione scripturarum Canti. 5.
delectabiliter insistamus, vt impleatur in no
bis, quod in laude ecclesiæ dicitur: Oculi tui
oculi columbarum, quæ lacte sunt lotæ, & re-
sident iuxta fluenta plenissima. Et iterū: Ocu- Cant. 4.
li tui oculi columbarū, absq; eo quod intrin-
secus latet. Columba nihil viuum comedit:
& nos iuxta Apostoli sententiam, mortifice-
mus membra nostra, quæ sunt super terram,
id est, fornicationem, immunditiam, auaritiā,
quod est idolorum seruitus. Columba non
cum vngulis vel cū rostro se defendit: & nos
quotiescunq; ab iniustis persecutionem pati-
mur, non ad vindictam commoueamur, sed
potius exempla sanctorum sequentes, patien
tiam diligamus, ne efficiatur lingua nostra, Galat. 5.
arma & sagitta & gladius acutus, timentes il-
lud quod Paulus apostolus ait: Quod si in-
uicem mordetis & comedetis, videte ne ab
inuicē consumamini, vt impleatur illud: Bea-
ti pacifici, qm̄ filij dei vocabuntur. Columba
in petris nidificat: & nos omnē spem nostrā
& fortitudinem in petra quæ est Christus, po
namus, dicentes cum Psalmista: In petra ex-
altasti me, deduxisti me, quia factus es spes Psal. 60.
mea, turris fortitudinis à facie inimici. In hui-
us petræ foraminibus nidum suum Moyses
posuerat, quando à domino meruit audire:
Est locus apud me, & stabis ibi in foramine
petræ. Si ergo spiritumsanctum in cordibus
nostris habitatorem habere volumus, has spi
rituales virtutes solicite teneamus, vt ad nos
pertineat specialiter, quod in laude totius ec-
clesiæ in Canticis canticorum voce spōsi dr̄:
Veni sponsa mea, electa mea, columba mea,
in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ.
Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in
auribus meis. Tales quippe dn̄s suos discipu Matt. 10
los esse volebat, quibus dicebat: Estote pru-
dentes sicut serpentes, & simplices sicut colū
bæ. Et pulchre septem naturæ enumerantur
colūbæ, quia spiritussancti, qui hodierna die
super redemptorem mundi apparuit, septem
dona sunt principalia, de quibus per Isaiam
dr̄: Requiescet super eum spiritus dn̄i, spiritus Esa. 11.
sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & for
titudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & reple
bit eum spiritus timoris domini. Mirabili au
tem concordia, scripturæ veteris ac noui te-
stamenti sibi conueniunt. Legimus enim, qa
cum vellet Noe scire, vtrum cessassent aquæ
diluuij, misit columbam, quæ vespere reuersa
est ad eum, portans ramum oliuæ virentibus
folijs in ore. Nunc autem baptizato domino,
suo præcursori apertis cælis in specie colum
bæ apparuit. Sicut enim per diluuium ba-
ptismum figuratur, ita & per columbā, q̄ ra-
mum oliuæ virentibus folijs in ore tulit, vn-
ctio spūssancti exprimitur, q̄ fidelibus in ba-

ptismo tribuit, de qua per Iohannem dicit: Vn
ctio eius docet vos per omnibus. Quod vero
Iohan.2. voce baptistæ subditur: ⌊ Et ego nesciebam
eum, ⌋ hic intelligẽdum est vt supra diximus,
quia ad comparationem quod postea cogno
uit, parũ prius de illo cognouerat: vnde cer-
tum signum eius cognitionis datur, cum sub-
infert: Sed qui misit me baptizare in aqua, ille
mihi dixit, ⌊ super quem videris spiritũ descẽ
dentem, & manentem super eum, hic est qui
Ioh.14. baptizat in spiritusancto. ⌋ Vbi quærit, quare
pater ad cognoscendum vnigenitũ filium su
um tale signum dare voluit, cum idem filius
discipulis suis repromittit, dicens: Rogabo
patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt
maneat vobiscum in æternum, spiritum ve-
ritatis qui à patre procedit, quẽ mundus non
potest accipere, quia non vidit eum nec scit
eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud
vos manebit, & in vobis erit. Si ergo & in
discipulis manet spiritus, quid magnum, si su
per vnigenitum filium dei descendit & man-
sit? Sed facilis ad hęc patet responsio, quia ali
ter acceperunt illi, & aliter ille. Illis enim ad
mensuram datus est spiritus, in illo autem ha
bitat omnis plenitudo diuinitatis corporali-
ter. Et illi ex tempore acceperunt spiritum:
ille vero ex quo obumbrante spiritusancto
intra vterum virginis cõceptus est, eiusdem
spiritus plenitudinem habuit, sicut per Psal-
Psal.44 mistam dicitur: Vnxit te deus deus tuus oleo
lætitiæ præ cõsortibus tuis. Possumus & hoc
dicere, quia in mentibus fidelium idem spiri-
tus ad aliquid semper manet, & ad aliquid re
cessurus venit. Manet enim cum illis, vt so-
brie & iuste & pie viuant in hoc seculo: rece-
dit vero ab illis, ne semper corporales virtu-
tes faciant. Et illis quidem ita venit, vt si à bo
no proposito voluntatem mutauerint, ab il-
lis recedat: in domino autem, non ex tempo
re baptismi maior eiusdem spiritus gratia esse
cœpit. Sed in eius baptismo visibiliter appa-
ruit, vt intelligãt fideles per baptismum eius-
dem spiritussancti se dona percipere. Quàm
veraciter autem & absq; vlla dubietate cre-
denda sint, quæ in hac lectione commemo-
rantur, præcursor domini manifestare cura-
uit, cum subiunxit:

Et ego uidi & testimoniũ perhibui, quia hic est filius dei.

Vbi considerandũ, quia in breui lectione
duorum hæreticorum dogmata destruuntur, Ma
nichæi s. & Photini, quorum vnus negauit eum
fuisse verum hoĩem, alter verum deum. Erubescat
ergo Manichæus, cum audit: ⌊ Post me venit
vir. ⌋ Erubescat & Photinus, cum præcur-
sor domini clamat: ⌊ Ego vidi, & testimoni-
um perhibui, quia hic est filius dei. ⌋ Audiant
ergo mansueti & lætentur, credentes sine du
bio, quia hic est filius hominis, qui vt homo
baptizatus est, idem ipse est filius dei, & con- Mat.16.
fiteantur cum Petro: Tu es filius dei viui.

DOMINICA PRIMA post epiphaniam. Lucæ II.

In illo tempore: Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymã. Et reliqua.



RATIONABILITER magistri ecclesiasticæ institutionis, & diuinæ scripturæ traditores, Lucam euangelistam inter quatuor animalia speciem vituli tenere describunt, sicut in Iezechiele & in Apocalypsi Iohannis habetur. Quoniam sicut vitulus in templo domini in sacrificio à sacerdotibus offerebatur, ita ille præ cæteris euangelistis, specialius ea quæ dominus in templo vel circa templum gessit, commemorare curauit. De quibus exordium sui euangelij à Zacharia sacerdote cœpit, dicẽs: (Ipsi enim sacerdotes in dei ordinationis suę vitulum offerebant.) Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron. Et factum est cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret, ingressus in templum domini. Post hæc Mariam virginem in domũ eiusdem sacerdotis venisse, tribusq; mẽsibus eam apud cognatum suam Elizabeth mansisse refert. Dominum quoque non solũ octaua die circuncisum, sed etiam tricesimatertia in templo præsentatũ narrat, atq; pro eo munera oblata, & à Simeone propheta susceptũ & benedictum fuisse. Genealogiam vero saluatoris non per Salomonem regem, sed per Nathan prophetam ac sacerdotem filium Dauid deducit. In præsenti ergo lectione saluatorem cum duodenarius esset, cum parentibus ad templum venisse, & illis nescientibus, in eo remansisse describit. Nam & in fine euangelij sui, ostendit dominum Iesum Christum, quasi verum sacerdotem discipulos benedicentem in cælum ascendisse, dicens: Eleuatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum, & ipsi adorantes, regressi sunt in Ierusalem cũ gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes deum. Quanto autem studio parentes sal

uatoris legem obseruarent, cito cognoscimus, si huius euangelij superiora parumper attendamus. Ait enim euangelista:

Et ibant parentes Iesu per omnes annos in Ierusalem in die solenni paschæ.

Sed dominus non solum legem voluit obseruare, quam non venerat soluere, sed adimplere, sed etiam tales elegit parentes, qui legis essent obseruatores. Præceperat enim ipse in lege, vt ter in anno appareret omne masculinum eorum coram domino, in loco quem elegerat deus. Vbi apparet cum quanto studio maiora præcepta legis obseruabant, qui nec minora prætermittebant. Consuetudo nanque Iudæorum erat, vt per omnes annos ascenderent in Ierusalem (vt diximus) dominum adoraturi, & munera ei oblaturi, ob recordationem scilicet egressionis de terra Aegypti & immolationem agni. Ascendentibus ergo iuxta hanc consuetudinem parentibus domini ad orationem, cum factus esset Iesus annorum duodecim ascendit cum illis. Sed cum audis factum, noli dubitare factorem. Factus est enim in forma serui, qui omnia fecerat in forma dei, sicut scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt. De quo ait Apostolus:
Rom. 1. Factus est ex semine Dauid secundum carnem. Et (vt ita dicam) factus est qui cuncta fecerat, vt ille inueniretur, qui bene factus male perierat. Ascendit quippe duodecimo anno in humanitate, qui nullum tempus habet in diuinitate. Pulchre ergo duodenarius dominus, rudimenta suæ infantiæ sacerdotes interrogans voluit demonstrare, vt hoc numero mysterium apostolicæ prædicationis præfiguraret, & notitiam suæ diuinitatis mundo innotesceret. Duodenarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus diuisus, perfectionem significat. Diuiditur enim in ternis quaternis, & quaternis ternis. Siue enim tria in quatuor, siue quatuor in tria ducas, duodenarium numerum complent. Nam idem numerus ex septenarij numeri partibus cōstat, scilicet ex primo pari & primo impari, id est, ex tribus & quatuor. Et tres quidem ad indiuiduam trinitatem pertinent, quatuor ad quatuor libros sancti euangelij. Septem vero plenitudinem temporis demonstrant, quia præsentis vitæ cursus per septē dies voluitur. Duodecim quoque ad duodenarium numerum apostolorum, vel ad duodecim patriarchas. Quia ergo ad fidem sanctæ trinitatis, & doctrinam quatuor euangeliorum, per prædicationem duodecim apostolorum mundo nunciaturus erat, rectè duodenarius in templum ascendit.

Consummatisq; diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

Forte mouet aliquem, quomodo Iesus tanta diligentia à parentibus nutritus, quippe quem filium dei esse non dubitabant, illis nescientibus in Ierusalem potuerit remanere. Sed sciendum est, quia hoc, excepto diuino mysterio, non ex ignauia parentum, sed ex consuetudine potius Iudæorum contigit. Consuetudo enim erat illorum, vt ascendentes in templum domini ad celebrandū solennitatem, seorsum viri choros ducerent, seorsum fœminæ, propter munditiam castititatis: pueri vero minoris ætatis licentiam haberent, cum quo vellent ire parentes, siue cum patre, siue cum matre. Ex hac ergo consuetudine accidit, vt illis nescientibus, puer Iesus in Ierusalem remansisset, quoniam Maria putabat eum esse cum Ioseph, & Ioseph æstimabat quod esset cum Maria. Et hoc est quod subdidit:

Existimantes autē illum esse in comitatu, uenerunt iter diei & requirebant eum inter cognatos & notos.

Nam quantum amoris affectum erga illum haberent, manifestatur, cum subditur:

Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo.

Non vacat à mysterio, quod dominus post triduum à parentibus in templo reperitur. Tria enim sunt tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia. Qui ergo non ante legem, nec sub lege, sed sub gratia mundo visibilis apparuit, rectè post triduum repertus in templo memoratur. Siue ergo post triduum in templo reperiri voluit, vt ostenderet quia illi ad eius visionem sunt peruenturi, qui fidem, spem & charitatem perfectè habent, & fidē sanctæ trinitatis puro corde credunt, & opere custodiunt. Siue aliter in templo post triduum reperiri voluit, vt intelligamus, quia ad eius visionem feliciter peruenire merebimur, si cogitationem, locutionem & operationem à malo opere obseruamus: & memoriam, intellectum & voluntatem in eius seruitio oc-

cupamus. Vbi repertus sit, ostenditur, cum dicitur:

In templo in medio doctorum.

Quid ageret manifestatur, cum subinfertur:

Audientem illos & interrogãtem.

Non enim alicubi repertus est vacans ocio aut fabulis, sed in templo, audiens doctores & interrogans: simul quoque exemplum discendæ humilitatis dominus nobis ostendit, cum in templo non docens, sed discens & interrogans inuenitur, implens illud Mosaycum: Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Ne enim nos à magistris discere erubescamus, ille doctores interrogat in templo, qui angelos docet in cælo. In quo facto non solum humana superbia confunditur, sed etiam præsumptio atque temeritas comprimitur. Sunt enim nonnulli qui ante docere volunt, quàm annos impleant pubertatis: & ideo magistri fiunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Longo ergo tempore & multis exercitijs eius tyrocinia sunt reprobanda, qui in culmine regiminis constituendus est, & longe tempore debet discere, qui desiderat docere. Vnde

Eccle. 3. per Salomonem dicitur: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Non enim dicit prius loquendi, & postea tacendi, sed prius tacendi, & post loquendi, vt intelligamus, quia prius tacendo discere debemus, quod postea loquendo doceamus. Et iterum idem admonet, dicens: Omni tempore ocij tui describe sapientiam, qui autem minorantur, actu percipient eam. E contra vero, si filius dei, qui tricesimo anno prædicaturus erat, duodecimo anno non docens, sed audiens & interrogans in templo inuenitur, legitimum tempus, siue ad sacerdotium, siue ad magisterium ecclesiasticum ostendes seruare. Hac ætate Ioseph, id est, tricesimo anno, dominus Aegypti constitutus est. Hac ætate Dauid, qui in pueritia ora leonũ & vrsorum confregerat, regni gubernacula suscepit. Hac ætate Iezechiel propheta super fluuium Chobar cælos apertos vidit. Et quamuis melior sit puerilis simplicitas, quàm senilis fatuitas, tamen vtrunq; obseruandum est, vt & morum grauitas, & matura ætas, in eorum actibus concordent, qui ad magisterium ecclesiasticum eliguntur. Vnde bene quoque in lege dominus de leuitis præcepit, vt vsque ad quinquagesimum annũ cum fratribus suis ministrent in templo, post quinquagesimum autem annum, custodes vasorum fiant. Quid eñ sunt vasa sancta, nisi sanctorum animæ? Et quia post quinquagesimum annum calor ætatis deficere incipit, hoc præcepto ostenditur, quia illi ad custodiam animæ sunt eligendi, qui per longa exercitia incentiuum libidinis, vel cupiditatis ardorem extinguere didicerunt. Denique & si Daniel & Ieremias in pueritia ad prophetandum missi leguntur, sciendum est, quia miracula domini in exemplum imitationis nõ sunt trahẽda. Mira enim opera domini magis sunt venerãda quàm imitanda, quoniã ab omnibus fieri non possunt.

Stupebant autem omnes super prudentia & responsis eius &c.

Videntes eum corpore & ætate paruum, sed interrogationibus ac responsis magnũ, hominem & nõ deum considerantes. Nos autem non cum senioribus Iudæorum, super prudentia & responsis eius stupeamus, sed ipsum esse credamus verum deum, verumq; hominem, à quo est omnis sapientia, & cum quo fuit semper, & est ante æuũ. Qui etiam in prouerbijs loquitur, dicens: Ego sapientia in consilijs habito, per me reges regnant. Meum est consilium & æquitas, ego ex ore altissimi prodij. Quanto autem animus beatæ virginis dei genetricis de amissione filij sauciatus esset, hoc loco declaratur: Prou. 8.

Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Et reliqua.

Quem virgo mater per triduum anxio dolore quæsierat, post inuentionem inter mœrorem & gaudium posita, quasi qui talia facere præsumpsisset, pia correptione increpauit, dicẽs: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Patrem eius Ioseph appellat, non quod vere iuxta Photinianos eius pater fuerit, sed quod ad famã Mariæ conseruandã ab omnibus pater eius sit æstimatus. Nam quis verus pater eius sit, ipse manifestat, cũ respondens ait ad illos:

Quid ẽ quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?

In quibus verbis nõ putandus est exasperasse matrem. Et illud quod prætermittendum non est in hac lectione, vtranq; suam naturam dominus nobis commendat, cum inuentus in templo dicit: quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse. Quasi homo cum parentibus Ierusalem ascendit, sed quasi deus, illis nescientibus, in templo remansit: quasi homo seniores interrogat, sed quasi deus ea quæ seniores mirarentur, re-

ſpondebat: quaſi homo in templo inuenitur, ſed quaſi deus inuentus in templo, dixit: ⸤In his quę patris mei ſunt, oportet me eſſe.⸥ Quia enim domus illa in honore dei ædificata fuerat, filium dei ſe eſſe demonſtrauit, cum inuētus in templo dixit: In his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Patris illius erant templum, prophetæ, diuinæ ſcripturæ frequens meditatio. Et pulchre in his ſuis operibus filium dei ſe demōſtrauit.

Et uidentes admirati ſunt.

Quia dominus non ſolum humiliter interrogabat, ſed etiā ſubtiliter reſpondebat.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius.

Proprium eſt enim filiorum, hæreditatē paternam poſſidere, & in ea manere & eſſe. Iohā.10. Vnde dominus Ieſus Chriſtus ideo in templo reſidebat & habitabat, vt oſtenderet non minoris patre ſe eſſe poteſtatis. Quibus enim vna eſt maieſtas, non diſpar eſt poteſtas, ſicut ipſe dicit: Ego & pater vnū ſumus. &, omnia patris mea ſunt.

Et ipſi non intellexerunt uerbum, quod locutus eſt ad illos.

Quia diuinæ naturæ arcanum adhuc capere non poterant, ideo verbum quod locutus eſt ad illos, non intellexerunt, ſcilicet illud quod de patre dixerat: & quia videbat eos nō poſſe intelligere ſuam diuinitatem, condeſcendit illis per humanitatem, vt eorum cor ſubleuaret ad diuinitatem. Vnde & ſubditur:

Et deſcendit cū illis, & uenit Nazareth, & erat ſubditus illis.

Diſcant ergo pueri obedire parentibus, à quibus non ſolum geniti, ſed & quorum labore & diligentia ſunt nutriti, quia & puer Ieſus non dedignatus eſt parētibus eſſe ſubiectus. Honeſtiſſimum eſt enim, magnā reuerentiam & honorem exhibere parentibus, qui & nos paruulos nutrierūt, & proficiētes ætate, ſapientia erudierunt. Illis cū humana tantum ſapientibus, poſtquā oculos mentis eorum ad contemplandam diuinitatem eleuauit, dicens: ⸤Neſciebatis, quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? deſcendit Nazareth, & venit cum illis, & erat ſubditus eis.⸥ Vt hoc exemplo intelligamus, quia non ſolum ſubditi eſſe debemus parentibus, ſed etiam eorum ſenectam vel infirmitatem pia ſolicitudine refrigerare vel ſuſtentare, iuxta illud quod in diuina Exo.28. lege præcipitur: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene ſit tibi ſuper terrā, & longo viuas tempore. Vnde Apoſtolus præcipit filijs obedire parētibus per om̄ia, 1.Tim.5 hoc bonum & acceptum eſt coram deo. Et iterum: Si quis ſuorum curam non habet, & maxime fidelium, fidem negauit, & eſt infideli deterior.

Et mater eius conſeruabat omnia uerba hec in corde ſuo.

Omnia ſcilicet quæ de illo audiuit, ſiue ab angelis, ſiue à paſtoribus, ſiue à magis, ſiue à Simeone, vel ab Anna ꝓphetiſſa, vel etiam quæ ab illo fieri videbat, quaſi mundum animal ruminans, in corde ſuo conſeruabat, nolens mittere margaritas ſuas ante porcos, neq; dare ſanctum canibus, ſed expectans tempus illius perfectæ ætatis, quo miracula faciēdo deus oſtenderetur, & quo hæc ſcribendo erant, vt per ordinem cuncta narrentur. Vnde idem euangeliſta paulo ſuperius ait: ⸤conferens in corde ſuo.⸥ Quia conferebat ea quæ in illo fieri videbat, cum eis q̄ de illo in oraculis prophetarum legerat, & tanto verius eum credebat deum eſſe, quanto illa quæ de eo legerat, in illo compleri cernebat.

Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate.

In hoc breui verſiculo duæ hæreſes deſtruuntur, Manichæorum & Apollinariſtarum. Manichæi enim, qui dixerunt deum veram carnem non aſſumpſiſſe, deſtruuntur, cum dicitur: ⸤Ieſus proficiebat ætate. Apollinariſtę vero, qui dixerunt eum veram animam non habuiſſe, deſtruuntur, cū dicitur: ⸤proficiebat ſapientia.⸥ Sicut enim ætas ad corpus, ſic ſapientia in hoc loco ptinet ad animam. Niſi enim veram carnem habuiſſet, nequaquā ætate proficeret & creſceret. Et niſi rationalem & veram animam habuiſſet, nequaquam ſapiētia proficeret & creſcere valeret. Et quemadmodum corpus per momenta ætatum creſcit, ita & anima ſapientia creſcendo proficit. Qui igitur in nobis corpus & animam liberare venit, verum corpus & animam verā pro noſtra ſalute ex virgine ſuſcepit. Quod vero ſubdit:

& gratia apud deum & homines.

Singulari gratia à deo patre puero Ieſu datum eſt, vt ex eo quo homo eſſe inciperet, conceptus ſcilicet de ſpirituſancto, perfectus eſſet deus, perfectus & homo. De q̄ Iohannes euāgeliſta ait: Vidimus gloriam Iohan.1. eis, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Et bene quidem prius proficere dixit apud deū, & poſtea apud homines: quia primum placendum eſt deo, poſtea hominibus, nō ob aliud, niſi vt ipſi placeant deo, ſicut Apoſto

Roma.13 lus ait: Prouidentes bona non tantum coram deo, sed etiam corã omnibus hominibus. Et
Phil.2. iterum: Prouideamus bona in medio nationis prauæ. Et Petrus: Conuersationem vestrã
1.Petr.2. inter gentes habentes bonam.

DOMINICA II. POST Epiphaniam. Iohannis ij.

In illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ. Et reliqua.

MIRACVLA domini & saluatoris nostri quandocunq; leguntur, non sunt in exempla trahẽda, sed potius admiranda atque veneranda. Quotiescunq; enim legimus dominum vel ad nuptias, vel ad conuiuium vocatum venisse, non gulæ illecebris deputare debemus, sicut faciebant
Mat.11. scribæ & pharisæi, qui dicebant eum vini potatorem, & amicum publicanorum, sed ob certi gratiam mysterij, id est, pro lucrandis animabus, eum venisse credere debemus. Sicut enim doctus piscator, & peritus venator in eo loco retia tendit, vbi multitudinem piscium vel auium, siue bestiarum nouit conuenire, vt cum multi congregentur, aliqui capiantur, ita dominus ad conuiuium vel ad nuptias venire voluit, vt vbi multi conueniebant, reti eius prædicationis aliqui caperentur. Ob hanc causam inuitatus à pharisæo, in domo eius discubuisse legitur, & nũc vocatus ad nuptias, non solum venisse, sed etiam eas suo miraculo consecrasse memoratur. Vbi notandum, quod cum ad nuptias terreno more celebraturus dominus venit, non solum coniugalem copulam bonam esse ostendit, sed etiam Marcionis & Tationis hæresim destruxit, qui nuptias damnare voluerunt. Si enim nuptiæ bonæ non essent, nequaq; ad eas filiꝰ virginis venire, nec eas suo miraculo dignaret consecrare. Et si nuptiæ bonæ nõ essent, quæ propter amorem filiorũ fiunt, nequaq; dñs in initio masculũ & fœmi
Gene.2. nã crearet nec dicturus esset. Propter hoc re-
Matt.19 linquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Vnde & dominus interrogatus à discipulis si oporteret dimittere vxorem, quacunq; ex causa, vt ostendat bonum esse coniugium le-
Matt.19 gitime celebratum ait: Quod deus coniunxit, homo non separet. Nam qui dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, mœchatur. Hinc & Apostolus, magistri sen-
Ephe.5. tentiam secutus, ait: Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam. Et qui qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Et iterum: Propter fornicationem vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæq; vxor suum virum habeat. Vir vxori debitum reddat, similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et rursus: Qui matrimonio coniunctus est, præcipio, non ego, sed Christus, mulierem à viro non discedere: quod si discesserit, innuptam permanere, aut certe viro reconciliari. Honorabiles enim nuptiæ (ait
Salomon) & cubile immaculatum. Fornica- Hebr.13
tores nanq; & adulteros iudicabit dominus. Bona est ergo copula coniugalis, melior continentia vidualis, perfectior vero integritas virginalis. Ad comprobandum hæc, dominus de intemerato virginis vtero nascitur: mox natus, ab Anna vidua benedicitur: iuuenis factus, à celebratoribus nuptiarum inuitatus venisse legitur. Hæc iuxta literam dicta sunt. Spiritualiter vero coniunctionem Christi & ecclesiæ, in scripturis vocari nuptias vsitatissimum est, sicut illud in euangelio:
Simile est regnum cælorum homini regi, Matt.22
qui fecit nuptias filio suo. Et iterum: Cum Luc.14.
vocatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. In nuptijs enim duo iunguntur sponsus & sponsa. Et sponsus quidẽ est Christus, de quo per Psalmistam dicitur: Tanquã
sponsus procedens de thalamo suo. Et Iohã- Psal 18.
nes euangelista: Qui habet sponsam, sponsus
est. Sponsa vero eius sancta est ecclesia, cui Iohan 3.
per prophetam dicitur: Desponsabo te mihi Ose.2.
in iustitia & sanctitate veritatis. Et in Canticis canticorum: Veni sponsa mea, electa mea. Thalamus huius sponsi, vterus intemeratus genitricis fuit. De quo (ut diximus) tanquam sponsus de thalamo suo Christus processit. Venit ergo ad nuptias terreno more celebratas, quia ad coniungendam sibi ecclesiam, homo inter homines apparuit. Locus nuptiarum primum in Iudæa fuit, vbi dominus natus, nõ solum docuit, sed etiam virtutes fecit, & de qua apostoli electi sunt. Celebratores autem nuptiarum primũ apostoli fuerunt, de quibus dominus ait in euangelio: Non possunt filij spõsi lugere, quandiu cum illis est sponsus. Veniet tempus quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Sed quia ad has spirituales nuptias ve-
nire nemo potest, nisi prius zelo dei tactus Matth.9
mala opera respuere, & bona didicerit amare, recte in Chana Galilææ factæ fuisse referuntur. Chana quippe viculus Galilææ, zelus interpretatur. Galilæa nanq;, transmigratio facta in nostra lingua dicit. Ex qua interpretatione ostẽditur, quia ille feliciter ad has nuptias discũbit, qui zelo amoris dei tactus, de terreno amore ad cæleste desideriũ trans-

migrauerit, qui possit dicere cum Psalmista:
Psal 68. Zelus domus tuæ comedit me. Et cum Apo-
2.Cor.3 stolo: Nos autem reuelata facie gloriam domini contemplantes, transformamur à clari tate in claritatem, tanquam à domini spiritu. Quod & faciebat Psalmista, qui cum videret impium superexaltatum & eleuatum, sicut cedros Libani, omnia transitoria nihil compu-
Psal.36 tans, incalescens animo aiebat: Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Et bene die tertia post ea quæ supra euangelista commemorauit, factæ fuisse referuntur. Tria quippe sunt tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia. Quia enim ad coniungendam sibi ecclesiam non ante legẽ, non sub lege, sed sub gratia deus visibilis apparuit, rectè die tertia ad nuptias venisse cõmemoratur. De qua coniunctione Paulus
2.Cor.11 Apostolus ait: Aemulor enim vos dei æmulatione, despondi enim vos vni viro virginẽ castam exhibere Christo. Hinc in laudem ecclesiæ dicitur: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Et iterum: Pulchriores sunt oculi tui vino, & dentes tui lacte candidiores. Et Iohannes in A-
Apoc.21 pocalypsi: Vidi sanctam ciuitatem Ierusalẽ descendentem de cælo, tanquam sponsam or natam viro suo. Vel certe, quia nemo in his nuptijs interesse potest, nisi qui indiuiduam trinitatem domini fuerit confessus, rectè etiam die tertia ad nuptias venisse narratur. Siue aliter, ad hoc die tertia ad nuptias venire voluit, vt ostenderet, quia quicunque in ecclesia per fidem discumbit, memoriam, volũtatem & intellectũ obseruare à malis debet, & exercere in bonis: vel quia tres virtutes principales, scilicet spem, fidem, & charitatem in suo opere custodire debet, de quibus ait Apo
Rom.13. stolus: Maneat in vobis fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem his est charitas. Ternarius autem numerus perfectus est, propter
1.Cor.13 fidem sanctæ trinitatis. Siue ternarius numerus pefectus est, quia legimus quod domino dicente ad Ionam prophetam: Vade in Niniuen ciuitatem magnam, & dices populo hu-
Ione.3 le: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, illo prædicante, statim rex de solio suo descendit, & præcepit triduanum ieiunium facere populo: Quo facto, cessauit populus à nequitia sua, & conuersus est ad dominum, & exaudiuit eum dominus, & cessauit à plaga.

Et erat mater Iesu ibi.

Mater Iesu spiritualiter synagogam significat, quæ dum per oracula prophetarum deum in mundo venturum prædicauit, quasi de quodam spirituali vtero legis nobis dei filiũ genuit.

Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias.

Omnia ergo quæ in serie huius lectionis referuntur, sic iuxta literam accipienda sunt, vt tamen per significationem aliquid nobis demonstrent. Iam superius per nuptias coniunctionem Christi & ecclesiæ figurari diximus. Quod vocat⁹ Iesus dicit ad nuptias, per hoc declaratur, quia sine testimonio legis & prophetarum in mundo non apparuit. Quia si enim patres sancti & prophetæ dominum ad nuptias vocauerunt, quando non solum eum venturum in mundũ prædixerunt, sed etiam vt venire dignaretur pro nostra redẽptione, totis votis optauerunt. Vis audire quomodo sit vocatus: audi Isaiam dicentem: Vti Isaie.64
nam disrumperes cælos, & descenderes. Et Psalmista eius aduentum desiderãs, ait: Dñe Psal.143
inclina cælos tuos, & descende. Necnon & ille venerabilis senex iam moriturus, aiebat: Gen.49
Salutare tuum expectabo domine. Vocati sunt autẽ cum eo & discipuli eius, quia vt firmior autoritas esset, non solum domini incarnatio, sed etiam eorum prædicatio prædicta fuit. Sic enim ait Isaias in persona domini: Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Isaie.8
dominus in signum & portentum Israeli.

Et deficiẽte uino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.

Nec fortuitu nec casu accidisse putãdum est, vt domino veniente ad nuptias vinum deficeret, sed ideo magis, vt occasio miraculi fieret, vt dum aquas in vinum conuerteret, deus qui in homine latebat, appareret, ipse scilicet, qui educit panem de terra, & vinum lætificat cor hominis. Vnde intelligens sancta eius genitrix iam tempus esse perfectæ ætatis, quo per miracula seipsum dominum mundo innotesceret, & non filius Ioseph, sed dei & Mariæ virginis crederet, ait: Vinum nõ habent. Spiritualiter autem venien te domino ad nuptias, vinum defecit, quia me raca illa legis, à prisca sua suauitate & dulcedine desipuerat. Quasi enim vinũ sapuit lex temporibus Moysi, Iosuæ, Samuelis & Dauid, & cæterorum qui eam intellexerunt & tenuerunt. Iam vero tempore quo dominus in mũdo apparuit, superstitiosus pharisæorum excrescentibus, & ab amore dei Iudæorũ populis frigescẽtibus, ab antiquo suo sapore defecerat, sicut dominus Iudæis improperando dixit: Vos estis qui reliquistis mandatum Matt.15
dei propter traditiões vestras. Quod autem ait mater Iesu ad eum: Vinum non habẽt, vox synagogæ est, Christũ ad miracula prouocantis.

Dicitei Iesus: Quid mihi & tibi mulier?

Non putandus est dominus inhonorasse matrem, qui iubet honorare parentes, sed illi altiora quærenti quam sola humanitas habeat, ad virtutem diuinitatis cõtemplandam, eius mentis oculos subleuauit. Ac si diceret: Quid humanitati tuę cum miraculo, quod quæris, commune est, cum virtutes operari diuinæ virtutis sit?

Nondum uenit hora mea.

Quo verbo, non hora fatalis (vt hæretici voluerunt) significatur, sed hora passionis. Ac si diceret: Nondum venit hora passionis, qua vere manifestem quid humanitas possit, quam ex te assumpsi. Quæ hora tũc impleta est, quando pendens in cruce, dixit: Mulier, ecce filius tuus. Acsi diceret: Ec- Ioh. 19.
ce quod ex te assumpsi, pati & mori potest: miraculum quod quæris, sine diuinitate operari non potest. Sed cum dei genitricem mulierem audis appellatam, noli dubitare de eius virginitate, quia vsus scripturæ est, omnes fœminas, non solum nuptas, sed etiam innuptas, mulieres appellare, sicut de prima matre omnium Eua, cum formaretur, dictum est: Aedificauit dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Hanc consuetudinem secutus Apostolus, dei genitricem, quæ virgo ante partum, virgo post partum permansit, mulierem appellauit, dicens: Misit deus filium suum, fa- Gala. 4.
ctum ex muliere, factum sub lege, cum sine dubio ex virgine natus credatur. Nõ enim hoc nomine corruptio, sed sexus designatur. Vt autem intelligatur, non pietatem à domino matri negatam, sed ordinem passionis prænuntiatum, recte subditur:

Dicit mater eius ministris. Quodcunque dixerit uobis facite.

Intellexit enim in illis domini verbis, se non esse exasperatam: & ideo fiducialiter ministris imperauit, vt præcepta implerent filij iubentis.

Erãt autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationẽ Iudæorum, capientes singulæ metretas binas uel ternas.

Hydriæ dicunt vasa, aquæ receptui præparata, tracto vocabulo à proprietate græci sermonis, quoniam aqua græce ὕδωρ vocatur. Quoniam autem secundum purificationem Iudæorum positæ referuntur, traditio habebat Iudæorum & maxime pharisæorum, vt in conuiuijs & nuptijs vasa cum aqua haberentur, propter purificationem Iudæorum, vel lauationem manuum, vel quicquid necesse esset. Quod ille Pharisæus Marc. 7
in euangelio indicat, qui ipsum fontem aquæ viuæ dominum reprehendere ausus est, quare non esset lotus ante prandium. Sed quia iam tempus instabat, vt ille qui homo purus videbatur, verus deus esse ostenderetur, recte subiungitur:

Dicit eis Iesus: implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum.

Quæ in vinum conuersæ sunt. Et quidem poterat dominus vacuas hydrias implere vino, quoniam antequam essent, creauit ex nihilo: sed prius iussit eas implere aqua, & sic conuertit in vinum: quia veniens non aliam legem dedit, quam per seruum suum Moysen dederat: sed ipsam spiritualiter inteapretando, in melius commutauit: quia spiritualem intelligentiam, quæ in ea latebat, aperuit, sicut ipse ait in euangelio: Non veni soluere legem, sed adim- Matth. 5
plere. Quasi ergo spiritualiter aquam in vinum conuertit, quando post suam resurrectionem, cum discipulis ambulans, aperuit eis sensum, vt intelligereut scripturas. Et incipiens à Moyse & prophetis, interpretabãtur illis scripturas in omnibus quæ de illo erant. De cuius suauissimo gustu tantum inebriati sunt, vt postea dicerẽt: Non- Luc. 24.
ne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Spiritualiter autem hydriæ corda significant sanctorum, quæ continent in se aquam, id est, scientiam scripturarum. Quod enim aqua scientiam scripturarum significet, testis est Salomon, qui ait: Aqua Prou. 18
profunda sermo ex ore viri, & torrens redundãs fons sapientiæ. Quæ bene lapideæ esse referuntur, quia contra tentationes diaboli firma & fixa sunt præcordia sanctorum, illi lapidi adhærentium, de quo dicit Petrus apostolus: Ad quem accedentes la- 1. Petr. 2.
pidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales. Quoniam petra (vt ait Apostolus) Christum si- 1. Cor. 10
gnificat. Bene autem sex fuisse referuntur, quia sex sunt mundi huius ætates, in quibus deus omnipotens hydrias spũales. i. sanctos viros ad nostram eruditionem & ablutionẽ mittere dignatus est. Prima mundi ætas fuit, ab Adã vsq; ad Noe, secunda à Noe vsque ad Abraam: tertia, ab Abraam vsq; ad Dauid; quarta, à Dauid vsque ad transmigrationem Babyloniæ: quinta, à trans-

migratione Babylonię vſque ad aduentum
Chriſti in carne: ſexta, à primo aduentu do
mini, quo venit redimere mundum, vſque
ad ſecundum eius aduentum, quo venturus
eſt mundum iudicare. In his ergo ætatibus
deus omnipotens ſanctos viros mittere nō
deſtitit, qui ſpirituſancto inſpirati, aquam
diuinorum eloquiorum ad aliorum erudi-
tionem effunderent. In prima ætate mun-
di legimus, quia fecit deus hominem de li-
mo terræ, ad imaginem & ſimilitudinem ſu
am. Ad cuius ſolatium vel adiutorium
Gene. 2. cum vellet facere mulierem, immiſit ſopo-
rem in eo, & tulit vnam de coſtis eius,
& ædificauit eam in mulierem, & poſuit e-
os in paradiſo voluptatis, præcepitq; eis, di
cens: De omni ligno paradiſi comedite, de
ligno autem ſcientiæ boni & mali, ne tetige
ritis. Quocunque enim die comederitis
Gene. 3. ex eo, morte moriemini. Poſtea vero ſe-
ducti à ſerpente, qui erat callidior cunctis
animantibus, interdictum fructum ligni
non ſolum tetigerunt, ſed etiam comede-
runt. Et aperti ſunt oculi eorum, & vt co-
gnouerunt ſe eſſe nudos, fecerunt ſibi peri-
zomata de folijs ficorum. Et dum deam-
bularet domin⁹ in paradiſo ad auram poſt
meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius
inter ligna paradiſi. Cumq; requireret eum
deus, dicens: Adam, vbi es? Reſpondit: Au-
diui domine vocē tuam, & timui, eo quod
nudus eſſem, & abſcondi me. Dixitq; ei de-
us: Quis enim indicauit tibi quod nudus eſ
ſes, niſi quia de ligno, de quo præceperam
tibi ne comederes, comediſti? ꝓpterea ma-
ledicta terra in opere tuo. Cum operatus ſu
eris eam, non dabit tibi fructus ſuos, ſed
ſpinas & tribulos germinabit tibi, & in ſu-
dore vultus tui veſceris pane, donec reuer
taris in terram de qua ſumptus es, qa terra
es, & in terram ibis: puluis, & in puluerem
reuerteris. Quicunque ergo hæc audiens,
timuerit tranſgredi præceptum dei, repu-
tans apud ſemetipſum, & dicens: quia ſi illis
rudibus ac nouellis non pepercit deus, for-
te nec nobis parcet, ſi poſt multos aliorum
caſus, noſtram neglexerimus ſalutem, inue
nit in prima ætate hydriam aqua plenam.
At vero, ſi aliquid altius intellexerit, vt in-
telligat per Adam qui ex immaculata ter-
ra factus eſt, dominum Ieſum Chriſtum: ꝑ
Euam, quæ de latere Adæ dormientis for-
mata eſt, ſanctam eccleſiam, quæ de late-
re Chriſti pendentis in cruce formata eſt,
Iohā. 19. quando vnus militum lancea latus eius a-
peruit, & continuo exiuit ſanguis & aqua:
hydria, quam plenam inuenerat aqua, con
uerſa eſt in vinum. Videamus adhuc in ipā
ætate aliam hydriam aqua plenam. Legim⁹
enim, quia idem primus homo poſt pecca-
tum duos filios genuit, Cain ſcilicet & A-
bel. Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agri-
cola. Tollensq; Abel de ouibus ſuis & de
adipibus earum, obtulit holocauſtum do-
mino, Cain autem de frugibus terræ. Et re-
ſpexit dominus ad Abel, & ad munera ei⁹:
ad Cain autem, & ad munera eius non re-
ſpexit. Vnde iratus Cain & inuidia ductus,
dixit ad fratrem: Egrediamur foras. Cumq; Gene. 4.
eſſent in agro, cōſurrexit aduerſus fratrem
ſuum, & occidit eum. Dixitq; ei deus: Vbi
eſt Abel frater tuus? Qui non ſolum men-
doſe, ſed etiam proterue negauit, dicēs: Ne
ſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum? Di-
xitq; ei deus: Quid feciſti: Ecce vox ſangui-
nis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc
igitur maledictus eris ſuper terram, quæ a
peruit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fra-
tris tui de manu tua. Vagus & profu-
gus eris omnibus diebus vitæ tuæ. Quicun
que ergo hæc audiens, elegerit innocenter
& ſimpliciter viuere cum Abel, timuerit in
uidiam vel odium habere erga fratrem, ne
forte in maledictione reputetur cum Cain
inuenit in prima ætate aliam hydriam aqua
plenam. At vero, ſi ad ſpiritualem intelligē
tiam animum ſuum conuertit, vt intelligat
per Abel dominum Ieſum Chriſtum, per
eius occiſionem domini paſſionem, per ter
ram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſan-
guinem eius, ſanctam eccleſiam, quæ quoti
die in confeſſione domini aperit os, per Ca-
in vero homicidam, populum Iudæorum,
qui propter inuidiam ſanguinem domini
fundere non timuit, & propterea vagus &
profugus eſt reputatus: hydria, quam ple-
nam inuenerat aqua, cōuerſa eſt ei in vinū.
In ſecunda ætate legimus, quod præuarican
tibus his, qui de ſtirpe Adæ deſcenderant,
præceptum domini, inuentus eſt Noe vir
iuſtus, cui dixit dominus: Finis vniuerſæ Gene. 6.
carnis venit coram me, & non permanebit
ſpiritus meus in homine inæternum, eo ꝙd
ſit caro. Delebo (inquit) diluuio omnem car
nem. Fac ergo tibi arcam de lignis leuiga-
tis, & ingredieris eam tu & filij tui, vxor tua
& vxores filiorum tuorum, vt poſſitis viue
re. Te enim inueni iuſtum in generatione
hac. Qui domini implens iuſſionem, per cē
tum annos in arcæ fabrica deſudauit, & in
articulo diei illius ingreſſus ē in arcam ipſe
& filij eius, vxor eius, & vxores filiorū eius
Pluitq; dominus quadraginta diebus & qua
draginta noctibus ſuper terram, & factum
eſt diluuium, mortuaq; eſt omnis caro, in
qua erat ſpiritus vitæ. Poſtea vero vo-
lens ſcire Noe, vtrum ceſſaſſent aquæ, emi
ſit coruum, qui non eſt reuerſus ad eum.

Gen. 8. Ac deinde emisit secundo columbā, quæ vespere reuersa est ad eum, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo. Quisquis ergo hæc audiens, elegerit magis saluari cū electis paucis in exemplum Noe, q̄ perire cum multis reprobis, inuenit in secunda ætate hydriam aqua plenam. Quod si hāc historiā spiritualiter interpretari didicerit, vt intelligat per Noe fabricatorem arcę, dn̄m Iesum Christum fabricatorem & rectorem ecclesiæ, per diluuium, quod peccatores homines deleuit, baptismum, in quo peccata delentur, per coruum, qui egressus est, & non est reuersus, hæreticos qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, per columbam, quæ ramum oliuæ virentibus folijs detulit, vnctionem spiritussancti, quæ fidelibus in baptismo dat: hydria aqua plena, quam habebat, mutata est ei in vinum. In tertia ætate legimus fuisse Abraā virum iustum, cui dixit deus; Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Qui obediens deo statim exiuit, nesciēs quo pergeret, & cum magis ac magis fide & dilectione in deum proficeret, dedit ei deus vnigenitum filium per repromissiōem in senectute sua, nomine Isaac: Dixitq́; ei deus postea: Tolle vnigenitum filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atq; offeres eum ibi in holocaustum, super vnum montium quem monstrauero tibi. Qui consurgens, statim strauit asinum suum, ducens secum duos pueros, & Isaac filium suum.

Gene. 22

Cumq́; die tertia eleuatis oculis vidisset locum procul, quem ostenderat ei deus, dixit pueris suis: Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Et cum imposuisset ligna supra Isaac filium suum, imposuit eum super aram, extenditq́; manum & arripuit gladium, vt immolaret filium.

Gene. 6 Et ecce angelus domini de cælo clamauit, dicens: Abraam Abraam. Qui respondit: Adsum. Dixitq́; ei: Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognoui quod timeas deum, eo quod non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me. Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris. Conuersusq́; retrorsum, vidit arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. Quicunque ergo hæc audiens, cogitauerit in corde suo, cum quanto studio debeat deo obedire, quando Abram magis voluit deo obedire, quàm filio suo vnigenito parcere, habet in tertia ætate hydriam aqua plenam. Si vero in hoc facto Abraæ spiritualem intellectum quæsierit, vt intelligat per Abraam deum patrem, & per Isaac vnigenitum filium eius, dominū Iesum Christum, qui est vnigenitus filius patris, per immolationem Isaac domini passionem, qui pro nobis passurus, lignū in quo pateret ipse portauit, in eo vero q; Isaac domini voce liberatus, & aries pro eo est immolatus, intellexerit domini humanitatem passionem sustinuisse, sed diuinitatem impassibilē permansisse: hydria, quam plenā habebat aqua, mutata est ei in vinum. In quarta ętate legimus fuisse Dauid, nō solum virum fortem sed etiam humilem & misericordem. Qui quum reprobato Saul electus à deo esset ad regnandum, persecutionem passus est à Saule in tantum, vt eum frequenter occidere vellet. Et cum tradidisset eum dominus in manus eius, & posset eum occidere, non solum semel, sed etiam bis tertioq́; pepercit ei propter dominum, dicēs: Absit à me, vt mittam manum meam in Christū domini. Propter quod regnum Saul destructum est, & regnum Dauid super Israel eleuatū. Quod si tu hęc audiens, volueris imitari humilitatem & mansuetudinem Dauid, vt cum inimicis tuis nocere possis, propter deum dimittas, inuenisti in quarta ætate hydriam aqua plenam. 1.Re. 19. 1.Re. 26.

At vero si Saul reprobum & inuidum, populum Iudæorum, qui dominum persecutus est, intellexeris, per Dauid dominum Iesum Christum, qui est fortis & potens in prælio, & dominus virtutū, & qui pro persecutoribus Iudæis exorauit, dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, & ideo regnū eorum dissipatum est, regnum autem domini manet in æternum, quarta hydria, quam plenam inueneras aqua, mutata est tibi in vinum. In quinta ætate legimus, quod populus Iudæorum præuaricatus est mandatum domini, derelinquens deum patrem suorum & adorans idola, & ideo tradidit eum dominus Nabuchodonosor regi Chaldæorum, q duxit eū captiuum in Babyloniam, & Ierusalem ciuitatem destruxit, vbi propter vindictam peccati, per septuaginta annos in grandi afflictione fuit. Postea vero misertus eidem populo deus, suscitauit Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, & Zorobabel principem Iudęorum, qui eundem in Ierusalem reduxit, templumq́; domini restaurauit. Quod si tu hæc audiens, timueris peccare, ne forte aut captiuitas, aut infirmitas, aut qualiscunque temporalis tribulatio propter peccatum tibi accidat, inuenisti in quinta ætate hydriam aqua plenam. Si vero ad altiorem intellectum mentem tuam transtuleris, vt intelligas per populum Israeliticum genus humanum; per Nabuchodonosor, qui populum captiuauit, diabolum figurari, per Babyloniam quæ confusio interpretatur infernū, vbi diabolus genus 4.Re. 25

humanum post præuaricationem captiuum traxit per Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur, cælestem patriam: per Iesum sacerdotem magnum, dominum nostrũ Iesum Christum, qui factus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, qui electos Psal. 109 suos de captiuitate Babyloniæ ad cælestẽ patriam reuocauit: hydria tua, quæ pri⁹ aquam habebat, conuersa est tibi in vinum. In sexta ætate legimus, quod ipse autor & redemptor omnium dominus Iesus Christus, pro homi-I. Tim. 2 nibus homo factus, octaua die circuncisus ẽ, & tricesimatertia post hæc die in templo pręsentatus, atq; legalis hostia pro eo est oblata, nulla tamen necessitate cogente, sed spontanea voluntate, tantum vt legem adimpleret. Quod si hæc tu audiens cogitaueris, cũ quanta solicitudine & studio euangelij debeas obseruare præcepta, quæ per ipsum dicta sunt, quando ipse legem quam per seruum dederat, cum tanta diligentia dignatus est obseruare, inuenisti in sexta ætate hydriam aqua plenam, huberiorem & mundiorem omnibus, de qua non solum ablui, sed etiam satiari potes. Si autem altius aliquid in hoc dñi facto intellexeris, vt intelligas in eo ꝙ ipse noluit prius in tẽplo materialis ædificij constructo præsantari, quàm circunciderετur, & diẽ purificationis expectare, cum non indigeret: quia nos non possumus spũaliter ecclesiæ dei sociari, nec corporis & sanguinis Chři participes fieri, nisi pri⁹ per baptismum fuerimus ab originali peccato mundati: hydria quam aqua plenam habebas, mutata est tibi in vinũ bonum. Quod si adhuc aliquid sacratius perscrutari volueris, vt intelligas in eo, ꝗd dominus Iesus Christus prius voluit circuncidi, quàm in templum intraret: quia nos in tẽplo æternæ beatitudinis, quod est in cęlo, vbi sine fine laus dei canitur, nequaquam intrabimus, nisi in pręsenti vita per confessionẽ elee-Luce. 11. mosynas, & cætera bona opera fuerimus purificati, & omni custodia cor nostrum seruauerimus, vt dignam deo hostiam in cælo offerre mereamur: hydria, quę versa erat in vinũ bonũ, cõmutata est in vinũ meracissimũ, intantũ, vt huius suauissima dulcedine spiritaliter inebriatus, cum propheta dicere pos-Psal. 22. sis: Et calix tuus inebrians quàm præclarus est. Et iterum: Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei, Et rursus: Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, & inebriabuntur ab hubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Hoc vinũ desiderabat ille, qui dicebat in Canticis Canticorum: Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt hubera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Quicunque ergo per singulas ætates exempla sanctorum considerans, bene viuere, & spiritualiter didicerit intelligere eorum doctrinam, in singulis ętatibus inueniet hydrias, de quarum haustu & ablui & satiari possit. Pulcherrime autem mẽtibus sanctorum conuenit, quod de ijsdem hydrijs dicitur: ⌊Capientes singulæ metretas binas vel ternas.⌋ μετρητὴς enim græce, latine mensura dicitur trium modiorum. Non enim dicit, quia aliæ capiebant binas, & aliæ ternas, sed singulæ capiebant metretas binas vel ternas. Cum enim sancti viri, patris & filij mentionem tantum faciunt, quasi binas vel ternas metretas capiunt. At vero cum patris & filij & spiritussancti simul mentionem faciunt, ijdem ipsi ternas metretas capiunt. Quasi enim binas metretas Dauid spiritualis hydria capiebat, cum de patre & filio loquebatur, dicens: Omnia in sapientia fecisti. Psal. 103. Quasi ternas idem ipse capiebat, cum dicebat: Psal. 23. Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Binas metretas dominus ostendit in euangelio, cum dixit: Ego & pater vnum sumus. Ternas o-Ioh. 10. stendit, cum alibi ait: Mat. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti. Doctores autem sancti, id est, spirituales hydriæ, ternas accipiunt metretas, cum indiuiduam trinitatem alijs prædicant credendam: binas, quando dilectionem dei & proximi suis auditoribus commendant. Ministri autem qui eas implesse dicuntur, apostolos significauerunt vel doctores ecclesiæ, per quorum doctrinam haustũ sapientiæ mundus accepit, de quibus bene dicitur:

Et impleuerunt eas usque ad summum.

Quia nullũ tempus ab initio seculi vacuũ fuisse ostenderunt ab eruditione fidelium, quo sine verbis, sine exẽplis spiritualem doctrinam non patefacerẽt. Siue certe eas vsq; ad summũ impleuerũt, quia maiorẽ perfectionẽ ostẽderunt esse per gratiã noui testamẽti, quàm per vetus, quoniam doctrina euangelij quam illi prædicauerunt, totum mundum compleuit: vel quia in operibus sanctorum nihil de imperfectione ad ostendẽdum nobis, magistri ecclesiæ reliquerunt.

Et dicit eis Iesus: Haurite nũc & ferte architriclinò. Et tulerunt.

Architriclinus dicitur princeps triclinij, quia ἄρχων græce, latine dicitur princeps, triclinium autem est domus tres ordines habens. Possumus quoque ad literam hunc architriclinum, aliquem ex maioribus Iudæorum accipere, qualis erat Nicodemus vel Gamaliel, siue discipulus eius tunc Saulus, postea vero Paulus. Spiritualiter vero sicut per architri-

clinum magistri ecclesio designantur, sic per triclinium ipsa ecclesia exprimitur, quæ tres habet ordines, coniugatorum, cōtinentium, atq; virginum. Iussit autem dominus architriclinio vinum ex aqua factum dare, quia illis spiritualis doctrina commendatur, qa sciunt discernere inter vetus & nouum testamentum, id est, inter legem & euangelium.

Vt autem gustauit architriclinus aquam uinum factum, & non sciebat unde esset: ministri autē sciebant qui hauserant aquam, uocat sponsum architriclinus.

Iste sponsus, iuxta literam, vt quidam tradunt, accipitur Iohānes apostolus: qui cum nuptias fecisset, viso miraculo domini, relinquens nuptias, virgo eum secutus est, vnde & dilectus domini dicitur. Spiritualiter vero idem sponsus ipse Christus intelligitur. ⌊Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsq; adhuc.⌋ Doctorum est discernere, quantum distet inter legem & euangelium, & inter literam occidentem & spiritum viuificantem, & inter bonum & malum, sic architriclinus inter vinum discretionem habuit & aquam. Quoniam quantum distat inter aquam & vinum, tantum distat inter legis literam & spiritualem euangelij gratiam. In domini ergo præsentia ipsa clementa mutata sunt, quando lex carnalis ipso interpretāte spiritaliter est intellecta, intantum, vt quicunque hane dulcedinem gustauerit, admiretur & dicat: Omnis homo primum bonū vinum ponit.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana Galilææ.

Pulchre ergo dominus initium signorum suorum hoc miraculo voluit consecrare, vt aquas mutaret in vinum, vt discant fideles, quia non aliam legem venit docere, nisi quā per seruum suū Moysen dederat, sed ipsam spiritualiter interpretādo in melius commutare. Bene autem dicitur:

Et manifestauit gloriam suam.

Manifestauit, videlicet per hoc signum quod ipse esset rex gloriæ & dominus virtutum, & ipse esset sponsus ecclesiæ: manifestauit, quod ipse esset, qui cuncta ex nihilo potuit creare, qui etiam quando voluit, elementa potuit immutare. Quod vero subditur:

Et crediderūt in eum discipuli eius.

Non putandum est, quod tūc primum in eum crediderint, maxime cum ab illo ad nuptias vocati esse dicantur: sed qui prius crediderant, viso miraculo, firmius crediderunt, & quem antea hominem credebāt, hoc signum videntes, deum verum & hominem esse crediderunt.

DOMINICA .III. POST Epiphaniam. Matthæi octauo.

In illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutę sunt eum turbæ multæ. Et reliqua.



SVperius Euangelista narrauit, qualiter dominus sedens in monte, ordinem octo beatitudinū tradidit, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnum cœlorum, & cætera quæ sequuntur. *Matt. 5.* Et vt vera esse crederent quę in verbis audierant consequenter miraculum adiungere curauit, dicens:

Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

Vbi spiritualiter montem, in quo dominus sedit, cælum intelligere possum⁹, in quo cum patre mansit, & manet semper æqualis. Tunc autem de monte descendit, quādo propter nos & propter nostram salutem in conualle plorationis veniens, humanitatem nostram assumpsit, vt qui inuisibilis erat in suis visibilis appareret in nostris: & quem non poteramus videre in sua altitudine saltem cognosceremus in nostra infirmitate. Vnde iuxta congruam rationem, soli discipuli in monte ad eum accesserunt, sed eo descendente de monte, multæ turbæ secutæ sunt eum: quia ante suam incarnationem notus in Iudæa tantum erat deus, & Israel magnum nomen eius: at vero, postquam vsque ad nostram humanam naturam assumendam descendit, protinus per fidem multæ turbæ eū secutæ sunt nationum. De quibus olim Isaias prædixerat, dicens. Et erit in nouissimis diebus præparatus mōs domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & sublimis erit valde. Et veniēt ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine dei nostri. *Isaie. 2.* Et Psalmista: Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum in æternum. *Psal. 85.* Hanc quoq; turbam videbat Iohānes in Apocalypsi, qui cum ex singulis tribubus Israel duodecim milia signatos describeret, adiunxit: Post hęc vidi turbam magnam quam nemo poterat dinumerare, ex omnibus populis, tribubus & linguis. *Apoc. 7.* Sequuntur

autem turbæ dominum, quãdo eius vestigia humanitatis imitantur fideles. Sequi enim dominum, imitari est, sicut ipse dicit: Qui mihi [Iohã. 12] ministrat, me sequatur. Et iterum: Qui vult [Luc. 9.] venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Ecce leprosus ueniens adorabat eũ, dicens: Domine, si uis, potes me mundare.

Si quis in hoc loco solam literam attẽdat, non paruam fidem habuisse leprosus iste cognoscitur. Deum enim non dubitauit, quem supplex adorauit. Nec de eius dubitauit potestate, cum solam requisiuit voluntatem, dicens: ⌊ Domine, si vis, potes me mundare.⌋ Vnde fides protinus effectum consecuta est, nam sequitur:

Et extendens Iesus manum, tetigit eũ dicens: Volo, mundare.

Vbi cum magna appareat domini potestas, non minor eius declaratur humilitas. Leprosum enim, quem lex extra castra eijci iubebat, quẽ scribæ & pharisæi vix respicere dignabantur, ille tangere non recusauit, qui eũ mundare poterat sine tactu, ostendens, quia eius tactus salus est credentibus. Quæritur, quare dominus leprosum tetigerit, cum lex præcipiat eum non tangere? Primũ, vt humilitatis & cõpassionis exemplũ nobis ostenderet, nec despiciendos proximos ꝓpter debilitates aliquas declararet. Deinde, vt non seruum, sed dominum legis se esse ostenderet, qui cum secundum legem ambularet, etiam supra legem quoscunq; vellet, mũdaret. Qđ autem ait: ⌊Volo, mundare,⌋ non simul iungendum est & legendum, volo mundare, vt quidam Latinorum putauerunt, sed prius dicendum ⌊volo,⌋ deinde inferendũ est ⌊mũdare.⌋ Ad singula erga verba leprosi, singula dominus respondit. Leprosus enim dixerat: ⌊Domine, si vis, ⌋ dominus respondit: ⌊volo.⌋ Leprosus dixerat, ⌊potes mundare.⌋ dominus respondit, ⌊mundare,⌋ imperatiuo scilicet modo.

Et confestim mũdata est lepra eius.

Inter dicere autem domini & facere, nulla est differentia. Dixit enim & facta sunt, [Psalm. 32] mandauit & creata sunt. Allegorice autem, leprosus iste genus designat humanũ, quod tunc lepram peccati incurrit, quando præceptum domini in paradiso contempsit. Vnde bene iuxta euangelistam, non solum leprosus, sed etiam plenus lepra fuisse describitur: quoniam veniens dominus in carne, inuenit genus humanum varijs erroribus & iniquitatibus inquinatum. Sed domino de monte descendente, id est, in carne apparente, leprosus ei occurrit: quia intellexit genus humanum tam ex Iudæis, quam ex gentibus iniquitatis lepra pollutum, aliter mundationem animæ se non posse accipere, nisi per eius fidem, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, teste Apostolo qui ait: Non est distinctio Iudæi & Græci. Omnes [Rom. 3] enim peccauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Sed dominus quiꝗ salutem conferre venerat, non dedignatus est tangere leprosum, vt eum ad salutẽ proueheret. Quasi enim leprosum tangendo curauit, qñ per hoc, q̃d nostræ carnis similitudinẽ assumpsit, à pc̃tis animæ nos liberauit. Et q̃ verbo leprosum curare poterat, tãgendo curare maluit: q̃a per hoc quod morticinũ nostræ carnis suscepit, à peccatorum contagione nos purificauit, ostendens seipsum esse, de quo per Isaiam fuerat prophetatum: Vidimus eum non habentem speciem, neque de- [Esaia. 53] corem, & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem. Et quasi abscõditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus ẽ propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra. Hinc & apostolus Petrus ait: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super [1. Pet. 2] lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus cuius liuore sanati sumus.

Et ait illi: Vide nemini dixeris, sed uade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.

Quid est enim quod dominus, qui alibi sanato homine à legione dæmonis præcepit, dicens: Vade in ciuitatem ad tuos, & annuncia eis quanta tibi fecerit deus, nunc autem leproso curato dicit: ⌊Vide nemini dixeris?⌋ Nos nimirum in hoc facto instruit, quos frequenter inanis gloria tentat, ostendẽs etiam in bono opere iactantiam esse fugiendam. Si enim ille, qui vt filius dei iactantiam nõ timebat, miraculum suum occultare præcepit, multo magis nos quos vana gloria subrepit iactantiam cauere debemus, vt secundum quod ipse ait: Nesciat sinistra tua quid faciet dextera tua. Hinc iterum admonet, di- [Matth. 6] cens: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio orã patrem tuum, & pater tuus qui videt in abscõdito, reddet tibi. In eo vero q̃d ait ⌊vade, ostẽde te sacerdoti,⌋

Considerandum est, quod nullos alios dominus, quibus corporaliter sanitatem præstitit, ad sacerdotes misisse legitur, nisi tantũ leprosos, quod nõ solum hic fecisse legitur, sed etiam alibi, quando decem viris leprosis sibi occurentibus & clamãtibus: Iesu præceptor, miserere nostri, præcepit, dicens: Ite ostendi Luc. 17. te vos sacerdotibus, quod ob varias causas eũ fecisse credimus. Primũ vt sacerdotibus honorem deferret: secundo, ne contradictor legis videretur: quia legis præceptum erat, vt si quis à lepra mũdatus esset, veniret ad sacerdotem: tertio, vt sacerdotum animos ad suã crudelitatem prouocaret, & nõ credentibus omnem excusationem auferret. Et videntes leprosum mundatum, si crederẽt in mundatorem, salutem inuenirent: si autem credere nollent, inexcusabiles essent. Vnde bene dicitur ⌊In testimoniũ illis.⌋ i. sacerdotibus. Aliter per montem, in quo dominus discipulos docuit, sublimior doctrina accipitur, vbi soli discipuli accesserunt: quia illi in spiritualibus rebus sunt instruendi, qui per diuturnã meditationẽ eas capere possunt. Qui aũt paruuli sunt in sensu & terreni in fide, quasi in Mat. 5. conuallibus sunt instruendi. i. In apertiorib⁹ sententijs monendi. Vnde cum in montibus discipulos docuit, & in cõuallibus leprosum curauit, ostendit in prædicatione iuxta capacitatem auditorum, formandum esse sermonem doctorum. Non enĩ propter perfectos deserendi sunt imperfecti, sed potius cum il- Luc. 5. lis corrigendi atq; tollerandi. Qui enim tales sunt, vt cum apostolis audire possint: Vobis datum est nosce mysterium regni dei, altius & profundius in allegoriarum typis & figuris sunt instruendi. Qui autem paruuli sunt sensu, sola litera sunt instruendi, quod etiam dominus alibi suo exemplo nos instruit, qñ Mat. 19. cuidam dicenti: Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? quasi in cõualle posito respondit, dicens: Mãdata nosti, Nõ occides, non adulterabis, nõ falsum testimonium dices, non cõcupisces rem proximi tui, &c. Sed illo respondente, Hæc omnia custodiui à iuuentute mea, protinus montem perfectionis ostendit subijciens: Adhuc vnũ tibi deest, si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo, & veni seq̃re me. Et qa hunc montẽ difficile ascendunt, qui amore diuitiarũ sunt onerati, abijt ille tristis, eo quod multas haberet possessiones. Huius quoq; exemplum Paulus apostolus secutus, quasi cũ quibusdam in cõuallibus morabatur, quibus 1. Cor. 3. dicebat: Ego vobis fratres non potui loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, nõ escam. Quasi cum alijs montẽ ascenderat quibus dicebat: Sapientiã loquimur inter perfectos. Moraliter autem leprosus iste qui domino de monte descendenti occurrit, vnumquenq; significat peccatorẽ. Sicut enĩ lepra uarium exprimit colorem in cute, sic peccatum varias habet species in mẽte. Qui enim adulterium, homicidium, furtum, rapinam, sacrilegium, & his similia perpetrat, q̃si leprosam in anima cutem demonstrat. Talis si vult mundationem recipere, debet domino occurrere. i. cũ lachrymis & gemitibus se peccatorem cognoscere, & domini misericordiam compuncto corde exorare, dicens cum Psal. 50. Propheta: Miserere mei deus secundũ magnã misericordiam tuam. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum cõtra me est semper. Tibi soli peccaui & malũ coram te feci: Et iterum: Delictum meum co Psal. 31. gnitum tibi feci, & iniustitias meas nõ abscõdi. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meã domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Nec debet desperare veniam, si dignam non neglexerit agere pœnitentiam. Nam quantum misericors sit dominus erga peccatores cõuersos, manifestatur cũ subdit: ⌊Et extendens Iesus manum tetigit eum, dicens: Volo mundare.⌋ Et quia verus est me- Mat. 9. dicus, qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam, recte leprosum tetigisse dicitur. Manus enim domini in scripturis, aliquando maiestatis suæ potentiam, aliquãdo incarnationis mysterium significat. Potẽ Psal. 30. tiam maiestatis significat, vt ait Psalmista. In manus tuas domine commendo spiritũ meum. Incarnationis mysterium, vt idem ali Psal. 143 bi ait: Emitte manum tuam de alto. Vult enĩ deus mundare leprosum, quia vt ait Aposto 1. Thi. 2. lus: Neminem vult perire, sed oĩes ad agnitionem veritatis cõuerti. Vnde ipse per Pro Ezec. 18. phetam ait: Viuo ego, dicit dominus deus, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Et iterum: peccator quacunq; die conuersus fuerit, & reliqua. Et in euangelio: Dico vobis, gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. Nec eget dominus spatio annorum vel longitudine temporum in pœnitentia, sed cor contritum & humiliatum deus non spernit: quia non nocent mala præterita, si nõ placent. Primum autem tetigit leprosum, & postmodũ mundauit, quia prius mentem nostram per suam gratiam ad pœnitentiam agendam inflammat, & postmodum digne petentibus, quod peccauimus per misericordiam relaxat. Sed quia ipsa peccata vice domini sacerdotibus confiteri debemus, & ad eorum consilium pœnitentiam agere, recte subiungitur: ⌊Vide nemini dixeris, sed vade ostẽde te sacerdoti. &c.⌋ Forte etiam sunt nonnulli, qui

sufficere sibi credunt, quod soli deo cōpuncto corde peccata sua confiteantur, nec ea esse necesse sacerdotibus confiteri, tantummodo vt à malis suis operibus cessent. Quorū opinio si vera esset, nequaquam dominus leprosos, quos per semetipsum mundauerat, ad sacerdotes misisset. Deniq; si peccata non essent sacerdotibus confitenda, & ad eorum iudicium excutienda, Paulum quem in via fuerat allocutus, nequaquam Ananiæ sacerdoti destinaret, dicens: Vade in ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Quod enim Act. 9 confitentibus peccata sua sacerdotibus, multum prosit, probat Iacobus apostolus, dicēs: Iacob. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Et Iohānes: 1. Ioh. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est deus, vt dimittat peccata nostra, & emundet nos ab omni peccato. Quod etiam in veteri testamento figurate demonstratur, quando tale de leprosis præceptum Moysi à domino dicitur, sic enim scriptum est. Et locutus est dominus ad Moysen: Vir in cuius Leuit. 13 cute varius color apparuerit, veniet ad sacerdotem & ostendat se illi: qui recludet eum in domo separata seorsum per septem dies, & post septem dies intuitus eum, si viderit creuisse lepram, addat alios septem dies. Post quatuordecim vero dies iterum intuitus eum, si viderit adhuc crescere lepram, sciat quia lepra perseuerans est, & tunc iudicet eum leprosum, & eijciat eum extra castra, qui manebit intonsa barba, operto capite, scissa veste, aperto ore, immundum se iudicans omni tēpore separationis suę. Si autem mundatus fuerit, qui huiusmodi sustinet passionem, veniat ad sacerdotem, & offerat pro emundatione sua tortam panis, & sextarium olei ad luminaria concinnanda, & offerat duos passeres viuos, vnum pro peccato, & alterum in holocausto. Quæ omnia qualiter nunc in ecclesia spiritualiter fieri conueniant, breuiter nunc commemoranda sunt. Lepra enim (vt diximus) peccatum significat, in cuius ergo cute lepra apparuerit, id est, in cuius anima peccatum fuerit, veniat ad sacerdotem, locum lepræ ostendens, id est, peccata sua humiliter ei confiteatur. Qui sacerdos recludat eum in domo separata seorsum per septem dies, id est, omni tempore vitæ suæ, quæ per septem dies voluitur, pœnitendum insinuet: & post septem dies intuitus eum, si viderit creuisse lepram, addat alios septem, id est, vbi iteratur peccatum, augeatur pœnitentiæ modus. Quoniam districtius iudicandi sunt, qui per consuetudinem peccāt, quàm illi qui subito cadunt. Post quatuordecim vero dies iterum intuitus eum, si viderit adhuc crescere lepram, id est, si peccatum in consuetudinem viderit venire, sciat quia lepra perseuerans est. Maneat autem extra castra, vel corpore ab ecclesia separatus, vel à cōsortio sanctorum se in mente indignum iudicet. Habeat intonsam barbam, vt hic squalorem pœnitentiæ etiam in ipso vultu ostendat. Operto capite, quia ab officio prædicationis cessare debet, qui publice pœnitet. Maneat autem aperto ore, scissa veste, id est, per confessionem suam patefaciat conscientiam. Si autem sanatus fuerit, qui huiusmodi sustinet passionem, veniat ad sacerdotem, & offerat pro emundatione sua tortam panis, videlicet dulcedinem charitatis quibuscunque potest impēdat, non solum amicis, sed etiam inimicis. Et pulchre per tortam panis dulcedo charitatis designatur, quia sicut in vita hominis principalis est panis: sic inter omēs virtutes principalis est charitas. Offerat etiam & sextarium olei, id est, misericordiæ viscera indutus, in se peccantibus clementer ignoscat: & hoc ad luminaria concinnāda, vt sicut plures peccando suo destruxit exemplo, ita emendatius viuendo, sua satisfactione multos reædificet. Offerat quoque duos passeres viuos, id est, corpus & animam suam diuinæ seruituti subijciat, vt sicut exhibuit membra sua seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita seruiat iustitiæ in sanctificationem. Siue certe offerat duos passeres viuos: id est, duo genera compunctionis, timoris scilicet & amoris. De quibus recte dicitur: Vnum pro peccato, & alterum in holocausto, id est, in sacrificio, quod offerebatur pro pctō, vnum: & in gratiarum actione: vbi non pro timore peccati, sed pro amore dei & desiderio offerebatur: alterum. Quia omnis peccator prius timore compungitur, & post amore.

Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eū, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.

Post curationem leprosi venitur ad aliud miraculum, in quo nō solum domini uirtus apparet miranda, sed etiam centuriōis humilitas imitanda. Sed primum quærendum est, quare dicat Matthæus centurionem ad dominum accessisse, cum Lucas referat, q̄d nō ipse venerit, sed seniores Iudæorum pro se miserit. Sic enī scriptum est in Luca: Centurionis cuiusdam seruus erat moriturus, qui erat ei p̄ciosus. Et cū non auderet accedere ad Iesum, misit seniores Iudæorum, qui venirēt ad eū, dicentes: Domine, dignum est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gentē nostrā, nā & synago

gam ipse ædificauit nobis. Non ergo putandi sunt contraria euangelistæ sensisse, sed vnus describit voluntatem, alter opera. Quod enim Matthæus ipsum accessisse dicit, intentionem illius descripsit, quia voluntate accessit. Quod vero ait Lucas, quod non ipse venerit, sed seniores Iudæorum pro se miserit, humilitatem ostendit centurionis, & quemadmodum secundum literam factū sit. Quia cum esset gentilis, non per seipsum ad dominum corporaliter ausus est accedere. Sed qd ei dominus responderit, audiamus:

Et ait illi Iesus: Ego ueniam & curabo eum.

In quibus verbis nostra superbia confunditur, si ad hanc lectionem cum alia euangelij conferamus. Legimus enim alibi in euangelio secundum Iohānem, quod erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt & rogauit eum, vt descenderet & sanaret filium eius. Incipiebat
Iohā. 4. enim mori. Et dixit ei Iesus: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Et ille: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Cui dixit Iesus: Vade, filius tuus viuit. Quid est ergo quod dominus ad filium reguli rogatus ire noluit, & ad seruum Cēturionis etiam non rogatus ire paratus fuit: Quis enim ignorat maioris potestatis regulū, quàm centurionem? Nostra in hoc facto (vt diximus) superbia confunditur, qui in hominibus non naturam, sed potentiam cōsideramus. Quos enim potentes cernimus, metuimus, veneramur & honoramus. Quos autem pauperes, contemnimus, negligimus & despicimus. At vero filius dei, qui de cęlo venit in terram, vt superbiam fugiendam, & humilitatem amandam, atque naturam hōis diligendam ostenderet, ad filium reguli rogatus ire noluit, & ad seruum centurionis, etiam cum non roga
Psal. 137 tetur, ire paratus fuit. Excelsus enim dominꝰ humilia à prope respicit: alta autem, id est, superba, à longe contemnit, quoniam sicut Pe-
Actu. 10. trus apostolus de eo testatur: Non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui operatur iustitiam, acceptus est illi.

Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tātum dic uerbo, & sanabitur puer meus.

Magna hæc centurionis declaratur fuisse fides, sed non dispar comprobatur humilitas. In opere huius centurionis, tres imitabiles virtutes nobis ostenduntur, humilitas scilicet, fides & prudentia. Magnam enī habuit humilitatem, qui dicente domino, ⌊Ego veniam & curabo eum.⌋ indignum se iudicans, respondit: ⌊Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.⌋ Perfectam autem habuit fidem, quia cum esset gentilis, solo verbo dominum credidit posse puero reddere sanitatem, dicens: ⌊Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.⌋ Nisi enim illum omnipotentem fidenter crederet, nequaquam pro seruili sui prosperitate rogaturus, ad eum accessisset. Habuit etiam non paruam prudētiam, cum eum quem corporaliter ambulantem vidit, vbique per diuinitatem esse pˀsentē intellexit. Nec charitas in eo defuisse credenda est, quia cum multi pro sua, suorumq́; filiorum ac charorum salute ad dominum rogaturi accederent, ille pro serui tantum sanitate. Vnde adhuc in fidei constantia perseuerans, subiunxit, dicens:

Nam & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites, & dico huic: uade, & uadit: & alio ueni, & uenit: & seruo meo fac hoc, & facit.

Ac si diceret: si ego qui homo sum sub potestate principis, habeo sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alio veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit: quanto magis tu, cum sis deus, vbique totus, vbique præsens, vbique potens, si dixeris infirmitati, recede, nonne recedet? Si dixeris sanitati, veni, nonne veniet? Et ideo non est te necesse corpore eundo fatigari, qui solo verbo potes curare. Spiritualiter autem per hos subiectos centurionis naturales virtutes, in quibus quidam gentilium pollebant, intelligere possumus, vt est, non adulterari, non furtum facere, non rapere, non occidere, inopis misereri, miseris subuenire, & his similia. Vnde de Cornelio gentili legimus, quod legimus, Actu. 10.
quod erat vir iustus & bonus, faciens eleemosynas cum omni domo sua plebi, ac timens deum. Vel certe per hos subiectos centurionis, bonas malasve cogitationes, quæ cordi nostro non desunt, possumus accipere, quas nobis subiectas habere debemus: vt si dixerimus malis, recedite, recedant: bonis, venite, & veniant, & cum illis condelectemur. Seruo autem nostro, id est, corpori dicamus, fac hoc & faciet, id est, imperemus, vt ea quę sunt spiritus domini perficiat, iuxta illud Apostoli: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. 1. Cor. 9

Audiens autem Iesus, miratus est.

Admirabatur dominus fidem centurionis, quam cordi eius mirabiliter administrabat, non quod aliquid ei mirandum esset, qui cuncta operatur mirabiliter, sed vt eundem

nos mirari debere doceret. Cuius fidem dominus admirãs, pariter & collaudans, sequẽtibus se dixit:

Amen dico uobis, non inueni tantã fidem in Israel.

Quod non de patriarchis & prophetis dicit, quondam se uidentibus, & si Israel uidẽs deum interpretatur: sed de Israel carnali, id est, populo Iudæorum, vel de illis qui præsentes erant, inter quos signa & miracula faciebat, quibus verbum vitæ annunciabat, quod etiam recipere nolebant. Quia non sic cito crediderunt, quomodo centurio. Vnde pulchre in centurione non solum fides gẽtium collaudata est, sed etiam præfigurata, cum dicitur:

Dico autẽ uobis, quod multi ueniẽt ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraam & Isaac & Iacob in regno cælorum.

Per orientem & occidentem quatuor mũdi partes designantur, à quibus ex omnibus gentibus erant in fide, non solum per prædicationem apostolorum, sed etiam eorum successorum. De quib⁹ per Psalmistam dicitur:
Psal. 106 Dicant qui redempti sunt à domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos, A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. Quod autem per prædicationem apostolorum multi ad fidem (vt diximus) vocati sunt, idem Psalmista alibi demõstrat, cum dicit: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et iterum, Non sunt loquelæ neq; sermones, quorũ non audiantur voces eorum. Vel certe (vt quidam volunt) ab oriente venerunt Hebræi, quia primi dominum cognouerunt, ab occidente gentiles, quia vltimi dominum perceperunt. Aliter ab oriente venerunt, quia deo protegente, nulla criminalia peccata commiserunt: ab occidente, qui post multa flagitia perpetrata, ad omnipotentem deum conuertuntur. Vel ab oriente, qui ab ipsa infantia vel pueritia deo seruit: ab occidente, qui in senectute vel decrepita ætate ad dei seruitutem conuertitur. Recumbere autem cum Abraam & Isaac & Iacob in regno cælorum, est in fide patriarcharum gentes requiescere, & illum credere venisse, quem sancti patriarchæ venturum prophetauerunt. Terribilis autem de Iudæis prædicitur sententia, cum dicitur:

Filii autem regni huius eiicientur in tenebras exteriores.

Filios regni Iudæos dicit, qui merito filij regni appellantur, quia pro amore regni terreni, cælestem regni credere noluerunt, dicentes Pilato: Non habemus regem nisi Cæsarem. Et iterum regnum terrenum eligentes, & cæleste respuentes, dixerunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Nam Iudæi sub potestate Romanorum erant constituti, & ideo hac occasione decepti, timebant, vt si à Romanis rex nouus in Iudæa regnare audiretur, debellarentur, & à regno eijcerentur. Ergo quia Iudæi magis terrenum regem, quàm cælestem dilexerunt, non solum cælestem, sed etiam terrenum perdiderunt. Quoniam dispersi de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, relicti sunt sine deo, sine lege, sine duce, sine sacerdote. Sicut enim filij dei vocantur, qui magis deum quàm mundum diligunt, sic filij regni dicuntur, qui in amore terreni regni radices cordis perseuerabiliter plantauerunt. Vbi autem tales mittendi sint, manifestatur, cum subiungitur:

⌊Eijcientur in tenebras exteriores.⌋ In quo loco considerandum, quia cum tenebræ semper sint interiores & non exteriores, in tenebras exteriores mittuntur post mortem, qui in tenebras interiores, id est, in cæcitate mentis se concluserunt, dum viuerent. Quæritur autem, quare dicantur tenebræ exteriores, cum semper sint interiores, sicut clauso ostio domus intrinsecus tenebræ sunt, extrinsecus autem lux. Ad quod dicendum, quia tenebræ interiores cæcitas mentis dicuntur: exteriores vero pœnæ infernales, quæ extra nos sunt. Nam in inferno interiores sunt, sed illi qui illic patiuntur, in tenebras exteriores, id est, in infernales pœnas mitti dicũtur. Quid autem ibi missi patiantur, demonstrantur, cũ subinfertur:

Ibi erit fletus & stridor dentium.

Oculi enim præ nimio fumo solent lachrymari, & dentes præ nimio frigore stridescere. Cum ergo ait: ⌊Ibi erit fletus & stridor dentium,⌋ ostendit per metaphoram membrorum, quia reprobi in pœna & frigus inæstimabile, & calorem intolerabilem sustinebunt, sicut per beatum Iob dicitur: Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius. Obliuiscatur eius misericordia. Dulcedo illius vermes. Si quis autem de resurrectione sui corporis dubitat, ipsam per hunc locum fieri intelligere valet. Oculi enim carnei sunt & dentes ex ossibus. Igitur cum dixit, ⌊Ibi erit fletus & stridor dentium,⌋ in eadem effigie, qua in præsenti seculo manemus ostẽdit nos in futuro resurrecturos. Vnde alibi beatus Iob dicit: Credo quod redem Iob. 19

ptor meus viuit, & in nouissimo die de terra
surrecturus sum. Et rursum circumdabor pel
le mea, & in carne mea videbo deum, quem
visurus sum ego ipse, & nõ alius, & oculi mei
cõspecturi sunt, id est, nõ alia figura pro me,
sed ego ipse eum videbo. Quam etiam domi-
nus, cum post suam resurrectionem loquere
tur discipulis ostendit, dicens: Videte manus
meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Et ite
Luc. 24. rum: Palpate & videte quia spiritus carnem
& ossa non habet, sicut me videtis habere.

**Et dixit Iesus centurioni: Vade, sic-
ut credidisti fiat tibi. Et sanatus est
puer ex illa hora.**

Hic considerandum est, quantum vnum-
quenq; propria fides adiuuet, quãdo tantum
profuit aliena. Propter fidem enim centurio-
nis, reddita est puero sanitas. Fides nanq; ma
gna est virtus, & vt ait Iacobus apostolus, si-
ne qua impossibile ẽ placere deo. De qua et-
Hab. 2. iam per Habacuc prophetam dicitur: Iustus
Luc. 17. autem meus ex fide viuit, quã dominus disci-
pulis commendans, ait: Si habueritis fidem
sicut granum sinapis, diceretis monti huic,
transi hinc, & transiret: arbori moro, eradica
re & transplantare in mare, & obediret vo-
bis. Et quia in centurione gentili, gentium fi-
des est præfigurata, recte iste qui sic perfecte
credidit, centurio ab euangelista appellatur.
Centurio enim dicitur, ꝙ sub se centum ha-
beat milites. Centenarius quippe numerus
perfectus est, qui de læua trãsit in dexteram,
& circulum exprimens, fit in modum coro-
næ, illam coronam exprimens, quam milites
Christi pro spirituali certamine percepturi
sunt, quorum vnus loquebatur, dicens: Bonũ
2. Tim. 4 certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem
seruaui. De reliquo, reposita est mihi corona
iustitiæ.

DOMINICA QVARTA post epiphaniam. Matthæi VIII.

**In illo tempore. Ascendente Iesu
in nauiculam, secuti sunt eum disci-
puli eius. Et ecce motus magnus fa-
ctus est in mari. Et reliqua.**



N huius lectionis serie vtrius-
que suæ naturæ veritatem do-
minus Iesus Christus digna-
tus est commendare, diuinam
scilicet & humanam. Quasi eñ
homo nauem ascendit, sed quasi deus mare
conturbauit: quasi homo in naue dormiuit,
sed quasi deus ventis & mari imperauit. Nec
ideo nauis officium assumpsit, vt non posset
mare siccare, sicut quondã corã filijs Israel fe
cerat: vel super fluctus maris ambulare, qui
etiã Petro, vt super fluctus ambularet, tribuit:
sed quæ hominis sunt egit, vt verum hominẽ
pro nobis factum se esse insinuaret. Allego-
rice autem nauis, quam dñs ascendit, vexillũ
crucis significat. Quasi enim nauem ascẽdit,
qñ pro nostra liberatione in ligno crucis se
eleuari permisit, sicut ipse Iudæis dixit: Cum
exaltaueritis filium hominis, tunc scietis quia Ioh. 8.
ego sum. Vnde bene Marcus prope solis oc
casum eum nauem ascendisse commemorat,
vt passionis eius sacramentum insinuaret, de
quo per prophetam dicitur: Sol cognouit oc Psal. 103.
casum suum. Secuti sunt eum discipuli eius,
quia vestigia eiꝰ passionis sunt imitati. Sequi
enim dominum, imitari est, sicut ipse dicit:
Qui mihi ministrat, me sequaẗ. Et iteꝝ: Qui Iohã 12.
vult venire post me, abneget semetipsum, & Luc. 9.
& tollat crucẽ suam, & sequatur me. Sed do-
mino nauem ascendente,

motus magnus factus est in mari.
quia illo in cruce pendente, commotio facta
est in populo Iudæorum. Quasi enim mare tu
mebat, quando Iudæorum populus fremen-
do clamat: Crucifige crucifige talem. Tantũ
autem motus maris præualuit,

ut nauicula operiretur fluctibus.
quia intãtum excreuit persecutio Iudæorum,
vt ipse princeps apostolorum Christum ne-
garet, & ipse & alij propter metum Iudæorũ
in conclaui residerent.

Ipse uero dormiebat: quia resurrectio-
nis suæ potentiam vsq; in triduum differebat.
Et pulchre mors Christi somno cõparatur,
quia nemo tã facile excitatur à somno, quàm
ille resurrexit de sepulchro. De qua dormiti-
one ipse per prophetam dicit: Ego dormiui Psalm 3.
& soporatus sum, & exurrexi.

**Et accesserunt ad eum discipuli eius,
& suscitauerunt eum, dicentes: Do-
mine, salua nos, perimus.**

Non vt aliquid in resurrectione eum iuua
re possent, qui se propria virtute resuscitauit,
sed quasi ipsi eũ suscitauerunt, q de eius resur
rectione ex parte dubitauerũt, recte dicitur:

**Et dixit eis: Modicæ fidei, quare du
bitastis?**

Modicæ fidei est, qui ex parte credit, & ex
parte non credit. Nam qui ex toto dubitat,
infidelis est. Modicę ergo fidei appellati sunt
apostoli, quia in eius resurrectione ex parte
dubitauerunt, teste Matthæo, qui ait: Vnde-
cim discipuli abierunt in Galilæam, in mon-
tem vbi cõstituerat illis Iesus, & videntes eũ
adorauerunt, quidam aũt dubitauerũt. Vnde
merito iuxta Marcum euangelistam, nouissi-
me increpatur illorum incredulitas, & duritia
cordis, q̃a his, viderant eum resurrexisse, non

crediderunt. De hac modicitate fidei argue-
Luc.24. bantur illi, qui à domino audierant: O stulti & tardi corde ad credēdum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ.

Tunc surgens imperauit uentis & mari, & facta est trāquillitas magna.

Surgens enim dominus, ventis & mari imperauit, quando suam resurrectionem manifestans discipulis, & eorum mentibus dubitationem quiescere fecit, & frementis Iudæorum populi sæuitiam cōpressit, impleta pro-
Psal.75. phetia quæ dicit: Terra tremuit & quieuit, cum resurgeret in iudicio deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ

Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei?

Non hoc apostoli dixisse putandi sunt, sed nautę & cæteri qui erāt in naui. Sed si quis cō tentiose hoc apostolos dixisse defendat, nouerit eos homines esse appellatos, qa adhuc humana sapiebant. Nam si quis diuinitatis naturam consideret, non est hoc mirum, si ventis & mari potuit imperare, qui cuncta ex nihilo potuit creare. Ipse enim erat in naui, qui in principio terminum constituit maris, di-
Iob.38. cens: Hucusq; venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Possumus quoq; & hanc domini nauigationem ad generalem ecclesiæ referre persecutionem, quoniam nauis aliquando ecclesia designatur, sicut per prophetam dicitur: Qui
Psal.106. descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Qui ergo pelagus mundi transire desiderat, huius nauis gremium necesse ascēdat. i. ecclesiæ mēbris se fide & opere societ. Quasi enī dominus nauem ascendit, quando prædicantibus discipulis ad ecclesiam venit. ⌊Sed motus magnus factus est in mari.⌋ Quia persecutio paganorum, instigante diabolo, contra ecclesiam consurrexit, intantum ⌊vt nauicula operiretur fluctibus. Videlicet, vt crescente persecutiōe, ecclesia in paucis fidelibus vix latere posset: nec auderet publice nomē Christi cōfiteri, nisi q paratus esset ilico pro Christo mori: quod factum historiæ referunt temporibus Diocletiani & Maximiani, & aliorū qui ecclesiam nō mediocriter persecuti sunt. ⌋Ipse vero dormiebat, ⌋quia virtutes suæ potentiam non ostendebat. Quasi enim dormiebat in naui, quando contra pios reprobos præualere permittebat, vt electi de patientia sublimius coronarentur, & reprobi de crudelitate acrius damnarentur. ⌊Et accesserunt, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. ⌋ Quando fideles & ecclesiastici viri, intelligentes se illam persecutionis procellam sua virtute nec tolerare, nec superare posse, totis desiderijs ad eum cōfugerūt, qui ait in euangelio: Sine me nihil potestis facere, dicentes illi cum propheta: Exurge, q̄re Psal.43. obdormis domine? exurge, & ne repellas in finem. Et illud. Exurge domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. ⌊Tunc surgens imperauit ventis & mari.⌋ Surgens, enim dominus, ventis & mari imperauit, qn̄ persecutiones paganorum à diabolo excitatas quiescere fecit, nonnullos eorum ad suam fidem conuertens, aliquos in incredulitate p̄seuerantes corporaliter puniens. ⌊Et facta est tranquillitas⌋ ecclesiæ, intātum vt ipsi imperatores, reges & principes iugo Christianæ fidei colla submitterent, & ipsos postmodum honorarent, in quorum persecutionem prius exarserant, & intantum, vt homines mirarentur, dicentes: ⌊Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?⌋ Sed quod generaliter ad vniuersalem ecclesiam diximus pertinere, potest moraliter ad vnamquanq; animā iusti viri referri. Qui enim abrenuncians, im- Gala.5. pietatem & secularia desideria, membra sua crucifigit cum vitijs & concupiscentijs, quasi cum domino nauem ascendens, mare huius seculi transire desiderat. Sed statim motus magnus consurgit in mari, quia procella tentationis ex inuidia diaboli orta, mentem viri iusti à bono proposito commouere optat, aliquando prauorum persecutionibus exterius, aliquando impulsu malarum cogitationū interius, nonnunquam etiam ex propria fragilitate carnis, stimulis ortis tētationū. Discipulis ergo cum domino nauem ascendentibus, fit commotio magna in mari: quia quāto magis quisq; in deum proficit, tāto magis inuenit in seculo, quod durius portet, exemplo Israelitarum, qui tunc à Pharaone duplici vexati sunt afflictione, cū eos à Moyse monitos ad diuinum contigit auxilium confugisse, quando per Moysen & Aaron ad terrā repromissionis sunt vocati. Quod dominus etiam suo exemplo ostendit. quando post ieiunium diaboli tentationes pertutulit. Sæpe enim post conuersionem nos diabolus acrius tentat, quos à sua seruitute recedere dolet. Sed ille qui non dormit, neq; dormitat, custodiens Israel, quasi dormit in naui, cum mentē viri iusti inter procellas tentationum durius permittit fatigari: cumq; sentit non solum diaboli tentationes, sed nec propriæ carnis stimulos sua virtute superare se posse, accedit & suscitat dominum, cum per mentis deuotionem illi appropinquans, & suam fragilitatē humiliter recognoscit, & diuinam potentiam deuotissime deprecatur. Si autem senserit sua desideria à domino differri, tādiu iungit preces precibus, quoadusq; assiduis gemitibus in

suladitorium diuinum exciter auxilium. Vn
de bene subiungitur: ⌊Tunc surgens impe-
prauit ventis & mari.⌋ Surgens dominus, vē
tis & mari imperat, quando tumultus malarum
cogitationū in anima fideli conquiescere fa-
cit. Fit autem tranquillitas magna, quia expul
sis malarum cogitationum radicibus, virtu-
tes animæ, quas prius cum formidine obser-
uabat, velut naturaliter ex bona consuetudi-
ne incipit custodire, gaudens cum propheta,
Psal.118. & cantans: Declinate à me maligni, & scruta
bor mandata dei mei. ⌊Ascendēte Iesu in na
uiculā.⌋ Solet enī in scripturis sacris vna ea-
demq́ res, duplicem vel triplicem habere
significantiam, vtpote nauis, quæ aliquando
vexillum crucis, aliquando vterum intemera
tæ virginis, aliquando sanctam ecclesiam si-
gnificat. Sanctam ecclesiam vt est illud: Ascē
dente Iesu in nauiculam. Et, Sedens docebat
de nauicula turbas. Vterum intemeratæ vir-
ginis, sicut alibi legitur: Ascendens Iesus in
nauem, transfretauit, & venit in ciuitatem su-
Matth.9 am. Vexillum sanctæ crucis, sicut in hoc lo-
co: Ascendente Iesu in nauiculam. In vno-
quoq; eodemq́; miraculo vtraq; domini na-
tura, diuina s. & humana, nobis commēdat.
Quasi enim hō nauē ascēdit, sed q̄si deus ma
re cōturbauit: quasi hō in naue dormiuit, sed
q̄si deus vētis & mari imperauit, & qescere fe
cit. Vt qd aūt mare transnauigamus, nauem
ascēdere volunt? Nunqd nō supra mare trāsi
re poterat, q Petro p̄stitit super vndas maris
ambulare? Aut non poterat suis coram vesti-
gijs mare siccare, qui coram filijs Israel, du-
dum ex Aegypto egredientibus, mare rubrū
siccauerat, & sicco vestigio eos transire fece-
rat? Poterat vtiq;, sed ideo ministerium nauis
assumpsit, nimirum vt omnia quæ sunt homi
nis faciens, se verum hominem esse ostende-
ret. Postquam enim mirabiliter miracula in
terris nostris fecit, ad mare transiit, vt ingens
ibi miraculum faceret, & filium dei se esse de-
monstraret, qui facit prodigia magna, & ma-
Iob.38 re & flumina producit. Qui educit ventos de
thesauris suis. Ipse est enim qui fecit mari &
aridam, qui imposuit terminum mari, dicens:
Hucusq; venies, & non procedes amplius, &
hic confringes tumentes fluctus tuos. Typi-
ce autem per hanc nauiculam, vt diximus, ve
xillum crucis accipitur. Nauis quippe conca
uum est lignum, ad onera super aquas depor
tanda vtilissimum, maxime illis in locis, vbi
vada non reperiuntur, necessarium. Domi-
nus autem fluctus marinos transnauigatu-
rus, nauem ascendit, quia calcatis huius se-
culi fluctibus, passurus crucem erat ascensu-
rus. Dignum quippe erat, vt quia primus ho
mo per lignum vetitum inobediendo mor-
tem repererat, per lignum sanctæ crucis deo
obediente vitam reciperet. ⌊Secuti sunt au-

tem eum discipuli eius.⌋ Quia sicut ipse pro
redemptione generis humani pati, crucifigi
& mori dignatus est, sic & discipuli eius pro
nomine illius sibiq́; ouibus commissis, multa
tormenta pati non distulerunt. Nam & Pe-
trus & Andreas vterque crucifixus extitit.
Paulus vero decollatus, cæteri quoque va-
ria perpessi sunt tormenta. Siue eum secuti
sunt, quia bonis operibus insistendo, eius ve-
stigia sunt imitati. Sequi enim dominum,
imitari est, sicut ipse dicit: Qui mihi mini-
strat, me sequatur. Et iterum: Qui vult veni- Iohā.12.
re post me, abneget semetipsum, & reliqua. Luc.9.
Vnde & in lege præcipitur: Post dominum
deum tuum ambulabis. Hinc & in Canticis
canticorum, voce ecclesiæ sponso dicitur:
Trahe me post te, curremus in odorem vn-
guentorum tuorum. ⌊Et ecce motus ma-
gnus factus est in mari, ita vt nauicula ope-
riretur fluctibus.⌋ Si enim per nauem, quam
dominus ascendit, vexillum crucis accipitur,
nihilo minus & in hoc loco per mare popu-
lus Iudæorum, qui magna seditione concu-
titur. Turbati enim sunt Iudæi, & discipuli
eius fugati. Nunquid non mare fluctuabat,
quando Pilato dicente, Nullam causam mor
tis inuenio in eum, populus acclamabat, di-
cens: Tolle tolle, crucifige eum. Et, Si hunc
dimittis, non es amicus Cæsaris? Fluctuabat
mare, quando alij dicebant: Nisi hic homo
malefactor esset, nequaquam tibi eum tradi-
dissemus, & alij dolentes aiebant: Vere dei
filius erat iste. ⌊Ipse vero dormiebat.⌋ Dor
mitio CHRISTI, mortem significat. Tunc
enim obdormiuit, quando pendens in cru-
ce dixit: Consummatum est. Et inclinato ca-
pite, tradidit spiritum. Recte enim mors Chri
sti somno comparatur, quia nemo tam facile
à somno surgit, quàm velociter Christus à
morte surrexit. Quia excitatus est tanquam Psal.77
dormiens dominus, vt ait Psalmista, & tan- Psal.2.4
quam potens crapulatus à vino. Qui etiam
per eundem dicit: Ego dormiui & somnum
cepi, & surrexi. Et iterum: In pace in idipsum
dormiam & requiescam. Dormitio ergo
domini non ad diuinitatem, sed ad humani-
tatem pertinet. Quia dormit per humani-
tatem, qui nunquam dormiuit per diuinita- Psal 120
tem, Psalmista testante, qui ait: Non dormi-
et neque dormitabit, qui custodit Israel. ⌊Et
accesserunt ad eum discipuli eius, & suscita-
uerunt eum, dicentes: Domine, salua nos
perimus.⌋ Accedentes discipuli domi-
num suscitauerunt, qui intellexerunt sæuiti-
am Iudæorum se non posse superare, nisi
eius resurrectione (quam citissime fieri o-
ptauerunt) fuissent confirmari & lætificari.
Vel accesserunt ad eum suscitandum, quia
in eius omnipotentia confisi, mente & desi-
derio ei adhæserunt, iuxta illud Psalmistæ.

Psal. 33. Accedite ad eũ & illuminamini, & facies ve-
stræ non confundentur. Vel ad eum accesse-
runt, quia toto nisu mentis eius resurrectio-
nem fieri optauerunt, quod Lucas euangeli-
sta manifestat cum dicit: Gauisi sunt discipu-
li viso domino. ⌊Et dicit eis: Quid timidi
estis modicæ fidei?⌋ Qui non credit infidelis
dicitur: qui perfecte credit, magnæ fidei no-
minatur. Qui autem ex parte credit, sed per-
fecte non credit, modicæ fidei appellatur.
Discipuli ergo modicæ fidei fuerunt, quando
omnipotentem præsentem dubitauerunt:
& cum creator præsens esset, creaturam ti-
muerunt. Non solum autem hic, verum-
etiam alijs in locis de modicitate fidei redar-
guuntur. Nam in ipsa passione domini modi
cam fidem habuerunt, qui dudum dicebant:
Iohan. 8. Eamus & nos, & moriamur cum illo. Viden
tes autem eum comprehendi, ligari, flagella-
ri, relicto eo, fugerunt. Petrus autem modicã
fidem habuit, quia cum prius domino dixis-
Mat. 16. set. Si oportuerit me mori tecum, non te ne-
gabo, etiam ad vocem vnius ancillæ eum ne-
gauit. Nec tãtum in passione, sed etiam in re-
surrectione modicam fidem habuisse cõpro-
bantur, quia eum resurrecturum dubitabant.
Vnde cum post resurrectionem eius in con-
claui, id est, in domo clausa sedentibus appa
ruisset, conturbati & exterriti, æstimabant se
spiritum videre. Ad quorũ fidem confirman
dam, ostendit eis manus & pedes, dicens: Vi
Luc. 24. dete manus meas & pedes, quia ipse ego sum.
Et iterum: Palpate & videte, quia spiritus car
nem & ossa non habet, sicut me videtis habe
re. Nec ab hac fidei modicitate Thomas ali-
nus extitit, qui discipulis narrantibus, vidim⁹
dominum, non credidit, dicens: Nisi videro
Ioh. 20. in manibus eius fixuram clauorum, & mittã
manum meam in latus eius, non credam. Ad
cuius fidem constipulandam sese palpabilem
præbuit, dicẽs: Infer digitum tuum huc in lo
cum clauorum, & affer manum tuam in la-
tus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.
⌊Tunc surgens imperauit ventis & mari,⌋
scilicet quando tertia die resurgens, non so-
lum corda discipulorum confirmauit & læti
ficauit, sed etiam sæuitiam ac seditionem Iu-
dæorum conquiescere fecit, & eorum lætiti-
am in tristitiam conuertit: intantum vt militi-
bus sepulchrum domini custodientibus, &
eius resurrectionem narrantibus, pecuniam
spopondissent, dicentes: Dicite quia ve-
Mat. 28. nerunt discipuli eius nocte, & furati sunt cor
pus eius. ⌊Et facta est trãquillitas magna.⌋
Quia pars eorum qui in nece domini cõsen-
serant, per prædicationem apostolorum ad fi
dem Christi conuersa est, sicut Petro prædi-
cante vna die tria millia, alia vero quinq; mil
lia crediderũt. ⌊Porro homines mirati sunt,
dicẽtes. Qualis est hic, quia venti & mare obe
diunt ei?⌋ Non hoc apostoli dixerũt, sed nau
tæ qui erant cum domino in naui. Nam apo
stoli iam dicere nouerant, quia hic est Chri-
stus filius dei viui. Cæteri vero qui humani-
tatem domini tantum videbant, & diuinitatẽ
non intelligebant, non interrogando, sed ad-
mirando dixerunt: Qualis & reliqua. Vnde
bene homines dicuntur, quia humana sapie-
bant, acsi dixissent: Iste maior est patribus no
stris, qui cum Moyses baculo aquas maris di
uiserit, & Elias pallio aquas Iordanis, hic so-
lo verbo maria & tempestates quiescere facit.
Sed hæc lectio, quãuis specialiter ad apostolos
videat pertinere, possumus tñ eã ad vniuer-
salem ecclesiam referre. Nam postq̃ Christus
per trophæum sanctæ crucis mortem deuin-
cens cęlestia petijt, quasi mare fluctuauit: quia
quanto magis ecclesia fide electorum creuit,
& numerus credentium multiplicatus est, eo
amplius maiorem persecutionem prauorum,
& duriorem perfidiam hæreticorum in seipso
consurrexisse senserunt. Ipse vero, quia tã va
lidam persecutionem cõtra electos sæuire p-
mittebat, postq̃ sanctorum precibus est exci
tatus, surgens imperauit ventis & mari: qm̃
ipsam persecutionem & perfidiam quiescere
fecit & pacem ac quietem sibi electis conces-
sit. Facta est autem tranquillitas magna, quia
postq̃ principes & potentes per eorum prędi
cationem ad fidem Christi uenerũt, tanta re-
quies ecclesiæ data est, vt etiam ipsi, qui eã de-
struxerant, proprijs manibus reædificarent.
Et quamuis mare fluctuaret, & procella ex-
cresceret, non est mersa nauis, in qua dñs dor
miebat: quia etsi ecclesia potuit aduersis pse-
cutionibus conturbari, non tñ à fide rectitu-
dinis, dño gubernãte, recedere. Fundata enĩ
erat supra firmam petram, de qua Apostolus
ait: Petra autem erat Christus. Quod aũt in 1. Cor. 10
apostolis & in vniuersa ecclesia impletum ẽ,
solet moraliter fieri in quolibet viro sancto.
Qui enim crucifigit membra sua cum vitijs
& concupiscentijs, & cui crucifixus est mun
dus, & ipse mundo, Christum in se habitato-
rem habet. Iesus autem naue ascendit, cum
mentem viri sancti inhabitat, quia sicut sapi-
entissimus Salomon ait: Anima iusti sedes est
sapientiæ. Cum enim is à vitijs & peccatis se
subtrahere voluerit, vt soli deo vacare, id est,
intendere possit, tentationes diaboli contra
se insurgere sentit, & eius persuasiões mentẽ
suam contraire: & quo magis deo appropin-
quare voluerit, eo amplius inuenit quod du-
rius portet. Qui enim pie in Christo volunt 2. Tim. 3.
viuere, persecutiones patiuntur, in exemplo
videlicet Israelitarum, qui tunc durius sunt
afflicti à Pharaone, quando per Moysen &
Aaron ad terram repromissionis sunt vocati.

Vnde nos quidam sapiens, Salomon scelicet admonet, dicens: Fili, accedens ad seruitutem dei, sta in iustitia & timore, & prępara animam tuam ad tẽtationem. Iesus ait dormit, quando delectationes carnis, & persuasiones diabuli contra mentem viri sancti insurgere permittit. Sed cum ipse vir intelligit se eadem tentamenta sua virtute superare non posse, ad omnipotentiam dei recurrit. Vnde & subditur: Et accesserunt, & suscitauerunt eum, dicẽtes: Domine, salua nos, perimus. Quia totis viribus mentis misericordiam dei implorare non cessat, dicens cum Psalmista: Exurge, quare obdormis domine? Et iterum. Exurge domine, adiuua nos, & reliqua. Et surgens imperauit ventis & mari, quando tentamenta diaboli contra mentem viri sancti insurgentia conquiescere facit, & eum sibi libere seruire permittit. Fit autem tranquillitas magna, quia ea quæ prius habuit, nõ sine formidine obseruabit postmodum, sicut naturaliter per bonam consuetudinem custodire incepit, dicens cum Psalmista: Declinate à me maligni, & scrutabor mandata dei mei. Sicq; transnauigato mari, & huius seculi fluctibus calcatis, ad portum feliciter peruenit. De talibus per prophetam dicitur: Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Ad mare descendunt, id est, in hoc seculum: in nauibus, scilicet in animabus: facientes operationem, scilicet bonam, carnem suam cũ vitiis & concupiscentiis confringentes, & ad cælestia suspirantes: in aquis multis, scilicet in populo multo, inter quos manentes, in omnibus se prouident, ne in aliquo maculentur. Sed sicut homo in naui per mare nauigãs non tangitur mari, sic iusti in hoc seculo, inter populum habitantes, eorum malignitatibus non adhærent.

Eccl. 2. — Psal. 43. — Psal. 118. — Psal. 106

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA. Matthæi XX.

In illo tempore Dixit Iesus discipulis suis parabulam hanc: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere oprarios in uineam suã. Et reliqua.



Regnum cælorũ vel regnũ dei in euangelio cum legitur, non semper vnã eandemq; habet significationem, sed aliquãdo dominum Iesum Christum, aliquando scripturã sacrã, aliqñ cælestem patriã, aliqñ prę sentem significat ecclesiam. Dominũ Iesum Christum significat, sicut ipse dicit: Regnum dei intra vos est. Scripturam sacram, veluti Iudæis non credentibus dicitur: Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Cæleste patriam, vt est illud: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorũ. Præsentem ecclesiam, sicut alibi ait: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Ergo regnum cęlorũ in hoc loco præsentem significat ecclesiam, quod simile dicitur patrifamilias, vt per rem cognitam, incognitam credere discamus: & per visibilia, ad inuisibilia mens nostra rapiatur. Nam quia parabola est, quid paterfamilias, & eius vinea, & operarii, remuneratioq; eorum allegorice significent, attendamus. Paterfamilias autem iste figuram dei tenet omnipotentis, quia similis patrifamilias dicitur: quia sicut paterfamilias subiectos in domo, sic deus omnipotens homines ordinat, regit, atq; dispo nit in mundo. Huius ergo patrisfamilias vinea, sancta est ecclesia, quæ ab initio mundi vsq; ad finem seculi, quot sanctos profert, quasi tot palmites generat. Hæc vinea primũ in populo Iudæorum fuit plantata, sed post domini incarnationem vsq; ad fines terrę est dilatata, sicut per Psalmistam dicit: Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros dei. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Hæc est enim illa vinea, de qua in Canticis canticorum voce sponsi dicitur: Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Et itẽ: Vinea facta est pacifico in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir aufert pro fructibus eius mille argenteos. De qua etiam vinea per Isaiam dicitur: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ: Vinea facta ẽ dilecto meo in cornu filio olei. Sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electã. Et torcular extruxit in medio eius, & maceria circundedit eam. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas. Quę autem sit ipsa vinea, idem propheta subdẽdo manifestãs ait: Vinea enim domini sabaoth, domus Israel est, & viri Iuda, germen delectabile. In hac autem vinea tanto quisq; fidelius laborat, quanto firmius deum credit, & eius mandata solicitius custodit, terrena deserẽs, & cælestia anhelans. Et tanto in ea laborans huberiores fructus reddit, quanto nõ sua, sed aliena lucra quærit. Qui enim quæ sua sunt quærit, non quæ Iesu Christi, non laborat in vinea CHRISTI. Ad hanc ergo vineam

Luc. 17 — Mat. 5 — Psal. 79. — Cant. 7. — Canti. 8. — Isaie. 4.

excolēdam paterfamilias primo mane exijt: quia ab initio seculi deus omnipotēs sanctos viros mittere non destitit, qui non solum bene viuendo hanc vineam excoluerunt, sed etiam bene docēdo, in eius culturam plurimos vocauerunt. Quod autem mercedem recepturi sint, qui in hac vinea, id est, in ecclesia fideliter laborant, manifestatur cū subditur:

Conuentione, autem facta cū operarijs ex denario diurno, misit eos in uineam suam.

Per denarium, qui laborantibus in vinea promittitur, vitæ æternæ remuneratio figuratur. Et apte satis: nam in denario imago regis exprimitur, homo autem ad imaginem & similitudinem dei factus est, ipso domino dicente: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Sed hanc imaginem tunc violauit, quando peccauit. Conuentionem ergo cum operarijs paterfamilias ex denario diurno facit, quia illam gloriam bene operantibus promittit post laborem, quam primus homo, si non peccasset, habiturus fuerat sine labore. Sed quia post peccatum humana conditio in præsenti seculo diu permanere non potest, electis per successionem succedentibus, per varia tempora operarios in culturam vineæ vocauit. Vnde & subditur:

Gene. 2.

Et egressus circa horam tertiam, inuenit alios stantes in foro ociosos & illis dixit: Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autē exijt circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uero exiit, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam.

Varietas horarum quibus operarij in vineæ culturam mittuntur, varia significat tempora, in quibus sancti operarij viiq; fideles, ad spiritualem vineā excolendam missi sunt, Mane quippe mundi fuit, ab Adam vsq; ad Noe. Tertia, à Noe vsq; ad Abraam, Sexta, ab Abraam vsq; ad Moysen. Nona, à Moyse vsq; ad aduentum domini. Vndecima, ab aduentu domini vsq; ad finem seculi. Vt autem ex multos paucos referamus, aliquos sub exēplo ponamus Operarij ergo primo mane .i. prima hora diei fuerunt Abel & Enoch, & cęteri alij, qui in illa ætate deo placuerunt. Tertia hora, operarius fuit Abraham, Isaac & Iacob, & duodecim pīiarchæ. Nona hora, operariorū numerus crescere cœpit, quando missus est Moyses & Aaron, Iosue, Samuel, Dauid, Isaias, Ieremias, & plures alij. Vndecima vero hora, operarij ad excolendam vineam, id est, ecclesiam, missi sunt sancti apostoli, q tanto studiosius atq; diligentius hāc vineam coluerunt, quanto perfectius ab ipsa veritate instructi fuerunt. Vnde vnus eorum loquebatur, dicens: Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt. Si autem hanc similitudinem ad vtrunq; populum, Iudæorum scilicet & gentiū referamus, operarius horæ primæ, tertiæ, sextæ & nonæ, Iudæorum populus in antiquis suis patribus fuit, & velut spiritualis vna in electis suis floruit. Ad vndecimam vero gētiles vocati sunt, quia post ascensionem domini prædicantibus apostolis crediderūt, de quibus dicitur: ⌊ Quid hic statis tota die ociosi? ⌋ Tota die quippe ociosi stabant, qui ab ipso mundi primordio vsq; ad domini incarnationē, à cultura dei alieni permanebant. Nullus enim ad eorum eruditionem patriarcha, nullus propheta missus fuerat, vnde excusantes dicunt: ⌊ Quia nemo nos conduxit. ⌋ Quid est dicere, nemo nos cōduxit, nisi quia nemo ad culturam spiritualis vineę nos vocauit? In quibus verbis nos nostras cōscientias commouere debemus, & considerare diligentius, quid in nostra excusatione in die iudicij dicturi sumus, si à bono opere torpentes inuenti fuerimus, qui ex Christianis parētibus nati, & pene ab ipsis cunabulis verbum vitæ accepimus, & cum lacte carnis lacte scripturarum nutriti sumus. Tanto ergo solicitiores esse debemus in bono opere, quanto minus ignorantiam prætendere in nostra excusatione poterimus, scilicet quando inexcusabiles erimus, de vocatione atq; dei cognitione metuentes: quia non pari modo coartantur, qui scienter & ignoranter peccant, sicut dominus ait in euāgelio: Seruus qui nescit voluntatem domini sui, & non facit digne, plagis vapulabit paucis: sciens autem, & non faciens digne, plagis vapulabit multis. Moraliter autem possumus has varietates horarum ad nostræ ætatis momenta referre. Mane qppe, hominis pueritia est: tertia, adolescentia. Quia sicut sol hora tertia ad superiora ascendens, radios suæ claritatis aperire incipit, ita in adolescentia calor naturalis sanguinis crescit. Hora sexta iuuentus est: quia sicut sol hora sexta in medio cæli positus, non solū splendidiores, sed etiam feruentiores radios emittit, ita iuuentus habilis, prompta, apta atque robusta ad bonum opus faciendum inuenitur. Nona vero hora, senectus est: quia sicut sol hora nona inclinare incipit ad occasum, ita in senectute nō solum calor sanguinis, sed etiā naturalis & genuina virtus hominis deficit. Vndecima quoq; hora, ea ætas est, quę in

1. Cor. 10

Luc. 12.

nostra lingua decrepita vocatur, vt senectutem transcendisse intelligatur. Vnde Græci, valde seniores non γέροντας, sed πρεσβύτας appellant, vt plusquam senes eos esse intelligant, quos tali vocabulo nũcupant. Diuersis ergo horis operarij in vineam mittuntur, quia in diuersis ætatibus homines per diuinam gratiam ad bona operandum vocantur. Qui em̃ ab ipsa pueritia deuota mente deo seruiunt, quasi primo mane in vineam conducuntur. Sunt vero alij, qui dum in adolescẽtia ad dei seruitutem conuertuntur, quasi hora tertia ad ad culturam vineæ vocantur. Alij aũt in adolescentia carnaliter viuentes, si in iuuentute ad dominum conuersi, torporem & desidiam à se excutientes, mores suos deserentes, bona opera seruent, quasi sexta hora ad vineã mittuntur. Si aũt aliquis in pueritia & adolescentia & iuuentute à bono opere torpuit, necesse est, vt in senectute quasi hora nona, ad dei seruitutẽ conuertatur: & pudeat eum fuisse ociosum in seruitio dei, cum non multum laboraturus est, considerans quod ait Apostolus: Nescis quia patientia dei ad pœnitentiam te
Roma. 2. adducit? cauens & hoc quod subdit: Propter duritiam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Si quis vero ita negligens & desidiosus fuerit, vt etiam in senectute à bono opere torpeat, saltẽ in decrepita ætate iam resipiscat, & à laqueis diaboli, quo captiuus tenebatur, ad eum conuertendo se abstrahat & præterita mala fletibus diluat, & prout potest, bonis operibus inuigilet. Quia si hora vndecima conuertatur, & tunc non metuat laborem suscipere, quando pro deo parum potuerit laborare. & sicut censuram metuit districti iudicis, sic in illius pietate confidat, qui
Math. 9 nõ venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Pijssimus & misericordissimus deus, etiam in senectute cõuersos non respuit, nec contemnit, sed benignissima pietate suscipit & amplectitur. Non enim mentitus est ille qui ait: Viuo ego, dicit dominus, nolo mor
Ezec. 19 tem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et iterum: Peccator quacunq; die conuersus fuerit & ingemuerit, omnia peccata eius in obliuionem tradentur. Sed quoniam calliditas antiqui hostis in hac parte tepidos decipere solet Christianos, vt quibus suadet culpã, longam promittat vitam, quasi in senectute vel decrepita ętate pœnitendo diluant, quod in adolescentia vel in iuuentute commiserũt, necesse est tamen, vt quia horam nostræ vocationis ignoramus, omni tempore in bono opere simus parati, & huic deceptioni opponenda est varietas humanæ cõditionis. Et qa ignoramus quis ex nobis in pueritia, quis in adolescentia, quis in iuuentute, quis in senectute, & qs in decrepita ætate ab hac vita vocandus sit, sicut omnibus incertus est exitus, sic certus debet esse in bono opere animus, propter id quod dominus ait: Et vos estote Luc. 12.
parati, quia qua hora non putatis, filius hois Mat. 24
veniet. Nam sicut varijs horis operarij (vt diximus) in vineam mittuntur, sic diuersis ætatibus homines ab hac vita vocãtur. Alij quidem primo mane, i. in pueritia, alij hora tertia, id est, in adolescẽtia: alij sexta, id est, in iuuentute: alij nona, i. in senectute: atque alij in vndecima, id est, in decrepita ætate, quæ veterana dicitur. Et quia incerta est omnibus in his ætatibus hora vocationis suæ, paratus vnusquisq; debet esse in bona operatione, ne forte si quando potest, non vult bonum operari, tunc incipiat velle, quando non erit posse. Vnde pius dominus nos admonet, dicẽs: Iohã. 12.
Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos compræhendant. Et Salomon:
Quodcunq; potest manus tua facere, instanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos. Et ite Eccle. 9.
rum: Ne tardes conuerti ad deum, neq; differas de die in diem, quia subito veniet ira dei, Ecci. 5.
& in nouissimo disperdet te. Et Isaias: Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Isaie. 55.
Multum enim iuuat ad vincẽdam delectationem peccati, recordatio mortis, sicut per quendam sapientem, scilicet Salomonem dicitur: In omnibus ope Ecci. 7.
ribus tuis memorare nouissima tua, & in ęternum non peccabis.

Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedẽ.

Sero est finis diei, iuxta superiorem intelligentiam. Sero in hoc loco, tempus dominicæ incarnationis significat, sicut per Paulũ dicitur: Nos sumus in quos fines seculorum 1. Cor. 10
deuenerunt. Et sicut Iohannes ait: Filioli, nouissima hora est. 1. Ioh. 2.
Sicut autem paterfamilias deus omnipotens intelligitur, & eius vinea sancta ecclesia, sic procurator dominus Iesus Christus, qui ait in euangelio: Ego sum vitis Iohan. 15
vera, & pater meus agricola, & vos palmites. Ad reddendam ergo mercedem operarijs paterfamilias procuratorem vocat, quia deus omnipotens per filium nos creauit, per filium nos redemit, per ipsum nos remuneraturus est, sicut ipse filius dicit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Quantum autem diuitias bonitatis suę in Iohan. 5.
nobis, qui post eius incarnatiõem credimus, fecerit abundare, manifestatur, cum dicitur:

Incipiens a nouissimis usque ad primos.

Hoc est, ab operarijs horę vndecimæ, vsq; ad operarios horæ primæ.

Cum uenissent ergo qui circa unde-

cimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios.

In quibus verbis quantum nobls incarnatio domini profit, qui post eius resurrectionẽ credidimus, manifestatur. Non solum enim eundem denarium acceperunt qui nouissimi venerũt, quod primis promissum fuerat, sed etiam ante acceperunt, q̃ illi. Quia sancti patres, qui aduentum domini præcesserunt, licet iuste & pie viuerent, non statim à carne soluti ianuam regni cælestis intrauerunt, sed infernalibus tenebantur locis, quanquam nõ in pœnalibus, teste beato Iacobo, qui ait: De-
Gene. 42 ducetis canos meos cum dolore ad inferos.
Gen 37. Et iterum: Descendam lugens filium meum
Iob. 30. in infernum. Hinc & per beatum Iob dicitur: Scio domine, quia morti me tradirur' es, vbi constituta est omnis domus viuẽtium. Et, Si in infernum descendero, inde me liberabis. Nobis autem, qui post domini incarnationẽ credidimus, magno munere donatum est, vt si perfecte viuamus, absq; vlla dilatione carne soluti, vitam æternam percipiam'. Et hoc est denarium accepisse primos, qui venerũt nouissimi.

Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios, & accipientes, murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.

Quia ergo supra denarium remunerationem vitæ æternæ diximus significari, quæritur, quare isti denarium accepisse, & murmurasse dicantur, cum regnum dei nullus murmurans accipiat, nullus qui acceperit postea murmurare possit? Sed ad hoc dicendum est, quia murmuratio in hoc loco, non malitiosam intentionem contra deum sonat, sed piam querelam sanctorum ad deum significat. Quia enim antiquos patres diu in præsenti vita contigit viuere, necesse fuerit ponderi diei & æstui in carnis passionibus diu subiacere. Quasi ergo illorum actiones murmurasse fuit, quando eos, qui post domini incarnationẽ crediderunt, post breuem tribulationem remunerationem percipere videntur, quam illi cum longa tribulatione expectauerũt. Quod vt facilius intelligatur, ex multis vnũ ad medium deducere visum est, videlicet Abraam patriarcham. Quasi enim illius actionẽ mur-
Mat. 27 murasse fuit, quando latronem ab ipsis mortis faucibus per diuinam gratiam liberatum, ante paradisum quàm se intrare vidit. An nõ latro vndecima hora venit, qui Christum in cruce confessus est, & tamen antè denarij remunerationem accepit, quàm Abraam, qui hora tertia vocatus pro ipsa tribulatione diu pondus diei & æstus tolerauit? In cruce enim latro Christum confessus est, sed de cruce paradisum ascendit, dicente domino: Amen di- Luc. [illegible]
co tibi, hodie mecum eris in paradiso. Possumus etiam & ita intelligere, quemadmodum nunc Christiani ante cælum ascendãt, quàm fecissent illi, qui ante aduentum domini fuerunt: quia illi postq̃ egressi erant de corpore, per longum tempus in inferno stabãt: isti autem sine mora, postquam egrediuntur de corpore, si iusti sunt in cælum ascendunt, & hoc est ante ascendere post egressionem Christianorum de corpore, quàm illi ascendissent post egressionem ab illorum corpore. Et q̃a vita æterna nulli per debitum redditur, sed per gratuitam misericordiam datur, recte paterfamilias vocans vnum eorum, ait:

Amice, non facio tibi iniuriam. Nõne ex denario diurno conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade.

Quod ad Iudæorum & gẽtium populum pertinere (vt diximus) manifestum est. Nam multi Iudæorum, qui post domini ascensionem crediderunt, nolebant gentiles ad suam societatem vel æqualitatẽ admittere, sed proselytorum loco eos habendos iudicabant, dicentes indignum esse, vt gentes post idolorum culturam eis coæquarentur, quorum pa- Exo. 16.
tribus deus locutus fuerat, & multa mirabilia ostenderat, & quibus legem dederat, & ex quibus carnem assumpserat. Et hoc est quod illi, qui priores in vineam venerant, murmurantes contra nouissimos, dicebant: Hi nouissimi vna hora fecerunt, &c. Sed quia dominus Iesus Christus sinum misericordię suę vsq; ad colligendas gentes extẽdit, recte vni eorum dicitur: Amice, non facio tibi iniuriam, & reliqua. At vero, ille qui non est personarum acceptor, sed in omni gẽte qui ope- Rom. [illegible]
ratur iustitiam, acceptus est illi, recte dicit:

Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi.

Nam per eius gratiam, qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, Matt. 9.
non solum Iudæis gentiles æquati sunt, sed etiam prõpiores ad credẽdum inuenti sunt.

An non licet mihi quod uolo facere? An oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum?

Vnde Apostolus querelas hominum con

Roma.9 tra deum compescens, ait: O homo, tu quis es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmē tum ei qui se finxit, quare me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam? Habet vtiq; de⁹: eũ nulla necessitate constrictos, sed sola bonitate q̃bus vult vitam tribuit. Vñ & subdit:

Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi:

Primi eñ quondam Iudæi fuerunt, quando olim deo cæli crediderunt, & secundũ legē vixerũt. Nouissimi autem gentiles erant, propter incredulitatem extranei à cognitione dei & testamēto legis. Sed domino veniē
Deut. 28 te, qui videbantur esse primi, nõ credendo fa
Iohan. 9. cti sunt nouissimi: & illi qui noissimi erant in credendo facti sunt primi: & qui erant capite, facti sunt in cauda: & qui erant in cauda, facti sunt in capite, iuxta illud quod dominus ait: In iudicinm ego in hunc mundũ veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Vnde rara Iudæorum fides reprobatur, eum adhuc subiungitur:

Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

Quod specialiter ad Iudæorum populum pertinet, ex quibus multi vocati, sed qui domino crederēt, pauci sunt inuenti. Nam de gē tium vocatione alibi dicitur: Multi veniēt ab
Mat. 18. oriente & occidente, & recumbent cũ Abraam, Isaac & Iacob in regno cælorum. Quia ergo horarum varietates, quibus operarij in vineam vocantur, ad ætatum diuersitates diximus pertinere, libet intueri, quemadmodum in ecclesia fiat, quod in duobus populis factũ esse commemorauimus. Ait enim euangelista: ⌊Cum sero factum esset, & reliqua.⌋ Sed qui in hac parabola duplicem intelligentiam sequimur, moraliter sero vnicuique nostrum fit terminus vitæ præsentis: & licet nonnulli, antequam ad maturam ętatem perueniant, ab hac vita vocentur, si non habent sero per ætatem, habent tamen per exitum. Sero ergo operarij ad recipiendam mercedem vocantur,
Psal. 126. quia pro bonis operibus tunc electi remunerationem accipiunt, cum ab hac vita vocantur, teste Psalmista, qui ait: Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas domini. Dupliciter autem uos deus vocat, in præsenti ad laborem, in futuro ad requiē. Vnde necesse est, vt quicunq; futuram desiderat remuneratonem, in præsenti non refugiat laborē. Quia illi qui pro deo fideliter suscipiunt laborem, fideliter peruenieīt ad remunerationem, quando audituri sunt: Venite ad me omnes
Matt. 11. qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et q̃a solet contingere, vt nonnulli tardius conuersi, ab hac vita vocati prius remunerationem accipiant, quàm illi, qui prius laborare cœperunt, recte voce patrisfamiliæ procuratori dicitur: ⌊Incipiens à nouissimis vsque ad primos &c.⌋ Quorum actiones quasi murmurasse est contra tardius conuersos, eum illos prius, quàm se remunerari vident. Quod vero subditur: ⌊Venientes autem & primi, acceperũt singulos denarios: & accipiētes, murmurabant aduersus patremfamilias, dicētes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.⌋ Hoc namq; solet contingere in ecclesia, & maxime in monastico ordine. Pondus enim dei & æstus illi sustinent, qui ab ipsa pueritia in regularibus disciplinis nutriti, in vigilijs, in ieiunijs, in labore manuum desudare coguntur. Sunt vero alij, qui vsq; ad senectutem vel decrepitam ætatem carnaliter in seculo viuunt, sed circa finem vitæ conuersi, post breuem tribulationem cito perueniunt ad remunerationem: & cum post breuem laborem vocantur ad requiem, quasi ad istorũ acceptiones murmurant, qui pondus diei & æstus sustinent, cum illos vident remunerari, qui nouissimi ad spiritualem militiam accesserunt, se autem in certamine reliqui. Sed non est murmurandum cõtra dei bonitatem, quoniam in tali dilatione non minuitur præmium, sed augetur, quia electis iustus iudex deus reddet vnicuiq; secundum opera sua: & tanto maiorem remunerationem accipient, quanto eius expectatione maiorem laborem
sustinent, Apostolo teste: Vnusquisq; merce 1. Cor. 3.
dem secundum suum laborem accipiet, vnũ enim accipient omnes denarium, quia vnum omnibus electis pręparatum est regnum: & tamen pro diuersitate meritorũ, diuersa sunt præmia parata in regno cælorũ, dicente domino: In domo patris mei mansiones multæ
sunt. Vnde mentitus fuisse conuincitur Ioui- Ioh. 14.
nianus hæreticus, qui dixit nullam differentiam futuram esse inter iustum simplicem & iustum sapientem: inter virginem & corruptã; inter eum qui minoris sit meriti, & eum qui maioris: cui contradicit Apostolus, ostendēs diuersis meritis diuersa præmia in resurrectione esse præparata, dicens: Alia est enim cla-
ritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stel- I. Cor. 15
larum. Et stella à stella differt in claritate, sic erit in resurrectione mortuorum. Hinc & Da
niel, cum de terræ puluere multos consurre- Dani. 12.
cturos prædiceret, vt ampliorem remunerationem ostenderet eos percepturos, qui & bene viuunt, & lucrandis animabus inuigilant, dixit: Qui autem docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti: & qui ad iustitiam

erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æ-
ternitates. Quod enim nulli contra dei iuſti-
tiam ſit murmurandum, ſed de eius bonitate
omnibus gaudendum,manifeſtatur, cũ ſub-
ditur: Amice non facio tibi iniuriam. Non-
ne ex denario diurno cõuenisti mecum? Tol
le ergo quod tuum eſt & vade & cæt. Quaſi
enim iniuriam deus facere videretur, ſi quod
ex debito deberet, ex præmio non redderet:
cum vero nullis per debitum, ſed ſolummo
do per gratuitã miſericordiam, quibus vult,
tribuit, nullus contra iuſtitiam dei murmura
re poteſt: quoniam cui vult miſeretur, & quẽ
vult indurat: miſeretur ſola bonitate, indurat
Rom. 9. nulla iniquitate: quia & ſi iudicia eius aliquan
do ſunt occulta, non tamen iniuſta. Quod ve
ro ſubditur: Sic erũt nouiſſimi primi, & pri
mi nouiſſimi, quotidie in eccleſia fieri cerni
mus: quia nonnulli tardius ad dominum con
uerſi, per mentis feruorem & piam deuotio-
nem plures eorum antecedunt, qui tepide &
negligenter viuunt. Quod autem ſuita ſimi-
litudine dicitur, Multi ſunt vocati, pauci ve
ro electi, magis timendum eſt, quàm expo
nendum. Omnes enim, quod vocati ſumus,
nouimus: vtrum vero electi, adhuc ignora-
mus. Multis enim modis nos vocat deus, per
fidem, per baptiſmum, per pœnitentiam, per
proſpera, per aduerſa, per ſomnia & reuela-
tiones. Sunt autem nonnulli, qui cum fide pol
leant & doctrinæ verbis luceant, tamen quia
à bono opere torpent, ab electione dei repro
bantur: quia (vt ait Iacobus apoſtolus) fides
Iacob. 2. ſine operibus mortua eſt. De talibus Paulus
Tit. 1. apoſtolus ait: Confitentur ſe noſſe deum, fa-
Matt. 7. ctis autem negant. Et dominus in euangelio:
Non omnis qui dicit mihi, domine dñe, in-
trabit in regnum cælorum, ſed qui facit volũ
tatem patris mei, qui in cęlis eſt, ipſe intrabit
in regnum cælorum. Tales nanq; in die iudi
cij dicturi ſunt: Dñe, nonne in nomine tuo
prophetauimus, & virtutes multas fecimus,
& dæmonia eiecimus? quibus reſpondetur:
Amen dico vobis, non noui vos. Diſcedite à
me operarij iniquitatis. Tanto ergo ſoliciti
eſſe debemus in bono opere, quanto inexcu-
ſabiles nos eſſe ſcimus de vocatione: ne tem-
pore iudicij cum fatuis virginibus extra ianu
am remanẽtes, audiamus: Neſcio vos, ſed cũ
prudentibus intra thalamum ſponſi recipia-
mur.

DOMINICA IN SEXAgeſima. Lucæ VIII.

In illo tempore: Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum, dixit per ſimilitudinem: Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Et reliqua:

PRædicante domino Ieſu Chriſto
euangelium regni cæleſtis, multæ
turbæ eum ſequebantur, ſicut di-
uerſi corpore, ita diuerſi mente.
Nonnulli propter amorem, nõnulli propter
inuidiam, aliquanti propter curationem, ali-
quanti propter admirationem: quibus domi-
nus ita ſuum ſermonem tẽperabat, vt in vna
eademq; parabola, vnuſquiſq; ſuam ſenten-
tiam audiret, & omnium infirmitati conde-
ſcendens, ſuis ſanctis ſermonibus ſimilitudi-
nes de rebus viſibilibus adhibebat, vt per rẽ
viſibilem inuiſibilia cognoſcere diſcerẽt. Vn
de ſicut Matthæus ait, Loquebatur Ieſus cũ
diſcipulis ſuis in parabolis, & ſine parabolis
non loquebatur eis. Non tamen (vt quidam
tradunt) vt aliquando nõ loqueretur ſine pa-
rabolis, ſed in illa prædicatione, quam Mat-
thæus ibi deſcribit, non aliter quàm in para-
bolis loquebatur. Sicut enim quadripartito
modo (vt diximus) eum ſequebatur, ita quo-
que (vt quidam tradunt) quadripartito modo
ſuum ſermonem temperabat, loquens eis in
parabolis & ſine parabolis, per ſimilitudines
& diſſimilitudines. Aliquãdo nanq; dominus
in ſuis locutionibus aliqua aperiebat, & ali-
qua claudebat, vt per hoc quod intelligimus
non gloriemur, ſed potius per ea quæ nõ in-
telligimus, donum dei exiſtimemus. Vnde
cum multæ turbæ conuenirent, & de ciuita-
tibus properarent ad eum, hominis qui exijt
ſeminare ſemen ſuum, ſimilitudinem propo-
ſuit. Nam per varietatem terrarum, varia cor
da hominum in illa turba eſſe inſinuauit: ali-
os, in quibus ſemen verbi dei varijs modis læ
ſum periret: alios, in quibus fructum bonum
per patientiam afferret. Vbi conſiderandum,
quia hãc ſimilitudinem ideo per ſemetipſum
dominus dignatus eſt exponere, vt nobis in-
ſinuaret, in alijs ſimilitudinibus, quas nõ ex-
poſuit, ſenſus allegoricos eſſe quærendos.
Oſtendit enim quid ſit ager, quid ſemẽ, quid
terra bona ſignificet, quid petroſa, & quid ſpi
noſa. Sed vnum eſt, quod nobis ad inquiren-
dum reliquit, videlicet ſatorem, quem nul-
lum melius, quàm ipſum dominum Ieſum
Chriſtum intelligere debemus, qui homo fa
ctus, ſemen verbi dei in cordibus hominum
ſeminauit, iuxta quod ipſe in alia parabola
dicit: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius
hominis. Vnde bene hanc ſimilitudinem di-
cturus, iuxta alios euãgeliſtas, de domo exijſ
ſe, mare adijſſe, nauem aſcendiſſe comme-
moratur, ipſo ſitu corporis demonſtrans,
quod ore promebat. Sicut enim prudẽs agri-
cola, poſt eradicationem veprium & ſpina-
rum, poſt excultum agrum aratri vomere,
de domo egrediens, ſemen ſecum defert &
in terram ſpargit, vt multiplicatum illud
recipiat: ita dominus IESVS CHRISTVS

post excultum agrum, id est, cor Iudæorum, per patriarcharum & prophetarum prædicationem, de domo exijt. i. mundo visibilis apparuit: nauem ascendit, quia in ecclesia per fidem habitauit, & semen spirituale, id est, verbum dei in cordibus auditorum seminauit: non quod ipse nō haberet vnde colligeret, sed vt nos in horreum patris congregaret. Nam & hodie, cum prædicatores & doctores verbū Christi prædicant, quasi ipse Christus semen
Psal. 126. seminat: quia nisi dominus ædificauerit ciuitatem, in vanum laborant qui ædificant eam. Et nisi dominus cor illustrauerit auditorum, in vacuum laborat sermo doctorum. Vnde Paulus suam prædicationem, & discipulorum obedientiam nihil sibi reputans, dicebat: Ego
1. Cor. 3. plantaui, Apollo rigauit, deus autem incrementum dedit. Sed quia non omnes vno modo eius prædicationem acceperunt, manifestatur, cum subditur:

Et dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatū est, & uolucres cæli comederunt illud.

Solet cōtingere, vt dum homo agrum serit, via iuxta sit, & pars quædam seminis in eam cadat: sed semen quod in via ceciderit, duplici læsura perit: aut à viantibus conculcatur, aut à volucribus cæli rapitur. Via enim dicitur, eo q aliquid transeuntes per eam vehant. Via enim significat cor malarum cogitationum calle attritum: semen quippe verbi dei, quod in tali corde cadit, aut à viantibus, id est, *immundis cogitationibus* opprimitur, aut volucribus cæli, id est, ab immundis spiritibus aufertur: qui dupliciter volucres cæli nominantur, siue quod per superbiam de cælo lapsi sunt, siue per hoc quod per aerium cælum discurrant.

Et aliud cecidit supra petram, & natū aruit, quia nō habebat humorem.

Petra enim in hoc loco significat cor durū & indocile, quod vomere verbi dei facile nō scinditur: semen autem verbi dei, si in tali corde ceciderit, & si germinat, tamen ad maturitatem non peruenit, quia in humore perseuerantiæ radicem nō ligat. Hoc autem significat defectio humoris ad radicem seminis, quod iuxta aliam parabolam, defect' olei ad lampadas virginum ornandas.

Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ, suffocauerunt illud.

Spinæ, vitia & peccata significant, de quibus primo homini dictum est: Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Mens ergo vitijs dedita, semen verbi dei fructificare non potest.

Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

Terræ bona, cor est hominis bonum, nō solum ad audiendum verbum dei paratum, sed etiam ad operandum quod audit, deuotū: & ideo facit fructum centuplum. i. perfectū, quia centenarius numerus in scripturis pro perfectione ponitur: sicut de eo, qui omnia sua propter deum dereliquit, dicitur: Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: non quod is qui vnam vxorem reliquit, centum sit recepturus, sed quia talem perfectionem accipiet in præsenti, vt ea quæ dereliqt, iterum non repetat, & in futuro vitam æternam possideat, talem terram centies fructificantem significabat Isaac, de quo legitur: Seuit Isaac, & in ipso anno inuenit centuplum. Gene. 26

Hæc dicens, clamabat.

Sed quid clamet, audiamus.

Qui habet aures audiendi, audiat.

Quoties hæc admonitiuncula in euangelio vel in Apocalypsi interponitur, mysticū aliquid ad requirēdum insinuat. Omnes eñ qui in illa turba erant, aures corporis habebant: & qui cunctis aures corporis habentibus dicit, Qui habet aures audiendi, audiat, alias aures, id est, corda requirit. Est enim spiritualis auditus, cū anima feruentissimo amore verbum dei audire desiderat, talem auditum se habere manifestauit Iob, cum dicebat: Auditu auris audiui te domine. Et Isaias: Dominus deus dedit mihi aurem. Finita autem Iob. 42. similitudine, inter turbas clamat, vt clamandum in prædicatione doctoribus ostenderet: non tantum altitudine vocis, quātum instantia prędicationis, iuxta illud quod per Isaiam dicitur: Clama, ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera Isaie 58. eorum, & domui Iacob peccata eorum. Et iterum: Clama in fortitudine, qui annuncias pacem.

Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.

Non putandum est, quod mox finita similitudine, discipuli coram turbis interrogauerint, sed (sicut ait Marcus) cum esset singularis in domo, interrogabāt eum, quæ esset hæc parabola.

Quibus ille ait: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, illis autem qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt.

Domus autem, in qua discipuli dominum Psalm. 5. interrogabant, spiritualiter ecclesiam significauit, quæ domus dei facta est per fidem, de qua scriptum est: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Illi autem audiunt mysterium dei, qui

Ingrediuntur tabernaculum eius. Qui ergo vult mysterium dei cognoscere, domũ cũ se su intret, id est, fidelis factus vnitatem ecclesiæ teneat quia ipse facit (sicut per Psalmistam
Psal.67 dicitur) vnanimes habitare in domo. cæterũ illi qui foris sunt, id est, pagani, Iudæi, hæretici, omnem scripturam parabolis audiunt, qa eius mysterium capere non possunt. Cum autem discipuli domini singulariter interrogauerunt, datur intelligi, magistrum nõ coram omnibus à discipulis interrogari debere, sed singulariter, ne forte si non habuerit in prõptu quod respondere possit, erubescat, siue vt liceat eum quid dicat, cõsiderare. Pulchre autem dicitur: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis, vt ostendat nemini de suis meritis gloriãdum, sicut faciebant Pelagiani, qui dicebant hominẽ iustificari posse sine gratia dei: nec de sua sapientia vel virtute præsumendum, quando apostoli mysterium regni dei à seipsis nõ habuerunt, sed datum à deo acceperunt, iuxta quod vnus eorum, scilicet Iacobus, loquitur,
Iacob.1. dicens: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, neq; vicissitudinis obumbratio. Et sicut ipse dominus ait: Sine me nihil potestis face-
Ioha.15. re. Vnde glorificat patrem, dicens: Confite-
Mat.11. or tibi pater, domine cæli & terræ, qui abscõdisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. In eo vero quod subditur:

Vt uidentes non uideant, & audientes non intelligant.

Specialiter Iudæos percutit. Videntes eñ quondam erant & audientes, quando dei voluntatem cognoscentes, opere complebant. Vnde & prophetæ eorum. Videntes appellabant, quia videbant ea quæ cęteri videre non poterant, gentes autem non videntes, & non audientes erant, quia dominum non cognoscebant: sed domino veniente in mundo, videntes & audientes, propter superbiam cæci & surdi facti sunt, quando in eum credere noluerũt, impleta prophetia Isaiæ q̃ dicit: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &
Isaia.6. oculos eius claude: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & cõuertantur, & sanem eos: non videntes & non audientes credendo illuminati sunt, iuxta illud quod dominus in euangelio dicit: In iudicium ego in mundum huiuc veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Exponens autem dominus parabolam, adiũxit: ⌊Est autem hęc parabola: Semẽ est verbum dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus & cæt.⌋ Pulchre semini verbum dei comparatur, qui sicut semen, quod in terra seritur, paruum videtur, postea crescẽs multiplicatur: ita verbum dei, cum in cordibus auditorum seminatur, paruum videtur, sed cum auditores in bonis operibus creuerint, tunc pariter cum ipsis verbum dei magnum fructum in virtutibus profert. Et sicut ex multiplicato semine pascitur corpus, ita verbo dei pascitur anima, domino dicẽte: Non in solo pane viuit homo, sed
in omni verbo quod procedit de ore dei. Et Matt.4.
quemadmodum, cum multiplicatum semen congregat in horreum agricola, gaudet: ita cum homo ad maturitatem perseuerantiæ peruenerit, dignus efficitur vt in horreũ dei congregetur, vbi non esuriat, neque sitiat, neque percutiat eum æstus aut sol, sed semper gaudeat, semper'q; lætetur. Quasi enim tempore sationis paruum semen aspiciebat Psalmista,
cum dicebat: Euntes ibant & flebant, mitten- Psal.125
tes semina sua. Quasi vero idem semen multiplicatum conspexerat, cum aiebat: Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Sicut ergo semen in spe fructus seritur, ita & verbum domini propter solam mercedem vitæ æternæ docẽdum est. In semine quippe aliud est tempus sationis, aliud messionis; quia in hac vita seminandũ est, quod in futuro recipiat, quãdo, sicut ait Apo-
stolus: Quæcunq; seminauerit homo, hæc & Galat.6.
metet: quoniam qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternã. Hoc autẽ semen Apostolus in cordibus discipulorum esse gaudebat, dicens: Gratias ago
deo meo semper pro omnibus vobis in gra- 1.Cor.1.
tia dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: qa in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.

Qui autem secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.

De hoc semine Marcus ita scribit: ⌊Hi aũt sunt qui circa viam, vbi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit sathanas, & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.⌋ Matthæus vero ita: ⌊Omnis q audit uerbum regni, & nõ intelligit, uenit malus & rapit quod seminatũ est in corde eius.⌋ In quibus verbis dominicę expositionis hoc cognoscimus, quia viantes, malas & immundas cogitationes significant. Sunt enim nonnulli, qui verbum dei audiunt, sed dum immunda desideria in cordibus suis commorari permittunt, semen verbi dei spiritalem fructũ proferre nõ põt: dumq; in eo℞ cordibus immundam cogitationem immũdior sequi-

tur operatio, quasi à viantibus verbũ dei con
culcatur, ne fructificari possit, qualibus per
Isaie.51. prophetam in specie Iudę dicitur: Et posuisti
vt terra corpus tuum, & quasi viam transeun
tibus. Et iterum: Hi dixerunt animæ tuæ,
incuruare vt transeamus: & q mercedes con
gregat, misit eas in sacculum pertusum. Sicut
enim sacculus pertusus frustra à superiore par
te mercedes colligit, quas inferius fundit: ita
frustra verbum dei audit, qui illud in ventrẽ
Leui. 11. memoriæ non retinet. Vnde bene in lege
omne animal quod non ruminat, immũdum
reputatur: quia illi à sacrificio dei sunt alieni,
à quorum memoria diabolus verbum vitæ
tollit, ne credentes salui fiant. Et quia diabo-
lus varijs modis homines, ne verbum dei re
tineant, illudit, varijs etiam nominibus ab eu
angelistis censetur. Abisto qui hoc euangeli-
um scripsit, diabolus qui latro siue crimina-
tor vel deorsum fluẽs, hebraice Belial, quod
interpretatur absque iugo, dicitur: à Marco
satanas, id est, contrarius: & à Matthæo ma-
lus appellatur, mille nanque nocendi habet
artes. Idem autem qui à Luca diabolus, à
Marco satanas, & à Matthæo malus appella-
tur, deorsum fluere facit quos decipit, & con
trarius est animabus fidelium, & ad perpetu
um malum quos deceperit per trahit, tot enĩ
habet vocabula, quot nocendi ingenia, de q
1.Pet.5. per beatum Petrum apostolum dicitur: So-
brij estote & vigilate, quia aduersarius vester
diabolus tanquam leo rugiens circuit, quæ-
rens quem deuoret, cui resistite fortes in fide
scientes eandem passionem ei, quę in mundo
est, vestræ fraternitati fieri.

Nam quod supra petram, hi sunt, q cum audierint, cum gaudio suscipiũt uerbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Sicut domino exponente cognoscimus,
sunt nonnulli, qui cum verbum dei prædica-
ri audiunt, totis votis se seruaturos quod au-
diunt, promittunt: sed vbi locus peccandi ad
uenerit, subito, quod prius promiserant, obli
uiscuntur. Verbi gratia, cum audiunt aliqui
dominum dicentem: Vę vobis diuitibus, qui
Luce.6. habetis vestram consolationem. Et: Difficile,
qui pecunias habent, intrabunt in regnum cę
lorum, auaritiam detestantur: sed vbi hora
compunctionis transierit, non solum propri
as diuitias immoderate retinent, sed etiam
alienas res concupiscunt vel rapiunt. Simili-
ter alij, dum audiunt Apostolum dicentem:
1.Cor.6. Adulteri regnum dei non possidebunt, car-
nis immunditiam detestantur, adeo vt & la-
chrymis plerunque compungantur: sed vbi
carnis pulchritudo eorum oculis apparuerit
obliuiscuntur quod prius promiserant, & sic
faciles ad peccatum redeunt, quasi prius con
tra peccatum nihil deliberatum haberẽt. De
quibus per Salomonem dicitur: Sicut canis Prou.26
reuertitur ad vomitum suum, sic stultus ad
stultitiam suam, at contra idem ipse nos ad-
monet: Om̃i tempore sint vestimenta tua cã- Eccle.9.
dida, & oleum de capite tuo nõ deficiet. Hinc
de sancta muliere dictum est, Et vultus illius
non est amplius in diuersa mutatus. i. qlis fu- 1.Reg.1.
erat tempore orationis, talem se omni tpe vi
tæ suæ monstrauit. Tales ergo cum verbum
dei audiunt, quasi germinare in eis videtur,
sed ad maturitatem non peruenit, quia cõtra
æstum tentationis non pugnant. Vnde bene
iuxta Matthæum euangelistam, orto sole a- Matt.13.
ruerunt, id est, orta tentatione defecerunt.
Sol enim in scripturis, cum in bono ponitur
dominum Iesum significat, sicut scriptum ẽ:
Vobis qui timetis deum, orietur sol iustitiæ: Mala 4.
cum vero in malo, æstum tentatiõis, sicut de
reprobis dicitur: Et à sole æstuati sunt. Alios
enim prosperitas inflat, alios aduersitas fran-
git, ne acceptum semen ad maturitatem per-
ducant. Contra vtraque damna Apostolus
semen quod audierat obseruare studebat, cũ 1.Cor.6.
aiebat: Per arma iustitiæ à dextris & à sini-
stris, per gloriam & ignobilitatem, per infa-
miam & bonam famam, vt seductores & ve
races, sicut qui ignoti & cogniti, &c. Omnes
enim æqualiter diligebat. Hos enim om̃es in
suo opere significauit Balaam ille diuinus, q
cum castra Israelitarũ cerneret, dicebat: Mo Num.23
riatur anima mea morte iustorum, & fiãt no
uissima mea horũ similia: sed postea æstu aua
ritiæ tactus, in eorum mortem consilium de
dit, quibus se ad mortem fieri similem opta-
uit.

Quod autẽ in spinis cecidit, hi sunt, qui audierunt, & a solicitudinibus & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.

Mirum valde videretur, si quispiam per
spinas diuitias interpretari voluisset, nisi hoc
suis verbis dominus exposuisset, maxime cũ
spinæ pungant, diuitiæ mulceant, tamen si cũ
consideratione attẽdimus, diuitiæ spinę sunt:
quia sicut spinæ suis punctionibus corpus la-
niant & cruentant, turpe ac fœdum in oculis
hominum reddunt, sic amor diuitiarum ani-
mam miseram & infelicem coram oculis dei
facit: & sicut spinæ intractabiles sunt, & vix
absq; læsione tractari possunt, ita auari & cu-
pidi, quia amore diuitiarum tenentur, non so
lum extraneis, sed etiã proprijs asperi, amari
& intractabiles sunt, iuxta illud quod per Sa
lomonẽ dĩ: Benefacit animæ suæ vir miseri- Prou.11.

cors, auar⁹ autem etiam propinquos abijcit.
Prou. 11. Vnde bene iuxta alium euãgelistam, scilicet
Matthæum, non solum diuitias, sed etiam fal
laces diuitias dominus appellat, dicens: Fal-
Mat. 13. lacia diuitiarum suffocantur, & non refe-
runt fructum. Fallaces enim sunt, quia diu
nobiscum permanere non possunt. Aut enim
nos eas deserentes expendimus, aut ipsæ nos
manentes reijciunt. Vnde per apostolũ Pau-
1. Tim. 6 lum Timotheo præcipitur: Præcipe diuitib⁹
huius seculi non sublime sapere, nec sperare
in incerto diuitiarum, sed in deo viuo, q̃ præ
stat nobis oĩa abunde ad fruendũ, bñ agere,
diuites fieri in operibus bonis, &c. Siue certe
fallaces sunt, quia mentis inopiam non extin
guunt, sed quanto magis acquisitæ fuerint, tã
to magis in acquisitione animum possessoris
Eccĩs. 5. accendunt, Salomone testante, qui ait: Auar⁹
non implebitur pecunijs, nec anima illius sa
tiabitur bonis. Sole autem veræ diuitiæ sunt,
quæ hic nos in fide diuites faciunt, & postmo
dum hæredes regni cælorum constituũt, has
quærere, has amare dominus monebat, cum
Matt. 6. dicebat: Thesaurizate vobis thesauros in cæ
lo, vbi nec erugo nec tinea demolitur, & ubi
fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim
thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Si enim vere
diuites esse cupitis, veras diuitias amate: si cul
mẽ veri honoris quæritis, ad illam cælestem
patriam quãtocyus properate. Cæterum istę
diuitiæ sunt fallaces, quæ sine peccato aut
vix aut nullo modo acqri possunt, iuxta il-
1. Tim. 6 lud quod ait Apostolus: Nam qui volunt di
uites fieri, incidunt in tentationem & in laq̃-
um diaboli, & desideria multa & inutilia, quę
mergunt hominem in interitum & perditio-
nem. Vnde timendum est diuitibus valde,
quod dominus terribiliter clamat, dicẽs: Vę
vobis diuitibus, qui habetis vestram consola
tionem. Et iterum: Difficile, qui pecunias ha-
bent, in regnum cælorum intrabunt. Et ite-
rum: Facilius est camelum per foramen acus
trãsire, quam diuitem intrare in regnum cæ
lorũ. Hinc & Iacobus apostolus: Agite nunc
diuites, plorate vlulantes in miserijs quæ su-
peruenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ
sunt, vestimẽta vestra à tineis comesta sunt,
aurum & argentum vestrum eruginauit, &
erugo eorum vobis in testimonium erit, &
manducabunt carnes vestras sicut ignis. Et
Isaias: Væ qui coniũgitis domum ad domũ,
& agrum ad agrum copulatis vsq; ad termi-
num loci. Notandum autem, quia duo sunt
quæ diuitias coniungunt, solicitudines & vo
luptates. Quia enim cum voluptate solicitu-
do non conuenit, sciendum est, quia alio tem
pore amor diuitiarum per solicitudinem mẽ-
tem stimulas, alio vero in voluptate relaxat.
In acquirendo quippe & solicitudinem ha-
bet, ne ipsas perdat, velut negociatores de re
gno ad regnum diuersis temporibus discur-
rentes, vt eas acquirere possint, intantum, vt
si quis eis ipsas auferre voluerit, arma contra
eum erigant. Voluptatem vero habet in pos-
sidendo, quia illis diuitijs satiatus animus eo
rum, tam in luxuria, quàm in alijs rebus ini-
quis & voluptuarijs erigitur. Quisquis ergo
tale cor habet, verbum dei in eo, fructificare
non valet: quia sicut dẽsitas spinarum rorem
cæli & calorem solis ad radicem seminis per
uenire non patitur, ita amor diuitiarum spiri
talem pinguedinem in mente accedere non
permittit. Et ideo si in prædicto semine vo-
lumus fructificari, appetitum diuitiarũ morti
ficare debemus. Quia sicut Apostolus dicit:
Nemo militans deo, implicat se negotijs se-
cularibus. Sed his de tribus terræ generibus
dictis, quid de bona terra dominus proferat,
audiamus.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, q̃ in corde bono & optimo audientes, uerbum retinẽt, & fructum afferunt in patientia.

Bona ergo terra, bonũ est cor hoĩs: bona
qppe terra tribus terræ gñibus cõtrarium fa
cit: & bona terra bonũ fructũ facit, quõ bon⁹
hõ de bono thesauro cordis sui profert bo-
nũ. Sed q̃a nõ oñes fideles æqualiter fructifi
cãt, nec oĩbus æqualis datur gratia, recte dici
citur: Hi sunt qui in corde bono & optimo
audientes verbum, retinent illud. Maius est
enim optimum esse, quàm bonum: quia o-
mnes in ecclesia pene verbũ audiunt, sed non
oñes ęqualiter proficiunt: sed alius plus pro
ficit, alius minus. Qui enim temporalem sub
stantiam bene disponit, bonum fructum fa-
cit: qui vero omnia temporalia pro amore p̃
fectionis reliquerit, optimum fructum facit.
Siue certe bonum fructum facit, q̃ pro amo-
re filiorum legitimo vtitur coniugio: qui ve
ro continentiam vel virginitatem domino
vouit, optimum facit. Vnde bene Matthæus
euangelista, vt inter ipsos iustos differenti-
am ostenderet, de iactato in bona terra semi
ne dicit: Et ortum fecit fructum, aliud trice
simum, aliud sexagesimum, aliud cẽtesimũ.
Et Marcus: Afferebat vnum tricesimum,
& vnum sexagesimũ, & vnũ centesimum.
In tribus ergo frugum generibus, tres ordi-
nes in ecclesia ostendit, coniugatorum, con-
tinentium & virginum. Tricesimus enim fru
ctus ad coniugatos pertinet, qui castum in-
ter se amorem seruantes, sobrie, iuste, & pie
viuunt, quod ab ipsa digitorum iunctiõe sub
quadam figura demonstratur, quemadmodũ
in trigenario numero digito digitus iunctus
castam coniunctionem inter virum & vxorẽ
significat, de qua scriptum est: Et erunt duo

in carne vna. Sexagesimum vero fructũ vi-
duæ & continentiæ proferunt, dum volupta-
tatem carnis experti, longiorem tribulatio-
nem sustinent, quod etiam in ipsa digitorum
computatione ostẽditur, quemadmodum in
sexagesimo numero digitus à digito præmi-
tur, eorum tribulatiõem, quam experti sunt,
demonstrans, sicut ait Apostolus: Tribulati
1.Cor.7 onem carnis habebunt huiuscemodi. Cente
simum vero fructum virgines proferunt, dũ
carnis incorruptionem domino promittũt,
tanto magis præmium percepturi, quanto
huberiorem & grauiorem deo fructum pro
ferunt: cuius perfectio in ipsa digitorum cõ-
putatione demonstratur, quemadmodũ cen
tenarius numerus de læua transit in dexterã,
& circulum exprimens, fit in modum coro-
næ, illam immarcescibilem coronam virginis
ostendens, quam per prophetã dominus pol
Isaie.56. licetur, dicens: Hęc dicit dominus eunuchis,
qui custodierint præcepta mea, & elegerint
quę volui, dabo eis in domo mea & in muris
meis locum. Locum nominatum dabo eis &
nomen sempiternum, quod nõ peribit. Qui
etiam, si pollutionem non solum mente, sed
etiam corpore fugerint, audiant quod Iohan
Apo. 14 nes ait in Apocalypsi: Hi sunt, qui cum mulie
ribus nõ sunt coinquinati, virgines enĩ sunt.
Vel certe tricesimum fructum proferunt, q
fidem sanctæ trinitatis confitentur. Sed quia
fides sine operibus mortua ẽ, tricesimum ad-
iungunt sexagesimo, cum in confesione fidei
bona opera addunt. Quia enim sex sunt dies
in quib⁹ licet operari, per sexagenarium fru
ctum bona opera figurantur. Sed quia qui re
cte credit & bene viuit, futuram mercedem
expectat, centesimum tricesimum proferũt,
quemadmodum gloriam æternam percipi-
ant. Sed quoniam in omni opere bono pati-
entia necessaria est, recte subditur L. & fructũ
afferunt in patientia. Bona igitur terra p pa
tientiam profert, quia nulla sunt bona quæ
agimus, si pessimorũ mala æquanimiter non
toleramus. Patientia enim vera est, quę nullo
furore vincitur, nulla tribulatione separatur,
nulla persecutione turbatur: quæ non solum
in diuinis flagellis necessaria est, sed etiam ad
proximorum persecutionem, vt in omnibus
animus perseuerantis fructum afferat in pa-
tientia: quia bonus non fuit, qui malos tolera
re recusauit. Hæc virtus qualis sit, etiam do-
minus alibi manifestat, cum dicit: In patien-
tia vestra possidebitis animas vestras. Et ite-
Matt.5. rum: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabũ
Marc.9. tur. Et alibi: Habete sal in vobis, & pacem ha
bete inter vos. Vnde Paulus exemplum ma-
Hebr.12 gistri secutus, discipulis præcepit, dicens: Pa
cem sequimini.

DOMINICA IN QVINquagesima. Lucæ XVIII.

In illo tempore: Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos: & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabũtur omnia, quæ scripta sunt per prophetã de filio hominis. Et reliqua.



Vperior textus euangelicæ le-
ctionis retulit, quomodo do-
minus temporales diuitias fu-
giendas & spõtaneam pauper
tatem esse amandam docuerit,
dicens: Quia difficile qui pecunias habent, in Luc.18.
trabunt in regnum cælorum. Facilius est enĩ
camelum per foramen acus transire, quàm
diuitem intrare in regnum dei. Et dixerunt
qui audiebant. Quis potest saluus fieri: Ait il
lis: Quæ impossibilia sunt apud homines, o-
mnia possibilia sunt apud deum. Et iterum
ostendit, quia apostoli, qui omnia reliquerũt
propter regnum dei, multo plura recipient
in hoc tempore, & in seculo venturo vitam
æternam, & post hæc subiunxit:

Assumpsit Iesus duodecim discipulos.

Igitur post infirmis redditã sanitatem, post diuitum increpatam duritiam, post apostolorum spontaneam paupertatẽ æterna promissione remuneratam, transit ad passionis suæ trophæum, vt ostenderet non posse nec salutem perfectam cõsequi, nec terrena relinquere, & ad cælestia apprehendere, nisi ille moreretur pro omnium salute, qui est salus omnium nostrum. Quibus etiam vitam æternam promiserat, passiones anteponit tribulationum, vt si eos delectaret locus celsitudinis, prius exerceret dolor tribulationis. Prædictis ergo tribulationibus, considerandum est, quod præuidens dominus ex sua passione animos discipulorum conturbandos, longe eis ante eandem passionem prædicere voluit, vt tanto minus turbarẽtur tempore passionis, quanto & hanc à pio magistro prædictam recolerent. Minus enim iacula feriunt, quæ præuidentur. Nec solum passionis suæ pœnam, sed etiam resurrectionis gloriã prædixit, vt cum eum morientem (sicut prędictũ erat) cernerent, etiam resurrecturum minime dubitarent. Et quos contristabat denunciata passio, lætificaret prædicta resurrectio: præuidens etiam paganorum stultitiam futuram qui dicturi erant eũ non spõtanee, sed coactũ pro nobis passionem sustinuisse, prius ipsam passionem pdixit, vt intelligamus, qd is q & locũ passionis & tps prædicere potuit, passionẽ declinare posset, nisi hãc pro nostra redẽptione spontanee sustinuisset. Nõ enim cum

mors compulit,sed ipse mortem, quam vo-
luit elegit,iuxta quod ipse tempore passiōis
iudicem allocutus est,dicens:Potestatem ha
Iohan.10 beo ponendi animam meam , & potestatem
habeo iterum sumendi eam.Et iterum : Ne-
mo tollet à me animam meam,sed ego pono
eam,& iterum sumo eam.Nec solum paga-
norum stultitiam, sed etiam hæreticorum in
saniam his verbis destruit, qui dixerunt ali-
um deum veteris testamenti , & alium noui,
cum ante suam passionem complenda præ-
nūciauit,quæ in scripturis de illo fuerāt præ
dicta,ostendens seipsum deum esse veteris&
noui testamenti,qui hoc ageret & doceret,ꝙ
eum in veteri testamēto prophetæ acturum
& docturum prophetauerunt.Nimirum er-
go ipse est deus veteris ac noui testamēti,sic-
ut ipse ait per prophetam: Ego deus & non
Malac.3. mutor. Et iterum: Ante me nō est formatus
deus,& post me non erit. Et pulchre salua-
Isai.43. tor duodecim discipulos assumpsit,quibus se
cretum suæ passionis reuelauit & resurrecti-
onis,propter duodenarij numeri perfectio-
nem.Duodenarius enim numerus perfectus
est,& in suis partibus diuisus, perfectionem
quandam significat. Cōstat autem ex primo
impari & primo pari.i.ex tribus & quatuor:
quia primus impar,ternarius:primuśq; par,
quaternarius,siue enim tria in quatuor , siue
quatuor in tria ducas,duodenarium numerū
complent,& tres quidem ad perfectionē per
tinent,propter indiuiduam trinitatem patris
& filij & spiritussancti : & propter tria tem-
pora,ante legem,sub lege, & sub gratia, siue
propter tres principales virtutes , fidem vi-
delicet,spem &charitatem.Quaternarius au
tem & ipse ad perfectionem pertinet , ꝑpter
quatuor euangelia,& propter quatuor prin-
cipales virtutes,siue propter quatuor tempo
ra anni,vel propter quatuor animalia , quæ
plena oculis ante &retro in circuitu sedis dei
esse commemorantur . Duodenarius quoq;
numerus & ipse perfectus est, propter duo-
decim patriarchas , & duodecim apostolos,
& duodecim menses anni, & duodecim ho-
ras diei,vel propter duodecim seniores , qui
geminato numero in Apocalypsi agnū ado-
Apo.4. rant , mittentes coronas suas ante thronum
dei. Quia ergo dominus & fidem sanctæ tri-
nitatis & doctrinam quatuor euangeliorum
per duodecim apostolorum prædicationem
nunciaturus erat mūdo,recte duodecim apo
stolos assumpsit,quibus secretum suæ passio
nis reuelauit,dicens: ⌊Ecce ascendimus Hie
rosolymam,&c.⌋vt cum omnia in eo com-
pleta vidissent , quæ ab illo prædicta audie-
bāt,memores essent præcepti,quo ait:Quod
Luc.12. dico vobis in tenebris,dicite in lumine : & ꝙ
in aure auditis in cubiculis , prædicate super
tecta.Notandum autē quod ait: ⌊Ecce ascen
dimus Hierosolymam,& consummabuntur
omnia q̄ scripta sunt de filio hominis.⌋Quæ
ritur autem quare dicat, ⌊consummabuntur
omnia quę scripta sunt de filio hominis,⌋ cū
tempore passionis omnia completa non sint
quæ de illo prædicta erant . Adhuc enim re-
stabat gloriosa eius ascensio , & spiritussan-
cti de cælis missio,aduentus ad iudicium, &
discipulorum prædicatio, & gentium voca-
tio,& multa alia, quæ de illo prædicta nemo
ambigit.Sed ad hoc dicendum,quia vsus scri
pturæ est, per tropum synecdochen aliquan
do totū pro parte, aliquando partem pro to
to ponere, pars pro toto ponit , sicut scriptū
est: Descendit Iacob in Aegyptum in anima Gen.46.
bus septuaginta.Nunquid animæ sine corpo
ribus descenderunt?absit. Sed per meliorem
hominis partem quæ est anima,totus intelli-
gitur homo. Totum vero pro parte ponitur
sicut alibi legitur: Videbit omnis caro saluta Luc.3.
re dei.Non quod saluatorem venientem ad iu
dicium,caro volucrum & serpentium atque
bestiarum visura sit,sed omnis caro.i.omnis
homo.Nam & in domini passione de latro-
nibus dicitur,quod vterq; dominū blasphe-
mauerit ,quod alius euangelista manifestius
ostendit,scilicet, quia vnus eum blasphema-
uerit,alter vero crediderit.Ita ergo &in hoc
loco à maiori parte totum pro parte posuit,
cum dixit: ⌊consummabuntur omnia.⌋Qui
modus locutionis nō solum in scripturis, sed
etiam in nostris confabulationibus vsitatus
est,cum dicere solemus, omnis homo in ci-
uitatem ascendit, vel omnis vrbs conclama-
mauit,non quod aliquis extra ciuitatem non
remanserit, vel in ciuitate tacens non fuerit,
sed à maiori parte totum significamus: ita &
in hoc loco à maiori parte totum significa-
tur,cum dicitur: consummabunt omnia,non
quod omnia in passione consummata sint,
sed quia magna ex parte consummata sunt,
omnia consummanda dicuntur.Quæ enim à
diuersis patribus diuersis temporibus prædi-
cta sunt,in vno eodemq; filio hominis domi
no Iesu Christo consummata sunt. Quod vt
manifestius intelligatur,dicamꝰ sub exemplo
verbi gratia,viginti quis denarios erogauit,
rursus quinque, & alias quindecim : triginta
quoq;,& ter decies per diuersa tempora de-
dit,hæc si in vnum receperit , centenarij nu-
meri summam inueniet: ita ergo domini in-
carnatio,passio,& resurrectio diuersis tempo
ribus à diuersis patribus prædicta sunt , sed
in vno mediatore dei & hominum consum-
mata,& ideo firmitas fidei immobilis perse-
uerat:quia omnia quæ in Christo futura erāt
antea prædicta fuerant.Passionem quoq; prę
dicens,magis se filium hominis, quàm filium
dei appellari voluit , vt ostenderet , quia per
hoc quod filiꝰ hominis fuit,potuit teneri,fla-

gellari, pati, & crucifigi, diuinitas autem impassibilis mansit. Quæ autem essent, quæ tempore passionis in illo consummanda essent, manifestat cum adiungit:

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget.

Quæ omnia de illo prædicta, & in illo cōpleta nullus fidelium dubitat, & diligens lector facile reperire potest. Quod enim tradendus esset, prædictum fuit, scilicet ab Ieremia, qui dicit: Tradidit me quem diligebam.
Psal.78. Et Psalmista: Traditus sum & non egrediebar, quod impletum est tempore passionis, quando Iudas Scarioth vnus de duodecim, abijt ad principes sacerdotum, dicens: Quid
Matt.26 vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos, & accepta pecunia, tradidit eum ministris principis sacerdotum, dicens: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Quod illudendus esset, sic in eius persona dicit Psalmista: Op-
Psalm.30 probrium factus sum vicinis meis, subsanna-
Psal.37. tio & illusio inimicis meis. Et iterum: Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Et Ieremias: In surrexerunt in me viri illusores, quod impletum est tempore passionis, quando coronam spineam imponentes capiti eius, & dantes arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Quod flagellandus esset, sic in eius persona Zacharias propheta prædixit: Virga
Zach.13. percutient filij Israel principem suum. Et iterum: Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis, quod impletum est in passione, quando flagellis iussus est cædi, dicente Pilato: Ergo flagellatum eum dimittam. Quod conspuendus esset, sic in eius persona prædixerat Isaias propheta: Faciem meam nō auer-
Isa.50. ti ab increpantibus & conspuentibus in me.
Iob.30 Et Iob: Insurrexerunt in me viri iniqui absq; misericordia, & non pepercerunt in faciem meam spuere, quod impletum est tēpore passionis, quando spuerunt in faciem eius. Quod occidēdus esset, sic prædixerat Daniel, dicēs:
Dani.9. Occidetur Christus, & non erit eius, & cæt.
Deut.28 Hinc Moyses filijs Israel ait: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ, sed timebis, quod impletum est, quando pendens in cruce inclinato capite, emisit spiritum. Quod post mortem die tertia resurrecturus esset, sic scriptum est in Osee pro-
Osee.6 pheta: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Et Sophonias: Expecta me, dicit do-
Sopho.3 minus, in die resurrectionis meę in futurum. Et ipse per Psalmistam: Ego dormiui & so-
Psalm.3 mnū cepi, & exurrexi. Et alibi: Resuscita me, & ego reddam eis, quod impletum est die tertia post passionem, quando mulieres, quæ ante diluculum ad sepulchrum venerant, ab angelo audierunt: Iesum quæritis, non est hic, surrexit.

Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem uerbum istud abscōditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

In euangelio secundum Iohannem legimus, quod cum dominus Iudæis de sua passione velate loqueretur, dicens: Cum exalta-
ueritis filium hominis, tunc scietis quia ego Iohan.8.
sum. Et: Si exaltatus fuero à terra, omnia tra- Iohan.12
ham ad meipsum: ipsi statim intelligentes, responderunt dicentes: Dæmonium ha-
bes, quis te quærit interficere? Nos audiui- Iohan.7
mus quia Christus manet in æternum, hic vero, cum manifeste suam passionem prædiceret, apostoli nihil horum intellexerūt. Quid est quod Iudæi tam velata audierunt, vt euāgelista expositione dignum duceret, dicens: Hoc autem dixit, significans qua morte esset
moriturus, & ipsi statim intellexerunt: apo- Iohan.12
stoli autem manifeste audierunt, & non intellexerunt? nimirum quod istis pietas abscondebat, illis impietas patefaciebat. Habet enim humana mens hoc proprium, vt quod omnino nō vult, aut vix aut tarde credat: & quod omni mō fieri vult, facile intelligat, & facilius credat. Quia ergo Iudæi hoc optabāt quomodo occidere possent, licet occulte de eius passione aliquid audirent, confestim intelligebant: quia vero apostoli nec optabant, nec credebant quod Christus dei filius mori posset, licet manifeste eius passionem prædictam audirent, non intelligebant. Nam quantum dura & aspera eius passio discipulorum mētibus videretur, Petrus indicat, qui cum dominus alibi suam passionem prædiceret, assumpsit eum secreto, dicens: Absit à te domi-
ne, non fiet istud, nō enim decet, vt filius dei Matt.16.
gustet mortem. Verbum aūt in scripturis sacris tribus modis intelligitur, aliquando pro ipso domino, aliquādo pro facto ponitur, aliquando pro dicto. Pro domino, vt illud: In principio erat verbū. Et illud: Verbo dñi cæ-
li firmati sunt. Pro facto, vt in Exo. legim' de Exod.2.
Moyse, interfecto Aegyptio: quō palā factū est verbū istud? sicut alibi legit: Quicunq; di- Matt.12
xerit verbū contra filium hoīs, remittet ei, & cæ. ita & in præsenti loco pro dicto ponit, cū dī: Erat verbū istud abscōditū ab eis, i. dictio ista. Sed qa discipuli, q̄d de dñi passione manifeste audierunt, nō intelligebant, venitur ad miraculum. Nam in eorum præsentia cæcus illuminatus est, vt disceret nihil de eius verbis dubitare, quem talibus miraculis videbant coruscare. Vnde & subditur:

**Factum est autē cum appropinqua-
ret Iericho, cæcus quidam sedebat se-
cus uiam mendicans.**

Iericho ciuitas est trans Iordanem in ter-
ra promissionis, ad quam filij Israel primum
venisse, Iordanis amnem transeũtes, le gunt,
quæ temporibus Iosue mirabiliter à domi-
no, arca ipsius domini septem diebus circun
ducta, subuersa ē: sed temporibus Achab re-
gis ab Ahiel principe reædificata, vt Regum
narrat historia, quæ iuxta interpretationem 3.Re.16.
Iosue in primogenito suo fundauit eã, in no-
uissimo suo stabiliuit portas eius. Interpreta-
ta autem Iericho in nostra lingua, dicitur lu-
na. Luna quippe quæ menstruis horis crescit
& decrescit, in scripturis aliquãdo defectum
nostræ mortalitatis insinuat, q crescimus na-
scendo, decrescimus moriendo: augemur in
prosperis, minuimur in aduersis. Dominus
autem quasi Iericho appropinquauit, quan-
do defectum nostræ carnis siue mutabilitatē
assumpsit: vt qui immutabilis erat in suis, mu
tabilis fieret in nfis. Sed eo Iericho appro-
pinquãte, cæcus quidam sedebat secus viam
mendicans. Vnde & quidam metricorũ ait:
Filius occurrit domino cæcatus in orbe Ti-
mæi quondam. Spiritaliter vero genus desi-
gnat humanum, quod tunc cæcitatem men-
tis incurrit, quando lumen veritatis ami-
sit, & ad concupiscendum lignum vetitum
oculos aperuit, & in tenebris erroris inci-
dit, in qua non solum gentilis, sed etiam Iu-
dæorum populus tenebatur, qui de peccati
radice ortus, originalis peccati vinculo tene
batur astrictus, teste apostolo qui ait: Nõ est
distinctio Iudæi & Græci, omnes enim pec- Roma.3.
cauerunt, & egent gloria dei. Vñ bene Mat-
thæus duos cæcos posuit, vt ex vtroque po-
pulo aliquos illuminandos per domini incar
nationem insinuaret. Cum ergo dominus Ie-
richo appropinquauit, cęcus illuminatus est,
videlicet genus humanum, quia cum morta-
litate nostræ carnis indutus fuit, ad suã im-
mortalitaten nos reformauit. Secus viam au
tē sedebat, quia à via veritatis recesserat. Be-
ne autem cæcus iste & secus viam sedere, &
mendicare dicitur, quia sunt nõnulli qui nec
secus viam sedent, nec mendicãt. Sed iterum
sunt alij, qui secus quidem viam sedent, sed
non mendicãt. Adhuc etiam sunt alij, qui &
secus viam sedent, & mendicant. Via enim ē
Christus, qui dicit: Ego sum via, veritas, & Ioh.14.
vita. Nec secus viam sedent, nec mendicant,
qui nec deum credunt, nec spiritales diuitias
ab eo quærunt. Secus viam sedent, sed non
mendicant, sicut peruersi & falsi Christiani,
qui deum credunt, sed à bono opere torpen
tes, spiritales diuitias ab eo quærere non stu-
dent, qui (iuxta Apostolum) confitētur se nos- Titum 1.
se deum, factis autem negant. Secus viam se-
dent, & mendicant, qui deum credunt, & cæ
lestem gloriam assiduis orationibus quære-
re nõ cessant, de qualibus dominus dicit: Bea
ti qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam Matt.5.
ipsi saturabuntur.

**Et cum audisset turbam prætereun-
tem, interrogauit quid esset.**

Turba præteriens, patriarcharum significat
ordinem & prophetarum, qui propterea prę
tereuntes dicuntur, quia per successiõem ge-
niti & generantes, de hoc seculo transierunt:
multa tamen de domini incarnatione, & pas
sione, & resurrectione, atq; humani generis
redemptione scripta reliquerũt. Quod cum
audisset cæcus. i. genus humanum, interroga
uit quid hoc esset.

**At illi dixerunt ei, quod Iesus Naza
renus transiret.**

Et cum audisset ab eis, quod Iesus Nazare
nus transiret. i. cum ex eorum libris domini
incarnationem, passionem & resurrectio-
nē didicisset, credula voce cœpit clamare,
dicens:

Iesu fili Dauid, miserere mei.

In cuius verbis pulchre catholica commē
datur fides, quæ mediatorem dei & hominũ,
& verum deum & verum hominem confite
tur & credit. Nisi enim verum deũ credidis-
set, misereri sibi ab illo non posceret: & nisi
eundem verum hominem credidisset, nõ di-
ceret: Iesu fili Dauid. Iesus nãq; latino elo
quio, saluator siue salutaris dicitur. Sic enim
Iesum clamauit, vt filium Dauid non dimitte
ret: & sic filium Dauid inuocauit, vt saluato-
rem non pertransiret, ostendens quia medi-
ator dei & hominum dominus Iesus Chri-
stus, in vna eademq; persona ex diuina huma
naq; substantia perfectus deus, perfectus est
& homo credendus. Filius Dauid dicitur, q̃a
de stirpe Dauid carnem pro nobis redēptor
suscepit, sicut voce angeli ad Mariã dicitur:
Dabit ei dominus deus sedem Dauid patris Luca.1.
sui. Et Apostolus: Qui factus est ei ex semi Roma.1.
ne Dauid secundum carnem. Bene autem
Iesus Nazarenus trãsire dicitur, quia nõ sic-
ut cæteri mortales in mundo permansit, sed
postquam prædicauit & passus est, diabolo
superato, victor ad patrem redijt. Transitus
autem ipsius fuit de cælo in vterum, de vtero
in sepulchrum, de sepulchro iterum in cælũ.
De cuius trãsitu Petrus Apostolus dicit: Qui Actu.10.
pertransiuit benefaciendo, & sanando om̃es
oppressos à diabolo. Cuius transitum admi-
rans ecclesia, in Canticis canticorum ait: Ecce Canti.2.
iste venit saliens in mõtibus, transiēs colles.

**Et qui pręibant, increpebant eum ut
taceret.**

Hi qui præcedentes cæco silentium imponere volebant, turbas immundorum spiritum significant, qui initi fidei humanum gen⁹ à domini credulitate reuocare conati sunt, non solum suadendo, sed etiam increpando, id est, persecutiones & tribulationes cōmouendo. Sed quid cæcus fecerit, audiamus.

Ipse uero multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.

Sed cæcus magis ac magis clamabat, quia quanto amplius genus humanum se ab immundis spiritibus sentit opprimi, tanto ardētius studet ad dominum clamare, dicēs cum
Psal. 89. Propheta: Domine, refugium factus es nobis à generatione & progenie. Vnde & bene dicitur:

Stans autem Iesus, iussit cęcum adduci ad se.

Tunc autem dominus cæcum ad spiritaliter adduci iussit, quando apostolos ad prædicandum generi humano misit, dicens: Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Et iterum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti. Qui tunc eū adduxerunt, quando profecti prædicauerūt vbiq;, & reliqua.
Mar. 16.
Mat. 28.

Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi uis faciam?

Adducto autem cæco ad se, interrogauit eum quid vellet, non quod ignoraret, cum pene oēs, qui ibi aderant, id nossent: sed lumen quod ex sua bonitate largiturus ei erat, ad sui petitionem tribueret, & eius confessionem approbaret. Pius enim dominus sua dona gratuita, nostra vult esse merita, id est, nō vult bonum nostrum inuitum & coactum esse, sed spontaneum & voluntarium: & quod nobis sponte largitur, vult nostris petitionibus tribuere. Et ideo, quamuis sciat quid nobis necesse sit, antequam petam⁹ eum, dicēs:
Matth. 6 Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, &c. importune nos tamen ad petendum
Matt. 7. inuitat, cum dicit: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Oīs enim qui petit, accipit: & qui quærit, inueni', & pulsanti aperietur.

At ille dixit: Domine, ut uideam.

De quo cæco versificus quidam ait:
Non aurum cæcus dño, non præmia multa.
Sed lucem petijt, radiansq; refulsit in astris.
Cuius in exemplo cuncta radiantia poscunt.
In cuius petitione discimus, quia in oratione non aurum, non argentum, non terrenas diuitias, non longiturnam vitam, non vindictam inimicorum: sed ineffabile lumen quærere debemus, hoc est, vt ipsum videre possimus, qui illuminat omnem hominem veniētem in hunc mundum, iuxta quod ipse admonet, dicens: Quærite primum regnum dei Matth. 6
& iustitiam eius, & hæc omnia adijciētur vobis. Quantum autem fides valeat, manifestatur, cum infertur,

Et Iesus ait illi: Respice, fides tua te saluum fecit.

Si enim iste per fidem illuminatus est, quicunque non credit, infidelis est, quia in tenebris manet, & in tenebris est. Cum ergo ait: Fides tua te saluum fecit, intelligitur, qa fides magna est virtus, sine qua impossibile est placere deo. Sicut enim infidelitas mater & radix est omnium vitiorum, sic fides origo omnium virtutum, dicente Propheta: Iu- Haba. 2.
stus autem ex fide viuit, quam dominus commendans discipulis, ait: Habete fidem dei. Et Mar. 11.
iterum: Si habueritis fidem sicut granum si- Luc. 17.
napis, diceretis monti huic: transi hinc & trāsiret. Quod autem nemo beneficijs dei ingratus debeat remanere, recte de eo dicitur:

Et confestim uidit, & sequebatur illum magnificans deum.

Quanto enim quisque plus à deo illuminanatur, tanto amplius & perfectius bonis operibus se exercere debet: sicut iste cæcus mox recepto lumine non piger remansit, sed deum secutus est magnificās illum. Decebat enim, vt is qui à domino illuminatus fuerat, non retro rediret, sed deum sequeretur. Sequi enim dominum, imitari est, sicut ipse dicit: Qui mihi ministrat, me sequatur, &cæ. Et Ioh. 12
iterum: Qui vult venire post me, & reliqua. Matth. 9
Vbi notandum quia sunt nonnulli, qui nec vident, nec sequuntur: sunt alij, qui vident, sed non sequuntur: alij etiam sunt, qui & vident & sequuntur. Nec vident nec sequuntur, sicut sunt pagani & Iudæi, qui nec bonū intelligunt, nec operantur. Vident, & non sequuntur, qui bonum intelligunt, sed operari contemnunt, sicut falsi ac tepidi Christiani, de quibus dominus ait in euangelio: Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cælorum. Et: Populus hic la- Isa. 29.
bijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Vident & sequuntur, veluti perfectissimi Christiani, qui & deum credunt, & bonū quod intelligunt, opere complent. Vnde apostolus Paulus dicit: Corde creditur ad iu- Rom. 10.
stitiam, ore autem confessio fit ad salutem, & apostolus Petrus hortatur, dicens: Christus 1. Petr. 2
passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem deo.

Non solum autem de miraculo quod acciderat, verumetiam & de fide ipsius cæci, hi qui aderant, dominũ glorificabant: ita & nos bona opera facientes, in sanctis conuersationibus nostris tales nos ostendere debemus, vt in nobis glorificetur deus, sicut ipse admonet, dicens: Luceat lux vestra coram homini-
Matt. 5. bus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Sed q̃d ad genus humanum diximus pertinere generaliter, potest & ad vnumquenq; peccatorẽ referri specialiter. Qui enim criminale peccatum committit in opere, quale est adulteriũ, homicidium, furtum, rapina, sacrilegium, & his similia, odiumq; gestat in corde, cæcus ẽ in mente, Iohanne apostolo teste, qui ait: O-
1 Iohã. 2. mnis qui odit fratrem suum, in tenebris ẽ, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Qui autem desiderat illuminari, & cæcitatem mẽtis deponere, non debet orando à petitione cessare, sed spiritaliter semper mendicare, id est, ad ecclesiam veniat, & humiliter sua peccata commissa confiteatur, præterita peccata fletibus diluat, & ad audiendum verbum diuinum libenter aures cordis aperiat. (Ibi em̃ in sanctorum exemplis siue verbis reperiet, quoniam de præteritis delictis satisfactionẽ accipiet, & de futuris cautelam) sed si pro æterna vita cœperit cogitare, & ad eam post peccatum flendo redire, cæcus & secus viam sedet, & mendicat, cui recte congruit quod dicitur: ⌊Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eẽt.⌋ Turba prætereiens, sanctorum est vnanimis chorus, uel eorum actiones & doctrinam significat, qui propterea prætereuntes dicuntur, quia non habent hic manẽtem ciuitatem, sed futuram toto desiderio inquirunt. Præterire quippe sanctorum est, nõ in amorem mundi, radicẽ cordis infigere, sed ad æternam vitam toto desiderio festinare. Vnde vnus eorum, cum vidisset impium superexaltatum & eleuatũ,
Psal. 36. ait: Transiui, & ecce non erat, &c. Cumq; ex eorum exemplis & dictis peccator peccantibus audierit terribiliter comminari pœnam, & Apostolum clamantem: Nolite errare, neque adulteri, neque rapaces, neque masculorum concubitores regnum dei possidebunt. Et pœnitentibus repromitti veniam, compũctus corde interrogat, quid hoc sit. Et cum ex eorum verbis didicerit, nihil esse omne q̃d terrenum & transitorium ẽ, quasi Iesum Nazarenum transire audit. Quid agere debeat, si lumen cordis recipere desiderat, cæcus suo exemplo ostendit, cum clamauit, dicens: ⌊Iesu fili Dauid, miserere mei.⌋ Cæcus enim ad dominum clamat, quando peccator pro suis veniam petens, humiliter ingemiscit, dicens: cum Propheta: Quoniam iniquitatem meam Psal. 50.
ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Sed quia immundi spiritus contra eum quem redire ad veniam viderint, cõsurgunt, recte subditur: ⌊Et qui præibant, increpabant eum vt taceret.⌋ Prætereuntes ergo cæco silentium imponere volebant, quia immundi spiritus, ne peccator ad pœnitentiam redeat, contradicunt. Multis quoque modis immundi spiritus post confessionem mentem retrahere conantur, ne in conuersione permaneat, aliquando suasionibus, aliquando increpationibus, contra quæ omnia scriptura Salomonis animum firmare admonet, cum dicit: Fili accedẽs ad seruitutem dei,
sta in iustitia & timore, & præpara animam Eccl. 2.
tuam ad tentationem. Nec solum immundi spiritus, sed etiam ipsa consuetudo peccandi durius incipit rebellare, cum senserit post assueta mala ad virtutes velle ire. Verbi gratia, ebriosus aliquis cum ad sobrietatem redire consurgit, mox contra eum titillatio potandi surgit, adulter dum castitatem vouit, statim contra eum carnis delectatio consurgit, & ad præterita commissa retrahere cupit, ne ad dominum conuertatur: q̃a caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ volumus faciamus, nec pura mente deum conspicere valeamus. Sed quid facere debeat, siue contra immundorum spirituum tentationem, siue contra carnis delectationẽ, qui huiusmodi est exemplo huius cæci instruitur, cum subinfertur: ⌊Ipse vero multo magis clamabat Fili Dauid, miserere mei.⌋ Quo enim acrius se aliquis sentit impugnari à malignorum spirituum tentatione, seu ab ipsa consuetudine peccandi, eo fortius debet pugnare in oratione, propter illud quod dominus ait: Hoc ge- Mar. 9.
nus non eijcitur nisi in oratione & ieiunio. Vñ Apostolus Petrus fideles per epistolam admonet, dicẽs: Estote prudentes & vigilate 1 Pe. 4. 5.
in orationibus, q̃a aduersarius vẽ diabolus tanq̃ leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Neque enim diuina pietas adiutorium sibi penitenti negabit, si ille orando à petione non defecerit, nec de suis meritis aliquid præsumat, sed in illius misericordia confidat, cui per Prophetam dici- Psal. 59.
tur: In domino faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Quantã aũt misericordiam dñs pœnitẽtibus exhibeat, quale auxiliũ pugnantibus contra peccatum præbeat, manifestat cũ subiũgitur: ⌊Stãs autem Iesus, iussit eum adduci ad se.⌋ Qui ergo prius transibat, propter tentatiões dæmo-

tationes dæmonum humanis mentibus illatas, hunc per instantiam clamoris stat. Quia cum phantasmata tentationum in oratiõe patimur, quasi transeuntem dominum audim⁹: sed si in orando, quærendo, petendo, pulsando perseuerauerimus, quasi stãs nos ad se aduci iubet. Quoniam tranquillitate mentis reddita, dulcedinem suæ contemplatiõis vel tenuiter manifestat, quia vt ipse ait: Beati mũdo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Et quia in oratione ante omnia æternam gloriã quærere debemus, recte interrogatus cæcus à domino. Quid vis faciam tibi, respondit: Domine, vt videã. Et præcipue fides in oratione necessaria est, vt bonũ quod quærimus, firmiter accipere posse deo donãte credamus, iuxta illud quod dominus ait: Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Et quoniam qui cunque non negligit digne pœnitere, de venia non debet desperare, recte dicitur: Respice, fides tua te saluum fecit. De quo recte subditur: Et cõfestim vidit, & sequebatur illum, magnificans deum. Solet autem contingere, vt quãto quisque de maioribus peccatis per pœnitentiam fuerit liberatus, tanto gratior liberatoris misericordia cognoscit. Vnde bene dicitur: Et omnis ples vt vidit, dedit laudem deo. Quo enim quisq; in gradu est altior, eo & in crimine grauior: quanto autem de grauioribus peccatis à deo fuerit liberatus, & de profundioribus tenebris erutus, tanto gloriosius domini misericordiam deprecabitur.

Matt. 5.

IN DIE CINERVM. Matthæi VI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cũ ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Et reliqua.



Ieiunium quippe omnipotenti deo gratum est, ita duntaxat, si digne & irreprehensibiliter fiat. Erant quidem scribæ & pharisæi, qui tempore ieiunij sui exterminabant facies suas, quatenus parerẽt hominibus ieiunantes. Si ergo hypocritæ erant illi, qui ideo facies suas exterminabant, vt hominibus ieiunantes apparerent, constat quia qui aliud tenet in corde, & aliud agit in opere, hypocrita est, sicut scribæ & pharisæi, qui cum haberent lætitiam in mente de vana gloria, tristitiam tamen præferebant in vultu.

Exterminant enim facies suas.

Pro eo verbo quod in consuetudine legimus, exterminant beatus Hieronymus docet esse legendum, demoliuntur. Nam exterminare est, extra proprios terminos educere. Verius enim legitur, demoliuntur facies suas, hoc est, deprauant, & non lauant se, pallorem etiam continuum facietenus prætendunt.

Vt uideantur ab hominibus.

Hoc est, vt humanam inde laudem consequantur.

Tu cum ieiunas, unge caput tuum.

Hoc est, dum ieiunas, festiuum te exhibe. Palestini, secundum quorum morem dominus loquitur, diebus festis oleo vngebant caput, & preciosis vnguentis fouebant. Et est sensus: Cum ieiunas, festiuum te exhibe & hilarem, quasi non videaris ieiunare, sed potius solennitatem celebrare. Allegorice vero oleum sicut ponitur in malam partem, ita & in bonam. Recipitur enim in malam partem quando adulationem significat. Vnde p Psalmistam dicit: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Recipitur enim in bonam partem, sicut idem Psalmista dicit: Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. In oleo enim charitas significatur, quia sicut oleum cunctis liquoribus præcellit, ita etiam cunctis virtutibus præeminet. Vnde Paulus, cum de ea loqueretur, dicit: Adhuc excellentiorem viam vobis demõstro. Et alibi: Manent nũc tria, fides, spes, charitas. Maior autem horum est charitas. Per caput etiã principale mentis nostræ designat. Quia tũc erunt grata nostra ieiunia, si dilectione dei & proximi fuerint condita. Psal. 140 Psal. 44 1. Cor. 12 1. Cor. 13

Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea extermi nant, & ubi fures effodiunt & furantur.

Per has tres species. i. per æruginem & tineam, & per fures, ostẽdit dominus nihil tutum esse in terra in possessiõibus diuitiarum. Quædam enim sunt, quæ ærugo deuorat, sicut aurum & argentũ, & cætera metalla. Alia sunt, quæ ærugo non deuorat, sed tinea comedit, sicut vestimenta serica, & alia preciosa. Alia sunt, quæ nec ærugo deuorat, nec tinea comedit, sed fures effodiunt & furantur, sicut sunt gemmæ & his similia. Proinde, qa incerta est omnis vitæ nostræ substantia, & omnium rerum possessio, suadet nos dominus in cælo idcirco thesaurizare. Quomodo autem quis in cælum thesaurizare possit, nisi diuitias ante se eleemosynam faciendo præmittat? Possumus per æruginem & tineam & per fures, spirituales nequitias intelligere. Aerugo enim superbiam designat. Superbia enim mentes, quas inuaserit, à statu suæ rectitudinis deperire facit. Per tineam, inuidia.

designatur. Inuidia enim cor quod corrumpit, ab omni integritate disrumpit. Per fures, maligni spiritus intelligendi sunt, q̃ ad hoc inuigilant, vt thesauros animæ nostræ furẽtur. In cælo enim ærugo non est, quia superbia in cælo locum non habet, quia iam diabolus cum suis sequacibus inde cecidit. Ibi tinea non est, id est, inuidia, quia nullus inuidebit beatitudini sanctorum. Ibi fures nõ sunt, id est, dæmones, quia cũ capite suo inde corruerunt.

Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

Hoc non tantum de pecunia est intelligendum, sed etiam de omni vitio. Thesaurus diuitis, si sub terra defossus fuerit, & ibi cor illius erit meditando, ne aut fures efferant, aut etiam ab aliquibus corruptionibus perdatur. Thesaurus gulosi hominis, venter est, quia semper hoc cogitat, quomodo ventrem posset implere. Thesaurus lasciui sunt ludicra, & uoluptatis ioca. Et cuicunq; vitio quis adhæret, illi seruit, & illi famulatur.

FERIA QVINTA POST cinerum. Lucæ VII.

In illo tempore: Centurionis cuiusdã seruus male habens, erat moriturus, qui illi erat preciosus. Et reliqua.



Værat forte aliquis, vel pius, vt inueniat: vel impius, vt reprehendat, qua ratione euangelista seruum, qui non mortuus, sed sanatus subinfertur, dixerit esse moriturum. Cui breuiter respondendum, quia reuera erat moriturus, si non domini sui fide deprecantis, & Christi pietate miserentis fuisset redditus vitæ. Sic Iezechias rex, iuxta quendã humanæ naturæ modum, erat moriturus, cum veracis prophetæ
Isa. 38. verbis audiuit: Dispone domui tuę, quia morieris tu, & nõ viues: sed occulto diuinæ prouidentiæ iudicio, quæ omnia in mensura & numero & põdere disposuit, quindecim adhuc annorum vitam lachrymis precibusq; erat consecuturus.

Hic cum audisset de Iesu, misit ad eũ seniores Iudæorum, rogans eũ ut ueniret, & saluaret seruum eius.

Superna dispensatione factum est, vt seniores Iudæorum mitterentur ad dominum, hisq; astantibus, qui languerat, sanaret, quo inexcusabiles forent, si credente viro gentili non crederent. Verum quæritur, quomodo conueniat, quod Lucas centurionem nuncios misisse, Matthæus autem ipsum accessisse narrat ad dominum. Sed pie quærentibus facile patet, quod Matthæus breuitatis causa dixerit ipsum accessisse, cuius desiderium & voluntas ad dominum veraciter, alijs licet deferentibus, est perlata, mystice etiam nobis cõmendans hoc quod scriptum est: Accedite Psal. 33.
ad eum & illuminamini. Nã quia fidem centurionis, qua vere acceditur ad Iesum, ipse ita laudauit, vt diceret: Non inueni tantam fidem in Israel, ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens euangelista, quàm illos per quos verba sua miserat. Porro autem Lucas hoc totum, quemadmodum gestum sit, aperuit, vt ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum accessisse dixerit
alius, qui mentiri non potuit. Sicut enim illa Mat. 9.
mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, q̃uis fimbriam vestimenti eius tenuerit, magis tamen, quia credidit, tetigit dominum, quàm illæ turbæ à quibus præmebatur, ita & centurio, quo magis credidit, eo magis accessit ad dominum.

Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.

Qui ædificatam à centurione narrat synagogam, euidenter ostendunt, quia sicut nos ecclesiam, sic etiam illi synagogam, non conuentum solummodo fidelium, sed & locum quo conueniebant, sint appellare soliti, iuxta quod & supra docuimus.

Iesus autem ibat cum illis.

Magna domini sublimitas, qui solo verbo curare valebat, sed non minor humilitas, qui seruum dignatus est visitare languentem. Nam quasi potens & benignus & rogatus saluare pergebat, & itineris medio rogatus dicto saluauit, ne videlicet ob impotentiam virium, & non ob humilitatis exemplũ, corporaliter ire putaretur. Alibi ad saluandum filium reguli venire noluit, ne diuites honorasse videretur: hic, ne conditionem spreuisse seruilem, ad centurionis famulum mox ire concessit. Et cum iam non longe esset à domo, misit ad eum centurio amicos, dicẽs: Domine, noli vexari. Non enim dignus sum vt sub tectum meum intres. Propter vitæ gẽtilis cõscientiam grauari se magis dignatione domini putauit, quàm iuuari: nec posse habere hospitem Christum, cuius etsi fide præditus, nondum tamen erat sacramentis imbutus. Sed quæcunq; nostra infirmitas non pręsumit, diuina gratia dare nouit. Et alius centurio, qui (sicut & iste) credẽtem ex gentibus populum præfigurat, magnæ fidei & iustitiæ merito spiritussancti donum, priusquam baptizaretur, accedit. Et iste nondum catechizatur, & fidem suam laudari à dño, & famulum saluari promeruit. De quo pulchre p allegoriam dr, qui cum Iesum non longe haberet à

domo, tamen sub tectum suum inuitare non auderet: quia prope amantibus eum salutare ipsius: Et qui naturali lege recte vtitur, quo bona quæ nouit operatur, eo illi qui vere bonus est appropiat. At qui errore gentilitatis etiam crimina iunxerunt, his aptari possunt, quibus confluētibus ad se turbis, alibi domi
Marc.9. nus ait: Quidam enim ex eis de longe venerunt. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te. Et nos qui de gentibus credimus, nō ipsi ad dominum venire possumus, quem nunc in carne videre nequaquam valemus. Sed quicunque passiones nostræ seruitutis agnouimus, ad residentem in dextera patris iam per fidem accedere debemus. Iam seniores Iudæorū mittere, hoc est, summos ecclesiæ viros, qui nos ad deum præcesserūt, suppliciter obsecrando patronos acquirere, qui nobis testimonium reddentes, quod diligamus ecclesiam, & quātum in nobis est ædificare curemus, pro nobis apud dominum nostrorumque peccatis intercedant.

Sed dic uerbo, & sanabit puer meus.

Magna fides centurionis, qua verbis opus in Christo confitetur, & nostræ sanationis accommodat mysterijs. Qui & si noueramus secundum carnem Christum, sed iam nō nouimus.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habēs sub me milites.

Hominem se & potestati, vel tribuni, vel præsidis subditum dicit, imperare tamē posse minoribus: vt subaudiatur eum multo magis, qui deus sit, & super omnia potens, innumerā virtutis angelicæ, quæ ad imperata obtemperet, habere militiam.

Et dico huic uade, & uadit: & alij ueni, & uenit: & seruo meo fac hoc, & facit.

Vult ostendere dominum quoque non per aduentum tantum corporis, sed per angelorū ministeria posse implere quod vellet. Repellendæ enim sunt vel infirmitates corporis vel fortitudines contrariæ, quibus ad debilitem homo sæpe conceditur, & verbo domini & ministerijs angelorum. Aliter, milites & serui, qui centurioni obedirūt, virtutes sunt naturales, quarum non minimam copiā multi ad dominum venientes secum deferūt, de quibus in Cornelij cēturionis laude dicitur:
Actu.10. Quia erat vir iustus, & timens deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas plebi, & deprecans deum semper.

Quo audito, Iesus miratus est.

Miratus est quod vidit centurionem suam intelligere maiestatem. Sed quis in illo fecerat ipsam fidem vel intelligentiam, nisi ipse qui eam mirabatur. Quod etsi alius eam fecisset, quid miraretur qui præscius erat? Notandum ergo, quia quod miratur dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moneri. Omnes enim tales motus cum de deo dicuntur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri.

Et conuersus, sequentibus se turbis dixit: Amen dico uobis: nec in Israel tantam fidem inueni.

Non de omnibus retro patriarchis & prophetis, sed de præsentis æui loquitur hominibus, quibus ideo centuriōis fides antefertur, quia illi legis prophetarumque monitis edocti, hic autem nemine docente sponte credidit.

Et reuersi qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.

Probatur fides domini, & serui sanitas roboratur. Potest ergo meritum domini etiam famulis suffragari, non solum fidei merito, sed etiam studio disciplinæ. Plenius sane hęc explicat Matthæus, quod dicente domino centurioni: Vade: & sicut credidisti fiat tibi, sanatus est puer ex illa hora. Sed beato Lucę moris est, quæ plene viderit ab alijs euangelistis exposita breuiare, vel etiā de industria præterire: quæ vero ab eis commissa breuiter cognouerit, attactu dilucidare solertius. Mystice (vt dixi) centurio, cuius fides Israeli præfertur, electos nimirum ex gentibus ostēdit, qui quasi cēturio militia stipati virtutum spiritualium sunt, sed pfectione sublimes nihilque à domino terrenum, sed sola æternæ salutis gaudia sibi suisque requirunt. Numerus enim centenarius, qui de læua trāsfertur ad dexteram, in cælestis vitæ significatione poni consueuit. Vnde est quod arca Noe centum annis fabricatur. Abraam centenarius, Gene.26
filium promissionis accepit: seuit Isaac, & inuenit in ipso anno centuplum: atrium taber- Exo.17.
naculi centum cubitos longum est. Misericoricordia & iudiciū cantatur, & cætera huiusmodi. Psal.100
Talis ergo meriti viri, pro his necesse est dn̄o supplicent, quia adhuc spū seruitutis in timore premuntur, quatenus eis paulatim ad sublimiora prouectis, pfecta dilectio foras mittit timorem.

FERIA SEXTA POST CINERUM. Matthæi V.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximū tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

PVtant quidam præcepta noui testamenti impossibilia esse, & dicũt grauiora esse præcepta noui testamenti quam veteris. Quibus respondendum est, præcepta omnipotentis dei non esse impossibilia, sed potius perfecta. Si enim pene impossibilia essent, nequaquam ab aliq̃ sancto obseruari potuissent. Sed cum ea vtcunque sanctos legimus obseruasse, elaret ea impossibilia non esse, sed perfecta. Nã
hoc præceptum domini in quo dicit: Diligi-
Luc. 6. te inimicos vestros, benefacite his qui ode-
runt vos, & beato Stephano, & à Dauid im-
Actu. 7. pletum fuisse legimus. Stephanus enim pro
1. Reg. 1. suis persecutoribus exorauit. Dauid autem
mortem atrocissimi inimici sui Saulis defle-
uit. Sed quærendum est, quomodo conueni
at hoc quod dominus in veteri testamento
præcipit: Diligite amicos, & odite inimicos
Leuit. 19 vestros. Ad quod dicendum est, quod omni
potens deus in inimicis nostris præcepit nõ
hoc odire quod homines sunt, sed quod ma
li sunt. Nam de deo loquitur Sapientia: Nihil
Sapi. 11. odisti eorum quæ fecisti. Si enim nihil odit
eorum quæ fecit, quomodo dicitur per Ma-
Mala. 1. lachiam: Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui?
Sed dominus odiuit peccatũ in Esau, non tñ odiuit humanam naturam. Non eñ odit deus homiem quod homo est, sed odit eum in hoc, quod peccator est.

Et orate pro persequentibus & calumniantibus uos.

Persequi, est vim inferre: calumniari, occasionem nocendi perquirere. Sed quærẽdum est, cum dominus præcipiat orare pro persequentibus & calumniantibus nobis, quid sit, quod in libris prophetarum, & in euangelio quædam imprecationes inueniantur contra
persecutores, quæ maledictiones putantur,
Psal. 68. sicut est illud: Fiat mensa eorum coram ipsis
Actu. 23. in laqueum. Et Paulus Apostolus cum per-
cussus esset à ministro sacerdotis, respondit:
Percutiet te deus paries dealbate. Et domi-
Mat. 11. nus in euangelio: Væ tibi Corozaim, Væ ti-
bi Bethsaida. Ad quod dicendum, quia hæc verba non sunt maledicentis voto prolata, sed prædicentis affectu. Prouidebat enim dominus siue prophetæ, ruinam impiorum futuram, & eandem ruinam non optando proferebant, sed prophetando prædicebant. Iterum quæritur cum dominus iubeat pro inimicis orare, cur Iohannes pro fratribus quibusdam vsque ad mortem peccantibus, orare prohibeat. Ita enim dicit in epistola sua.
1. Iob. 5. Est quoddam peccatum vsque ad mortem,
non pro illo rogo vt quis oret. Ad hoc dicẽdum est, quia inter fratres plerunq; sunt quædam peccata persecutionibus impiorum grauiora. Est peccatum vsq; ad mortem, in peccato vsq; ad mortem perseuerare. Vel peccatum vsq; ad mortem operatur, qui post agnitiõem de societate fraternitatis impugnat, & eandem iniuriæ faucibus agitat.

Vt sitis filij patris uestri.

Id est, ideo ista facere debetis, vt sitis filij patris vestri, qui solem suum facit oriri super bonos & malos. Iuxta literam hoc solum modo intelligendum est. Istas etenim duas creaturas, e quibus omnes fruges nascuntur & fouentur, communiter dominus distribuit, & super Christianos & paganos, bonos & malos. ⌊Si enim diligitis eos qui vos diligunt, &c.⌋ Et est sensus. Si publicani & peccatores natura duce ad tantam bonitatem se extendunt, vt diligentes se diligant, quanto magis vos latiores in charitate esse debetis, vt non solum amicos, sed etiam inimicos diligatis?

Nonne & publicani hoc faciunt?

Publicani dicebantur, apud Romanos exactores, qui vectigalia à populo exigebant. ⌊Et si salutaueritis fratres vestros tantum, & reliqua.⌋ Si vos illos, qui natura fratres vobis sunt, aut fœdere amicitiæ iuncti, salutaueritis, quid amplius facitis quàm ethnici? ἔθνος, græce, latine dicitur gens, inde dicũtur ethnici gentiles. Et gentilis dicitur, qui ita permanet vt nascitur, in eodem videlicet ritu & professione, & in eodem paganismo.

Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cælestis perfectus est.

Sicut, non est qualitatis, sed potius similitudinis. Vt sicut deus in natura suæ potestatis perfectus est, ita etiam vos sitis perfecti p̃ modulo vestræ fragilitatis. Vt sicut deus solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, sic & vos dilectionem vestram, & solem vestræ charitatis non solum ad amicos, sed etiam ad inimicos extendatis.

Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis.

Attendite, id est, cauete ne ad hoc iusta opera exhibeatis, vt ab hominibus videamini, & laudem humanam ab eis quæratis. Nõ est quidem peccatum iusta opera coram hominibus facere, sed peccatum est ideo iusta opera facere coram hominibꝰ, vt laus ab
eis quæratur. Vnde & dominus superius di- Mat. 5.
xit: Sic luceat lux vestra coram hominibꝰ, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.

Dum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.

Ex consuetudine scribarum & pharisæorum hanc sentētiam dominus traxit. Nam in diebus festiuitatum & ieiuniorum facturi ele emosynam, præcipiebant ante se tubis canere, vt ad sonitum tubæ multitudo pauperum conuenirent, vt videntes hoc populi, qui ad festiuitatē confluxerāt, laudibus suis eos magnificarent & extollerent, quasi dei cultores essent, & eos etiam suis muneribus cumularent. Vel possumus hoc altius intelligere. Tuba enim solet in sacro eloquio manifestatione designari. Vnde Paulus apostolus dicit:
1.Cor.15 Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur, id est, in aperto erit resurrectio celebrata.

Amen dico uobis receperunt mercedem suam, hoc est, laudem ab hominibus. Te aūt faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

Quod ergo dicit, nesciat sinistra tua, qd faciat dextera tua, sensus huiuscemodi est: Cum facis eleemosynam, noli in publico eādem eleemosynam proferre ne videaris de alterius miseria gloriari. Quicunq; enī pro appetitu humani fauoris bonū aliquid egerint, sinistra eorum conscia fuit operis eorum. Sinistra enim, appetitum humanæ laudis designat. Dextera vero, intentionem bonæ voluntatis signat. Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Id est, bonæ voluntati tuæ non misceatur appetitus humanæ laudis & fauoris.

Vt sit eleemosyna tua in abscōdito, hoc est, in bona conscientia. Multi sunt enim qui eleemosynas faciunt bona voluntate, licet desit eis facultas quæ tribuatur. Vnde dicit Psalmista: Iucundus homo qui mise-
Psal.111. retur & commodat, ostendens etiam in misericordia gratiam quandam eleemosynæ esse.

Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.

Dixit dominus superius, eos, qui eleemosynam ad sonitum tubæ facerent, hypocritas esse: & eos, qui in ordinate ieiunant, hypocritas fuisse: & eos, qui in angulis platearū erant orantes, vt viderentur ab hominibus, hypocritas omnino fuisse. Vnde datur intelligi, qa quicunq; bona opera causa humani fauoris agit, hypocrita est. Anguli platearum sunt, quadriuia & compita. Anguli plateaū sunt, vbi per transuersum alterius viæ ducitur, & quadriuium reddit. Ideo in quadriuijs stabāt, vt de quacunq; parte venientes homines, viderent eos intendentes orationi, & magnificarent eos quasi dei amicos & obseruatores legis. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, id est, laudem humanam. Laudē enim humanam, quam appetiuerunt ab hominibus, pro mercede consecuti sunt. Tu autem cum oraueris. Instituit dominus bonum athletam. Ac si diceret: Tu qui causa vitæ æternæ oras, intra in cubiculum tuum, id est, in secretū cordis tui. Et clauso ostio oris, ora patrem tuum. Non in clamosa voce, sed in contritione spiritus, sicut faciebat Anna mater Samuelis, quæ orando tantummodo labia mouebat, sed penitus nulla vox illius audiebatur. Vel clauso ostio, cordis, contra malas cogitationes, vt cum oraueris, ne malæ cogitationes habeant [illegible]ditum & introitum in corde tuo. Vel clauso ostio, id est, sensuum nostrorum.

SABBATO POST CINERUM. Lucæ XIIII.

In illo tempore dicebat Iesus cuidā principi pharisæorum: Cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos, neque diuites. Et reliqua.



Ratres, amicos, & diuites alterutrum conuiuia celebrare, non q̄si scelus interdicit, sed sicut cætera necessitatis humanæ commercia, vbi peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia ad promerenda vitæ cælestis præmia nil valere ostendit. Deniq; subiungit:

Ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi, inquit, retributio.

Non ait, & fiat peccatum, sed, & fiat (inqt) retributio. Cui simile est quod alibi dicit: Et
si bene feceritis his qui vobis benefaciunt, Luc.6.
quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Quamuis sint quædam mutua fratrum, amicorum, cognatorum, vicinorumq; diuitum conuiuia, quæ non solum in præsenti retributionem, sed & damnationem
percipiant in futuro. Denique ab Apostolo Rom.13.
inter opera tenebrarum adnumerantur: Sicut in die (inquit) honeste ambulemus, non in comesationibus & ebrietatibus. Comesationes quippe sunt luxuriosa conuiuia, quæ aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus solent à contubernalibus exhiberi, vt neminem pudeat inhoneste aliquid dicere aut facere: quia ad hoc conueniunt, vt fœda illic gerantur, & copia vini incitetur libidinis diuersa voluptas.

Sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Resurrectionem iustorum dicit, quia etsi omnes resurgent, eorum tamen non immerito quasi propria cognominatur, qui & in hac se beatos non dubitant esse futuros. Ergo qui pauperes vocat ad conuiuium, in futuro percipiet præmium. Qui amicos, fratres & diuites vocat, recipit mercedem suam. Sed etsi hoc propter deum facit, in exemplum filiorum Iob, sicut cætera fraternæ dilectionis officia, ipse qui iussit remunerat. Qui gulosos ac luxuriosos propter lasciuiam inuitat, pœna in futuro plectetur æterna.

Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit ei: Beatus qui manducabit panem in regno dei.

Panis qui manducatur in regno dei, nō (iuxta Cherinthum) corporalis intelligendus est cibus, sed ille vtique, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, id est, si quis meæ incarnationis sacramento perfecte incorporatus, meæ diuinæ maiestatis visione frui meruerit, hic perpetuæ vitæ immortalitatis beatitudine gaudebit. Sed quia nonnulli hunc panem fidetenus quasi adorando percipiunt, dulcedinē eius attingere veraciter gustando fastidiunt. Iohan.6.

DOMINICA PRIMA IN quadragesima. Matthæi IIII.

In illo tempore. Ductus est Iesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta dies. Et reliqua.



IN huius lectionis serie vtranque suam naturam diuinam .s. & humanam, nobis dominus manifestare dignat[us] est. Quod enim quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, declaratio est diuinæ potestatis: quod vero consummatis illis esuriit vt homo, quasi homo à diabolo tentatus est: sed quasi deus tentationes diaboli superauit. Sed fortasse minus intelligētes ignorant, à quo spiritu sit Iesus ductus in desertū, propter illud maxime quod subditur:

Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, uel in montem excelsum.

Sed quod vere & absque vlla ambiguitate à spiritusancto in desertum ductus esse credatur, facile agnoscitur, si huius euangelii superiora parumper attendamus. Ait enim euangelista: Venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo. Baptizatus autem, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum dei descē dentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Statimque adiunxit: Matt.3.

Tunc Iesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diadolo.

Ostendens non ab alio, sed ab ipso spiritusancto, qui super eum in specie columbæ descendit, in desertum esse ductum. Quod etiam alii euangelistæ, Marcus scilicet & Lucas, manifestius declarāt. Ait enim Marcus, Et statim expulit eum spiritus in desertum, & erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur a sathana, eratque cum bestiis, & angeli ministrabant ei. Lucas vero ait: Iesus repletus spūsancto, regressus est ab Iordane: & agebatur in spiritu in desertū diebus quadraginta, & nihil manducauit in illis diebus. Et consummatis illis, esuriit: In quibus verbis manifestissime cognoscimus, quia ibi eum spiritussanctus duxit, vbi occasionē tentandi malignus spiritus inueniret. Dandus enim erat diabolo locus tentandi, vt fieret Christo occasio superandi. Permisit enī se à maligno spiritu tentari, vt nobis exemplum pugnandi ostenderet. Quod apostolus Paulus in epistola sua ad Hebræos, cū de domino loqueretur, dicit: Non enim habemus pontificem, qui non possit infirmitatibus nostris compati, tētatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo ad thronum gloriæ cum fiducia, vt misericordiam consequamur, & inueniamus gratiam in auxilio opportuno. Sed cum mens humana creatorem suum & redemptorem, qui nullū omnino peccatum habuit, à diabolo audit tētatum, metu fragilitatis suæ expauescit. Sed quæ ex humana fragilitate terretur, ex conditoris sui cōpassione fiduciam resumere debet. Qui enim propter nos homo fieri dignatus est, in humana natura se tentari pro nobis permisit, vt sua tentatione nostram excluderet: nec solum impugnandi cōtra diabolum audaciam tribueret, sed etiam vincendi fiduciam restauraret. Fortasse etiam videtur à quibusdam incredibile, dominum à diabolo fuisse tentatū. Sed nihil in eius tentatione timēdum esse cognoscimus, nec incredibile, si eius alia facta pensemus. Pro certo enim scimus, quoniam omnium reproborum caput diabolus est, & huius capitis membra oēs sunt iniqui. Nunquid non membrum eius fuit Pilatus? Nun- Marc.1. Luce.4. Heb.4.

quid non membra eius fuerunt Iudæi persequentes, & milites crucifigentes? Vtiq;. Cum ergo maius sit occidi quàm tentari, quid mirum si voluit à diabolo tentari, qui se permisit à membris eius crucifigi? Nec est incredibile, si quod minus est à capite ꝑtulit, ꝗ quod maius est, à membris sustinuit. Sed illud solicite nobis considerandum est, quod statim post baptismum tẽtationes diaboli dominus pertulit: vt intelligamus, quia tunc tentationib⁹ diaboli acrius premimur, qñ ab eius seruitute vel domino recedere cœperimus, iuste pieq; viuere cum Christo volentes. Quod alibi in euangelio declaratur, quando recessurus à puero elisit eum, & multum discerpens & clamans, exiuit ab eo. Sicut enim rex non contra subditas, sed contra rebelles nationes bellum mouet: ita diabolus validius eos, ꝗs à sua seruitute recedere viderit, & ad leue iugum Christi festinare, impugnat. Tunc enim grauiores dæmonum tentationes electi sentiunt, quando aliquod bonum propositum inchoare volunt. Quod in exemplo Israelitarum didicimus, qui tunc à Pharaone durius afflicti leguntur, quando per Moysen & Aaron ad terram repromissionis sunt vocati. Contra cuius iacula tentationum, nos spiritualia arma sumere mouet quidam sapiens, dicens:
Eccl. 2. Fili, accedens ad seruitutem dei, sta in iustitia & tremore, & præpara animam tuam
Ephe. 6. ad tentationem. Et Apostolus: Induite vos armatura dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitię in cælestibus. Et quasi quæreres quæ essent hæc arma, idem Apostolus exponendo subiungit: State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis om̃ia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum dei. Pugnaturus autem dominus cum diabolo, in desertum secessit: vt ostenderet nobis quia si eius tentationes volumus perfecte superare, non solum turbas dæmonum, sed etiam concordiam malorum hominum debemus vitare. Sicut enim bonorum hominum concordia plurimum iuuat, sic malorum societas infirmis mentibus mul
Psal. 17. tum nocet, & teste Psalmista, qui ait: Cum sanctis sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum
Prou. 22 peruerso peruerteris. Vnde nos Salomõ admonet, dicens: Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Et ideo qui laqueos tentationum cupit euadere, malorum societatem aliquando corpore, semper autem mente debet fugere, in exemplo eius, qui in regali aula vel inter turbas populares positus, dicebat: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Psal. 54.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit,

In eo quod superaturus dominus diabolum, quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, necessaria arma contra tentationes diaboli, ieiunium & orationem esse ostendit, iuxta illud quod ipse ait in euãgelio: Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione & ie Mat. 17.
iunio. Et Paulus: Omnis qui in agone conten 1. Cor. 9.
dit, ab omnib⁹ se abstinet. Cum ergo quadraginta diebus & noctibus ieiunauit, omni tempore vitæ præsentis electos contra tentationes antiq hostis certamẽ habere docuit. Siue certe quadraginta diebus & quadraginta noctibus dñs ieiunauit, prædicaturus euangelium, vt ostenderet, vetus à nouo non discrepare testamentũ. Legimus enim duos eximios patres, quadraginta diebus & noctibus ieiunasse, Moysen f. & Eliam. Quorum alter le Matt. 5.
gislator fuit, alter eximius prophetarum. Per Moysen ergo lex, per Eliam prophetia significatur. Vt ergo ostenderet dñs, non aliud in euangelio se esse docturum, nisi quod lex & prophetæ de eo pronunciauerunt, quadraginta diebus & noctibus ieiunare voluit. Quoniam sicut ipse ait in euangelio, non venerat legem prophetasq; soluere, sed adimplere. Vnde bene cũ transfiguratus esset in monte, Moyses & Elias cum eo visi esse leguntur, prædicantes eiusdem passionis excessum in Ierusalem. Vel certe, cum ieiunauit, cunctis diebus vitæ præsentis, electos in afflictione futuros esse ondit. Est & aliud in hoc quadragenario numero, ꝗd cõsiderare oportet. Numer⁹ enĩ iste ab vno incipit, sed crescẽdo multiplicat, ita vt si ad vnũ addas duos, fiunt tres: adde tres fiunt sex: adde quatuor, fiunt decem. Sicut ergo vnũ, duo, tres, & quatuor, decẽ fiunt: ita vnũ, duo, tres, & quatuor, q̃ter ducti, quadraginta fiunt. Et denarius quidẽ numerus, ad vetus pertinet testamentũ, propter decalogum legis: quadragenarius vero, ad gratiam pertinet noui testamenti, quia quatuor sunt libri sancti euangelij. Idem autem numerus præsentis vitæ cursum significat, quia mũdus in quatuor species diuitur, orientem, occidentẽ, septentrionem & meridiem. Et ex his mundi partibus fideles colligit, sicut scriptũ est: Quos redemit de manu inimici, de regi Psal. 106
onibus congregauit eos. A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. Quasi enim denarium multiplicando quater ducentes, ad quadragenarium numerum peruenimus,

quando legem spiritualiter intelligendo, la-
tius per gratiam noui testamẽti explicamus.
Augetur enim lex, cum spiritualiter interpre
tatur: quia præcepta tanto magis crescunt,
quanto subtilius fuerint excussa. Est etiam ali
ud in hoc quadragenario numero, quod curi
osus lector adijcere potest. Decem nanque
Moysi præcepta data sunt in duabus tabulis
scripta, in vna quidem tria, in alia septem: Et
tria quidem ad dilectionem dei pertinent: qa
deus inseparabilis trinitas est, quem iubemur
diligere toto corde, tota mente, tota anima.
Septem autem ad dilectionem pertinẽt proxi
mi, quẽ etiam sicut nos diligere præcipimur.
Et pulchre, quia totus homo noster, interior
& exterior, septem qualitatibus constat. Inte-
rior, intellectu, memoria, & voluntate: exte-
rior, terra, aqua, igne & aere, id est, callida &
frigida, sicca & humida. Septem ergo & tria,
decem fiunt. Et nos igitur iungamus septem
ad tres, vt ad perfectum numerum perueinia-
mus, id est, toto dilectionis affectu, creatori
nostro inhæreamus. Et quia indigne viuen-
do pcepta decalogi transgressi sumus, ipsam
carnem per pœnitentiam affligamus, vt ad
quadragenarium perfectum numerum per-
uenire possimus. Nec debet onerosum vide-
ri, si de hoc quadragenario numero, pro cõ-
muni vtilitate, aliqua adhuc inseram. A præ-
senti die vsq; ad sanctum pascha, quadragin-
taduo dies venturi sunt, quorum sunt hebdo-
madæ sex. Subtractis ergo sex diebus qui in
dominicis eueniunt, non amplius q̃ trigintа-
sex in abstinentia remanent. Cum autem an-
ni circulus per trecentos sexagintaquinq; di-
es voluitur, si recte consideremus, hoc tem-
pus quadragesimæ, decimatio est vitę nostrę.
Dignum est enim, vt qui per totum annum
nobis viximus, saltem istis diebus sacris deo
viuamus: vt non solum de nostris rebus, sed
etiam de nostris corporibus deo decimas de-
mus. Et abũdet iustitia nostra, si volumus in-
trare in regnum cęlorum, super scribarum &
pharisæorum: vt cum illi darent decimas re-
rum, nos demus decimas dierum. In abstinẽ-
tia prompti, in orationibus assidui, in eleemo
synis largi: maceremus carnem nostram per
abstinentiam, mentem per compunctionem,
vt (secundum Apostolum) exhibeamus cor-
Rom. 12. pora nostra hostiam viuentem. Hostia enim
immolatur & viuit, quia homo à præsenti vi
ta non deficit, & tamen per abstinentiam su-
am carnem affligit. Tanto enim acceptabili-
orem hostiam deo offert, quanto non extra
se, sicut est agnus, sed in seipso quærit quod
deo immolet, scriptura dicente: Sacrificium
deo spiritus contribulatus, cor contritum &
humiliatum deus non spernit. Sicut enim fo-
mentum omnium vitiorum est gula, sic nu-
trix omnium virtutum abstinentia, bonũ au-
tem abstinentiæ, à principio cõmemoremus.
Quàm diu enim primi parentes in paradiso
manserunt, tandiu à cibo vetito abstinuerũt.
Postquam vero gulæ desiderijs satisfecerũt,
paradisi amœnitatem protinus amiserunt. Et
post hæc Moyses qui ieiunauit, legem dei ac-
cepit: populus qui comedit, idola fabricauit. Exo. 32.
Vnde scriptum est: Sedit populus manduca-
re & bibere, & surrexerunt ludere. Mortis q̃-
que sentẽtiam Ionathas promeruit, quod in-
dictũ ieiunium à patre, nesciens violauit. Da
niel nanq; & tres pueri, qui in aula regis mi-
ræ abstinentiæ fuerunt, non solum leonũ den
tes euaserunt, & fornacẽ ignis non senserunt,
sed etiam interpretandi sacra mysteria scien-
tiam acceperunt. Iohannes quoq; quia miræ
abstinentiæ fuit, redemptorem non solum vi
dere, sed etiam baptizare meruit. Quid plu-
ra? Ipse mediator dei & hominum homo fa-
ctus, vt superaret diabolum, quadraginta di
ebus & quadraginta noctibus ieiunauit, oñ-
dens inuictissima arma esse ieiunium & absti
nentiam contra insidias diaboli. Quibus exẽ-
plis inuitati, virtutem abstinentiæ toto corde
suscipiamus, vt & futura mala possimus extin
guere, & præterita peccata diluere, in exem-
plo Niniuitarum, qui minitãtis dei iram, per Ione. 3.
triduam euaserunt abstinentiam. Sed quia co
mes ieiunij eleemosyna est, dignum est, vt q̃d
corpori nostro subtrahimus per abstinentiã,
pauperibus erogemus per misericordiam. Il-
lud ergo ieiunium deus non approbat, quod
eleemosyna non ornat. Quia tale est ieiuniũ
sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna. Vn
de ipse dominus per prophetam quosdam ie
iunantes, sed ab eleemosyna cessantes redar-
guit, dicens: Cum ieiunaretis & plangeretis, Zach. 7.
nonne vobismetipsis ieiunastis & plaxistis?
Sibi enĩ & non deo ieiunat, qui hoc quod cor
pori subtrahit per abstinẽtiam, non pauperi-
bus erogat, sed sibi in posterum reseruat. Qui
autem ieiunat & eleemosynam tribuit, neces-
se est vt ab omni iracundia & odio atq; impa
tientia cor suum custodiat. Quia frustra se-
ipsum affligit in corpore, qui odium seruat in
corde, sicut dominus quosdam ieiunantes in-
crepat, dicens: Ecce in die ieiunij vestri inue-
nitur voluntas vestra, & omnes debitores ve
stros repetitis. Ecce ad lites & cõtentiones ie Isaie. 58.
iunatis, & percutitis pugno impie. Et econ- Ioel. 1. 2.
tra dominus per Ioel: Sanctificate ieiunium.
Sanctificare ieiunium, est cum abstinẽtia car-
nis eleemosynam tribuere, & cætera pietatis
opera impendere. Quapropter secundũ Apo
stolum, qui ait: Ecce nunc tempus acceptabi 2. Cor. 6.
le, ecce nunc dies salutis, dignum est, vt in his
diebus exhibeamus nosmetipsos sicut dei mi
nistros, in multa patientia, in ieiunijs, in vigi
lijs, in castitate, in charitate non ficta. Quan-
tum autem pacis cõcordiam dominus in no-

bis diligat, ipse manifestat in euangelio, cum
Matth. 5. clamat: Si offers munus tuum ad altare, & ibi
recordatus fueris, quia frater tuus habet ali-
quid aduersus te &c. Tanto enim securius re
surrectionis diem celebrabimus, quanto di-
strictius præsentis temporis dies obseruaue-
rimus. Vnde qualis merces, imo quanto glo
ria simplici corde ieiunantibus, & eleemosy-
nam largientibus maneat, ipse dominus on-
Esai. 58. dit: qui cum dixisset per prophetam. Hoc est
ieiunium quod elegi, Frange esurienti panē
tuum, & egenos vagosq́; induc in domū tu-
am. Cum videris nudum, operi eum, & carnē
tuam ne despexeris, adiecit: Tunc erumpet
quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius
orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua,
& gloria domini colliget te. Tunc inuocabis,
& dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce
adsum. Congrua autem ratione magistri ec-
clesiæ, quadragesimæ tēpus ante domini pas
sionem obseruandum esse statuerunt, ut intel
ligamus quia præsentis vitæ afflictio immor
talitatem futuram parit. Ad quam rem con-
firmandā, ipse dominus qui quadraginta die-
bus ante passionē ieiunauit, quadraginta etiā
post resurrectionem cum discipulis conuer-
satus est, vtrūq; tempus quadraginta dierum
numero complens: vt ostenderet, in præsen
ti vita tempus esse afflictionis, & in futuro
gaudij. Cum enim quadraginta diebus ante
passionem ieiunaret, quasi clamabat: Nisi pœ
nitentiam egeritis, moriemini in peccatis ve-
1. Pet. 2. stris, & Petrus: Abstinete vos à carnalibus
desiderijs, q̄ militant aduersus animam Cum
vero post resurrectionem suam cum discipu
lis conuersaretur, eorū corda lætificans, qua-
si illud gaudiū ineffabile promittebat, de quo
Ioh. 14. alibi ait: Iterum videbo vos, & gaudebit cor
Mat. 28. vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à
vobis. Et iterum: Ecce ego vobiscum sum o-
mnibus diebus vsq; ad consummationē secu
li. Ieiunauit aūt non solum quadraginta die-
bus, sed etiam noctibus: vt siue prospera blā
diantur, quæ significantur per dies: siue ad-
uersa terreant, quæ significantur per noctes,
immobiles perseueret animus Christianus,
2. Cor. 6. sicut faciebat ille, qui dicebat: Per arma iusti-
tiṡ à dextris & à sinistris, per gloriā & igno
bilitatem, per infamiam & bonam famam, vt
seductores & veraces, sicut qui ignoti & co-
gnoti. Bene aūt postquam dictum est, ⌊ cum
ieiunasset quadraginta diebus & quadragin-
ta noctibus, ⌋ additum est, ⌊ postea esurijt, ⌋
vt vera in illo humanitas esse ostenderetur.
Hoc enim de Moyse & Elia scriptum non le-
gimus, quia nulli dubium, quod post ieiuni-
um vt puri homines esurierint: sed de illo, q
ita deus erat, vt etiam homo esset, dignum fu
it vt scriberetur. Vel certe post ieiunium esu
rijt, vt occasio tentandi diabolo præberetur.

Quem enim quadraginta diebus & nocti-
bus ieiunantem videbat, fortasse tentare non
auderet, nisi eum esurientem iterum cerne-
ret. Et quem post ieiunium esurientem vi-
dit, quasi hominem tentare præsumpsit. Vn
de & subditur:

**Et accedens tentator, dixit ei: Si fili-
us dei es, dic ut lapides panes fiant.**

Quia esurienti panis congruit, quem esu-
rientem vidit, vt de lapidibus panem faceret,
persuasit. Sed forte mouet aliquem, vnde di-
abolus, vt dominum tentaret, occasionē sum
pserit, & cur eum filium dei æstimauerit. Ad
quod respondendum, quia forte audiuit dei
patris vocem intonantem: Hic est filius me- Mat. 17.
us dilectus, in quo mihi complacui. Et ideo
quem teste patre deum audiuit, hominem
credere distulit. Nisi enim deum illum æsti- Matt. 8.
maret, nequaquam per obsessum hominē di-
ceret; Quid tibi, & nobis fili dei? venisti ante
tempus torquere nos? Sed quia quæ hominis
sunt in eo vidit, vtrum deus esset vsq; ad mor
tem ignorauit, Ita enim dominus noster Ie-
sus Christus sua opera temperauit, vt diabo-
lus eius aduentum cognoscere non posset, &
per virtutem miraculorum suorum se deum
esse mundo manifestaret. Conceptus quippe
est vt deus, sed natus vt homo. Vt deus à ma
gis est adoratus, vt homo à parentibus in Ae
gyptum deportatus. Quasi deus ieiunauit,
quasi homo esurijt. Quasi homo dormiuit,
quasi deus ventis & mari imperauit. Quasi
deus de paucis panibus multa millia hominū
satiauit, quasi homo terreno cibo indiguit. Et
ad vltimum, vt homo crucifixus est, sed quasi
deus resurrexit. Tria enim huius mundi prin
cipem in domino latuerūt, cōceptio, partus,
& passio. Quia sicut dicit Apostolus: Si co- 1. Cor. 2.
gnouissent, nunquam dominum gloriæ cru-
cifixissent. Sed quia eius diuinitatem voluit
explorare, ideo accedens ad tentādum, dixit:
Si filius dei es, &c. Duobus enim modis ipsa
sua tentatione diabolus tenetur astrictus. Si
enim tantum hominem æstimauit & non de-
deum, quare vt de lapidibus panes faceret tē-
tauit, cum hoc deo impossibile non sit? Sicut
diximus, quasi dubius & incertus loquebat.

**Qui respondens dixit: Scriptum est,
non in solo pane uiuit homo, sed in
omni uerbo quod procedit de ore
dei.**

Magna est domini potentia, sed non mi-
nor eius declaratur patientia. Qui enim solo
verbo tentatorem suum, aut in lapidem con-
uertere, aut in abyssum poterat mergere, eius
tentationes sustinuit, ostendens nobis nō esse
timendum cum tentamur, sed cauendum ne
tentationibus consentiamus. Beatus enim Iacob. 1.

vir qui ſuffert tentationem, quoniam cũ probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit deus diligentibus ſe. Nec poteſtate, ſed autoritate diabolum dominus voluit ſuperare, oſtendens nobis quotieſcunq; à diabolo tentamur, ad autoritatem ſcripturarum ſemper eſſe recurrendum. Et hoc faciendum quod ſcriptura monet, nõ quod diabolus ſuggerit. Sed quod dominus dicit, [Non in ſolo pane viuit homo,] iuxta literam ita eſt, quoniam vita hominis non in ſolo pane eſt conſtituta, ſed varios cibos ad illius vſus deus cõdidit, ſcilicet pecorum carnes, auium & piſcium, atq; diuerſa genera fructuum. Quod vero ſubiungit: [Sed in omni verbo quod procedit de ore dei,] oſtendit eſſe aliam vitã corporis, aliam animæ. Vita enim corporis anima eſt, vita animæ deus. Et ſicut corpus moritur, ſi non paſcitur cibo carnali: ita moritur anima, niſi reficiatur verbo dei: non vt non ſit, ſed vt mala ſit. Quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore dei.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem.

Sanctam ciuitatem in hoc loco euangeliſta Ieruſalem appellat: non quod tunc ſancta eſſet, ſed quia priſtinum nomen reſeruauit. Siue certe ſanctam eam dicit, ad comparationem aliarum ciuitatum, in quibus colebãtur idola.

Et ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi.

Pinnaculum autem templi, ſedes erat ſacerdotalis, quæ omnẽ altitudinem templi ſupereminebat, vbi ſacerdotes verbum facturi ad populum, aſcendere ſoliti erant, vt facilius poſſent audiri & videri. Non enim more noſtro in Palæſtina (ſcilicet terra repromiſſionis, quæ ideo Palæſtina dicitur, eo quod Paleſtini ibi habitauerunt,) domos ædificant, ſed planas eas deſuper faciunt ad ſedendum, vel ad deambulandum. Per circuitum quoq; tecti murum ædificãt, vt ſecurius ſuper eas incedere poſſint. Vnde Moyſes populo præcipit, dicens: Cum ædificaueris domum nouã, facies per circuitum tecti murum, ne ſis reus labente proximo & in præceps ruente. Ad hanc ergo ſimilitudinem domus Oziæ regis ædificata fuiſſe creditur, de quo ſcriptum eſt: Quia cecidit per cãcellos domus ſuæ, & mortuus eſt. Super omne ergo templum pinnaculum altius erat, de quo præcipitus legitur Iacobus frater domini, eo quod annunciaret in Ieruſalem reſurrectionem ex mortuis. In hoc igitur pinnaculo aſſumpſiſſe diabolus dominum dicitur, non ſua poteſtate, ſed domini permiſſu & voluntate. Ipſe enim in pinnaculo propria voluntate aſcendit, vt occaſionem tentandi diabolo daret. Notandum aũt, quod præcipitium perſuadens diabolus ait:

Deut. 22

4. Re. 1.

Si filius dei es, mitte te deorſum.

Non enim quos decipit ſurſum aſcendere monet, ſed deorſum ruere ſuadet. Vnde pulchre Symmachus diaboli nomẽ deorſum fluens interpretatus eſt, vt quod ait in voluntate, hoc etiam ſonaret in nomine. Nec ſolum præcipitium diabolus perſuaſit, ſed etiam vt facilius ei crederetur, autoritatem ſcripturæ adhibuit, dicens:

Scriptum eſt enim, quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollẽt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Ex quo loco cognoſcimus, quia diabolus male ſcripturas interpretatur. Hoc enim non de perſona domini ſcriptum eſt, ſed in perſona iuſti viri canitur, qui adiutorio indiget angelorum, ne offendat ad lapidem, hoc eſt, in legem quæ in tabulis lapideis ſcripta eſt: vel etiam in Chriſtum, qui eſt ſpiritualiter petra, ſicut ait Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus. Et propheta: Ecce ego ponam in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali. Nam ſi verum diabolus dicere voluiſſet, illud debuerat dicere, quod in eodem pſalmo ſequitur: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconem. Ipſe eſt enim aſpis, qui veneno tentationum animas homini num necat. Ipſe baſiliſcus, qui flatu iniquæ perſuaſionis animas interimere conatur. Ipſe eſt leo, qui circuiens quærit quem deuoret. Ipſe eſt & draco, qui homines quos decipit in voraginibus pœnarum abſorbendo pertrahit. Dominus autem ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulauit, & conculcauit leonem & draconem, qui antiqui hoſtis inſidias propria virtute confregit: ita vt nulli Chriſtiano nocere poſſit, niſi nos ei ſponte ſubijciamur. Sed hũc verſiculum, quẽ diabolus de ſe ſcriptum nouerat, quaſi callidus tergiuerſator tacuit. Et quod in perſona viri iuſti canitur, domino q̃ſi infirmo homini oppoſuit, dicens: Scriptum eſt, quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te &c. In quo loco & illud cognoſcimus, quia ad cuſtodiendam ſanctorũ vitam angeli deputantur, teſte Apoſtolo, qui ait: Sunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Et dominus in euãgelio de paruulis: Angeli eorum ſemper vidẽt faciem patris. Vnde in actibus apoſtolum, cum Petrus ad ianuam pulſaret, dictum eſt: Non eſt Petrus, ſed angelus eius eſt. Hinc ait angelus Tobiæ: Cum oraretis, ego obtuli orationes veſtras ante deum.

2. Cor. 10

Iſaie. 8.

Pſal. 90.

Heb. 1.

Mat. 18.

Actu. 12.

Ait illi Iesus rursum: Scriptum est, Non tentabis dominũ deum tuum.

Notandum quod vtilia testimonia dominus aduersus diabolum ex Deuteronomij libro assumpsit, secundæ legis faciens mentionem, vt eam sanctam & iustam esse demonstraret, atq; veris clypeis falsa inimici iacula confringeret, cuius victoriæ typum quõdam
1.Reg.17. Dauid tenuit, quando singulari certamine, cum Philistæo pugnauit, arma regalia deposuit, & quinq; lympidissimos lapides de torrente assumpsit, quos in peram pastoralem posuit: è quibus vnum in fundam misit, & Philistæum in frõtem percutiens in terram prostrauit, eiusq; caput gladio illius amputauit, magnam gratiam & gloriam tribuens populo suo. Quem enim Dauid, qui manu fortis interpretatur, melius quàm dominum Iesum Christum significat, quia de eius stirpe carnẽ assumpsit? Qui recte manu fortis dicitur, quia singulariter diabolum prostrauit, de quo scri
Psal. 23. ptum est: Dominus fortis & potẽs, dominus potens in prælio. Pugnaturus ergo cum Philistæo, quinq; lympidissimos lapides elegit, sed vno in fronte Philistæum percutiens, in terram prostrauit: quia dominus ad conuincendam diaboli versutiam quinq; libros Moysi assumpsit, quorum vno Philistæum in frõtem percussit: quia ex Deuteronomij libro tria testimonia aduersus trinam eius tentationẽ opposuit, sicq; victoriam de antiquo hoste obtinens, magnam lætitiam in se credentibus reportauit.

Iterũ assumpsit eum diabolus in mõtem excelsum ualde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorũ.

Sicut de pinnaculo, ita de monte sentiendum est. Nec putandum est, quod diabolus nolentem dominum in montem excelsum assumere potuerit, sed eius malam voluntatem euangelista pro facto posuit. Nam ipse propria voluntate in montem ascendit, vt diabolo locus tentandi, & Christo esset occasio triumphandi: quoniam nisi esset locus tentandi, non esset triumphus vincendi. Nonnulli autem iuxta literam hunc montem Olympum fuisse asserunt, qui tãto altior præ cæteris esse fertur, vt etiam intra se nubes habere videatur. Alij vero dicunt eum fuisse Thobor, qui valde excelsus fuisse narratur. Sed quicunq; mons fuerit, dominus tamen sponte (vt diximus) in eum ascendit. Spiritualiter autem, per montem, in quo diabolus dominum, tentauit superbia intelligitur. Cum ergo diabolus dominum in monte tentauit, datur intelligi, quia eos quos decipit, in superbiam mẽtis erigere suadet, de quo per beatum Iob dicitur:

Omne sublime videt, & ipse rex super omẽs Iob 41.
filios superbiæ. Et Apostolus: Initium omnis Eccl.10.
peccati superbia est: quia sicut diabolus per superbiam de cælo cecidit, sic quoscunq; decipit, per superbiam peccare facit. Gloriam mundi dicit aurum, argentum, lapides preciosos, & cætera amabilia mundi, in quibus maxime mundi amatores gloriantur. Non putandum est autem, omnia regna mũdi & gloriam eorum simul domino ostendere potuisse ab alio, nisi à seipso: sed qui omnia creauit per diuinitatem, ipse omnia, iuxta quod voluit, simul vidit per humanitatem: siue totum, ita vt est, siue in sphæram collectum, vt scilicet (sicut supra iam diximus) diabolo daretur occasio tentandi. Nec mirum, si dominus sic totum mundum prospicere potuit, qui etiam quibusdam sanctis hoc in munere præstitit, vt eũ in sphæram collectum videre possent. Iuxta vero quod ait:

Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, falsidicus cõuincitur. Neq; omnia regna mundi, vel gloriam eorum potestatem habet dandi cui vult, quando nec substantiam beati Iob lædere ausus est, antequam esset à deo permissus, ipso diabolo dicente domino: Mitte manum tuam, & tange Iob.1.
cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Quod ex eo facile etiam cognoscimus, quia sanctos viros in possessione argenti & auri prædiuites fuisse legimus, quod omnino non essent, si in potestate diaboli omnia regna mũdi fuissent. Quia vero omnis, qui diabolum adorat, prius per consensum prauæ operationis à conspectu dei cadit, voce dicitur diaboli, si cadens adoraueris me. Vbi considerandum, quia prius dixit cadere, & post adorare. Cadit enim homo, quando peccare consentit. Quasi vero post casum diabolum adorat, quando ipsa peccata opere perpetrat, sicut de auaris per Apostolum dicitur: Et auaritia quæ idolorum est seruitus. Ephe.5.
Et de talibus per Psalmistam dicitur: Ibi ceci Psal.35.
derunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare. Sed quæritur quare sancti euangelistæ, Matthæus scilicet & Lucas, in descriptione tentationum discordare videantur, maxime cum in prima cõcordent, & in secunda & in tertia dissentiant? Quam enim Matthæus posuit secundam, Lucas tertiam: & quam Lucas tertiam, Matthæus secũdam. Ad quod respondendum, quia vterque veritatem scripsit, quoniam Lucas ordinem (sicut ad literam factæ sunt) seruauit: quia prima in deserto, secunda in monte, tertia in ciuitate facta est. Matthæus vero subtilius ordinem tentationum, quo diabolus primum hominem in paradiso decepit, considerauit. Tribus quippe modis diabolus in paradiso

primum hominem tentauit: quia hunc gula, vana gloria,& auaritia tentauit. Gula quippe tentauit,quia cibum vetitum comederet persuasit: vana gloria,cum dixit: Eritis sicut dij: auaritia,cum subiunxit: Scientes bonum & malum. Auaritia enim non solum in cupiditate pecuniæ est, sed etiam in ambitione honoris, dum vltra naturam vel mensuram suam honor indebitus quæritur, sicut de vnigenito filio dei,qui hanc appetere noluit,Pau
Philip. 2 lus apostolus dixit:Non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo.Sed qa his tribus modis diabolus hominem in paradiso prostrauerat, tentaturus dominum, ad consueta arma recurrit,ijsdem iaculis putans eum se posse vulnerare, quibus primum hominem peremerat. Gula quippe eum tentauit,cum dixit: ⌞Si filius dei es, dic vt lapides isti panes fiant.⌟ Vana gloria,cum ait: ⌞Si filius dei es, mitte te deorsum.⌟ Auaritia,cum subiunxit: ⌞Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.⌟ Sed dominus, qui genus humanum de eius potestate liberare venerat, eodē aditu eius tentationes exclusit, quo primum hominem se tenere putabat. Vbi considerandum nobis est, quia nos, qui de stirpe primi hominis sumus creati, & per secundum hominē redempti,his tribus modis tentare non cessat, maxime istis diebus quadragesimæ, quo nostram religionem studiosius erga amorem dei feruere videt. Gula igitur nos tētat, cum vel horam constitutam antecedere persuadet, vel ad horam constitutam super mensuram edendum, & deliciosa vel superflua conuiuia suggerit exhibere. Sed si in hac parte nos cautos inuenerit, tentat per auaritiam, vt scilicet quod corpori subtrahimus ꝑ abstinentiam,nō pauperibus erogemus per largitatem, sed nobis in posterum reseruemus per cupiditatem. Si vero nec in hoc consensum ei præbuerimus, tētat per vanam gloriam,vt in eo quod ieiunamus, vel largiores eleemosynas tribuimus,laudem hominū magis quàm dei quæramus.Sed nos domini exemplo instructi, vincamus gulæ appetitum per abstinentiam:auaritiæ,per largitatem: vanæ gloriæ,ꝑ humilitatē:iuxta ꝙ nos B. Iohānes admonet, dicens: Filioli,nolite diligere mundū,neq; ea quæ in mundo sunt: qa omne q̃d in mūdo est, concupiscentia carnis est, & cōcupiscentia oculorꝫ,& supbia vitæ. Concupiscentia videlicet carnis,pertinet ad gulam: ambitio seculi, ad auaritiam: concupiscentia oculorum,ad vanam gloriam. Quod ergo his tribus tentationibus,in quibus à domino superatus est diabolus, maxime genus humanum à domini voluntate retrahatur, illa parabola euangelij indicat, vbi,qui ad cœnam inuitati venire recusauerat,tres excusationes pro
Luc.14. tulerunt. Primus dixit: Villam emi,& necesse habeo exire,& videre illā. Alter dixit:Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Tertius quoque ait: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Ideo & nos calliditates diaboli præuidentes, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris tuti, ex totis conaminibus repugnare studeamus.

Tunc ait illi Iesus: Vade sathana.

Nonnulli putant eandem sententiam audisse diabolum, quam & Petrus audiuit, sed multū inter se diuersæ sunt. Petro enim ignoranter mysterium passionis contradicenti di
ctum est. Vade retro me sathana,quod est di Marc.8.
cere:Sequere,id est,imitare me,qui contrarius es voluntati meæ. Diabolo autem non dicitur, vade retro me,sed absolute, vade sathana, vt subaudiatur, in infernum.

Scriptum est enim: Dominum deū tuum adorabis,& illi soli seruies.

Et hoc testimonium (sicut & superiora) in
Deuteronomio scriptum est. Vbi considerā- Deut. 6.
dum nobis est, quia cum dicente diabolo, ⌞hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me,⌟ dominus respondit, ⌞dominum deum tuum adorabis,⌟ ostendit, quia diabolus illum quasi deum & creatorem suum adorare debuerat,non se ad adorandum,qui erat creatura,tentare. Sed quæritur, cum dominus dicat, ⌞illi soli seruies,⌟ quare apostolus Paulus dicat,per charitatem seruire inuicē.Quomodo ergo domino soli seruire præcipitur, cum seruitium commune dicitur? Quomodo autem vtrunq; contrarium nō sit,facile agnoscimus si proprietatem Græci sermonis, ex qua scriptura translata est, attēdamus: Apud Græcos seruitus duobus modis dicitur. Dicitur enim λατρεία, dicitur & δουλεία. Sed λατρεία illa seruitus est,quæ soli deo debetur per culturā & venerationem, qua autori & conditori omnium. Vnde & εἰδωλολατρεία nomē compositum est, ex εἴδωλον & λατρεία: eo quod honorem & seruitutem soli deo debitam, homines stulti idolis deferre voluerunt, δουλεία autem illa seruitus dicitur, quæ communis est,& inuicem à fidelibus exhibenda. Vnde & seruus δοῦλος apud eos appellatur. Iubemur ergo & per charitatem seruire inuicem, quod pertinet ad δουλείαν: & iubemur iterum soli deo seruire,quod pertinet ad λατρείαν, vt eius honorē nulli creaturæ deferamus. Quod enim ait
Apostolus: Serui, obedite dominis carnali- Ephe.6.
bus,ad δουλείαν pertinet.Quod vero in alio lo
co ait:Nos sumus circuncisio, spiritu deō ser- Philip.3.
uientes,ad λατρείαν pertinet. Vnde & eodem loco apud Græcos λατρεύοντες scriptum est.

Tunc reliquit eum diabolus.

Reliquit eum, quem nunquam tenuit: quia superatus à tentato, à tentatione cessauit. Sed quamuis ab eo superatus tunc recesserit, tempore passionis ad eum venit, sicut ipse dicit: Venit ad me princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Vnde cognoscimus, quia antiquus hostis superari potest, sed quiescere nescit. Et eo à tentatione recedente:

Ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Pulcherrime autem in conclusione huius lectionis, vtraq; domini natura nobis declaratur, diuina scilicet & humana, si tamen hanc
Luc. 22. cum Lucæ euangelij lectione conferamus.
Legimus enim in Luca, quia cũ instante passionis tẽpore dominus prolixius oraret, descendens angelus domini de cælo, confortabat eum. In documento ergo vtriusq; naturæ hunc & angelus confortabat, & huic angeli ministrabant. Quia enim deus est, ministrabant ei angeli: quia homo verus est, confortabat eum angelus: Quoniam ei, qui minoratus est paulo minus ab angelis in humanitate, omnia subiecta sunt sub pedibus eius per diuinitatem.

Quantum autem ad literam pertinet, ferũt hi, qui in trãsmarinis partibus sunt, quod nullus mons tam excelsus sit, quàm Olympus, cuius cacumen (vt asserunt) super nubes est, & nec ibi pluuia nec imber tangit. Tradit autem beatus Augustinus, qui fuerant fortissimi atq; robustissimi, qui æstatis tempore ascẽderunt in eum, spongiam secum ad nares ferentes, necnon farinam vel cinerem, & fececerunt characterem aliquem in farina vel cinere, reuertentesq; anno sequenti iterũ ascenderunt illuc, & ita inuenerunt, sicut reliquerunt. Et in hoc manifestatur, quia super nubes est, & nec ibi imber, nec pluuia, neq; ventus flat. Spiritualiter vero, per mõtem excelsum ipse diabolus intelligit, de quo alibi scriptum est: Vulneratus est à monte Tyri. Et
Isaie. 14. propheta: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris, qui in corde tuo dixisti, In cælum ascendam, super astra cæli ædificabo solium meũ? Et bene quidem per mõtem diabolus designatur, quia oẽs suos sequaces ad altiora prouocat, scilicet ad super-
Iob. 41. biam. De quo beatus Iob loquitur: Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Sic econtra etiam dominus suos ad humilitatem semper prouocat, dicens:
Mat. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. ⌊Et gloriam eorum.⌋ Gloriam mũdi dicit, aurum, argentum, uestes & lapides preciosos, & cætera amabilia vel transitoria mundi. Alius euangelista dicit, quod in momento & ictu oculi ostendit illi oĩa. Et bene, quia omnia quæ videntur, momentanea & transitoria sunt, sicut scriptum est: Et mundus transit, 1. Ioh. 2.
& concupiscentia eius, & omnia vanitas. Alius nanq; dicit, quod ait dño diabolus: Omnia quæ cernis mea sunt, & cui voluero do ea. Tu autem si cadens adoraueris me, erunt tua oĩa. Fefellit diabolus, & hoc per arrogantiam dixit, non per potentiam. Absit hoc ad intelligendum vt eius sit vniuersus mundus. Neq; enim potest fore vt sit, sed illius est, qui cũcta ex nihilo creauit. Cuius nanq; sit, Propheta declarat, dicẽs: Dñi est terra & plenitudo ei⁹, Psal. 23.
orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo.

FERIA SECVNDA POST Inuocauit. Matthæi XXV.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Cum uenerit filius hominis in sede maiestatis suæ, & omnes angeli eius cum eo. Et reliqua.

POst biduum pascha facturus, pulchre prædicit se in maiestate ad iudicandum genus humanum venturum: ideo, vt quos contumelia terrebat supplicij, subleuaret etiam gloria regni. Et pulchre filius hominis in maiestate dicitur esse venturus, q̃a pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio. Et in iu- Iohan. 5.
dicio, sola forma filij hominis apparebit.

Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

Sedem maiestatis dei vel nubem, in qua ad cælos ascendit, cum qua etiam ad iudicium descensurus est, intelligere debemus: vel etiã angelos & sanctos homines, quibus præsidẽs iudicium in orbe agitabit.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.

In significatione electorũ oues ꝓponuntur, propter innocentiam. Electi aũt oues dicuntur, quia imitatores illius sunt, de quo dicitur: Sicut ouis ad occisione ductus est. Re- Isaie. 53.
probi vero in significatione hœdorum ponuntur, quod lasciuum & petulans animal est, & quod in veteri testamento pro peccatis populi offerebatur.

Et statuet oues a dextris, hœdos autem a sinistris.

Apud deum non est dextra neq; sinistra: sed per dexterã magnitudo gloriæ, per sinistram magnitudo supplicij designat̃. Statuet ergo oues à dextris suis, hoc ẽ, electos in magnitudine gloriæ: hœdos autem à sinistris, hoc est, peccatores in supplicijs æternis.

Et dicet rex his q̃ a dextris eius erũt:

Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi.

Secundum præscientiam & prædestinationem dei hoc debemus intelligere. Regnum (inquit) q̄d vobis paraui à cōstitutione mūdi, venite & possidete. Omnipotēs deus electis suis parauit regnum, & ipsos electos regno parauit. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem & pauimus &c̃. Iusti vel pro terrore & magnitudine domini ista loquuntur, vel propter magnitudinem remunerationis. Omnia etenim bona, quæ in hoc seculo gerunt, ad magnitudinem illius gloriæ imparia esse iudicantur.

Amen dico uobis, quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Licet in omnibus pauperibus Christus recipiatur, & in omnibus illi eleemosyna largiatur, tamen in hoc seculo illos specialiter designat, qui non corpore, sed spiritu pauperes sunt: qui sua pro deo reliquerunt, sicut fuerūt apostoli & imitatores eorum, super quos dominus manus suas extendens, dicebat: Ecce mater mea & fratres mei.

Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam.

Sicut enim in scientia dei & prædestinatione illius præparatum est sanctis regnum à constitutione mundi, ita etiam pœnæ inferni diabolo & angelis eius præparatæ esse dicuntur. Frustra ergo dogmatizat Origenes diabolum & omnes reprobos post spatium mille annorum de inferno exituros, & ad gloriam vitæ æternæ transferendos, cum dominus dicat: Ibunt hi in supplicium æternū. Sicut enim gloria quam sancti in die iudicij accipient, æternaliter erit, & sine termino, ita sine dubio pœna dabit æternaliter reprobis.

FERIA TERTIA POST Inuocauit. Matthæi XXI.

In illo tempore: Cum intrasset Iesus Hierosolymam, commota est uniuersa ciuitas dicens: Quis est hic? Et rel.



INgressus fuerat dominus Ierusalem cum frequentia turbarū, hymnos & laudes ei decantantium: videns ergo populus qui ad festiuitatem confluxerat, dominum cum frequentia turbarum aduenisse in Ierusalem, commota est, dicēs: Quis est hic? Quod autem dixit, commota est uniuersa ciuitas, metonymicos est intelligendum, per continens id quod continetur ostendens, hoc est, per ciuitatē, populum habitantem, interrogant autem dicētes: Quis est hic? Populi autem, id est, vulgares turbæ, quæ cum domino gradiebantur, dixerunt: Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilææ.

A minore incipientes, ad maius pertendit suam responsionem. Hic est (inquit) Iesus propheta. Non dicūt Christum, sed prophetam, quasi adhuc minus sapientes, & non perfecte in eum credentes, sed non errabant ex toto. Nam & ipse per Moysen propheta fuerat appellatus, dicente Moyse: Prophetam suscitabit vobis dominus deus vester ex fratribus meis, tanquam me, ipsum audietis. Et ipse etiam se appellauit prophetam, dicēs: Non est propheta sine honore nisi in patria sua. Et: Non oportuit prophetam perire extra Ierusalem. A Nazareth Galilææ dicitur esse, quia ibi nutritus est postq̄ de Aegypto rediit. Allegorice autem Ierusalem significat summā visionem pacis, cælestem videlicet patriam. Cum ergo intrasset Iesus Ierusalem .i. cum p̄ ascensionis mysterium penetraret cælos, cōmotus est exercitus supernarum virtutum in aduentu illius, dicēs: Quis est hic? Quod Psalmista apertius exponit, dicens ex persona angelicarum virtutū: Quis est iste rex gloriæ? Et respondentes illi qui cum domino gradiebantur, dixerūt: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Quod Isaias, licet aliis verbis, tamen eadem significatione pronunciat, dicēs: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Et statim subiunxit ex responsione angelorum, qui dominum comitabant: Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.

Deut. 18.

Mat. 13.
Luce. 13.

Psal. 23.

Isaie. 63.

Et intrauit Iesus in templum dei. Et reliqua.

Dedit nobis dominus exemplum, vt quotiescūq; in vrbem vel in villam procedamus, primum causa orationis domum dei expetamus, ac deinceps ea quæ agenda nobis sunt cum dei adiutorio exequamur. Et ingressus in templum:

Eiiciebat omnes uendentes & ementes in templo.

Repetendum est à consuetudine Iudæorū, qui erant vendentes vel emētes. Præcipiebat etenim lex, vt omnis populus regni Iudæorum appareret in anno ter in conspectu domini, atq; confluentibus ad templum dabatur præceptum. Non apparebis in conspectu dei vacuus. In illo ergo templo augustissimo, ad quod totum regnum Iudæorum conflue-

Deut. 16

bat, multæ victimæ offerebantur, boues videlicet, arietes, oues, & capræ, & passeres. Sed quia multi de longinquis regionibus superueniebant, qui secū victimas & sacrificia adducere non poterant, habebant præparatas sacerdotes victimas diuersi generis, quæ in vsum sacrificiorum erāt apta, vt venientes ad templum domini sacrificium emerent. Et ita adhærebat duplex cōpendium scribis & pharisæis. Nam & precium rerum suarum accipiebant, & quod emebatur, iterum in suos vsus redigebant. Sed quia fraudem eorum excludebat inopia pauperum, qui non solum victimas non habebant, sed etiam nec pecunias, quibus emerent id quod necessarium erat, cogitauerunt fraudem, quomodo prædā agerent de populo, & in templo posuerunt nummularios, vt singulis indigētibus pecuniæ fœnerarent. Sed quia lex prohibebat vsurā, & pecunia illata nihil prodesse poterat sine vsura, commētati sunt aliam fraudem, per quam potuissent populum expoliare. Et pro nūmularijs posuerunt colybystas, qui colybias, id est, tragemata vel vilia munuscula exigebant à populo cui fœnerabantur, vt quod in nummis non licebat accipere, saltem in illis rebus accepissent, quæ nummis coëmuntur. Verbi gratia, frixum cicer, vuam passam, poma diuersi generis & cætera quæ nummis coëmebantur, istiusmodi inueniens dominus in templo, eiecit omnes. Sed quid ageret, si inuenisset ibi luxuriantes, ebrietati vacantes, quando ea quę in templo domini offerebantur eiecit? Quod autem dicit de templo eiecisse, nō debemus putare quod intra templum talia gererentur, sed in porticibus, quæ templis adhærebant.

Et cathedras uendentium columbas euertit.

Columbæ nō resident in cathedris, sed potius in caueis, vt dominus columbarū cathedras euerteret: sed (sicut aliqui volunt) venditores earundem columbarum in cathedris residebant. Quod tamē minime procedit, quia cathedra non est negociatorum, sed potius magistrorum & doctorum. Quod autem dominus cathedras vendentium columbas euertit, & mensas nummulariorum destruxit, & ementes & vendentes pariter de templo Iudæorum eiecit, aliud gerendo, aliud gerendū esse insinuauit. Vendentes & ementes in ecclesia sunt, qui sacros ordines vel ad precium largiuntur, vel ad precium percipiunt. Mensæ vero nummulariorum appellantur altaria dei, propter auaritiam sacerdotū, qui ad hoc assistunt altari, vt lucrum inde terrenum acquirant. Sicut ergo dominus tunc temporis vendentes & ementes pariter de templo corporali, quod erat in Ierusalem, eiecit: ita etiam nūc quotidie de templo spirituali, hoc est, de sancta ecclesia, vendentes & ementes eiecit, id est, & eos qui per pecunias gradus dignitatis accipiunt, vel qui eosdem gradus ad precium largiuntur: etsi non à præsenti ecclesia, saltem à futura eliminantur. ⌊Et cathedras vendentium columbas euertit.⌋ Per columbas donū spiritussancti intelligere debemus, propter quod in specie huius animalis super dominum baptizatum spiritussanctus apparuit. Quod ergo dominus tūc temporis corporaliter egit, hoc significat, quod dignitatē & ministerium illorum destructurus esset, q gratiam spiritussancti, quę maxime per impositionem manus episcoporum largitur, nisi accepto præmio non largiuntur.

Scriptum est, domus mea domus orationis uocabitur.

Idcirco enim quis adire debet templum, vt puram & frequentem orationem ibi exerceat. Sed tunc in speluncam latronum conuertitur, quando quilibet ex sacro ministerio lucrum sibi tēporale acquirere desiderat. Spiritualiter autem templum dei mēs vniuscuiusq; fidelis est. Vnde Paulus apostolus dicit: 1. Cor. 3.
Templum dei sanctū est, quod estis vos. Sed hoc tempum dei in speluncam latronis conuertitur, quando in mentibus nostris læsiones proximis nostris excogitamus. Dum eñ solicite cogitamus in cordibus nostris, vt nocere valeamus, latrones in mente nostra q̄si in spelunca resident, qui de prætereuntibus prædam agunt.

Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.

Post eiectos illos qui in templo dei, illicita exercebant, curauit cæcos & claudos, vt aperte designaret, quod sicut illi sua cęcitate & debilitate corporis sanabantur, ita etiam & illi, si conuerti vellent, à sua spirituali cæcitate curandi essent.

Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia eius quæ fecit, & cæt.

Quærunt multi quod miraculum domini maximum habeatur inter omnia signa eius, & quidam præferunt resuscitationem Lazari, quidam illuminationem cęci nati, nonnulli mutationem aquæ in vinum, plerią; transfigurationem illius in monte coram discipulis: beato autem Hieronymo videtur hoc p̄cipuum & maximum esse omnium miraculorum. Magnum enim & maximum hoc miraculum fuit, vt vnus homo, & qui adeo tunc tēporis vilis erat, vt crucifigi posset, vniuersum exercitum de omni regno Iudæorum ad templum confluentē, facto flagello de resticulis,

flagellando de templo eijceret, quod immensus exercitus facere non poterat. Et in hoc facto splendor quidam sidereus diuinitatis radiabat in vultu illius, quo perterriti, non habebant audaciam resistendi domino. Sed pharisæi manus in dominum mittere non audentes, conterriti diuinitate illius, opera tamen eius calumniabantur, dicentes:

Audis quid isti dicunt?

Acsi dicerent: Hæc laus non conuenit homini, sed soli deo. Hoc dicentes, non putabãt eum filium dei esse. Sed pensandum est, cum quanto periculo episcopi fauores hominum recipiunt, cum hoc pro crimine impingebatur, quod dei filius ab hominib⁹ laudabatur. Quibus ita dominus suum temperauit respõsum, vt nec diceret quod illi volebãt audire: Benefaciunt testimonium de me perhibẽtes: aut etiam, Errant, ignoscite ætati illorum, sed dicta puerorum ex dictis prophetarum corroborat, dicens. Nunquã legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecit laudem, qñ corda & ora turbarum simplicium ad fidem domini accendit?

Et relictis illis, id est, relictis contumacibus & calumniatoribus suis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam.

Per quod significabat, quod Iudæos ob pfidiam suam esset relicturus, & ad gẽtium populos trãsmigraturus: quia Bethania domus obedientiæ interpretatur. Et iam hic paupertas saluatoris notanda est, qui tantæ paupertatis extitit, vt in tam magna ciuitate neminem inueniret, cuius hospitio frueretur. Intantum enim nulli adulatus est, vt nec hospitio alicuius frueretur: sed diebus veniebat in ciuitatem, & prædicationem ibi peragebat, nocte vero reuertebatur in Bethaniam, & fruebatur ibi hospitio Lazari & sororum eius.

FERIA QVARTA POST Inuocauit. Matthæi XII.

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum scribæ & pharisæi, dicentes: Magister, uolumus a te signum uidere. Et reliqua.


Ic petebant à domino signa de cælo videre, quasi non fuissent signa ea quæ dominus superius
4.Re.1. fecerat. Sed quærendũ est, qualia signa postulabant à domino fieri. Vel postulabant, vt in morem Elię ignẽ de cælo ruere faceret, sicut contigit eo tempore, quando ignis de cælo descendit, & percussit quinquagenarios cum quinquaginta suis. Vel etiam postulabant, vt sicuti tempore Samuelis æstiuo tempore, contra consuetudinẽ illius terræ, mugirent tonitrua, coruscarent fulgura, imbres ruerent. Sed quia ea calumniabãtur, quæ quotidie coram suis oculis dñm facere videbant, multo magis hæc calumniarentur, si contigissent. Dicerent eñ, nõ ex potestate dñi hoc euenire, sed ex diuersis qualitatibus aeris accidisse. Vel sicut Iohãnes euãgelista dicit, petebant eum vt manna de cælo plueret eis, sicut quondã fecerat patribus eorum in deserto, vt sine labore & fatigatione viuere potuissent.

Generatio mala & adultera.

Generationem malam populum Iudæorũ propter contemptum & præuaricationẽ vocat. Præuaricatrix enim diuinorum præceptorum fuit & adultera: quia relicto proprio viro, hoc est deo, idolis gẽtium se miscuerat.

signum quærit, hoc est, signum de cælo: Et signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.

Quæritis (inquit) signum à me videre, sed nõ dabitur vobis signum diuinitatis meæ de cælo, sed potius humanitatis meę de inferno.

Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Nota est historia de Iona, quod cum fugeret à facie dñi in Tarsis, ceto sorbente deuoratus est, & fuit ibi tribus diebus & tribus noctibus: hoc facto significans mortẽ dñi, qui latuit in corde terræ, hoc est, in sepulchro, tribus diebus & tribus noctibus. Sed quæritur, cur dñs in sepulchro tribus diebus & tribus noctibus iacuisse df, cum cõstat eũ ibi nõ tot diebus & noctibus ex integro mansisse? Siquidem sexta feria hora sexta crucifix⁹ est, nona aũt emisit spiritum: vespere post occasum solis depositus est de cruce, & collocatus in sepulchrum, & non ibi iacuit nisi triginta & sex horis. Sed in hoc loco regula scripturæ attendendã est, quia frequenter à parte totum demonstratur. Sicut enim accipimus sextam feriam cum nocte præcedenti, ita noctẽ dñicã cum sequenti die. Secundũ hanc rationẽ tres dies & noctes inuenitur mansisse dominus in sepulchro. Nam sæpe talem locutionem inuenimus in scripturis, & etiam in nostra cõmuni locutione, sicut diximus mulierem partum portare decem mensibus, cum cõstat nouem mensibus tantummodo partum ferre, & incipiente decimo partum egredi.

Viri autem Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Et reliqua.

Cum dicuntur viri Niniuitæ surgere in iu-

dicio cum gñatione illa, cõstat aperte, quod in iudicio tam boni quàm reprobi, æque resurrecturi sunt. ⌊Et condemnabunt eam,⌋ non potestate, sed comparatione, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.

Et ecce plusquam Iona hic.

Hic, nec nomen vel pronomen, sed potius aduerbium loci. Ecce (inqt) inter vos sum ego, qui maior sum Iona, & ideo iudicium inter vos exercebunt Niniuitæ: quia Ionas triduo tantummodo eis prædicauit, ego vero apud vos multo tempore prædico: Ionas prædicauit alienæ genti, hoc est, Assyrijs, ego vero Iudæis populo quondam dei: Ionas nullum miraculũ fecit, ego vero multa signa in vobis operatus sum.

Regina Austri surget in iudicio cũ generatione ista, & cõdemnabit eã.

Regina austri, id est, Saba, quæ venitã finibus terræ sapiẽtiam Salomonis, ⌊condemnabit generationem istam,⌋ non potestate, sed comparatione. Merito ergo condemnabit seruitiam Iudæorum, quia videlicet ipsa venit per multas difficultates terræ & maris, ad audiendam sapientiam Salomonis. Iudæi vero præsentem Christum inter se habẽtes, doctrinam illius audire respuerunt. In fide etenim Niniuitarum & Saba reginæ, præfertur fides gentium populo Israelitico.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & nõ inuenit.

Duobus modis intelligi potest, tamen ad Iudæos proprie pertinet hæc sententia. Vñ & dominus in conclusione illius ita loquitur:

Sic erit & generatiõi huic pessimæ.

Immundus etenim spiritus à Iudæis tunc exiuit, quando ad montem Sina legem dei accipientes, dixerunt: Quæcunque dixerit nobis dominus, faciemus, & obedientes ei erimus. Exiens enim malignus spiritus à Iudæis, ambulauit per loca arida, hoc est, per corda gentilium nullo rore cæli infecta. Sed ibi requiem non inuenit, quia videlicet per prædicationem apostolorum, & baptismi gratiã inde est expulsus.

Tunc dixit: Reuertar in domum meam unde exiui.

Hoc est, repetã Iudæos quos antea dimisi.

Et ueniens, inuenit eam scopis mundatam, hoc est, per circuncisionem.

Et uacantem, hoc est, à bonis operibus cessantem.

Et ornatam, traditionibus scribarum ac pharisæorum.

Tunc uadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi, hoc est, plenitudinem dæmonũ & vitiorum.

Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Quia peiores sunt modo Iudæi in synagogis suis CHRISTO blasphemantes, quàm olim gentes erant in Aegypto idola adorantes. Possumus tamen hanc sententiam referre ad vnumquenque peccatorem. Tunc etenim immundus spiritus exit ab homine, quando regeneratur ex aqua & spiritusancto. ⌊Ambulat per loca arida,⌋ per corda videlicet fidelium, quæ arida sunt. i. ab omni concupiscentiæ fluxu aliena. Quærens requiem, & non inuenit, quia videlicet bellum electorum contra sentit: ⌊Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui,⌋ hoc est, repetam illum quem tempore baptismi reliqui. ⌊Et veniẽs, inuenit scopis mundatã,⌋ hoc est, baptismo purificatam. ⌊Et vacantem,⌋ hoc est, vacuam a bonis operibus. ⌊Et ornatam,⌋ per hypocrisin, hoc est, per simulationem. ⌊Tunc vadit & assumit septẽ alios spiritus nequiores se, & intrantes habitãt ibi.⌋ Sicut septenarius numerus sacratus est Christo, propter septem dona spiritusſancti, quæ commemorat Isaias super dominum requieuisse: ita etiam diabolo iste numerus cõsecratus est, propter plenitudinem omnium vitiorum. Siquidem septem sunt principalia vitia, octauum est superbia, per quam ipse diabolus cecidit. Primum est γαστριμαργία, quod interpretatur gulæ concupiscentia. Secũdum, fornicatio. Tertium φιλαργυρία. i. auaritia, vel amor diuitiarum. Quartum, ira. Quintum, tristitia. Sextum, acedia, quæ est anxietas mentis, vel tædium. Septimum, κενοδοξία i. vana gloria & inanitas. Octauum, superbia, quod ẽ ipse diabolus qui per superbiam de cælo lapsus.

Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Quia melius esset viam veritatis non cognoscere, quàm post agnitionem retrorsum ire. Melius fuisset Iudæ proditori Christum non sequi, q̃ post agnitionem prodere. Melius fuisset Simoni non baptizari, quã post baptismum in laqueum damnationis interire. Quia videlicet cum omis homo pessimus sit qui vitijs seruit, ille tamen pessimorum est, qui cum omnibus vitijs seruit, virtutes tamen habere se simulat per hypocrisin.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mr̃ eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

Occupatus erat dominus miracula faciendo,& in opere & in doctrina populum exercendo, illo autem prædicante, & Iudæos redarguente, mr̄ eius & fratres steterunt foris.

Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui.

Videtur iste qui hoc domino nunciauit, non simplici animo hoc nunciasse, sed potius tentādi calliditate, vtrum dominus amori parentelæ præponeret prædicationem euangelij, an non. Sed ipse intelligens illius cogitationem & nequitiam, non prætulit religioni amorem, qui iunctionem carnalem laudauit, sed dixit:

Quæ est mater mea & fratres mei?

Hæc dicendo, non negauit beatam Mariam matrem suam esse, sed (sicut diximus) prætulit diuinum verbum carnali coniunctioni. Nam matrem suam negare non poterat, qui nobis præcipit parentes nostros diligere, dicens: Honora patrem tuum & matrem.

Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei.

Fratres domini, qui in euangelio appellantur, nō debemus intelligere filios Ioseph de altera vxore, vt quidā hæretici opinātur, quia sicut beata Maria in virginitate permāsit, ita & beatus Ioseph virginitatis perpetuæ custos fuit. Sed fratres domini filij Mariæ materteræ eius intelliguntur, Iacobus, & Iohannes, & Iudas. Quatuor siquidem modis dicūtur fratres, germanitate carnali, sicut Iacob & Esau: alio modo, propinquitate carnis, sicut Laban appellabat Iacob fratrem, quia auunculus suus erat. Et sicut Abraam loquitur ad Loth: Ne quæso sit iurgiū inter me & te, & pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus. (Gene. 13.) Non enim Loth frater erat Abraam, sed potius nepos eius. Tertio modo dicuntur fratres, propter gētis vnitatem, de eadem gente videlicet nati, sicut est illud in Genesi: Si elegeris regem super te, de fratribus tuis elige quencunq; volueris, hoc ē, de gente tua. Quarto modo, affectu & pietate, sicut omnes q in Christo credimus, dicimur fratres. Vno etenim ex his modis dicunt fratres domini, propinquitate scilicet carnis illius. Spiritualiter prædicante domino turbis matres & fratres illius foris stabant, & modo dominus in ecclesia docet gentes: mater vero illius & fratres .i. synagoga foris stant, hoc est, à societate ecclesiæ alieni existunt. Sed & ipsi cum ad domum domini intrauerint, non negabuntur ab eo, sed implebitur in eis quod dominus dixit: Quicunq; fecerit voluntatem patris mei qui in cælis ē, ipse meus frater, soror, & mater est. Quærendum vero est, quomō aliquis mater domini possit effici. Frater enim & soror illius est, qcunque voluntatem patris fecerit. Et pp̄ter sexum vtrunq; mirum nō est, sed ipse mater eius efficitur, qui verbum dei in corde auditorum suorum gignit. Vnusquisq; enim fidelis quandiu imbuitur, filius est: cum vero alios imbuit, mater est. Paulus nanque Apostolus maternum affectum circa auditores suos impendebat, qui dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Gala. 4.

FERIA QVINTA POST Inuocauit. Iohannis VIII.

In illo tempore: Dicebat Iesus ad eos qui crediderunt in eum ex Iudæis: Si uos manseritis in uerbo meo. Et reliqua.



In Deo manseritis, quia doctrina spiritali initiati estis, quia esse ibi cœpistis. Si manseritis, hoc est, in fide, quæ in vobis eē credentibus cœpit, quo peruenietis videte, quale est initium, & quo perducit. Amastis fundamentum, culmen attēdite, & ex ista humilitate aliam celsitudinem quærite. Fides enim humilitatem habet. Cognitio & immortalitas, & æternitas non habet humilitatem, sed ex celsitudine erectionē: nullam defectionem, sed æternam stabilitatem: nullam ab inimico expugnationem, nullum deficiendi timorem. Magnum est quod incipit à fide, sed magis quo peruenitur per fidē. Audi igitur quo perueniat, & vide quanta sit fides. Ergo & ad Iudæos ait: Si manseritis in uerbo meo, in quo credidistis, uere discipuli mei eritis. Subiunxit quoque, & cognoscetis ueritatem.

Qui cognoscit veritatem, cognoscit deū: quia deus veritas est, dicente ipso domino: Ego sum via veritas & vita. Credamus ergo vt cognoscamus veritatem: quia sine fide ad cognitionem veritatis nullus peruenire poterit. (Ioh. 14.) Quid ē quod cognituri sumus? Illud qđ nec ocul⁹ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid enim ē fides nisi credere quod nō vides? Fides ergo est, q̄d non vides credere: veritas, quod credidisti videre. Quid est quod videre nobis promittitur? Dicit enim dominus in alio loco, quid esset, quod visuri erimus, vbi ait: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo. Et ego diligam eū, & manifestabo ei meipsum. (Ibidem) Hæc est promissio, hæc est merces fidei, quæ per dilectionē operatur, hæc est satietas, quam Psalmista

Psal. 16 optauit, dicens: Satiabor cum manifestabitur gloria tua. O domine, digne fac nos amare te, & non amare seculum, vt valeamus ad illam libertatem peruenire, ad quam per cognitionem veritatis peruenitur, de qua subiunxisti, dicens:

Et ueritas liberabit uos.

Quid est, liberabit vos? Liberos facit. Deniq; Iudæi carnales, & secundum carnem iudicantes, non hi qui crediderant, sed illa turba, qui non credebant, iniuriam sibi factā putauerunt, quia dixit eis: ⌊ veritas liberabit vos, ⌋ & indignati sunt seruos se esse significatos. Et vere serui erāt. Sed exposuit dominus illis, quæ sit seruitus, & quæ sit futura libertas, quam ipse promittit. Nihil enim aliud est dicere, ⌊ & veritas liberabit vos, ⌋ nisi liberos vos faciet: sicut nihil est, saluat, nisi saluos faciet. Audiuimus ergo quid libera veritas dixit, audiamus quid superba falsitas respondeat.

Dixerunt ergo Iudæi: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus unquā. Quomodo tu dicis, liberi eritis?

Non enim dixerat dominus, liberi eritis, sed veritas liberabit vos. In quo tamen verbo illi nihil aliud intellexerunt, nisi libertatē carnalem: & extulerunt se, quod semen essent Abrahæ, & dixerunt: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis? O vana superbia, o falsa iactantia, quomodo verum dixisti, nemini seruiuimus vnquam? Ioseph nonne est venundatus? prophetæ sancti nonne sunt ducti in captiuitatem? Denique nonne ille ipse eius populus, qui in Aegypto lateres faciebat operibus duris, non saltem in argento & auro, sed in luto seruiebat? Si nemini seruistis vnquam, o ingrati, quid vobis assidue improperat deus, quomodo vos de domo seruitutis liberauit? an forte patres vestri seruierūt? Vos autem qui loquimini, nulli seruiuimus vnquam: si nulli seruiuistis vnquam, quomodo ergo soluebatis tributum Romanis? Vnde & ipsi veritati laqueum quasi captionis posuistis, vt diceretis: Licet reddere tributū Cæsari? vt si dixisset, licet, teneretis eū quasi malam optasset libertatem semini Abrahæ: si autem dixisset, non licet, calumniaremini apud reges terræ, quod prohiberet regibus tributa persolui. Deinde prolato nummo victi estis, & captioni vestræ vos ipsi estis respondere compulsi, ibi enim vobis dictū est: Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt, cum vos ipsi respondissetis, quod nummus habet imaginem Cæsaris. Quia sicut quærit Cæsar in denario imaginem suam, sic deus quærit in homine suam. Nec alienum quid quærit deus ab homine, sed quod condidit in homine. Ideo deus homo factus est, vt in homine reformaret, quod in homine formauit. Ergo mentientibus, & de vana libertate tumentibus, quid respondisset dominus Iudæis audiamus.

Amen amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatū, seruus est peccati.

Quis non sub istis verbis contremiscat, si omnis homo peccator, omnis homo seruus peccati? Sed in his attentius audiamus, qualiter liberemur de hac seruitute. Terrorem incutit, sed medicinam adhibet. Nam ait dominus: ⌊ Amen amen dico vobis. ⌋ Quid est, amen amen, nisi verum dico vobis? Quod verbum nec Græcus interpres, nec Latinus ausus est in aliam transferre linguam, vt honorem haberet velamento secreto, testificatio veritatis in Christo. Veritas dicit: Verum verum dico vobis, ingeminat, replicat verbum veritatis, vt excitaret dormientes, intentos faceret audientes, nec contemneretur qui ait: ⌊ Amen amē dico vobis, quia omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. ⌋ O miserabilis seruitus seruire peccato, seruire diabolo, qui peccati est autor. Sæpe homines malos dominos fugiunt, ne seruiant malis, & nō fugiunt peccatum? Quanto facilius esset fugere peccatum, & seruire homini libera conscientia? Deinde seruus hominis aliquando sui domini imperijs fatigatus, fugiēdo requiescit: seruus aūt peccati quó fugiet? Secum enī retrahit vindex conscientia, quocunq; fugerit, non fugit, sed ipsum mala conscientia sequitur, imò non recedit à se, peccatum enim quod fecit, intus est. Fecit peccatū vt aliquam corporalē caperet voluptatem: voluptas transit, peccatum manet: præterit quod delectabat, remansit quod pungat mala seruitus. Aliquando fugiunt homines improbos dominos, fugiendo quiescant, à seruitute, sed quomodo illi seruitute carebunt, qui nolunt carere peccatis? Quanto facilius est, si deserat homo peccatum, fugiatq; ad Christum veræ libertatis vindicem atq; autorem? Liberat enim ab hac seruitute peccati solus dominus, qui illa non habuit. Qui solus sine peccato venit in mundum; ille solus liberare potest de peccato. Qui venit sine peccato, factus est sacrificium pro peccato. Cum ergo omnis qui facit peccatum, seruus sit peccati, quæ sit spes nobis libertatis, audite.

Seruus autem (inquit) nō manet in domo in æternum.

Ecclesia est domus, seruus ē pctōr. Nō maneat homo in pctō, ne sit seru⁹ peccati, vt possit manere in domo .i. in ecclesia: maneat in corpore capitis sui, vt sit filius, non seruus.

Longe aliud est peccare, aliud manere in peccato. Qui manet in peccato, seruus est peccati: qui fugit à peccato, seruus erit iustitię. Terruit itaq; & spem dedit: terruit, ne peccatum amaremus: spem dedit, ne de peccati solutione diffideremus. ⌊Omnis (inq̃t) qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo inæternum. Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus de peccato? Audi spem tuam.

Filius manet in domo inæternũ. Si ergo filius uos liberauerit, tunc uere liberi eritis.

Hæc spes nostra fratres, vt à libero liberemur, & liberando seruos nos faciat. Serui enim eramus cupiditatis, liberi efficimur serui charitatis. Prima libertas est, nõ permanere in peccato, seruire iustitiæ, dicēte Apostolo. Cũ enĩ serui essetis p̃cti, liberi eratis iustitiæ. Nũc aũt habetis fructũ vrm in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Perfecta vero libertas est, deo Christo seruire, illum diligere qui vere nos liberauit, qui vere est filius dei, & dominus in forma serui, non seruus, sed in forma serui dominus. Fuit quippe illa carnis forma seruilis, quamuis esset similitudo carnis peccati, non erat peccati, libertatem promisit credentibus in se. Iudæi vero tanquam de sua libertate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cum essent serui peccati. Ideo autem se liberos esse dixerunt, quia semen Abrahæ erant. Quid ergo eis ad hæc respondit dominus, audiamus.

Rome. 6

Scio (inquit) quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere.

Agnosco carnis originem, non cordis fidem: filij Abrahæ estis, sed secundum carnem ideo quæritis me occidere.

Sermo enim meus (inquit) non capit in uobis. i. non habet locũ in vobis. Si sermo meus caperet à vobis, caperet vtiq; vos. Quid est ergo, non capit in vobis? Id est, non capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Audistis certe dominum dicentē: ⌊Scio quia filij Abrahę estis,⌋ audire quid postea dicat:

Ego quod uidi apud patrem meum, loquor: & uos, quod uidistis apđ patrem uestrum, facitis.

Quid autem faciunt, & quid eis dixit? quæritis me occidere, hoc apud Abraã nũquam viderunt. Dixit, quæ vidi apud patrem meum loquor, veritatem vidi, veritatē loquor, q̃a veritas sum. Si enim dominus veritatem loquitur, quia ipse est veritas patris, quam vidit apud patrē, se'q; vidisse loquitur, ipse enĩ verbum, quod verbum erat apud deum: isti ergo malũ quod faciunt, quod dominus obiurgat & corripit, vbi viderũt apud patrem suum? Cum audierimus in consequentibus apertius dictum, quis sit eorum pater, tunc intelligimus qualia viderint apud talem patrem. Adhuc enim nõ nominat patrem ipsorum. Paulo superius Abraam conmemorauit, sed carnis originem, non vitæ similitudinem. Dicturus nunc alterum patrem illorũ, qui nec genuit eos, nec creauit, vt homines essent, sed tamen filij erant eius, inquantũ mali erant, non inquantum homines erant: inquãtum imitati, non inquantum creati.

Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraam est.

Quasi aliquid dicturus esset contra Abraam, aut quasi in aliquo auderet reprehendere Abraam. Non quia dominus nõ audebat reprehendere Abraam, sed quia Abraam talis erat, qui non reprehenderetur à domino, sed potius laudaretur. Tamen isti videbantur eũ prouocare, vt aliquid mali diceret de Abraam, & esset occasio faciendi quod cogitabãt. ⌊Pater noster Abraã est.⌋ Audiamus quomodo eis respondet dominus, cum illorũ damnatione laudauit Abraam.

Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autē quęritis me interficere, hominem qui ueritatem locutus sum uobis, quam audiui a deo, hoc Abraam non fecit.

Ecce, ille laudatus, isti damnati. Nam hi quærebant dominum interficere, Abraam autem non erat homicida. Nõ dico, inquit, ego sum dominus Abrahæ, quod & si dicerem, verum dicerem (Nam dixit in alio loco: Antequam Abraam fieret, ego sum, cum illum lapidare vellent) sed dico hoc interim, quod videtis, quod aspicitis, quod me solum putatis, scilicet quod homo sum. Hominem ergo dicentē vobis quod audiuit à deo, quare vultis me occidere, nisi quia non estis filij Abrahæ? Et tamen superius ait: ⌊Scio quia filij Abrahæ estis,⌋ non negat nunc eorum originem, sed facta cõdemnat. Caro eorum ex illo erat, sed vita non erat. Ergo Christiani facti sunt semen Abrahæ gratia dei, non de carne Abrahę. Facti illi cohęredes, deus illos exhęreditauit, istos adoptauit. Isti sunt de quibus in alio loco à Iohanne baptista dictum est: Potens est deus de lapidib⁹ istis suscitare filios Abrahæ. Illi ergo erunt filij Abrahæ, qui opera Abrahæ imitantur. Ideo subiunxit dominus, dicens: ⌊Si filij Abrahæ estis, opa Abrahæ facite.⌋ Factis probate nobilitatem, non verbis. ⌊Sed

quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audiui à deo, hoc Abraam non fecit. Vos facitis opera patris vestri. ⌋Et quia adhuc non dicit, quia iste est pater illorum, videamus modo illi quid responderunt. Cœperunt enim vtcunque cognoscere, non de carnis generatione dominum loqui, sed de vitæ institutione. Et quia consuetudo scripturarum est (quam legebāt) fornicationem spiritualiter appellare, cum dijs mutis ac falsis anima tanquam prostituta subijcitur, ad hoc respondet, dixeruntq́ ei:

Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus deum.

Cum toties gloriantes de Abraam, repulsi sunt, nunc videamus quomodo repelli noluerunt ore veridico. Quia cum erat talis Abraam, cuius factum non imitabantur, & de illius tamen genere gloriabantur, mutauerunt responsionem, credo dicentes apud seipsos: Quotiescunque nominauerimus Abraam, dicturus est nobis: quare non imitamini eum, de cuius genere gloriamini? Nos sanctum & iustum, innocentem tantum virum imitari non possumus, deum dicamus patrem nostrum, videamus quid nobis dicturus est. Nunquid falsitas inuenit quod diceret? Audiamus quid dicāt, audiamus quid audiant. ⌊Vnum (inquiūt) patrem habemus deum.⌋ Dixit ergo eis Iesus:

Si deus pater uester esset, diligeretis me utique. Ego enim ex deo processi & ueni. Neq; enim a meipso ueni, sed ille me misit.

Dicitis deum patrem, agnoscite vel fratrem vestrum, Hic tetigit quod sæpius solet dicere, non à meipso veni, sed ille me misit, ego enim à deo processi & veni. Christi ergo missio, incarnatio est eius. Quod vero de deo patre processit verbum, æterna processio est, non habēs tempus, per quem factum est tempus. Ergo ab illo processit vt deus & æqualis, vt filius vnicus, vt verbum patris.
Iohan.1. Venit ad nos, quia verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Aduentus eius, humanitas eius, mansio eius, diuinitas eius.

Quare (inquit) loquelam meam nō cognoscitis? Quia non potestis cognoscere sermonem meum.

Ideo non poterant cognoscere, quia non poterant audire, sed vnde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant? Et hoc inde.

Vos ex patre diabolo estis.

Quàm diu patrem commemoratis, quàm diu patrem mutatis, modo Abraam, modo deum, audite à filio dei, cuius filij estis. A patre diabolo estis. Deus vtique creator omnium creaturarum creauit homiem, quomodo hic dicit, vos à patre diabolo estis. Quicq̄d à deo creatum est, bonum est: & omnis homo inquantum creatura dei est, bonus est. Quantum vero se subijcit per liberum arbitriū diabolo, à patre diabolo est. Bona est enim hominis natura, sed vitiata erat per malam voluntatem, & inde erat à patre diabolo. Quod fecit deus, non potest esse malum, si ipse homo nō sit sibipsi malus. Inde ergo Iudæi dicti sunt filij diaboli, nō nascēdo, sed imitādo. Cōsuetudo vero sanctæ scripturæ est, ex imitatione vel consuetudine operum filios sæpe nominare, vt Propheta ad Iudæos ait: Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa. Amorrhæi gens erat quædam, vnde originem Iudæi non ducebant. Cethæi & ipsi gentem Ieze.29. suam habebant, oīno alienam à genere Iudæorum. Sed quia erant impij Amorrhæi & Cethæi. Iudæi autem imitati impietates eorum, inuenerant filij parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur. Quęritas autem fortasse, vnde ipse diabolus est. Inde vtique, vnde & cæteri angeli. Sed cæteri in sua obedientia p̄stiterūt, ille inobediēdo & sup̄biendo lapsus est angelus, & factus est diabolus. Sed mō audiret q̄d dicat dn̄s: ⌊Vos (inquit) à patre diabolo estis, & desideria p̄ris v̄ri facere vultis. Quæritis me occidere, hominem qui veritatem vobis dico, ⌋& ille inuidit homini, & occidit hominem: Diabolus autem cum inuideret homini, serpentem indutus, locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virū. Vnde mortui sunt, diabolum audiendo, quem non audissent, si deum audire voluissent: qui obtemperare debuerant creatori, non deceptori.

Ergo ille homicida erat ab initio.

Videte genus, homicida dicitur diabolus. Diabolus non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, sed verbum malum seminauit, & occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Nam si fratri tuo mala persuades, occidis. Audi Psalmum: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, Psal.56. & lingua eorum gladius acutus. Vos ergo desideria patris vestri facere vultis, ideo sæuitis in carne, quia non potestis in mente. ⌊Ille homicida erat ab initio,⌋ vtique in primo homine, ex illo ille homicida. Ex quo potuit fieri homicidium? Ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo.

Et in ueritate non stetit, quia ueritas non est in eo.

Non quomodo in Christo est veritas, vt de' ipse sit veritas. Si ergo iste in veritate stetisset, in suæ originis sanctitate permansisset: sed in veritate nō stetit, qa ueritas nō ē in eo.

Qui cum loquitur mendaciū ex proprijs loquitur, quia mēdax est, & pater eius.

Diabolus autem à semetipso mēdax fuit, & mendacium suum ipse genuit, à nemine audiuit mendacium prius. Quomodo genuit pater filium veritatem, sic diabolus genuit quasi filium mendacium. Mendacium genuit quia in veritate non stetit. Omnis em̄ qui in deo manet, in veritatate manet, quia deus veritas est. Si quis vero à deo recesserit, mēdax. erit, dicēte Psalmographo: Om̄is homo mēdax. (Psal. 115.) Inquantum vero homo à deo recedit, intantum mendax erit, dum se à veritate declinauerit, & inde peccator erit. Quia omne peccatum non est veritas, sed mendacium: quia recedendo à deo non habet veritatem. Diabolus vero bonus creatus est, sed per seipm̄ malus factus est, declinando se à summo bono. Ideo ex proprijs locutus est mendacium quia in seipso inuenit vnde esset mendax. Hō vero deceptus à diabolo mēdax. Ideoq; filius diaboli, non natura, sed imitatione. Recedamus ergo à patre mēdacij, curramus ad patrem veritatis. Amplectamur veritatem, vt accipiamus veram libertatem. Iudæi apud patrem suum viderant, quod loquebantur: quid, nisi mēdacium? Dominus autem apud patrem suum vidit, quo loqueretur: quid, nisi verbum patris æternum, & patri coæternum? Ideo subiunxit:

Ego ueritatem dico uobis, & nō creditis mihi.

Nam mendax mendacium loquit, sed veritas veritatem profert. Diabolus mendax, Christus vero veritas ē, & veritatis assertor: quia ex veritatis ore nil aliud poterit procedere, nisi veritas.

FERIA SEXTA POST INuocauit. Iohannis V.

In illo tempore: Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autē Hierosolymis probatica piscina. Et reliqua.



LOQVEbamur ergo vobis & nunc de euangelica lectione, in q̄ duo pariter miracula humanæ sanitatis leguntur, vnū inuisibiliter per angelicā administrationem, alterum per dominicam præsentiam visibiliter exhibitum: sed vtriusque nobis sunt breuiter exposita mysteria, ne prolixę lectionis, prolixa quoq; explanatio cuiquam forte grauis existat. Probatica piscina, quæ quinq; porticibus cingebatur, populus est Iudæorum, legis vndiq; custodia, ne peccare debeat, munitus. Recte etenim lex quæ quinque libris Moysi descripta est, quinario numero figuratur. Recte populus qui in quibusdam mundi tijs vitæ seruire, in quibusdā solebat immundorum spirituum tentamentis agitari, per aquam signat piscinæ, quæ nunc placida ventis stare, nunc eis irruentibus turbari consueuerat. Et bene piscina eadem probatica vocatur, πρόβατα quippe græce, oues dicunt. Quia erant nimirum in illo populo, qui dicere domino noscerent: Nos autem populus tuus, & oues gregis tui, confitebimur tibi in secula. (Psal. 78.) Vulgo aūt probatica i. pecualis piscina fertur appellata, q̄d in ea sacerdotes hostias lauare consueuerant. Multitudo languidorum quæ in memoratis porticibus iacebat, aquæ motum expectans, significat eorum cateruas, qui legis verba audientes, suis hanc viribus implere non posse dolebant. Atq; ideo dominicæ auxilium gratiæ affectibus implorabant. Cæci erant, qui necdum perfectum fidei lumen habebāt. Claudi, qui bona quæ nouerant, operandi gressibus implere non quibant. Aridi, qui quamlibet oculū scientiæ habentes, pinguedine tamen spei & dilectionis egebant. Tales in quinque porticibus iacebant, sed non nisi in piscinam angelo veniente sanabantur. Quia per legem cognitio peccati, gratia autem remissionis non nisi p Iesum Christum facta est. Hunc designat angelus, qui inuisibiliter descendens in piscinā ad suggerendam vim sanādi mouebat aquā. Descendit enim in carne indutus magni consilij angelus. i. paternæ voluntatis nuncius in piscinam populi Iudæorum, & mouit peccatores factos à doctrina sua, vt occideretur, quia sua morte corporali, non solum spiritualiter languentes sanaret, sed & mortuos suscitare sufficeret. Motus ergo aquæ, passionem (quæ mota, turbataq; Iudæorum gente facta est) insinuat. Et qa per eandem redempti sunt credentes a maledicto legis, quasi descendentes in aquam piscinæ turbatam sanabantur, qui hactenus iacuerant in porticibus ægroti: legis siquidem literam nescientes, quid agendum, quid vitādum esset, edocuit. Nec tamen eductos de sedibus ignorantiæ prioris in porticibus suis cōtinebat, nec sanabat languidos. Gratia autem euangelij, quæ per deum ac mysterium dominicæ passionis sanat omnes languores iniquitatum nostrarum, a quibus in lege Moysi non potuimus iustifi-

cari, quasi electos de porticibus legis ægrotos in aquam piscinæ turbidam, vt sanari possimus, immittit, quia à peccatis, quæ lex ostenderat, per aquam baptismatis abluit, teste a-
Roma. 6 postolo, qui ait: Quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo p baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christ⁹ à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Bene autem dicitur, quia qui prius descendisset post motionem aquæ, sanus fiebat à quocunque lãguore tenebatur: quia vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. Et qui in vnitate catholica Christi mysterijs imbuitur, sanus fit à quocunq; peccatorum languore detinetur. Quisquis autem ab vnitate discrepat, salutem, quæ ab vno est, consequi nõ valet. Hæc de primo euangelicæ lectionis miraculo, q̃d dominus dedit, locuti sumus: nunc de secundo, quod ipse dederit, fraternitati vestræ loquamur, in quo etiam ipso, vnus commendatur sanatus. Non quia omnipotentis pietas saluatoris, omnes quos ibi languentes in uenit, sanare nequerit, sed vt doceret præter vnitatem catholicæ fidei, nullum cuilibet locum patere salutis.

Erat autem quidam homo (inquit) ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

Homo iste multorum infirmitate detētus annorum, significat peccatorum quemlibet enormi scelerū magnitudine, vel numerositate depressum, cuius significando reatui etiam motus temporis quo iste languebat, congruit. Nam duo minus quadraginta annos habebat in infirmitate. Quadragenarius autem numerus, qui denario quater ducto conficitur, pro perfectione rectæ conuersationis solet in scripturis accipi: quia quisquis perfectæ cõuersationis officium egerit, legis profecto decalogum per quatuor sancti euangelij libros implet. Aqua nimirum perfectione quo minus habet, qui in dei & proximi dilectione, quam legis pariter & euãgelij scriptura commendat, vacuus incedit. Quod etiam mystice dominus sanans infirmum docuit, cum ait:

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Surgere enim dicitur, vitiorū torporem, in quibus diu languebas excutere, & ad exercitium virtutum, quibus perpetuo salueris te erigere. L Tolle grabatum tuum, .i. porta. Diliges proximum tuum, patiēter eius infirma tolerando, qui te adhuc tentationum fasce depressum diu patienterq; sustinuit. Al-
Galat. 6. ter enim alterius onera portate, & sic adim-
Ephes. 4. plebitis legē Christi. Et sicut alibi dicit: Supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem in vinculo pacis. Ambula autē, id est, toto corde, tota anima, tota virtute de um dilige: & vt ad eius visionem pertingere merearis, quotidianis bonorum operum passibus de virtute in virtutem progredere: nec fratrem quem sufferendo ducas, ob amorem eius ad quem pergis, deserēs, nec ob fratris amorem ab illo quærendo, cum quo manere desideras, intentionem recti incessus auertens: sed vt perfecte possis saluari, L surge tolle grabatum tuum & ambula, .i. relinque peccata pristina, necessitatibus fratrum succurre. Et in vniuersis quæ agis, vide ne in hoc seculo mentem figas, sed ad videndam faciem tui festines redemptoris. Surge bona operando, porta grabatum diligēdo proximum, & ambula expectando beatam spem, & aduentum gloriæ magni dei. Sed mira perfidorum dementia, quia ad tam inopinatam diu languentis sanationem credere, ac spiritualiter sanari debuerant, econtra scandalizantur, & saluato pariter ac saluatori calumnias struūt. Saluato quidem, quia sabbato grabbatum tulerit: saluatori autem, quia sabbato & illum saluari, & grabatum tolli præceperit, quasi melius ipsi de sabbato, quàm tanta diuinitatis potentia, nossent.

Dicebant (inquit) Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

Literam legis stulte defendebant, ignorando dispensationem eius, qui legis quondam edicta per seruum discernens, nunc ipse adueniens, eandem legem gratia mutare dispo suit, vt quod iuxta literam diu carnales carnaliter obseruabãt, deinceps spiritualiter ob seruandum cognoscerent. Sabbato quippe carnali, quod iuxta literam custodiebatur, populus ab omni opere seruili die septima vacare præceptus est. Spirituale sabbatum est, in luce gratiæ spiritualis, quæ septiformis accipitur, non vna, sed omni die nos ab inquietudine vitiorum manere feriatos. Si enim iuxta vocem dominicam: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, patet liquido, quia peccata recte opera seruilia intelliguntur, à quibus quasi in die septima in perceptione gratiæ spiritualis immunes incedere iubemur: nec solum à prauis continere, sed & bonis insistere factis. Quod in hac quoq; lectione dominus typice ostendit, cum eum, q̃ duos de quadraginta annos languebat, in die sabbati non solum surgere, verumetiam grabatum tollere & ambulare præcepit: videlicet insinuans, eos qui longo vitiorum languore tabescunt, & dei & proximi dilectione inanes sunt, quasi à perfecta virtutū summa duobus minus habent, iam per donū spi-

ritus sancti à vitijs posse resurgere, eorumq;
discusso torpore, cum fraternæ dilectiōis fer
uore ad visionem debere sui properare con-
ditoris. Quod autem is qui sanatus est, Iesum
non in turba adhuc positus, sed post in tem-
plo cognoscit, mystice nos instituit, vt si ve-
re conditoris nostri gratiam cognoscere, si
eius amore confirmari, si ad eius visionē per-
uenire desideramus, fugiamus solicite turbā
non solum turbantium nos cogitationum, af
fectuumq; prauorum, verumetiam hominū
nequam, qui nostræ synceritatis possunt im
pedire propositum, vel mala, videlicet exem
plo suo monstrādo, vel bona nr̄a opera deri
dendo, vel prohibendo. Confugiamus seduli
ad domum oratiōis, vbi secreta libertate do-
minum inuocantes, & de perceptis ab eo be-
neficijs gratias agamus, & de percipiēdis hu-
mili deuotione precemur. Imo etiam ipsi
templum dei sanctum, in quo venire & man-
sionem facere dignetur, existere curemus, au
1.Cor.6. dientes ab Apostolo: Quia corpora vestra
templa sunt spiritussancti, qui in vobis est. In
ter quæ diligentius intuendum fratres mei,
quod inueniens in templo quē sanauerat do
minus, ait illi:

Ecce sanus factus es, iam noli pecca-re, ne deterius tibi aliquid cōtingat.

Quibus verbis aperte monstratur, quia
propter peccata languebat, nec nisi dimissis
eisdem poterat sanari. Sed qui foris ab infir-
mitate, ipse etiam intus saluauit à scelere. Vn
de & caute præmonuit, ne amplius peccan-
do grauioris sibi sententiam damnationis cō
traheret. Quod non ita sciendum est, quasi
om̄is qui infirmatur, ob peccata infirmetur.
Sæpe infirmatur homo, ne extollatur in do-
nis dei, sicut de Paulo apostolo legitur, sæpe
vt probetur tribulatur, sicut beati Iob patien
tia tribulata & probata est: sæpe infirmitas
Heb. 12. pro castigatione datur. Flagellat enim de-
us omnem filium quem recipit. Quibusdam
vero infirmitas pro gloria dei dat̄, vt de cæ-
co nato, vel de Lazaro legitur: Nouit domi-
nus pro quo quemlibet iubeat infirmari, vel
dimittat. Sæpe occulto in hominibus agit iu-
dicio, sed nunquam iniuste. Sed discamus fla
gellis pijssimi redemptoris nostri humiliter
subserui, arbitrantes nos minus pati quàm
meremur, semper illius sententiæ memores,
quia beatus homo qui corripitur à domino.
Apoc.3. Et ipse in Apocalypsi: Ego, inquit, quos a-
mo, arguo, increpo, & castigo. Longæuo au
tem languenti interius exteriusq; sanato, id
est, & à peste castigationis, & à peccatis, qui-
bus hæc merebatur recto. Iudæi econtra ma-
le intus languidi, deterius iam ægrotare inci-
piunt, persequendo videlicet Iesum, qui hæc
faceret in sabbato. Persequebantur autem eū
non quasi legis autoritatem, simul & diuinæ
operationis exempla secuti: quia & domi-
nus sex diebus mundi perfecta creatione, se-
ptimo quieuit ab omnibus operibus suis, &
populum sex diebus operari, septimo vaca-
re præceperit: non intelligentes, quia carna-
lia legis decreta paulatim erāt spirituali inter
pretatione mutanda, apparente illo, qui non
tantum legislator, sed & finis est legis Chri-
stus, ad iustitiam omni credēti. Neque enim
aduertentes, q̄a conditor in die septima, non
ab opere mundanæ gubernationis & animę,
imo quotidianarum creaturarum substitutio-
one, sed à noua creaturarum institutione ces
sauit. Quod vero dicitur, requieuit deus die
septimo ab omnibus operibus suis, ita intel-
ligendum est, cessasse deum à nouarum con-
ditione creaturarum.

SABBATO POST INVOcauit. Matthæi XVII.

In illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem eius. Et reliqua.


Ominus Iesus Christus, per
prædicationem ac doctrinam
euangelij, non solum fidelibus
præsentis vitę labores indixit,
verumetiam futuram beatitu-
dinem repromisit. Vnde cum superius di- Iohan.12
xisset, qui amat aīam suam, perdet eam, & cæ.
Qui odit animam suam in hoc mundo, in vi
tā æternā custodit eam, ne dura & aspera per
secutio martyrij videretur, suæ passionis &
resurrectionis exemplum adhibuit, dicens
se Hierosolymis multa passurum, & in die
tertia resurrecturum. Ne autem resurrectio-
nis inaudita gloria incredibilis videretur, tri
bus electis discipulis seorsum eductis, eius-
dem resurrectionis formam in sua transfigu
ratione ostendit. Et pulchre ostensurus disci
pulis eiusdem resurrectionis formam, seor-
sum eos eduxit, quia si eiusdem resurrectio-
nis participes esse cupimus, à turbis maligno
rum spirituum & tumultibus seculi separati
esse debemus, semper quidem mente, aliquā-
do, & corpore. Quia sicut bonorum societas
multum iuuat, sic infirmis mentibus malo-
rum concordia frequenter nocet, teste Psal-
mista q̄ ait: Cum sancto sanct⁹ eris, & cum Psal.17.
viro innocente innocens eris. Et cum electo
electus eris, & cum peruerso peruerteris. Vn
de nos Salomon admonet, dicens: Noli esse Prou.22.
amicus homini iracundo, neque ambules cū

viro furioso,ne forte discas semitas eius, &
sumas scandalum animæ tuæ. Pulchre etiam
eos quibus cor suum clarificatum ostendit,
in montem excelsum eduxit, vt nos doceret
quia tunc ad illam gloriam futuræ resurre-
ctionis feliciter peruenire merebimur,si ter-
rena deserentes,sublimia atq; cælestia desi-
Philip.3. deramus,dicentes cum apostolo:Nostra au-
tem conuersatio in cælis est. Vnde etiam sal-
uatorem expectamus dominum nostrum Ie
sum Christum. Quasi cum domino montem
ascendimus,cum fugitiua mundi gaudia con
temnentes, cælestem patriam desideramus,
Psal.41. sicut faciebat Psalmista cũ dicebat:Sicut cer-
uus desiderat ad fontes aquarum, ita deside
rat anima mea ad te deus. Nec illud absq; cõ
sideratione prætereundum est,quod post sex
dies & post ea quæ superius gesta narrantur
discipulis suam resurrectionẽ ostendisse me
moratur. Quia enim sex sunt dies,in quibus
licet operari,senarius sæpe numerus præsen
tis vitæ laborem significat. Et quasi post sex
dies discipulis suam claritatem ostẽdit, quia
præsentis vitæ labores electi ad gloriam fu-
turæ resurrectiõis sunt peruenturi. Quia sic-
Roma.8. ut Apostolus ait:Si compatimur & conre-
2.Cor.1 gnabimus:& si fuerimus socij passionum,eri
mus & resurrectionis. Quod vero dicitur:

Et resplenduit facies eius, sicut sol: uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Eiusdem resurrectionis forma demonstra
tur. Quia ergo iuxta eius promotionẽ,fulge
bunt iusti sicut sol in regno patris,in semet-
ipso ostendit,quod futurum constat in mẽ-
bris. Nunquid solis claritas domino valet cõ
parari,vel sanctorum,de quibus dicit Apo-
1.Cor.15 stolus:Stella ab stella differt in claritate, sic
& resurrectio mortuorum? Sed quia in re-
bus visibilibus nihil sole splendidius appa-
ret,per claritatem solis,futuræ vitæ splendor
significatus est,in qua,sicut per Danielem di
Dan. 12. citur:Qui docti sunt, fulgebunt sicut splen-
dor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt
multos,quasi stellæ in perpetuas æternitates
Et quoniam nihil sole clarius(vt diximus)vi
dere nouimus,non solum domini, sed etiam
sanctorum in resurrectione gloria solis aspe
ctui comparatur, qa clarius sole aliquid,vn-
de exemplum daretur hominibus, minime
potuit inuenire. Hanc autem clarificatam do
minici corporis maiestatem, hãc sanctorum
corporum claritatẽ,nullus in iudicio repro-
borum videre putandus est. Tantum vide-
bunt in quem transfixerunt,& plangent se su
per eum omnes tribus terræ. At cum pera-
cto iudicio sublati fuerint impij, ne videant
gloriam dei,tunc iusti ad contemplandã per
petuo gloriam regni eius,& ipsi pro modu-
lo suo incorruptionis gloriam transfigurati
intrabunt. Vnde dicit Apostolus: Qui refor Philip.3.
mabit corpus humilitatis nostræ,configura-
tum corpori claritatis suæ. Per vestimenta
vero domini,quę facta sunt alba sicut nix,ec
clesia designatur,quam iuxta apostolum ele Ephes.5
git,non habentem maculam, neque rugam,
vt esset munda & immaculata in conspectu
eius,sicut per Iohannem in Apocalypsi dici- Apoc.21
tur: Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem no-
uam descendentem de cælo, tanquam spon-
sam ornatam viro suo. Sicut enim vestis mul
tis filis texitur, sic ecclesia multis virtutibus
decoratur, iuxta illud Isaiæ: Viuo ego, di- Isai.49.
cit dominus, quia his omnibus velut orna-
mento vestieris. Et Apostolus: Quotquot Galat.3.
enim(inquit)in Christo baptizati estis,Chri
stum induistis. Hoc est,qui in tempore resur
rectionis omni labe iniquitatis, simul & ab
omni mortalitatis obscuritate castifican-
tur. Vestimenta enim domini facta sunt al-
ba sicut nix,quia ecclesia in futura vita ad glo
riam,quam oculus non vidit,nec auris audi-
uit,nec in cor hominis ascendit,est peruentu
ra,ad quam peruenire optabat Dauid, cum
dicebat: Lauabis me & super niuem dealba-
bor. Vnde bene de iisdem vestimentis p ali-
um euangelistam,scilicet Marcum dicitur,

Quia facta sunt candida nimis uelut nix, qualia fullo nõ potest facere super terram.

Quoniam quanta futura sit gloria sancto-
rum,nec doctor,nec prædicator,quilibet spi
ritualis,in præsenti vita suis valet aperire ser
monibus. Sed ne aliqua dubitatio in aposto-
lorum cordibus remanere posset,post trans
figuratiõem dominici corporis idonei testes
adhibentur. Vnde & subditur:

Ecce apparuerunt Moyses & Elias cum eo loquentes.

Quales autem apparuerint, vel quid cum
eo locuti sunt,alius (scilicet Lucas) euangeli-
sta manifestius declarat,dicens: Et ecce vi-
si sunt loquentes cum eo Moyses & Elias,
splendidi in maiestate, prædicantes eius ex-
cessum in Ierusalem. Vbi p Moysen & Eli-
am,& legis & prophetarum oracula intelli-
mus,qui prædicabant eius excessum in Ieru
salem,quia lex & prophetæ dominum passu
rum & resurrecturum prænuntiauerunt. Si-
ue aliter,per Moysen & Eliam, vtrumq; te-
stamentum intelligere possumus, Vetus sci-
licet & nouũ. Vna ergo voce Moyses & Eli
as excessum domini prædixerunt, quia con-
cordi fide vtriusq; testamenti fideles de domi
ni aduentu sentiunt,quando quod illi pnun-
ciauerunt futurum,isti prænunciant iam fa-

ctum. Aliter etiam per Moysen, qui mortis debitum nedum exoluit, duos sanctorum ordines possumus accipere, & illos scilicet, qui domini vltimum aduentum moriēdo p̄ Moysen præcesserunt, & illos qui tempore iudicij viui in carne inueniendi sunt. Bene ergo cum eo visi in maiestate memorant, quia & isti resuscitati, & illi immutati, rapientur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erunt, quando implebitur promissio domini, dicētis: Pater, da vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint, non æqualitate, sed participatione gloriæ. Sed huius visionis claritate quantum Petrus apostolus delectatus sit, manifestauit, cum respondens dixit ad Iesum:

1.The.4

Ioh. 17.

1.Ioh.5.

Ephe. 5.

Domine, bonum est nos hic esse.

Vbi ostendit summum bonum & principale, in futura vita cum dn̄o esse, non in præsenti seculo, quod totum in maligno positū est, & vbi iuxta Pauli Apostoli vocem, dies mali sunt. Hoc enim bonum senserat, & huic inhærere deo bonum est. Quod autem ab illa visione discedere nollet, manifestauit cum adiunxit:

Si uis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unū, & Eliæ unū.

Hoc autem dixit (vt alius Euangelista refert) nesciens quid diceret, quia humana natura cum vltra modum suæ fragilitatis ducitur, aliqn̄ suam ipsam ignorantiam ignorat. Nesciebat quid diceret, quando in æterna illa gloria temporalia tabernacula necessaria æstimabat. Ibi enim materialis tabernaculi cōstructio necessaria non est, vbi summum bonum & perfectum, domini visio est, sicut per Iohannem de superna ciuitate Ierusalem dicitur: Et templum non vidi in ea, dominus enim deus templum illius est, & agnus. Qualis autem constructio in ea futura sit, Psalmista declarat, cum dicit: Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Et dominus in euangelio: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vnum autē idemq; solicite considerandum est, quia iuxta Psalmistæ vocem: Non habitat cum eo malignus, neque permanebūt iniusti an̄ oculos eius. Vnde sic interrogantes dominum, cum propheta dicimus: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Tales nos exhibeamus de quibus subditur: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, & cætera quæ sequuntur. Sed de tabernaculis visibili constructione Petro cogitante.

Apoc. 21

Psal. 121.

Iohā. 14.

Psalm. 5.

Psal. 14.

Adhuc & loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.

Vt intelligerent electis in æterna tabernacula receptis, non esse necessaria corporalia tabernacula vbi in nubis obumbratiōe protecti erunt à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem, quādo implebitur quod alibi per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à cōturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Si enim populum per deserta gradientem quadraginta annos columnæ obūbratione protexit & illuminauit, multo magis in suam vitam receptos, electos absq; tabernaculorum constructione securos reddet pariter & munitos. Ad instruendas autem mentes apostolorum, de cognitione diuinitatis vnigeniti filij dei, post Moysi & Eliæ testimonium, vox patris de nube testimonium perhibuit, dicēs:

Psalm. 30

Hic est filius meus dilectus.

Id est, quem in forma hominis hominem cernitis, hic est filius meus dilectus. Acsi diceret: Hic est filius meus non adoptiuus, sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus, cui mecum vna est potestas, vna substantia, & vna æternitas. De quo subditur:

In quo mihi complacuit.

Displicuit enim deo humana natura, quādo præcepti illius præuaricatrix peccando effecta est, sicut ipse ait ad Noe: Non permenebit spiritus meus in homine in æternum, eo quod sit caro. Pœnitet me fecisse eos. Sed in solo mediatore dei & hoīm, bene sibi cōplacuisse dicit, quia peccatum quod diuinitatem fuscaret, in humanitate non habuit: quoniam peccatum non fecit, nec dolus inuentus ē in ore eius. Nam quod ait, vox paterna de filio, In quo mihi complacuit, idipsum ē quod alibi illius testatur, dicēs: Et qui me misit, me cum est, & non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. Bene quoque voce patris, de eo dicitur: ipsum audite, vt ipsum esse intelligeremus, de quo per Moysen fuerat prophetatum: Prophetam suscitabit vobis de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Et omnis qui non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Felices ergo apostoli, qui non solum domini clarītatem videre meruerunt, sed etiam vocem patris intonantem audire. Nec ab hac felicitate nos ex toto alieni erimus, si quē illi crediderunt, & nos credimus: & quomodo illi vixerunt, imitando viuimus: & quem dilexerunt totis visceribus, amamus. Sed quia humana fragilitas pondus diuinitatis ferre non valet, recte subditur:

Genes. 6.

Iohan. 8.

Deut. 18

Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde.

Sed quos humana fragilitas grauabat, benigne pius magister consolatur, & erigit verbo pariter & tactu. Vnde & subinfertur:

Et accedens Iesus tetigit eos dicens: Surgite, & nolite timere.

Tangendo ergo timorem expellit, & fiduciam tribuit, quia tactus eius sanitas est orbis terrarum. Et quoniam iuxta eius vocem, oīs qui se humiliat exaltabitur, post casum surgere iubentur, quoniam post præsentis vitæ labores electi ad gloriam sunt sublimandi, iuxta illud Psalmistæ: Surgite postq̃ sederitis. Psal. 116

Leuantes autem oculos suos, neminem uiderunt, nisi solum Iesum.

Vt intelligerent Moysen & Eliam ad hoc apparuisse, quatenus domini clarificationi testimonium perhiberent. Quod vero descendentibus illis de mōte præcepit Iesus, dicēs:

Nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.

Tempus futuræ prædicationis insinuat. Nouerat enim fragiles esse apostolorū mentes ad tantæ visionis testimonium perhibendum, quoadusq; spiritussancti gratia plenius instruerent, & perfectius cōfortarent. Nouerat etiā carnalium mētes adhæc incredibiles esse, nisi prius sua visibili resurrectiōe ad credendum commouerentur. Et ideo hanc visionem non esse penitus dicendam prohibuit, sed ante resurrectionem dicere vetuit, tempus ordinatæ prædicationis ostendens: quando incredibile non videretur, quod etiam visibiliter per resurrectionis statum monstrabatur.

DOMINICA SECVNda in Quadragesima. Matthæi XV.

In illo tempore: Egressus inde Iesus (de Genesar) secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamauit, dicens: Miserere mei domine fili Dauid. Et reliqua.


Vpra refert euangelica lectio, qualiter dominus conflictum cum pharisæis & scribis habuit, & illis non credentibus, sed insuper blasphemātibus, egressus inde, secessit in partes Tyri & Sidonis. Tyrus autem & Sidon ciuitates fuere gentilium, quæ populo Iudęorum sorte datę sunt, sed ab eis minime possessæ, quia habitatores earum minime crediderant. In corde enim maris sitæ, non facile ab hostibus capiuntur. In hac fuit Hiram rex potentissimus, qui Salomonis ligna & lapides ad domum domini ædificandam præbuit, contra quam Iezechiel propheta multa locutus est, dicēs eam sitam esse in corde maris, diuitijs locupletē, sed vitijs plenam, & ad eius destructionem Nabuchodonosor regem vēturum prophetat. Dr̄ aūt Tyrus à situ vel qualitate loci, eo ꝙ Tyria, id est, preciosissima purpura ibi reperiať. Inueniuntur quoq; ibi pisces, quos cōchylia vocant, qui ferro incisi, guttas sanguineas mittunt, ex quibus sericum tingitur, de quo preciosior purpura texitur. Interpretatur autem Tyrus in nostra lingua sors dei, significat genus humanum, quod ante preuaricatiōem primi hominis in sorte dei fuit, sed tunc de eius sorte discessit, qn̄ primus hō peccauit. Dn̄s autē fines Tyri appropinquauit, quando pro redemptione generis humani in mundum venit, quatenus ipsum genus humanum, de sorte diaboli ad sortem suam reuocaret, impleta prophetia, quæ ait: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & nō misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, & in loco vbi dictum est, non plebs mea vos, ibi enim vocabuntur filij dei. Et iterum: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et gentes quæ non exquisierunt te, ad te current. Sidon autem & ipsa à situ vel qualitate loci dicitur, eo quod ibi multitudo piscium capiatur. Nam Phœnices sidon pisces appellant. Ibi etiam preciosissimi vitri copia reperiri traditur. Interpretatur autem in nostra lingua, inutilis venatio. Significat & ipsa genus humanum quod ante incarnationem domini à diabolo inutiliter venabatur. Sicut enī venator cum rapacissimis canibus bestiam persequitur, eiꝰ carnes cupiens lacerare: sic diabolus ante incarnationem eius genus humanum persequebatur, vt animam ipsius ad interitū mortis pertraheret. Sed dominus fines Sidonis appropinquauit, vt genus humanum de inutili venatione diaboli ad vtilem pertraheret, ꝑ eos scilicet venatores, de quibus per Prophetam dicitur: Mittam piscatores meos, & piscabuntur eos: venatores, & venabunť de omni mōte, & de omni colle. Cum autem dominus relictis scribis & pharisæis in fines Tyri & Sidonis secessit, ipso nimirum situ corporis demonstrauit Iudæos propter perfidiam relinquendos, & gentes ad fidem vocandas, iuxta illud quod ipsis Iudæis non credentibus alibi ait: Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius, quod protinus manifestatur, cum subinfertur:

3.Reg.5. Ieze.27 Osee.2 1.Pet.2. Iere.16. Matt.21

Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa.

Mulier ergo Chananæa, mulier gentilis, de stirpe Cham, qui maledictionem promeruit, orta, quam etiam alius euangelista Syro [Mat. 7.] phœnissam appellat, post dominum clamat, quia non venerat ipse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Allegorice autem hæc mulier Chananæa typum ecclesiæ tenet ex gentibus collectæ. Mulier quoq; ecclesiæ comparatur, nō propter mollitiem, sed propter coniunctionem viri & fœcunditatē prolis, quæ ante aduentum domini infœcūda & sterilis permansit, sed domino veniente, cōiuncta sibi ecclesia, spirituales filios gignere [Isai. 54.] cœpit, impleta prophetia quæ ait: Lætare sterilis quæ non paris. Hæc est enim illa mulier, de qua per Salomōem dicitur: Mulierem [Prou. 31] fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus precium eius. De qua etiam dominus figurate in euangelio loquitur: Simile est re- [Matt. 13.] gnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Et iterum: Mu- [Iob. 16] lier eum parit tristitiam habet, quia venit hora eius. Hæc autem mulier tot quotidie spiritualiter filios parit, quot fideles per vndā baptismatis & gratiam spiritussancti regenerat Notandum autem quod mulier primum à finibus suis egressa, post dominū clamasse dicitur, quia nisi ecclesia prius pristinos errores anathematizasset, ad notitiam dei peruenire non posset. Ordo nanq; necessarius exposcit, vt prius vitijs & criminibus abrenunciet, qui virtutes accipere desiderat, vt Psalmi- [Psal. 33] sta: Quis est homo qui vult vitam diligere & videre dies bonos? prohibeat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinat autem à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam. Sed quid clamat audiamus:

Miserere mei domine fili Dauid.

In quibus verbis, breuiter quidē, sed pleniter catholicam fidem comprehendit. Nam sic deum credidit, vt hominem non negaret: sic hominem confitetur, vt eundem verū deum credat. Verum enim deum credidit, cum dixit: ⌊Miserere mei.⌋ Verum hominem cū adiunxit: ⌊fili Dauid.⌋ Filium Dauid vocat quia de stirpe Dauid saluator noster carnem assumpsit, dicente Apostolo: Qui factus est [Roma. 1.] ei ex semine Dauid secundum carnem. Et ꝓ- [Iere. 23] pheta: Ecce dies veniunt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustū, & regnabit rex & sapiens erit. Cum enim mater pro filia dominum supplicauit, dicens:

Filia mea a dæmonio uexatur.

Manifestauit quia illi qui prius ex gentibus crediderunt, pro liberatione eorum, qui adhuc in errore detinebantur, preces ad dominum fuderunt. Sicut enim superius diximus, mater ecclesiam significauit, filia quoq; eius vnamquanque peccatricem præfigurauit animam. Quæ male à dæmonio vexatur, quando in integro corpore vitijs & criminibus subiacet, qualia sunt adulterium, furtum, homicidium, rapina, sacrilegium, & his similia Rogauit ergo mater pro filia, quia ecclesia pro correctione eorum. Qui peccatis & vitijs subiacent, solicite inuigilat, aliquando suadendo, aliquando exhortando, aliquando eam acrius increpando, aliquando orationis opem impendendo. Nec solum magistri sibi subiectis correctionem impendere debent, sed etiam orationem, vt quos non possunt sermonibus corrigere, saltem orationibus possint iuuare, velut faciebat Apostolus qui quorundam discipulorum lapsum, suum reputans, dicebat: Quis infirmatur, & ego [2. Cor. 11] non infirmor? Et iterum: Filioli, quos iterum [Gala. 4.] parturio, donec formetur Christus in vobis.

Qui non respondit ei uerbum.

Non est hoc ex supercilio scribarū & pharisæorum, quod dominus mulieri clamanti non respondit, sed varias ob causas ei primū respondere distulit, cui postmodum non solum responsum dedit, sed etiam hoc quod petebat benigne tribuit. Primo, vt constantia mulieris probaretur, vtrum in prece perseueraret, an non. Secundo, vt occasionem non credendi Iudæis auferret, ne forte dicerent: Christus nobis promissus est, & iste gentes docet, gentes curat, & ideo nolumus credere in ipsum. Tertio, vt animos discipulorum ad misericordiam prouocaret. Sed absit, vt absq; misericordia eos fuisse credamus, qui cum autore misericordiæ gradiebantur. Quorum animos ad misericordiam commotos euangelista manifestat, cum subiunxit:

Et accedentes discipuli rogabāt eū.

Rogauerunt eum tūc discipuli pro muliere Chananitide, postea vero pro ecclesia ex gentibus vocata, qui non solum vsq; ad mortem se tradiderunt, sed etiam oratiōibus eam domino commendauerūt (sicut Paulus Apostolus quosdam discipulos relinquens, dicebat: Commendo vos deo & verbo ipsius) dicentes: Dimitte eam. Quod est dicere: Dimitte peccata & dona virtutes.

Quia clamat post nos.

Mulier post apostolos clamauit, quia ecclesia non solum eorum doctrinā diligit, sed etiam actiones imitatur. Post apostolos autem clamare, est illorum vestigia sequi.

Ipse aūt rñdēs ait: Nō sum missus nisi ad oues q̄ perierunt domus Israel.

Quæritur autem quare dicat, non sum mis-
sus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel,
cum alibi dixisse legatur: Et alias oues habeo,
quæ nō sunt ex hoc ouili, & illas oportet me
adducere, & vocem meam audiēt, & fiet vnū
ouile & vnus pastor. Ad quod dicendū, quia
de præsentia sua corporali dixit: qm̄ neminē
gentilium per semetipsum docuisse legitur,
exceptis duobus diebus in Samaria, vt occasi
onem non credendi (sicut supra dictum est)
Iudæis auferret. Tamē cum inter Iudæos am
bularet, doceret, signa faceret, salutem genti-
um futuram prædicabat, dicens: Et alias oues
habeo, quę non sunt ex hoc ouili. Et alibi: Ma
los male perdet, & vineam suam locabit alijs
Mat.21. agricolis. Et ideo qui prius dicebat, in viam
Mat.10. gentium ne abieritis, & in ciuitates Samarita
Marc.16 norum ne introieritis, postea dixit: Euntes in
mundum vniuersum, prædicate euangelium
omni creaturę. Quod impletum est post eius
ascensionem, ad apostolorum prædicationē.
Quod ergo non fecit corporaliter, post resur
rectionem per discipulos adimpleuit spiritu
aliter. Sed illud prætermittendum non est, q̄-
re dixerit, non sum missus nisi ad oues quę pe
rierunt, cum hi qui perierunt, potius in hœ-
dorum, quàm in ouium numero computen-
tur. Ad quod dicendum, quia quos perditos
suo merito dominus inuenit, eos oues gratiæ
suæ esse fecit, de quibus per apostolum Petrū
1.Pet.2. dicitur. Eratis sicut oues errantes, sed cōuer-
si estis nunc ad pastorem & episcopum anima
rum vestrarum. In quo errore se nouerat, qui
Psal.118. dicebat: Erraui sicut ouis quæ perijt. At illa
mulier, quæ antea repudiata fuerat, nec audi-
ta, postquam discipulos pro se rogantes audi
uit, tandem resumpta fiducia ad deum venit,
& adorauit eum, dicens:

Domine, adiuua me.

Quæ enim salutem requirebat, de potesta-
te non dubitabat. Qui respondens ait:

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Filij quondam Iudæ fuerunt, de quibus à
Exod.4 domino per Moysen Pharaoni dictum est:
Dimitte filium meum Israel primogenitum.
Canes vero gentiles, propter spurcitiam ido
lolatriæ. Canis quoq; in scripturis varias si-
gnificationes habet. Aliquando pro malo, ali
quando ponitur pro bono. Bonos doctores
Psal.67. significat, sicut per Psalmistam dicitur: Lin-
gua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ma-
Isai.56. los, de quibus per Isaiam dicitur: Canes mu-
Philip.3. ti, non valentes latrare. Aliquādo hæreticos,
sicut Apostolus ait: Videte canes, videte ma
los operarios, videte concisionem. Aliquādo
peccatorem falsumq; catholicū, mala sua ite-
Prou.26 rantem, sicut Salomon ait: Sicut canis reuer-
titur ad vomitum suum, sic stultus ad stultiti
am suam. Aliquando Iudæos, sicut per Psal-
mistam dicitur: Circunciderūt me canes mul Psalm.21
ti. Aliquando gentiles, sicut in hoc loco, vt su
pra dictum est. Non est bonum sumere pa-
nem filiorum, & mittere canibus. Acsi dice-
ret: Non est bonum, vt doctrinę panis à filijs,
id est, à Iudæis, quia ab initio deum coluerūt
& adorauerunt, subtrahatur, & vobis genti-
bus, qui multis spurcitijs & idolis deseruistis,
detur. Quod prudenter mulier intelligens, ta
literq; se humilians, dixit:

Etiam domine.

Ac si diceret: Scio dn̄e & credo, qa ita est,
non eīm sumus digni post idolorū culturā, pa
nem filiorum accipere: sed quia in mundū di
gnatus es venire, extende sinū misericordiæ
tuæ vsq; ad colligendas gentes, vt in quibus
abundauit peccatum, superabūdet gratia tua, Rom.5.
fiatq; per misericordiam tuā possibile, quod
per nostrum meritum est impossibile.

Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorū.

Vt qui magna capere non possumus, saltē
de minimis & superfluis pascamur, s. qui non
sumus digni mensæ filiorum participari, sal-
tem de micis, quæ cadunt de mensa domino-
rum suorum, nutriamur. Mensa autem in hoc
loco scripturam sacram significat, quæ pro ca
pacitate auditorum varios habet cibos & ap-
paratus verborum, panem vitæ nobis mini-
strans, de qua per prophetam dicitur: Parasti Psal.22.
in conspectu meo mensam, aduersus eos qui
tribulāt me. Mica vero, quæ interior pars pa
nis est, spiritualem intelligentiam in scriptu-
ris designat. Catelli ergo edunt de micis: quę
cadunt de mensa dominorum suorum, quan-
do gentiles conuersi, apud semetipsos spiritu
alem intelligentiam requirunt, quā Iudæi ac-
cipere noluerunt. Quod dn̄s intelligere pru-
dentem mulierem conspiciens, respondit illi:

O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia illius ex illa hora.

Vbi considerandum, quia ad petitionē ma
tris filia illius à dæmonio liberata est, vt intel
ligamus, quia paruuli in baptismo qui loqui
non possunt, fide parentum ab originali pec-
cato per baptismum soluuntur. Huius quoq;
fidem, sicut centurionis, dominus admiratus
est, cui dixit:

Amen dico uobis, non inueni tantā fidem in Israel.

Et ideo quia fidem habuit hæc mulier, sta-
tim effectū sanitatis filia cōsecuta est. Tres nā-
q; virtutes principales in verbis siue operib⁹
huius mulieris cognoscimus, fidem, constan-
tiam, atq; humilitatem. Fidem habuit, quia

cum esset gentilis, salutem filiæ suæ à domino se impetrare posse nõ dubitauit. Constantiam, quia cum esset repudiata, tandiu in prece perseuerauit, quousq; quod petebat acciperet. Humilitatem, quia cum à domino canib9 esset comparata, ipsa de se humilius sentiens, catellis se coæquauit. Imitemur ergo & nos hanc mulierem, quæ prima de gentibus credẽdo, mater nostra in fide effecta est, qui ex gẽtilitate venimus. Habeamus fidem, vt vnum deum credẽtes, quicquid iuste ab eo petimus, nos impetrare posse credamus, iuxta promissionem illius dicentis: Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Et iterum: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic monti, trãsi hinc, & transiret. Iustus enim (vt ait scriptura) ex fide viuit, & sine fide impossibile est placere deo. Habeamus constantiam, vt si diuina dispẽsatio preces nostras tardius exaudierit, tam diu preces precibus iungamus, quousq; hoc quod petimus impetremus, dicẽtes ei cũ Psalmista: Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es deus saluator meus, & te sustinui tota die. Sicut enim paterfamilias dormit, & tamen si nostris precibus excitatus respõderit, nolite mihi molesti esse, iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nõ possum surgere & dare vobis: si tamen instantissime nos viderit petẽtes, & si nõ dederit surgẽs eo quod amicus noster sit, ꝑpter importunitatem tamen surget, & dabit nobis quotquot habemus necessarios. Iubet enim in prece persistere, qui vult accipere, vsque ad cornu altaris, id est, vsq; ad fidem, dicente Psalmista: Constituite diem solẽnem in condensis vsq; ad cornu altaris. Et si ad impetrandum quod petimus, nos idoneos esse nõ sentimus, spiritualium fratrum orationes ad adiutoriũ quæramus, vt sicut ista mulier, apostolis pro se interuenientibus, quod petebat promeruit, ita nos cõmunibus precibus magis quã proprijs & singularibus adiuuari credamus. Habeamus humilitatẽ, vt alijs de nobis maiora existimantibus, nos minimos iudicemus, in exemplo huius mulieris Chananitidis, quæ à dño canibus comparata, ipsa se catellis comparauit. Hanc humilitatem habebat in corde, q despectus ab alijs dicebat: Ludã & vilior fiam plus q̃ factus sum, & ero humilis in oculis meis. Hinc etenim sapiens dixit: Quãto magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam. Iam superius per filiam huius mulieris, vnamquanq; animam peccatricem significari diximus. Quãuis nec anima sine carne, nec caro sine anima peccare possit, tamen sunt quędam vitia quæ specialiter ad carnem, quædam vero ad animã pertinere videntur. Furtum quippe, adulterium, homicidium, fornicatio, ebrietates, sacrilegium, & his similia ad carnem pertinẽt: at vero, inuidia, ira, superbia, odiũ, rancor, dolus, vana gloria, simulatio, & his similia ad animam. Siue ergo animam, siue carnem contigerit in his vitijs commaculari, à finibus suis egrediatur, i. præterita peccata dãnando postponat, carnis desideria mortificet, voluntates proprias frangat, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis & orationibus insistat, & tandiu in prece perseueret, quoadusq; à domino cum muliere Chananæa audire mereatur:

Mar. 11. Mat. 17. Heb. 2. Psal. 24. Psal. 117. 2. Re. 6. Eccl. 3.

Magna ẽ fides tua, fiat tibi sicut uis.

Sed illud non est prætermittendum, quod mulier hæc pro filia rogans, qntodecimo miraculo introducitur. Numerus enim iste sacramentis ecclesiæ arridet, propter mysteriũ hebdomadis & ogdoadis: cõstat vero ex septem & octo. Nam quartodecimo die post egressionem de Aegypto, populus Israeliticus pascha iussus est celebrare. Quindecim cantica graduum in psalterio legimus, q̃ sunt ab, Ad dominum cum tribularer, vsq;, Ecce nunc benedicite dominum. Quindecim anni Iezechiæ ad vitam sunt adiuncti. Quindecim diebus Paulus cum Petro se mãsisse testatur, conferens euangeliũ quod prędicaturus erat gentibus, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Septem ergo ad dona septem spiritus sancti pertinent, octo ad resurrectionem. Et quia ecclesia per septiformem gratiam spiritussancti illuminata, didicit resurrectionem credere, sperare & amare, recte quintodecimo loco pro filia rogatura introducit. Et q̃a ecclesia zelo diuini amoris accensa, præsentẽ vitam didicit contemnere & æternam diligere, recte Chananæa dicitur. Chana quippe, zelus interpretatur. Psal. 119. Psal. 133.

FERIA SECVNDA POST Reminiscere. Iohannis VIII.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Ego uado, & quæretis me. Et reliqua.



Go vado, inqt, & quæretis me, non desiderio, sed odio. Nam illum posteaq̃ abscessit ab oculis hoim, inquisierũt, & q oderãt, & q amabãt: illi psequendo, isti habere cupiendo. Bonum est animam Christi quærere, sed quomodo eam discipuli quæsierunt: & malum quærere animam Christi, sed quomodo eam Iudæi quæsierũt: illi, eum vt haberent: isti, vt perderet. Deniq; isti, quia sic quærebant mori malo corde & peruerso, quod secutis adiunxit:

Quęretis me.

Et ne putetis, quia bene me quæretis,

In peccato uestro moriemini.

Hoc est, Christum male quærere, in peccato suo mori. In peccato suo moritur, qui in peccato permanet vsq; ad mortem. Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ per pœnitentiam non quærit, ad quem propheta clamat: Quærite dominum dum inueniri potest. Modo qui misericordem, dum tempus habet non quærit, inueniet eum iratum. Iudæis dixit, In peccato vestro moriemini, quia præsciebat eos in peccato suo pmanere. Singulari dixit numero, in peccato, & plurali, vestro: quia omnibus illis, ad quos loquebatur, vnam esse voluntatem sciebat, æqualem maliciam perdendi eum, qui saluare eos venerat. Alio vero loco discipulis dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire: non abstulit eis spem, sed prædixit dilationem. Quando eñi hoc discipulis dominus loquebatur, tunc non poterant venire quo ille ibat, sed postea venturi erant: isti autem nunquam, quibus præsciens dixit, ⌊In peccato vestro moriemini.⌋ His autem auditis verbis, quomodo solēt carnalia cogitantes, & secundum carnem iudicātes, & totum carnaliter audientes & sapientes dixerunt:

Isai. 55. Iohā. 13.

Nūquid interficiet semetipsum, quia dicit, quo ego uado, uos non potestis uenire?

Stulta verba & omnino insipientiæ plena, quid enim non poterant illo venire, quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum? Nunquid ipsi non erant morituri? Quid est ergo, ⌊Nūquid interficiet semetipsum,⌋ quia dixit, ⌊quo ego vado vos non potestis venire,⌋ si de morte hominis diceret, quis hominum nō moritur? Ergo quo ego vado, dixit, non quo itur ad mortem, sed quo ibat ipse post mortem. Illis itaq; non intelligentibus ista, respōdit eis dominus qui terram sapiebant.

Vos de deorsum estis. ideo terram sapitis: quia sicut serpens terram manducatis, terrenis pascimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum cor non habetis.

Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mūdo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

Quomodo ergo non erat de hoc mundo, per quem factus est mundus, & semper vbiq; est? Sed omnes de mūdo, sed prius mundus, postea homo. Sed Christus ante mundum, ante Christum nihil, q in principio erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt: sic enim erat ille de supernis. De quibus supernis? Ab ipso patre, nihil illo superius, quia verbū genuit æquale sibi, coæternū sibi, vnigenitū sibi, sine tēpore, p quē cōderet tpa. Ideo Christus ante oēs creaturas, & ante omnia tempora, quia de patre coæternus patri genitus est.

Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo uobis, qa moriemini in peccatis uestris.

Exposuit nobis quid intelligi voluit, vos de hoc mūdo estis. ideo quippe dixit, vos de hoc mundo estis, quia peccatores erant, quia iniqui erant, quia infideles erant, quia terrena sapiebant. Nunquid apostoli & sancti dei de hoc mundo non erant? Erant siquidem, quia de Adam nati sunt, sed ipsa veritas de eis ait: Ego elegi vos de mundo, id est, de carnali cōuersatione, quæ mundi nomine in hoc loco significari videtur. Quia ergo erant de mundo, facti sunt non de mūdo, sed pertinere cœperunt ad eum, per quem factus est mundus. Isti autem remanserunt esse in mūdo, quibus dictū est: ⌊Moriemini in peccatis vestris.⌋ Nemo dicat, de hoc mundo non sum. Quisquis es o homo, de hoc mundo es, sed venit ad te qui fecit mundum, & liberabit te de hoc mundo. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus: si autem non delectat te hic mūdus, iam tu eris mundus, & non audies quod Iudæi audierunt, ⌊moriemini in peccato vestro.⌋ Et qui plus peccat, plus est in mundo, & plus est immundus. Et quanto se quis mūdat a peccato, tanto se eleuat de mundo non esse. Merito audierunt Iudæi, ⌊moriemini in peccatis vestris,⌋ quia non habere peccatum nullo modo potuistis, qui cum peccato nati estis. Sed tamen si in me (inquit) credideritis, quamuis cum peccato quidem nati estis, sed in peccato vestro morituri non estis. Adiunxit enim dicens:

Iohā. 15.

Si nō credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis uestris.

Ergo si credideritis, quia ego sum, nō moriemini in peccatis vestris. Reddita spes ē desperātibus, excitatio facta est dormientibus: Cordibus euigilauerunt, inde plurimi crediderunt, sicut euangelij ipsius cōsequentia testatur, vbi ait:

Hæc illo loquente, multi crediderunt.

In hoc ergo populo cui dominus loquebatur, erant qui in peccato suo fuerant morituri, erant etiam qui in ipsum qui loquebatur, fui erant credituri, & ab omni peccato liberandi. Tamen hoc attendite quod ait dn̄s Christus: ⌊Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.⌋ Quid est, si non credideritis quia ego sum? quia nihil addidit, multum est quod commendauit. Dixit ego sum, & non addidit quid, siue Christus, siue filius dei, siue ille quem prophetæ prædixerūt, siue

saluator mundi, siue aliud aliquid quod de eo in scripturis legitur. Multū est quod ait, ego sum, quia dixerat deus Moysi, ego sum qui sum. Eodem modo verbum essentiæ sempiternæ vsus est ad populum Iudæorum, quo
Exod.3. tunc ad Moysen per angelum in rubo flammæ ignis, quē missurus erat ad liberandū populum suū. Quid est quod hic dixit, ego sum, nisi ille ipse qui tunc in angelo mittere Moysen seruum meum ad liberandum populum meū destinaui, ego ipse mō per meipsum veni incarnatus, homo fact⁹, liberare homines, quos creaui, qui perditi fuerāt? Quicquid enī aliquando mutari potest vel in melius, vel in deterius, quodammodo ex eo quod fuit ante, incipit aliud esse, vel aliter esse quam fuit. Solus vero deus semper idem est, immutabilis veritas, immutabilis, sempiternus, immutabilis natura, immutabilis substātia, & quicquid de eo dici potest, semper idem est quod fuit & erit. Prorsus nihil aliud melius videretur in loco, in hoc verbo quod ait dominus, ego sum, nisi ego sum deus, moriemini in peccato vestro. Sed illi semꝑ terrena sapientes, & semper secundum carnē audientes & respondentes, quid ei dixerunt audiamus.

Tu quis es?

Non enim cū dixisti, nisi credideritis quia ego sum, addidisti quis esses. Quis es, vt credamus? Et ille:

Principium. Ecce quod est principium, mutari non potest, principium in se manet & innouat omnia. Principium cui dictum est: Tu aūt idem ipse es, & anni tui nō deficient. Principiū (aitq̧) & loquor vobis. Rñdit, principiū me esse credite, & addidit, q̄ & loq̄r vobis. i. quia humilis propter vos factus, ad ista verba descendi. Nam si principium, sicuti est, ita maneret apud patrem, & nō acciperet formam serui, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cū infirma corda intelligibile verbum sine voce, sed sensibilia videre non possent? Ergo (inquit) credite me esse principiū, quia vt credatis non solum sum, sed & loquor vobis. Verba domini nostri Iesu Christi, quæ habuit cum Iudæis, ita moderant loquelam suam, vt cæci non viderent, & fideles oculos aperirent. Dicebant ergo Iudæi: Tu quis es? Et ait: principium qui & loquor vobis. Quare se dicit dominus Iesus principium? Quia oīa per ipsum facta sunt,
Psal.107 Ipse enim est dei sapientia, sicut Psalmista dicit: Omnia in sapientia fecisti. Si igitur oīa in sapientia fecit deus, id est, in filio suo coæterno sibi & consubstantiali, filius vtiq̧ oīm principium est. Nunquid & pater potest dici principium? Vtiq̧ rectè dicitur & pater principium, non tamen duo principia, sicut pater deus, & filius deus, non tamen duo principia, sed vnum principium faciendum est. Ergo & spiritussanctus principium est, non tamen tria principia, pater & filius & spiritussanctus, sed vnum principium: sicut pater deus, filius deus, spiritussanctus deus, nō tamen tres dīi, sed vnus deus: sicut pater omnipotens, filius omnipotens, spiritussanctus omnipotens, nō tamen tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Id enim quod pater ad se est, deus est: quod ad filium est, pater est. Quod filius ad seipsum est, deus est: & quod ad patrem est, filius est: & spiritussanctus quod ad se est, deus est: quod patrem & filium, spiritussanctus est, quia patris & filij spiritus est, ex patre & filio procedens, vnius substantiæ, potestatis & maiestatis cum patre & filio.

Multa (inquit) habeo de uobis loqui & iudicare. Iohan.8.

In alio loco vero dixit: Ego non iudico quenquam, præsentem ei ostendens aduentum, quo venit saluare, non iudicare, quia venerat vt saluaret mundum, non vt iudicaret mundum. Quod autem nūc dicit, multa habeo de vobis loqui & iudicare, iudicium futurum dicit. Ideo enim ascendit, vt veniat iudicare viuos & mortuos. Nemo iustius iudicabit, quàm qui iniuste iudicatus est. Multa habeo inquit loqui & iudicare de vobis, sed qui me misit, verax est. Videte quemadmodum patri det gloriam, æqualis filius patri. Exemplum enim præbens nobis gloriam dare deo, gloriam dei quærere, non nostram. Quasi diceret, o homo fidelis, si ego filius patris, æqualis patri, consubstantialis patri, coæternus patri, do gloriam ei à quo sum, quomodo tu superbus es apud eum cuius es seruus? Multa, inquit, habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui me misit, verax est. Tanquam diceret, ideo verū dico, quia filius veracis veritas sum. Pater verax est, filius veritas. Ait enim apertissime ipse dominus: Ego sum via & veritas & vita. Ergo si filius veritas, pater quid, nisi quod ait veritas. Qui me misit, verax est? Filius veritas, pater verax. Sicut à patre filius, ita à veraci veritas. Pater verax est, sed non à veritate: filius veritas, sed à patre qa filius à patre, non à seipso, & ideo ait alio loco: A meipso non veni, id est, à meipso non sum. Pater vtique verax est, non à participando veritati, sed generando veritatem. Quia pater genuit filium, qui de ipso ait: Ego sum via & veritas & vita. Cum autem dixisset dominus Iesus, verax est q̄ me misit, non intellexerunt illi q̄d de patre eis dicebat. Nec. dū enī habuerūt oculos cordis aptos, vt intelligere possent æqualitatē veracis & veritatis. Iohā.14

Dicebat ergo eis: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis qa

ego sum,& a meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor.

Quid est hoc? Nihil enim aliud videtur dixisse, nisi eos post passionem suam cognituros quid esset. Proculdubio ergo videbat ibi aliquos, quos ipse cum cęteris sanctis suis ante mundi constitutionem præsciendo elegerat, post passionem suam esse credituros. Ipsi sunt illi, quos assidue cōmendamus, & ad imitationem cum magna exhortatione proponimus. Misso autem spiritusancto post domini passionem & resurrectionem & ascensionem, cum miracula fierent in eius nomine, quem tanquam mortuum persequētes Iudæi contempserunt, cōpuncti sunt corde. Et quē sæuientes occiderunt, & cuius sanguinem sæuiendo fuderunt, credendo biberunt illa tria millia, & illa quinq; millia Iudæorum, quos ibi videbat, quando dicebat: ⌊Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.⌋ Tanquam diceret, differo cognitionem vestram, vt impleam passionem meam, ordine vestro cognoscetis qui sim. Non quia omnes tunc erant credituri, ex his q̄ audiebant, id est, post domini passionem. Nam paulo ante dicit: Hæc eo loquente, multi crediderunt in eum, & nondum tamē exaltatus erat filius hominis. Exaltationem quippe dicit passionis, non glorificationis: crucis, non cæli. Nam ibi exaltatus est, quando pependit in ligno, sed illa exaltatio, hūiliatio fuit. Tunc enim factus est obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter exaltauit illum deus & cæt. Altera exaltatio fuit, quando eleuatus est in cruce: altera, dū ascendit in cælum. Illa humiliationis, ista glorificationis. Exaltatio vero crucis oportebat impleri per eorum manus, qui postea fuerant credituri, quibus dicit: ⌊Cum exaltaueritis filium hominis.⌋ addidit. ⌊tunc cognoscetis quia ego sum.⌋ Quid est ego sum, nisi vnius substantiæ cum patre? sicut ad Moysen superius diximus dictum esse. Ego sum qui sum. Verbo substantiali vtitur de seipso dominus, vt intelligatur æternā esse substantiam, & vnam esse substantiam patris & filij. Tamen ne ipse intelligeretur pater, continuo adiunxit. ⌊Et à me ipso facio nihil.⌋ id est, à me ipso non sum. Quod autē addidit, ⌊sicut docuit me pater, hęc loquor.⌋ sensus altissimus est. Cor enim mundandum est, vt intelligatur quod ait, ⌊sicut docuit me pater, sic loquor.⌋ Non enim ita intelligendum est, quasi homo pater homini filio loqueretur, sed excellentius & sacratius. Aliter vero intelligendum est, quod ait Euangelista. In principio erat verbum, & aliter intelligendum, Verbū caro factum est. Aliter de diuinitate Christi, in qua æqualis est deo patri, aliter de humanitate eius, in qua consimilis est nobis, cogitandum est. Non vno modo intelligendum est,
quod ait dominus. Ego & pater vnum sumus: Ioh.4.10
& illud quod dixit. Pater maior me est. Ergo non corporaliter cogitate, pater locutus est filio, quia incorporaliter pater genuit filium. Nec enim sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse. Et hoc est, docuit me pater, quod scientem me genuit pater. Si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet quod nouerit, à quo habet, vt sit, non vt prius ab illo esset, postea ab illo nosset, sed quemadmodum illi gignendo dedit, vt nosset. Quia simplicis (vt dictum est) naturæ veritatis est esse, & nosse non est aliud atq; aliud, sed hoc ipsum. Dixit ergo ista Iudæis, & addidit:

Et qui me misit, mecum est.

Iam hoc & ante dixerat, sed rem magnam assidue commemorat, misit me, & mecū est. Si ergo tecum est o domine, nō vnus ab alio missus est, sed ambo venistis. Et tamen cum ambo similes sint, vnus missus est, alter misit: quoniam missio est incarnatio, ipsa incarnatio filij tantum est, nō & patris. Misit itaq; pater filium, sed non recessit à filio. Ergo, inqt,

qui me misit, non reliquit me solum.

Cuius autoritate tanquam paterna incarnatus sum, mecū est, nō me dereliquit. Quare me non dereliquit?

Quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Ipsa est ęqualitas semper, non quodam initio & deinceps, sed sine initio, sine fine. Dei enim generatio & deinceps, sine initio, sine fine. Dei enim generatio non habet initium tēporis, quia per genitum facta sunt tempora.

FERIA TERTIA POST Reminiscere. Matthæi XXI.

In illo tēpore: Dixit Iesus turbis Iudæorū parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios. Et reliqua.



Omo iste paterfamilias qui duos filios legitur habuisse, omnipotēs deus est, paterfamilias & cōditor duorum populorum. Prior filius, gētilis est populus, qui in Noe & filijs eius exordium sumpsit, qui prior dicitur, quantum ad antiquitatem pertinet: cui dedit dn̄s per legem naturalē præceptū, vt operaretur vineā suam, dicens: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Et, Omnia q̄ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite
illis. Ille quidem primum in vinea domini la Matt. 5.

borare contempsit, sed postmodum in aduentu domini pœnitẽtia commotus, ad opera iudicij conuersus est. Alter vero filius Iudaicus populus fuit, cui dominus dans legem ꝑ Moysen, operari præcepit in vineam suam.

Et respondit eo domine.

Ait enim: Quia quæcunq; præceperit nobis dñs, faciemus & obedientes ei erimus.

Et non iuit.

Quia cũcta quæ stabilia esse promisit, mẽtitus est.

Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? Dicunt: Primus.

Sua sententia condemnantur Iudæi. Primus etenim filius, id est, gentilis populus, voluntatem patris fecit, qui primum quidem errauit, postmodum per pœnitentiam semetipsum correxit. Quidam autẽ interpretantur hanc parabolam nõ super duos populos, sed super iustos & peccatores. Publicani eñ & peccatores, qui primum mandata dei respuerunt, postea prædicante Iohanne eum acceperunt, & baptismo illius sunt mũdati. At cõtra scribæ & pharisæi, qui de falsa iustitia sibi applaudebant, dum baptismum Iohannis ꝑcepere despexerunt, inobedientes diuinorum præceptorum extiterunt. Vnde & dominus in conclusione istius parabolæ subiunxit:

Quia publicani & meretrices præcedent uos in regno dei.

Regnum dei possumus intelligere sacram scripturam, iuxta quod alibi dicit: Auferetur
Mat. 21. à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ad hoc regnum dei publicani & meretrices. i. gẽtiles præcesserũt Iudęos.

FERIA QVARTA POST Reminiscere. Matthæi XX.

In illo tempore: Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam. Et rel.



Rebro dominus iam superius passionem suam pr̨edixerat, & tempus & locum & modũ etiã suæ passionis. Quid ergo est ꝗd iterum repetit? Sed quia multa interlocutus fuerat, & poterat memoria suæ passionis à mẽtibus discipulorum suorum elabi, ideo repetit sæpius de contumelia passionis suæ, vt & pararet animas illorum ad tentationem, vt venientes Hierosolymam, tanto minus terrerentur, quanto sæpius id à domino prædictum esse meminissent.

Et accessit ad eum mater domini filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.

Mater filiorum Zebedęi, matertera fuit saluatoris, mater videlicet Iacobi & Iohannis. Quid autem pertinuit ad hãc mulierem, vt cũ audierat à dño contumeliam & pœnã passionis, ab illo gloriam & dignitatem peteret filijs suis? Nihil enim prædixerat de gloria regni, sed solũmodo de supplicio passionis. Sed forsitan incitata est ad petendam dignitatem filijs suis, ꝙ intellexerat sermonem domini, quem dixit, quod post tertia die resurrecturus esset. Putabat enim iuxta Iudæorum fabulam, quod dominus post resurrectionem suam per mille annos esset regnaturus in terra corporaliter, & dignitatem terrenam suis electis esset distributurus. Hęc ergo feruore muliebri incitata ad dñm accessit, vt post resurrectionem suam daret filijs suis potestatem sedendi, vnum à dextris, & alterum à sinistris.

Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis.

Mater quidem petierat, sed dñs discipulos increpauit, quia intellexit per potentiam suæ diuinitatis petitionem, quam mater ei attulerat, ex suasione filiorum descendisse. Et nihil mirum est, si dñs his duobus discipulis dicat, Nescitis quid petatis, cum de Petro apostolo euãgelista dicat, quia nesciebat ꝗd diceret.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?

Calicis nomine & baptismi, sicut alius euangelista ponit, passionem designat. Vnde ꝑ Psalmistam dicitur: Quid retribuam domino
pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem sa Psal. 115.
lutaris accipiam. Et mox subiũxit quid esset calix salutaris, dicens: Preciosa in conspectu dñi mors sanctorum eius. Baptismo etiã plerunque passio designatur, sicut dñs dicit: Baptismate habeo baptizari. i. passionem habeo sustinere. Interrogat ergo domin⁹, si possent calicem bibere, quem ipse bibiturus erat. i. si eandem passionem possent ferre, quã ipse passurus erat pro illis. In quibus verbis aperte ostendit, quia prius sustinetur supplicium, ac deinde peruenitur ad regnum.

Calicem quidem meum bibetis, id est, passionem meam sustinebitis. Quod quærẽdum est, quomodo intelligatur. De Iacobo vero quod ipse domini calicem biberit, nulla dubitatio est, quia ab Herode capite truncatus est. De Iohanne vero dubium est, cum ipse per martyrij pœnam vitam hanc non finierit. Sed ipse licet per effusionem sanguinis de hoc seculo non transierit, tamen calicem ipse saluatoris bibit. Quia ipse à Domitiano impijssimo imperatore in feruentis olei doliũ

missus, & venenum ante principem bibit, & illæsus permansit, necnon etiam cum reliqs apostolis flagellatus legitur. Et licet per pœnam & effusionē sanguinis vitam nō transierit, tamē calicem passionis bibit, quia animus & voluntas illius ad passionem perferendam semper paratus fuit.

Sedere autē ad dexteram meā siue ad sinistram, non est meum dare uobis.

Considerandum quod dicit, ⌊non est meum dare vobis.⌋ Vobis videlicet superbis & cupidis vanæ gloriæ. Et est sensus: Regnum dei non est dantis, sed accipientis. Non enim possunt accipere regnū dei tales, quales vos estis, sed quales vos esse debetis. ⌊Non est meū dare vobis⌋ .i. superbis & elatis. Estote ergo vos primum humiles, & sic ad dignitatem regni peruenietis. Præparate vos tales, vt sitis apti regno cælorum. Volunt aūt quidā doctores, concessum esse his discipulis q̄d petierāt, vt vnus sederet ad dexteram dn̄i, & alter etiam ad sinistram. Cum enim Iacobus per decollationē martyrij cælestia regna penetrauit, quasi ad dexterā domini sedit. Quia Iohannes euangelista per multū tempus vltra cæteros apostolos ad annos plurimos p̄durauit, quasi ad sinistram illius sedit. Per sinistram enim præsens vita designatur, p̄ dexteram autem cęlestis beatitudo significatur,
Canti. 2. sicut in Canticis canticorum dicitur: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Sed quibus paratū est a patre meo.

Humilibus videlicet & mitibus, audienti-
Matt. 11. bus me dicentē: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Et audiētes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Et illi carnaliter petierunt, & isti carnaliter indignati sunt. Et tamen apostoli non cōtra matrem indignantur, quæ filiorum petitionē attulit, sed cōtra filios: quia intellexerunt istā petitionem ex voluntate filiorum processisse. Dominus autem mitis & humilis, nec matrē arguit cupiditatis, nec apostolos arguit inuidiæ & liuoris, sed vtrisq; proponit exemplū humilitatis, dicēs illum potius maiorem esse in regno cælorum, quicunq; se inferiorem præbuerit obsequio.

Scitis quia princeps gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter illos?

Proponit dominus exēplum de gentibus, quarum principes exercent potestatem inter eos. Et illo proposito, subiunxit:

Non ita erit inter uos, id est, nō similiter cōtendetis de principatu & gloria, sicut gētes.

Sicut non uenit filius hominis ministrari, sed ministrare.

Hoc est, non venit filius hominis vt in hoc mundo honores & dignitates quæreret, sed vt ipse potius alijs ministraret. Proponit dominus semetipsum in exemplum humilitatis. Quid ministrauit dominus apostolis suis? Victum & vestimentū, & cætera necessaria corporis, & prædicationem verbi diuini, & ad vltimum intantum se humiliauit, vt crucem & passionem pro eis subiret, hoc etiam & nobis ministrauit. Vnde & dominus dicit:

Et dare animā suam redemptionem pro multis.

Non dixit pro omnibus, sed pro multis, quia videlicet dominus pro omni genere humano licet crucem subiret, his duntaxat eius passio profuit, qui eodē spiritu renati sunt ad vitam, quo ille cōceptus est in vtero matris.

FERIA QVINTA POST Reminiscere. Iohannis V.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Non possum ego a meipso facere quicquam; sed sicut audio iudico. Et reliqua.



FOrtasse ideo dixit, non possum à meipso facere quicquam, quasi dixisset, à meipso nō sum, sed à patre. Pater enim à nullo alio est, filius autem à patre est. Ideo dixit, ⌊sicut audio, iudico,⌋ quia vnum opus est patris & filij & spūssancti. Sicut audit iudicat. Audiet videlicet per vnitatē substantiæ & proprietatem sciētiæ. Non iudicat à semetipso, quia non est à semetipso. Pater quippe solus de alio nō est, filius à patre genitus est, vt diximus. Ab ipso enim audiet filius, à quo genitus est, quia non est à seipso, sed ab alio à quo genitus est. A quo illi est intelligentia, ab illo vtiq; & scientia. Ab illo igitur audientia, quæ nihil est aliud q̄ sciētia. Potest quoq; hoc ipsum quod dixit, ⌊sicut audio iudico⌋ de humanitatis natura intelligi, quam dei filius ex virgine sumpsit. Cū agerer de resurrectiōe aīarū, nō dicebat audio, sed video.

Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est.

Vnde est iudicium hominis? Quia sequit.

Non quæro uoluntatem meā, sed uoluntatem eius qui misit me.

Ista missio incarnatio est Christi, quæ ad hoc facta est, vt paterna volūtas in salute humani generis per eū efficeretur. Videt enī in hoc loco, ex his verbis saluatoris nostri, velle

eum insinuare nobis duas naturas in se esse, & veram habere animam, in qua sola voluntas est. Quę enim tanta coniunctione commixta est diuinitati, vt tota voluntas in ea spiritualis fuit, sed tamen non animalis, id est, carnalis. Nam consequenter subiunxit:

Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meũ non est uerũ.

Nam sicut in consequentibus dixit, Si glo- Iohan.8.
rifico meipsum, gloria mea nihil est: sed q misit me pater, ipse me glorificat: sed hic dictũ est, ⌊Si ego testimoniũ perhibeo de meipso, testimonium meum nõ est verum.⌋ Et paulopost: Qui me misit pater, ipse testimoniũ perhibet de me. Nunc in se naturam hominis demonstrans, nũc in dei maiestate æqualem se significat patri, nunc vnitatem sibi diuinitatis cum deo patre vendicans, nunc fragilitatẽ humanæ carnis ostendens, nunc doctrinam suam se non dicere suam, nunc voluntatẽ suam se non quærere, nunc testimonium suum verum non esse, nunc verum esse significans. Nam hic ait: ⌊Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.⌋ Et paulo post: Etsi ego testimonium perhibeo de me, verum est testimonium meum. Quomodo ergo non est verum testimonium eius, nisi secũdum fragilitatem carnis? Nam & illud quod dixit: Non veni facere voluntatem meam. &, Filius a se nihil potest facere, & alia multa huiusmodi, quæ oĩa non infirmant filium neq; decipiunt, nec a patre disiungunt. Siquidem & hæc ideo sunt posita, vt vera eius reluceat humanitas, sicut ex
Iob. 14. his. Ego in patre & pater in me. Et iterũ, Ego
Iohan.5 & pater vnum sumus. &, Qui me videt, videt & patrem. &, sicut pater suscitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat, vera eius diuinitas approbatur. Quia voluntas patris & filij, vna opatio, vna deniq; gratia, eademq; gubernatio est. Sed magister gẽtium docet ista, scribens: Gratia vobis & pax a deo patre nostro & domino Iesu Christo.

Alius est q testimoniũ phibet de me.

In sequentibus oñdit, quis sit ille alius, qui testimonium perhibet de se, vbi ait: Qui misit me pater, ipse testimoniũ perhibet de me. Testimonium patris est de filio in baptismo, vbi vox facta est de cælo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Simile quoq; testimonium in monte sancto perhibuit pater, audiẽtibus tribus discipulis de filio suo.

Et scio qa testimoniũ eius uerũ est.

Omne verum, a veritate verũ est. Deus eñ veritas est. Et quicquid verum est, a deo verũ est: atq; hic testimonium dixit quid sit.

Opera (inqt) quæ ego facio, testimonium perhibent de me.

Deinde adiunxit:

Et testimonium perhibet de me, qui misit me pater.

Ipsa quæ opera fecit, a patre se accepisse dicit. Testimonium ergo perhibent opera, testimonium perhibet pater, qui misit eũ. Perhibuit Iohannes testimoniũ de Christo, tanquam lucerna, non ad sanandos amicos; sed ad confundendos inimicos. Iam enim antea prædictum erat à persona patris: Paraui lu- Psal.131.
cernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Esto tanquam in nocte positus, attendisti in lucernam & miratus es lucernam, & exultasti ad lucem lucernæ. Sed illam lucernam dicit esse solem, in quo exultare debeas. Et quamuis ardeat in nocte, diem te iubet expectare. Non ergo quia illius hominis testimonium non erat opus. Nam vt quid mitteretur, si nõ erat opus? Sed ne in lucerna maneat homo, & lumẽ lucernæ sibi sufficere arbitretur, ideo nec dominus lucernã illam superfluam dicit fuisse, nec tamen dicit in lucerna debere remanere. Scrutamini (inquit) scripturam, in qua vos putatis vitam æternam habere. Ipsa testimonium phibet de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Quid vos putatis habere in scriptura vitam æternam? Ipsum interrogate, cui perhibet testimonium, & intelligite quæ sit vita æterna. Et quia propter Moysen videbantur repudiare Christum, tanquam de alia lucerna. Omnes enim homines lucernę, quia & incendi possunt & extingui. Et lucernę quidem cum sapiunt lucent, & spiritu feruent. Nam & si ardebant, extinctæ sunt & iam putent. Permanserunt enim serui dei lucernæ bonæ ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis: gratia quippe dei, gratuita illa, oleum lucernarum est. Plus enim illis omnibus laboraui, ait quædam lucerna. Et ne viribus suis ardere videretur, adiunxit: Non ego autem, sed gratia dei mecum. Omnis propheta ante domini aduentum lucerna est, de quo dicit Pe-
trus apostolus: Habeamus certiorẽ prophe- 2.Pet. 1.
ticum sermonem, cui bene facitis, intendentes quemadmodum lucernæ lucent in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Lucerna itaque propheta est, & omnis prophetia est vna magna lucerna. Quid apostoli? nonne lucernæ? Etiam ipsi lucernæ plane. Solus enim ille non lucerna. Non enim accenditur & extinguitur, sed est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De Iohanne dicitur: Non erat ille lumen, sed vt testimonium perhiberet de lumine. De Christo autem: Erat lux vera, quæ illuminat oẽm hominem venientem in hunc mundũ. Quid est quod de apostolis ipsa veritas ait. Vos

estis lux mundi, & de Iohanne euangelista. Non erat ille lumen? Nec Iohānes per se erat lucerna, nec apostoli per se lumen, sed à lumine Christo ille lucerna, & illi illuminati, qui est sol verus, oriens in corde credentium.

Ego autem habeo testimonium maius Iohanne. Opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam, ipsa opera q̄ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater me misit. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me.

Superius dixit, testimonium non accipio ab homine, hic causam dixit, quare ab homine testimonium non accepisset, quia habet testimonium patris, & operum testimonium, sed habet maius q̄ sunt hominum. Ergo hæc missio, incarnatio est Christi: incarnatio vero Christi, redemptio est nostra: redemptio ve-

Iohā. 10. ro nostra, est in ipsa veritate, quæ ait: Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeāt. Subiūxit vero huic testimonio patris, de ipso patre quod Iudæi, vel magis omnes infideles excæcatis mentibus veritatem diuinitatis nō possunt accipere, dicens:

Neq; enim uocem eius audistis unquam, neq; speciem eius uidistis, & uerbum eius non habetis in uobis manens.

Dicit Apostolus: Non enim auditores le-

Rom. 2. gis iustificati sunt, sed factores verbi dei. i. filius dei non manet in illorum cordibus, quia non seruant q̄ audiunt. Quod vero ait: Neq; vocem eius audistis, neq; speciem vidistis, in hoc ostendit substantiam diuinitatis incōprehensibilem & inuisibilem: & vocem eius nō carnalibus audire potuisse auribus, sed spirituali intelligentia per gratiam sancti spiritus intelligere vel amare, secundum q̄d vnicuiq; datum erit. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam ęternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & nō vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Non vultis venire, id est, non vultis credere, quia sine fide impossibile est deo placere. Venire nostrum ad Christum, id est, credere verum illum filium dei, & veram nos per illum habere salutem. Om̄is enim scriptura sancta testimonium perhibuit Christo, siue per figuras, siue per prophetas, siue per angelorū ministeria. Ergo & Moyses testimonium perhibuit Christo, Iohannes testimonium Christo, & cæteri prophetæ & apostoli perhibuerunt testimonium Christo. His omnibus testimonijs præponit operum suorum, quia per illos nō nisi deus perhibuit testimoniū filio suo.

Claritatē ab hominibus non recipio, id est, laudem humanam non quæro, quia nō veni ministrari, sed ministrare. i. non veni vt honorē ab hoib' acciperem carnalem, sed vt honorem hominibus darem spiritualem.

Sed cognoui uos, quia dilectionem dei non habetis in uobis.

Ideo dilectionem dei non habuerūt, quia non crediderunt in eum, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit illum. Ideo subiunxit:

Ego ueni in nomine patris mei, & non accepistis me, id est, non credidistis in me, qui ideo veniebam in mundum vt glorificaretur nomen patris.

Si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis.

Quis est qui venit in nomine suo, nisi ille, qui gloriam propriam quærit, & non alius q misit illum? Quis est quem accepturi erant Iudæi, nisi antichristum qui venturus est gloriam quærere propriam? Et hoc erit illis pœna peccati, quia noluerunt veritati credere, & credent mendacio.

Quomodo potestis uos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ est à solo deo, nō quæritis?

Considerandū intentius, quanta sit iactantiæ & humanæ laudis ambitio malum, pro q̄ ipsa veritas ait, credere non posse quosdam, quod secularis gloriæ cupidi erant. Quid est humanæ laudis cupiditas, nisi superbæ mentis elatio? Vult de se æstimari, quod in se habere non studet. Alter interius, alter foras videri desiderat. Humilitas vero gloriam quærit à solo deo, superbia ab hominib'. Inde Iohannes baptista ab ipsa veritate tam excellēter laudatus est, vt non esset arūdo vento agitata, quia non humanæ laudis, nec odiosæ vītuperationis aura flante flexibilis fuit, ideo gloriam non quæsiuit humanam.

Nolite putare, quia ego accusaturus sim uos apud patrem. Est qui accusat uos Moyses, in quo uos maxime speratis.

Ideo non accuso, quia non veni damnare, sed saluare. Moyses vero accusat, quia increduli estis voci illius.

De me ille scripsit, dum ait: Prophetam Deut. 18. vobis suscitabit dominus deus de fratrib' vestris, tanquam me, ipsum audietis. Quid vero sequatur attendite: Erit omnis anima, quæ non obedierit prophetæ illi, exterminabitur de populo dei. Si autem illius literis non creditis, quomodo meis verbis credetis? Quic-

quid enim lex & prophetæ scripserunt, per omnia Christum venturum esse designabant. Si enim Iudæi legi vel prophetis credidissent, vtiq; & Christo.

FERIA SEXTA POST REminiscere. Matthæi XXI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, & turbis Iudæorum parabolam hanc: Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit uineam. Et reliqua.



Cribæ & pharisæi, qui superius domino dixerant, In qua potestate hæc facis? audiunt per occultas parabolas, quod per apertum sermonē nō merebātur audire. Omnipotens etenim deus pater, conditor & gubernator familiarum suarum est. Vinea illius, domus Israelitica est. Hoc enim nomine solet appellari eadem gens in sacro eloquio, sicut Isaias dicit: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est mihi in loco huberi, &c. vsquequo dixit. Vinea domini sabaoth, domus Israel est. Et Psalmista ait: Vineam de Aegypto transtulisti. Omnipotens ergo deus vineam plantauit, quia eiectis de terra promissionis habitatoribus suis Chananæis, in eandem gentem Israeliticam collocauit.

Isaie. 4. *Psal. 79.*

Et sepem circundedit ei, id est, muros vrbium & custodiam angelorum.

Et fodit in ea torcular.

Torcular, significat altare. Quoniam sicut in torculari vuæ exprimuntur, ita & in altari sanguis hostiarum & victimarum effundebatur. Vel per torcular, passionem sanctorum prophetarum debemus intelligere, quo nomine solet passio sanctorū designari. Vnde quosdam psalmos pro torcularibus inuenimus prætitulatos, in quibus sanctorum passio commemoratur.

Et ædificauit turrim. Turrim, id est, templum illud augustissimum, quod dominus in medio Ierusalem ædificauit, primum per Salomonem, deinde reparauit per Ezrā & Nehemiā, & ad vltimū per Iudā & fratres eius.

Et locauit eam agricolis, id est, commēdauit eam scribis & pharisæis, vt fructum bonorum operum ex lege reportarent.

Et peregre profectus est.

Non mutatione locorum, quia deus vbiq; est, & nusquam abest, quia sicut per Ieremiam dicit: Deus appropinquans est, & non de longe: sed abiisse dicitur, quia cultoribus vineæ operandi arbitrium suæ voluntatis reliquit.

Iere. 23.

Cum autem tēpus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius.

Tempus fructuum, tempus est bonorum operum reddendorum. Misit seruos suos ad agricolas, Aaron videlicet & Moysen.

Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt.

Ceciderunt etenim Moysen & Aaron, licet nō verberibus, sed tñ moribus & verbis. Nam etiam eos lapidare voluerūt. Et in Psalmo legimus: Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius. Ceciderunt etenim Dauid quādo dixerunt: Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai. Alios etiam prophetas quosdam occiderunt, quosdam vero lapidauerunt. *Psal. 105.* *2. Re. 19.*

Iterum misit alios seruos plures prioribus.

Serui qui secundo mittūtur, chorum prophetarum significant.

Et fecerunt illis similiter, id est, quosdā lapidauerunt, sicut Naboth: quosdam ceciderunt, sicut Isaiam, secantes eum serra lignea: quosdam verberauerunt, sicut Ieremiam.

Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur forsitan filium meum.

Dubitatiue loquitur dñs, non vt ipse aliqd dubitet, in quo summa scientia est, sed dominus dubitatiue loquitur, cum nostra infidelitas increpatur.

Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres. Venite, occidamus eum.

Ex hoc loco datur intelligi, quod Iudæi nō per ignorantiam, sed per inuidiam Christum occiderunt. Quando enim dixerunt: Totus mundus post eum abiit, intelligebant eum illum esse, de quo per prophetā dicitur: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Putabant ergo quod illo interfecto, hæreditatem eius ad se trāsferre possent, hoc est, doctrinam eius de cordibus gentium auferre, & iustitiam suam, quæ ex lege erat, cordibus eorum inserere. *Iohā. 12.*

Et apprehensum eū, eiecerunt extra uineam, & occiderunt, quia dominus extra portam passus est. Vel extra vineā eiecerunt illum, & occiderunt, hoc est, primum a cordibus suis eiecerunt per infidelitatem, & postmodum illum occiderunt.

Cum ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet agricolis illis.

Interrogat dñs scribas & pharisæos, qd fa

cturus sit paterfamilias adueniens illis agricolis, non vt ignoret qd facturus sit, sed vt ipse ex sua responsione eos conuincat. Sua enim sententia conuicti sunt, quod scilicet propter suam negligentiam notitia scripturarũ ad gẽtiles esset transferenda.

Aiunt illi: Malos male perdet, & uineam suam locabit alijs agricolis, id est, notitiam scripturarum gentibus, qui reddant ei fructum temporibus suis. i. qui fructũ bonorũ operum in suis temporibus reddãt.

Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

Quos superius appellauit agricolas & vinitores, hos modo appellat ædificantes, scribas videlicet & pharisæos. Non quod ædificantes essent, sed quia populum exemplis & doctrina ædificare debuissent. Lapidem tunc reprobauerunt, id est, Christum, quando di-
Luc. 19. xerunt: Nolumus hũc regnare super nos, & hunc nescimus vnde sit. Sed lapis factus est in caput anguli. Angulus duos parietes nectit, & Christus factus est in caput anguli, q duos populos ex diuerso venientes coniunxit in semetipso, faciens pacem his qui prope erant, & his qui longe.

A domino factum est istud.

Hoc autem à domino totũ factum est. Vt enim ille lapis vnitate sua duos parietes coniungeret, hoc est, vt duos populos in vna ecclesia coniungeret, non id humanarum virium fuit, sed diuinæ virtutis. Et est sensus: Quomodo implebitur Psalmistæ prophetia, nisi me respuatis & crucifigatis?

Et est mirabile in oculis nostris.

Hoc enim mirabile est, vt de duobus populis efficeretur vna ecclesia. Ideo dico vobis, quia hæc parabola ad vos pertinet:

Dico uobis, quia auferetur a uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Regnum dei, scientiam diuinarum scriptu rarum appellat. Auferetur à vobis regnũ dei, id est, scientia scripturarum, & remanebit vobis sola ariditas literæ. Et dabitur gẽti, id est, gentili populo, facienti fructus eius, uidelicet opera illius.

Et qui ceciderit super lapidem istũ, confringetur.

Aliud est super lapidem cadere, & aliud sub lapide. Super lapidẽ cadit, id est, super Christum, qui peccando illum offendit, spem tamẽ veniæ per pœnitentiam habendo. Quicunq; enim Christum negauerit, super illum cadit: hoc est, animaduersio diuina super eum irruit, & penitus conteret eum, vt non remaneat ex eo testa, vnde aqua hauriri possit. Potest & aliter intelligi. In præsenti peccatores sup lapidem cadunt, qui confringuntur per pœnitentiam. Lapis autem super eos in die iudicij cadet, quia dominus Iesus cum omnibus virtutibus superius ad iudicium veniet.

Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret.

Licet duri corde essent scribæ & pharisæi, & licet in Christum credere noluissent, aperte tamen intelligebãt parabolas eius ad se ptinere. Et ideo quærebant eum tenere, sed timuerunt turbas, quia sicut prophetã eum habebant. Intuenda est mobilitas vulgi. Quem enim nunc sicut prophetam habent, postmodum in eius passione sunt clamaturi, dicẽtes: Reus est mortis. &, Crucifige crucifige talẽ, suadentibus videlicet scribis & pharisæis.

SABBATO POST REMINISCERE. Lucæ XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me cõtingit. Et reliqua.

Murmurantibus de peccatorum susceptiõe scribis & pharisæis, tres ex ordine parabolas saluator posuit: duabus primis, de q bus disputandum est, quantum ipse cum angelis de pœnitentium salute gaudeat, insinuans: tertia vero, quæ sequitur, non suum tantũmodo suorumq; gaudium demõstrans, sed & inuidentium murmur reprehẽdens. Homo itaq; qui duos filios habuisse dicitur, deus pater intelligitur, duorum videlicet genitor populorum, & quasi duarum generis humani stirpiũ autor atq; creator. Maior enim filius eos, qui in vnius dei permansere cultura: minor eos, qui vsq; ad colenda idola, deũ deseruere, significat. Pars substantiæ, quæ minori filio cõtigit, ipse sensus in homine rationalis est. Viuere enim, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, diuini substãtia muneris est, quam minor filius expetit à patre, cum homo sua potestate delectatus, per liberum sese arbitrium regere, atque à domino quæsiuit exire conditore.

Diuisitq; illis substantiam, fidelibus scilicet suæ gratiæ protectionem, quam deside-

rabāt, impertiendo: infidelibus vero naturalis ſolum ingenij, quo contenti erant, beneficium concedendo.

Et non poſt multos dies congregatis omnibus, adoleſcētior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam. Et ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, uiuendo luxurioſe.

Longe profectus eſt, non locum mutando, ſed animū. Quanto ecce nunc quiſq; plus in prauo opere delinquit, tanto à dei gratia lōgius recedit. Quod non poſt multos dies dixit factum, vt congregatis omnibus proficiſceretur peregre in regionem longinquam, quia non multo poſt inſtitutionē humani generis, placuit animæ per liberum arbitrium ferre ſecum quandam velut potentiam naturæ ſuæ, & deſerere eum à quo cōdita eſt, præſidens viribus ſuis, quas vires tanto cōſumit citius, quanto eum deſeruit à quo datæ ſunt. Itaq; hanc vitam prodigam vocat, amantem profundere ſubſtantiam atq; ſpanare pompis exterioribus, intus inaneſcentem, cum ea qſque ſequitur quæ ab illa procedunt, relinquit eum qui ſibi eſt interior.

Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames ualida in regione illa.

Omnia quæ diſſipauit, ornamenta naturæ quæ conſumpſit ſignificāt. Fames in regione longinqua, indigentia verba veritatis eſt in obliuione creatoris, de qua dictū eſt in pro-
Amos.8. phetis: Quia mittet dn̄s famē in terra, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi verbum dei.

Et ipſe cœpit egere, & abiit, & adhæſit uni ciuium regionis illius.

Merito egere cœpit, q thesauros ſapientiæ dei, diuitiarumq́ cæleſtium altitudinem dereliquit. Vnus autem ciuium regionis illius, cui ille egens adhæſit, vtiq; ille qui concupiſcentijs terrenis merito ſuæ peruerſitatis præpoſitus, princeps huius mundi à domino voca-
3. Cor.4 tur. Et de quo Apoſtolus: Deus, inquit, huius ſeculi excæcauit mentes infidelium.

Et miſit illum in uillam ſuam, ut paſceret porcos.

In villam mitti, eſt ſubſtantiæ mundi & cupiditati ſeculari ſubiugari. De q̄ in alia parabola quidā ſpirituales epulas, ad q̄s inuitabatur, faſtidiens, dixit: Villam emi, & neceſſe ha-
Luc.14. beo exire & videre illam. Porcos vero paſcere, eſt ea quibus immundi ſpiritus gaudeant operari.

Et cupiebat implere uentrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.

Siliquæ quibus porcos paſcebat, ſunt doctrinæ ſeculares ſterili ſuauitate reſonantes, de quibus laudes idolorum fabularumq́ ad deos gentium vario ſermone atque carminibus perſtrepūt, quibus dæmonia delectantur. Vnde cum iſte ſaturari cupiebat, aliquid ſolidum & rectum, quod ad beatā vitam pertineret, inuenire volebat in talibus, & non poterat. Hoc eſt enim quod ait:

Et nemo illi dabat.

In ſe autem reuerſus, iam ſcilicet ab eis, quæ forinſecus fruſtra illiciunt & ſeducunt, in cōſcientiæ interiora reducem faciens intentionem ſuam, dixit:

Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autē hic fame pereo.

Vnde hoc ſcire poterat, in quo tanta erat obliuio dei, ſicut in omnibus idololatris fuit, niſi quia iſta recogitatio iam reſipiſcentis eſt, cum euangelium prædicaretur? Mercenarij ergo patris abundant panibus, quia qui futuræ mercedis intuitu digna operari ſatagunt, quotidianis ſupernæ gratiæ reficiūtur alimonijs. At vero fame pereunt, qui extra patris ædes poſiti, ventrem cupiunt implere de ſiliquis, id eſt, qui ſine fide viuentes, vitam beatam inanis philoſophiæ ſtudijs inquirunt. Sicut enim panis, qui cor hominis confirmat, verbo dei, quo mentem reficiat, aſſimulatur: ita ſiliqua (quæ & ipſa intus inanis, foris mollis, & corpus non reficit, ſed implet, vt ſit magis oneri, quàm vſui) ſeculari ſapientię nō immerito comparatur, cuius ſermo facundiæ plauſu ſonorus, ſed virtute vtilitatis ē vacuus.

Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cælum & coram te.

Quam miſericordem piumq́ nouerat patrem, qui offenſus à filio, patris non dedignatur audire vocabulum? Surgam ergo, inquit, quia me iacere cognoui: & ibo, quia longe receſſi: ad patrem meum, quia ſub principe porcorum miſerabili egeſtate tabeſco. Peccaui autē in cælum coram ſpiritibus angelicis ſanctisq́ animabus, in quibus ſignificat ſedem eſſe dei. Coram vero, in ipſo conſcientiæ interioris conclaui, qua dei ſolius oculi penetrare valebant.

Etiam non ſum dignus uocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis.

Ad filij quidem affectum, qui omnia quæ patris ſunt, ſua eſſe non ambigit, ſe aſpirare nequaq̄ præſumit, ſed mercenarij ſtatum, iam pro mercede ſeruiturus, deſiderat. Verum nec hunc qdem, niſi paterna dignatione, ſe mereri poſſe teſtatur. Vbi ſunt ergo Pelagianiſtę

qui sua seruitute saluari posse confidunt, contra apertissimam sententiam quæ ait, sine me nihil potestis facere?

Et surgens, uenit ad patrem suum.

Venire ad patrem, est in ecclesia constitui per fidem, vbi iam possit esse peccatorum legitima & fructuosa confessio.

Cum adhuc autem longe esset.

Et anteq̃ intelligeret deum, sed tamẽ cum iã pie quæreret, **uidit illũ pater ipsius.**

Impios enim & superbos cõuenienter nõ videre dicitur, tanquam ante oculos eius nõ habere. Ante oculos enim haberi, non, nisi q diliguntur, dici solent.

Et misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius.

Non enim pater vnigenitum filium suum deseruit, in quo vsq; ad nostram lõginquam etiam peregrinationem cucurrit atq; descendit, quia deus erat in Christo, mundum recõcilians sibi. Et ipse dominus ait: Pater in me
Ioh.13. manens, ipse facit opera. Quid est autem cadere super collum eius, nisi inclinare & humiliare in amplexum ei⁹ brachium suum? & brachium domini cui reuelatum est? quod ẽ vtiq; dominus noster Iesus Christus.

Et osculatus est eum.

Consolari verbo gratiæ dei ad spem indulgentiæ peccatorum, hoc est, post longa itinera remeantẽ à p̃re mereri osculũ charitatis.

Dixitq; ei filius: Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam nõ sum dignus uocari filius tuus.

Incipit iam peccata constitutus in ecclesia confiteri, nec dicit omnia quæ dicturum se esse promiserat, sed vsq; ad illud: Non sum dignus vocari filius tuus. Hoc enim vult fieri per gratiam, quod se indignum esse per merita fatetur. Non addidit, quod nulla meditatione dixerat: ⌊Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.⌋ Cum enim panem non haberet vel mercenarius esse cupiebat, quod post osculum patris generosissimi iam dedignatur. Intellexit nanque inter filium, & mercenarium, & seruum, non minimam esse distãtiam: seruum videlicet esse eũ, qui adhuc metu gehennæ siue præsentium legum, se à vitijs temperat: mercenarium, qui spe atq; desiderio regni cælorum: filium, qui affectu boni ipsius atq; amore virtutum. In quarum virtutum trium consummatione, beatus Apostolus omnem salutis summam concludens: Nũc (in-
1.Cor.13 quit) manent fides, spes, charitas, tria hęc, maior autem horum est charitas, fides nanq; est, quæ futuri iudicij ac suppliciorum metu, vitiorum facit cõtagia declinare. Spes, quæ mentem nostram de præsentibus euocãs, vniuersas corporis voluptates cælestium præmiorum expectatione contemnit. Charitas, quæ nos ad amorem Christi, ad spiritualium virtutum fructum mentis ardorem succedens, quicquid illis contrarium est, toto facit odio detestari. Vnde prodigus iste, postquam in semetipsum reuersus, diræ famis supplicia formidabat, velut iam seruus effectus, etiã mercenarij statum de mercede iam cogitans, cõcupiscit: sed cum pater accurrens, non cõtentus minora cõcedere, vtriusq; gradus sine dilatione transcursu, pristinæ filiorum restituit dignitati: nec de mercede conductoris, sed de hæreditate fecit cogitare parentis.

Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum.

Stola prima, est vestis innocentiæ, quam hõ conditus accepit, sed male persuasus amisit, quando post culpam præuaricationis cognouit se esse nudum, gloriaq; immortalitatis perdita, pelliceum, hoc est, mortale sumpsit indumentum. Serui qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores sunt. Proferũt enim stolam primam, quando mortales terrenosq; hoies ita sublimando s asseuerant, vt non solum ciues angelorũ, sed hæredes dei, & cohæredes sint Christi futuri.

Et date anulum in manu eius, & calciamenta in pedes.

Anulus est vel synceræ fidei signaculum, qua cuncta promissa in credẽtium cordibus certa impressione signãtur, vel nuptiarum pignus illarũ, quibus ecclesia sponsat. Et bñ anulus in manu datur, vt per opa fides clarescat, & per fidem opa firment. Calciamẽta aũt in pedes, officium euangelizandi denunciat, vt cursus mẽtis ad cælestia tendẽs, à terrenarũ cõtagione re℞ inuiolata seruet & mũda, priorumq; munitus exẽplis, sup serpentes & scorpiões securus incedat. Manus igit & pedes .i. opus ornantur: manus, vt recte viuamus: pedes, vt ad æterna gaudia properemus. Non Heb.13.
enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Et adducite uitulũ saginatũ & occidite. Vitulus saginatus, ipse idem dominus est, sed secundũ carnẽ. Et bñ saginatus, qa caro ei⁹ a deo spũali est optima virtute diffusa, vt pro totius mundi salute sufficiat, in odorẽ suauitatis, nidorem videlicet immolatiõis ad deum mittere, & pro omnibus exorare. Adducere aũt vitulum, & occidere, est prædicare Christum, & mortem eius insinuare. Tũc etenim cuiq; nostrum quasi recẽs occiditur, cum credit occisum. Tunc caro eius comeditur, cum eius passionis sacramẽtum & ore ad

emundationem percipitur, & corde ad imitationem cogitatur.

Et manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Non solus filius, qui reuixit & inuentus est, verum pater & serui illius sacrosancti vituli, qui propter filium occisus erat, carne refecti epulantur: qui patris cibus, salus est nostra: & patris gaudium, nostrorum est remissio peccatorum: nec tantum patris, sed filij & spiritussancti. Quia sicut vna in diuinitate voluntas & operatio, ita & vna est delectatio sanctae & indiuiduae trinitatis. Vnde beatus

Gen. 18. Abraam tres angelos hospites recipiens, vitulum tenerrimum & optimum occidisse, eiusq; cum lacte, pane, & butyro epulandolegitur obtulisse, quia qui beatam trinitatem recte deuotionis officijs reficere (id est, laetificare) desiderat, mortem quoque debet vnigeniti filij dei in carne, quae est vna, in eademq; trinitatis persona piae cõfessionis synceritate celebrare. Et notandum, quod ante stola prima, ante anulus, ante calciamenta praestãtur, & sic deinde vitulus immolatur. Quia nisi quisque spem immortalitatis induerit, nisi anulo fidei opera praemunierit, nisi ipsam fidem pie confitendo praedicauerit, non potest sacramẽtis interesse caelestibus.

Et coeperunt epulari.

Istae epulae atque festiuitates nunc celebrãtur per orbem terrarum ecclesia dilatata atq; diffusa. Vitulus enim ille in corpore & sanguine dominico & offertur patri, & pascit totam domum.

Erat autem filius senior in agro.

Filius senior, populus Israel est, qui quamuis in longinquam regionẽ non abierit, non tamen domi, sed in agro dicitur esse immoratus. Quia populus idem neq; vsq; ad colẽda idola creatorem deseruit, neq; legis, quam acceperat, interiora penetrauit: sed literae solum custodia contentus, exteriora magis & terrena operari simul & sperare solebat, audiẽs per prophetã: Si volueritis & audieritis me, bona

Esai. 1. terrae comedetis.

Et cum ueniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniã & chorũ.

Appropinquat filius domui, cum populus ille, in quibuscunq; Israeliticis considerationibus (nam multi tales inuenti sunt in eis, & saepe inueniuntur) labore seruili operis improbato, ex eisdem scripturis ecclesiae libertatem considerat. Audit symphoniam & chorum, scilicet spiritu plenos vocibus consonis euangelium praedicare. Quibus dictum est: Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis oẽs, & concorditer conuersantiũ sit anima & cor vnum in laudes dei.

Et uocauit unum de seruis, & interrogauit quae haec essent.

Vocat vnum de seruis, cum sumit ad legendum aliquem prophetarum, & in eo quęrens quodammodo interrogat, vnde ista festa in ecclesia celebrãtur, in quibus se esse nõ videt. Respondet ei seruus patris propheta:

Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum saginatum, quia saluum illum recepit.

In extremis enĩ terrae fuit frater tuus, sed inde maior exultatio, cantatio, domino canti cum nouum, quia laus eius ab extremis terrae. Et propter eum qui absens erat, occisus est ille cui dictum est: Et holocaustum tuum pingue fiat. Psal. 19.

Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus coepit rogare illum.

Indignatur etiam nunc, & adhuc non vult introire. Cum ergo plenitudo gentiũ intrauerit, egredietur opportuno tempore pater eius, vt etiam omnis Israel saluus fiat. Ex cuius parte caecitas facta est, velut absentia in agro, donec plenitudo filij minoris, longe in idololatria gentium constituti, & iam ad patrem reducti, ad manducandum vitulum intraret. Erit enim quandoque aperta vocatio Iudaeorum in salutem euangelij, quam manifestam vocationem tãquam egressum patris appellat, ad rogandum maiorem filium.

At ille respondẽs, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum praeteriui.

Quaeritur, quomodo ille populus nunquã mandatum dei praeterijsse dicatur. Sed facile ille occurrit, neque de omni mandato dictum esse, sed de vno maxime necessario, quo nullum alium deum colere iussus est. Neque iste filius in oibus Israeliticis, sed in his intelligitur habere psonam, qui nunquam ab vno deo ad simulacra cõuersi sunt. Quamuis enĩ tanquam in agro posit⁹ iste filius terrena desideraret, ab vno tamen deo ista desiderabat bona. Quod etiã patris ipsius testimonio cõprobatur, cum dicit:

Tu mecum es semper.

Non enim quasi mentientẽ redarguit, sed perseuerantiam eius approbans, ad perfectionem potioris atque iucundioris exultationis inuitat.

Et nunquam dedisti mihi hoedum, ut cum amicis meis epularer.

Peccator profecto hoedi nomine significari solet, sed absit vt antichristum intelligã.

Absurdum enim est, eū cui dicitur: L tu mecum est semper, J hoc à patre optasse, vt anti christum crederet, neq; omnino in eis Iudæorum, qui antichristo credituri sunt, istum filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hœdo, si ipse est antichristus, q non ei crederet? Aut si hoc est epulari ex hœdi occisione, quod est de antichristi perditione lætari, quomodo dicit filius, quem recipit pater, hoc sibi non fuisse concessum, cum omnes filij dei de illius aduersarij damnatione lętaturi sunt? Nimirum ergo ipsum domi num sibi negatum ad epulandum conqueritur, dum eum peccatorem putat. Cum enim hœdus illi gēti dominus videbatur, i. cū eum sabbati violatorem & profanatorē legis existimat, iucundari epulis eius non meruit. Vt quod ait: L nūquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer, J tale sit acsi diceret, eum qui mihi hœdus videbatur, nunquā mihi ad epulandum dedisti: eo ipso mihi illū ipsum non concedens, quod mihi hœdus videbatur. Quod enim dicit: L cum amicis meis, J aut ex p̄sona principum cum plebe intelligitur, aut ex persona populi Hierosolymitani cum cæteris populis Iudæorum.

Sed postquam filius tuus hic, q deuorauit substantiam suam cum meretricibus, uenit, occidisti illi uitulum saginatum.

Meretrices, sunt gentilium superstitiones, cum quibus substantiam dissipare, est relicto vno connubio veri dei, cum turba dæmonū cupiditate turpissima fornicari.

At ipse dixit illi: Fili, tu semper es mecum, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere te oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Quod dicit: L & omnia mea tua sunt, J nō putandum est, ita dictum, quasi non sint & fratres, vt tanquam in terrena hæreditate patiatur angustias. Quomodo possint eē omia maioris, si habet etiam iunior partem suam? Sic enim à perfectis & purgatis ac iā immortalibus filijs habentur omnia, vt sint & omnium singula, & omnia singulorum. Vt e m̄ cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia charitas tenet. Cum ergo beatitudinem illam obtinuerimus, nostra erūt ad videndū superiora, nostra erunt ad conuiuendū æqualia, nostra erunt & ad dominādum inferiora. Si quem autē mouet, quomodo patri supplicans veritas dicat: Et omnia mea tuā sunt, & tua mea: cui simillimum videtur sonare quod hic filio dr̄: Et omnia mea tua sunt, sciat vnigeniti filij esse omia q̄ patris sunt. Per hæc etiam ipse deus est, & de p̄re natus, patri ē æqualis. Nam & illud quod de sp̄ūsancto loquens ait: Omnia quæ pater, mea sunt. Neq; em̄ spiritussanctus de creatura, quæ patri est subiecta, & filius erat accepturꝰ, qui ait, de meo accipiet: sed vtiq; de quo patre procedit spiritꝰ, de quo natus est & filius. Siue vtiq; duos filios hos ad vtrunq; populum, siue (vt quibusdam placet) vt duos quoslibet homines, pœnitentem videlicet & iustum, vel qui sibi iustus videbatur, referre volueris, congaudeat maior: quia frater iunior mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

DOMINICA TERTIA IN Quadragesima. Luc. XI.

In illo tempore: Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dęmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Et reliqua.



Icturus Euāgelista dominum ab homine dęmonium eiecisse, rectè in exordio huius lectionis tale verbum posuit, per q̄ essentiam diuinitatis exprimeret, dicens:

Erat Iesus eijciens dæmonium.

Non enim dixit, fuit, quia esse soli deo est, æternum & incommutabilem p̄manere, cui nec præterita transeunt, nec futura succedūt, sed semper æternaliter p̄manet, sicut ipse ait Moysi: Ego sum qui sum. Et: Dices filijs Israel: Qui est, misit me ad vos. Et iterum: Ego sum deus Abraam, deus Isaac & deus Iacob. Et in Apocalypsi: Ego sum alpha & O. Et in euangelio: Amen amen dico vobis, antequā Abraam fieret, ego sum. Vt ergo ostenderet filium dei semper eē cum patre, erat dixit, & non fuit. Dæmoniacus iste apud Matthæum non solum mutus, sed etiam cæcus fuisse perhibetur, curatusq; à deo mirabiliter dicitur, ita vt loqueretur & videret. Vbi notandum, quia in vno eodēq; homine dominus tria mirabilia, pariter est operatus. Cęcus videt, mutus loquitur, obsessus à dæmone eruit. Allegorice autem, genus humanum significat, q̄ tūc possessori suo diabolo se subdidit, q̄n deū creatorē suū diabolo suadēte cōtempsit. Tūc videndi deum dignitatem perdidit, q̄n ad cōcupiscendum vetitum lignum oculos aperuit, sicut scriptum est: Vidit mulier lignum q̄ esset pulchrum visu, aspectuq; delectabile, tulit & comedit, deditq; viro suo. Qui comedit & aperti sunt oculi amborum. Loquelam pariter amisit, quia postquam peccato se subdidit, à laude dei cessauit. Non enim est (vt ait scriptura) speciosa laus in ore peccatoris. Sed domino in mundum veniente, dæmo-

Exod. 3.
Ioh. 8.
Eccl. 15.

muscarũ,siue vir habens muscas.Zebub enĩ musca dicitur.Nonnulli enim finẽ huius nominis per d.vel l.scribendum esse putauerũt legentes Beelzebul, & asserentes autorẽ huius idoli primum in Israel Zebul seruum Achimelech fuisse,qui occidit septuaginta fratres suos super vnum lapidem.Sed ipsa interpretatio nominis ostendit,non per aliam literam quàm per b.scribendum,quia (vt supra diximus) Beelzebub princeps muscarũ dicitur:Ergo quia scribæ & pharisæi miraculum à domino factum negare non valebant, in huius dæmonis potestate factum dicentes,obfuscare illud conabant,& ideo blasphemantes dixerunt: [In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.]

Et alii tẽtantes,signum de cælo quærebant ab eo.

Superflue,quæ ea quæ oculis vident, credere nolunt, de inuisibilibus signa quærunt. Qui enim cæcum videntem,mutum loquentem à deo curatum credere nolebant,ad callida argumenta se conuerterunt, quærentes signum de cælo,s.vt in morẽ Samuelis tonitrua de cælo coruscare faceret,vel ad similitudinẽ Eliæ ignẽ de cęlo deponeret. Qđ si hoc fecisset,&hęc vtiq; calūniarent,& dicerẽt nõ ea à deo eẽ facta,sed ex occultis aeris cõmotiõibus accidisse,affirmãtes & magos Pharaoni in Aegypto multa signa de cælo fecisse. Nõ enĩ impossibile erat deo signum de cælo ostendere,sed illi indigni erãt signum de cælo videre,qui terram diligentes, regem cœli tentare audebant. Ad quos magis illa sententia dirigitur, in qua dominus ait: Generatio hæc mala & adultera signum q̃rit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Horum etiam similitudinem videntur illi tenere, qui hypocritæ nominantur, quia qui ficte deum quærunt,minime inueniunt, quia
Psal.118 longe ẽ à peccatoribus salus, & ꝑpe est omni
Psal.144 bus inuocantibus eum , non in simulatione, sed in veritate.

Ipse autem ut uidit cogitationes eorum,dixit:

Quia exteriora signa eos non velle credere cognouit,protinꝰ cogitationibus eorum respondit,vt saltem sic in eo diuinitatem credere cogerentur, qui cordis videbat arcana. Acsi diceret:Eadem maiestate qua cogitationes cordis intueor, possum & signa de cælo ostendere.Solius enim domini est cogita
2.Par.6. tiones cordis intueri, dicente scriptura : Tu deus solus nosti corda filiorum hominũ . Et iterum:Hõ videt in facie,deus aũt in corde.

Omẽ regnũ in seipm̃ diuisum, desolabitur:&domus supra domũ cadet.

Iuxta literam ita est,si enim regnum in seipsum diuisum fuerit,vt aliud rex, aliud principes,aliud duces, aliud milites sentiant, desolationem patitur. Similiter domus si diuisa fuerit,vt aliud vir,aliud vxor,aliud filij,aliud parentes,aliud serui,& aliud dominĩ sapiant, vtiq; & ipsa ruinas patietur.Dicitur enim domus supra domum cadere,quãdo anima patris commouetur contra filium, & filij contra patrem,sic de reliquis:in qua similitudine tentatores suos dominꝰ à regno diaboli monet recedere , quod diuisum in se cognoscunt diu stare nõ posse. Acsi diceret: Si omẽ regnum in se diuisum stare non potest,quod negare nullo mõ potestis, velocissime à regno diaboli recedite,quod cito casurum non dubitetis. Regnum enim diaboli in illis ẽ, in quibꝰ per peccatum regnat . Quod quamuis sit vnitum in mala voluntate,tamen diuisum est in operatione. Alius quidem adulterium, alius homicidium,alius furtum,alius sacrilegium perpetrat,sed tamen ex vna radice malæ voluntatis procedunt.

Si autem & sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius,quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia?

In quibus verbis dominus suos tẽtatores prudentissimo syllogismo hincinde conclusit,ne aptam responsiõem inuenire possent. Quod non solum hic,sed etiam in pluribꝰ locis frequenter fecisse legitur,sicut fecit,quando uenerunt ad eum dicentes : Dic nobis, in qua potestate hæc facis? Et ait illis: Dicite Mat. 21. mihi & vos vnum verbum,&ego dicam vobis in qua potestate hæc facio. Quod si nõ feceritis,nec ego dicam vobis in qua potestate hæc facio . Baptismum Iohannis vnde erat, de cęlo an ex hominibus? At illi cogitauerũt intra se dicentes: Si dixerimus de cælo, dicet nobis: Quare ergo non recepistis illud? Si ex hominibus,turba quæ à Iohanne est baptizata,lapidabit nos. Et non inuenientes quid dicerent,siluerunt.Sic & in hoc loco,quia confiteri nolebant,ꝙ Christus in virtute dei dæmones eijceret,nec affirmare poterãt, quod satanas satanam eijceret,nec liberam responsionem inuenientes,obstructũ est os loquẽtium iniqua. Propter quod tradentur in manus gladij,& partes vulpium erunt. Ad quorum malitiam conuincendam adhuc subiunxit, dicens: Psal.62.

Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia,filii uestri in quo eiiciunt?

Filios eorum discipulos suos dicit, q̃ sine dubio ex eorum progenie nati erant, quibus iam potestatem effugandi dęmones dederat, atq; calcandi super omnem potestatẽ inimi-

Mat. 10. ci, dicens: In nomine meo infirmos curate, leproſos mundate, cæcos illuminate, dęmones eijcite. Gratis accepiſtis, gratis date. Ac ſi dixiſſet: Si diſcipuli mei, filij vtiq; veſtri, in nomine meo dęmonia eijciunt, quare vos idem opus in me principi dæmoniorũ Beelzebub & non deo ſignatis?

Ideo ipſi iudices ueſtri erunt.

Id eſt, infirma & contemptibilia mundi, q̄ ego elegi vt confundant fortia, diſcipuli mei, qui curationes dæmonum deo & non Beelzebub aſſignãt, iudices veſtri erunt, tunc ſcilicet, quando venerit filius hominis, & ſederit in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebunt & ipſi ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Vel certe filios eorum exorciſtas appellat, qui ex more antiquo in eodem populo habebantur, ad quorum inuocationes vel coniurationes, dæmones ab hominibus pellebant. Cuius rei teſtis eſt Ioſephus hiſtoriographus Hebræoꝝ, qui in libris antiquis, tñ inter cætera, quæ de Salomonis ſapientia cõmemorauit, adiecit & hoc, dicens: Præſtitit autem dominus Salomoni, vt etiã dæmones eijceret, & incantationes inſtituit, quibus ægritudines ſoleant mitigari, quę cura hactenus apud nos multum ualere dinoſcitur. Vidi enim ego quendam Eleazarum, de gente noſtra, præſente Veſpaſiano & Tito, alioq; ſimul exercitu, curantem eos qui à dæmonibus vexabantur. Genus curationis fuit huiuſmodi: Intulit naribus eius qui à dęmonio vexabatur, anulum ſubter radicem habẽtem ſignaculum à Salomone monſtratum, & repẽte cecidit homo. At ille coniurauit eum iuramento Salomonis, obijciens eidem carmina, quæ Salomon compoſuit ſuper eum, dicens: Deinde per nares odorantis dæmonium extraxit, & ne vltra ad eum redire auderet, adiurans conteſtatus eſt. Et vt oſtenderet Eleazarus hanc ſe habere virtutẽ, ponebat in medio peluim plenam aqua, ſiue quodlibet vas, præcipiens, vt egreſſus ab homine hanc euerteret, dans oĩbus indicium ꝙ hoĩem reliquiſſet. Q̄d cum fieret, admirabãtur ſapientiã Salomonis. Ad horum ergo exorciſtarum cõparationem, dominus ſcribas & phariſæos conſtringit, dicẽs: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Ac ſi diceret: Si exorciſtarum expulſio deo tribuitur & non dæmonibus, quare idem opus in me non eandem habet reuerentiam? Ideo ipſi iudices veſtri erunt, non in poteſtate, ſed comparatione. Sicut enim regina Saba, veniens à finibus terræ audire ſapientiã Salomonis, iudicatura eſt eos, qui maiorem Chriſtũ Salomone audire contempſerunt: & ſicut Niniuitæ agentes pœnitẽtiam ad prædicationẽ Ionæ iudicaturi ſunt eos, qui maiorem Iona ſaluatorẽ audire noluerunt, ſic & iſti exorciſtæ, qui curationem dæmonum deo tribuebant, iudicare dicuntur eos, qui curationem dæmonum Beelzebub, & nõ deo aſſignabãt.

Porro ſi in digito dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in uos regnum dei.

Digitus dei, ſpiritusſanctus intelligitur, ꝙ Matthæus euangeliſta maniſeſtius declarat, Mat. 12. cum dixit: Si autem ego in ſpũ eijcio dæmones. Et pulchre per digitum dei ſpiritus ſanctus figuratur: quia ſicut digitis aliquid operamur vel ſtringimus, ſic pater & filius ꝑ ſpiritumſanctum omnia operantur, dicẽte Pſalmiſta: Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpi Pſal. 32. ritu oris eius omnis virtus eorum. Hoc digito tabulæ teſtamẽti ſcriptæ ſunt. De hoc etiã digito magi in Aegypto ſupati dixerũt: Digitus dei eſt iſte. Cuius pulcherrimam opera Pſalm. 8. tionẽ ꝓpheta admirabatur, cũ diceba t: Q̃m videbo cælos tuos, opera digitorum tuorũ. Vel certe per digitum dei recte ſpiritusſanctus intelligitur, quia ſicut in nullis alijs mẽbris tantam partitionem habemus, quantam in digitis, ſic & ſpũſſancti dona diuerſa ſunt, 1. Co. 12. iuxta accipientium qualitatem, teſte Apoſtolo, qui ait: Alij quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpũ, alij operatio virtutum, alij ꝓphetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Quod aũt regnum dei in eos perueniſſe dicit, vel de ſeipſo dicit, ſicut alibi ait: Luc. 17. Regnum dei intra vos eſt, vel illud iudicium diſcretiõis intelligi vult, quo diſcernũtur pij ab impijs, iuſti ab iniquis. Compreſſis vero calumniatorum inſidijs, qui dicebant deum in Beelzebub eijcere dæmonia, de ſua victoria, pariterq; dęmonum expulſione libere loquitur, ſubiungens:

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.

Fortem armatum, diabolũ dicit, cuius atrium erat mundus, per quem præuaricationẽ primi hominis ſibi ſubiugauerat. Quod dũ fortis cuſtodiret, in pace erant om̃ia quæ poſſidebat, quia nullus tam iuſtus fuit ante aduentum domini, qui ita perfecte ei reſiſtere poſſet, vt genus humanum ab eius poteſtate tolleret. Ad hoc opus expectabatur illius aduentus, qui ſine peccato vẽturus erat in mundum, de quo ſubditur:

Si autem fortior illo ſuperueniens, uicerit eum.

Fortior illo dominus Ieſus Chriſtus eſt,

Pfalm.23 de quo Pfalmifta cecinit, dicēs: Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Ille autem diabolum folus vicit, in quo veftigiū peccati antiquus hoftis nullum inuenire potuit, dicente ipfe in euangelio: Venit ad me Ioh. 14. princeps huius mundi, & in me nō habet quam. Quia ergo contra illum arma perfecutiōis exacuit, qui fine peccato erat, merito in peccatorib⁹ poteftatem amifit, domino dicente: Nunc hora eft, vt princeps mundi eijciatur foras. Et iterum in euangelio: Videbam Iohā. 12. fathanam ficut fulgur de cęlo cadentem. Nō Luce. 12 venerat dominus vt vnum hominem folum modo à dæmonio liberaret, fed etiam vt ab vniuerfo genere humano ei⁹ poteftatem expelleret, vnde fubiungitur:

Vniuerfa arma eius auferet, in qbus confidebat.

Arma diaboli, uitia & peccata funt, qualia Apoftol⁹ dicit: Manifefta autem funt opera Galat. 5. carnis, quæ funt fornicationes, immundiciæ, luxuriæ, idolorum feruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diffentiones, fectæ, inuidiæ, homicidiæ, ebrietates, comefationes, & his fimilia: qui talia agunt, regnum dei non confequentur. Sed dominus ipfa arma diaboli abftulit, quando in conuerfis hominibus vitia in virtutes commutauit, vt pro fuperbia humilitatem, pro luxuria caftitatem, pro auaritia largitatem diligerent. Vel aliter: Arma diaboli erant reges & principes, in quibus velut in armis confidebat, quoniam quandiu prælatos in fua poteftate tenebat, non facile fubiectos perdere timebat. Quæ arma dominus ei abftulit, quādo non folum fubiectos, fed etiam imperatores & reges atq; principes ad fuam fidem cōuertit. Quam perfecte quoq; dominus de antiquo hofte triumphauerat, manifeftatur cū fubiungitur:

Et fpolia eius diftribuet.

Victoris eft autē fpolia diftribuere. Spolia vero ijdem homines erāt, quos diabolus velut violētiffimus prędo de paradifo rapuerat. Quæ dominus diftribuit, quando propter lucrandos homines difcipulos fuos in vniuerfas partes mūdi mifit. Sicut enim rex poft triumphum victoriæ lætus militibus fuis fpolia diuidit, fic dominus difcipulis fuis partes mundi ad prædicandum diftribuit. Petro & Paulo Romam, Andreæ Achaiam, Iacobo Iudæam, Iohanni Afiam, Philippo Aethiopiam, Bartholomæo Indiam, fic & de reliquis fentiendum.

Qui non eft mecū aduerfum me eft. Et qui non colligit mecū, difpergit.

Quanquam hæc fententia de Iudæis & hæreticis poffit intelligi, tamen fpecialiter ad diabolum pertinet, qui ab initio fur fuit & mendax, & in veritate non ftetit. Et ideo qa à deo difceffit, contra illum fuit, id eft, cōtrarius ei⁹ voluntati, tefte Apoftolo: Quæ enim eft conuentio Chrifti ad Belial? aut quæ pars fideli 2. Cor. 6 cum infideli? aut quæ focietas luci ad tenebras? Nulla. Contraria enim intra fe funt & diuerfa quæ dominus iubet, & diabolus fuggerit: dominus præcipit humilitatem, diabolus fuggerit fuperbiam: dominus caftitatem, diabolus luxuriam: dominus concordiā, diabolus difcordiam. Et ideo quia cum illo non colligit, difpergit, ficut de eo alibi fub figura lupi dicitur: Et lupus rapit, & difpergit oues.

Cum immundus fpūs exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquofa.

Quod fiæ fimilitudo fpecialiter ad Iudęorum populum pertineat, Matthæus euangelifta manifefte declarat, cum poft finitam parabolam dominum dixiffe cōmemorat: Sic erit & generationi huic peffimæ. Nulli dubium eft quando Iudæi dominum coluerunt, & legis præcepta obferuauerunt, immūdum fpiritum ab eis exijffe. Qui ambulat per loca arida & inaquofa .i. per folitudines & corda infidelium: qui aridi erant à pinguedine fpiritusfancti, & inaquofi ab vnda baptifmatis alieni. Sed cum domino in mundum veniente, gentiles per vndam baptifmatis, & gratiam fpiritusfancti à fe immundū fpūm eieciffent,

quærens requiem & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui.

Quod eft dicere, reuertar ad Iudęos, quos reliqui.

Et cum venerit, inuenit fcopis mundatam, & ornatam.

Matthæus nanq; dicit: ⌊Inuenit eam vacā tem, fcopis mundatam, & ornatam.⌋ Vacabat enim domus Iudæorum, quia Chriftum hofpitē in fe non habebat, ficut dñs ait: Ecce relinquet vobis domus veftra deferta. ⌊Scopis mundatam,⌋ circūcifione & ceremonijs carnalibus. ⌊Ornatā,⌋ fcribarum & pharifæorum fuperftitionibus.

Et tunc uadit & affumit feptem alios fpiritus nequiores fe, & ingreffi habitant ibi.

Domum quam vacantem inuenit, non folum ipfe qui reliquerat inuadit, fed etiam alios feptem nequiores fecum affumit. i. feptem vitia principalia, quæ funt fuperbia, gula, fornicatio, auaritia, ira, triftitia, vana gloria. Sicut enim feptenarius numerus cū in bono ponitur, omnes virtutes, quæ per gratiam fpiritusfancti fidelib⁹ danť, fignificat, fic cū ꝑ malo, oīa vitia quæ virtutibus funt contraria.

Et fiũt nouissima hominis illius peio ra prioribus.

Multo enim nunc peiores sunt Iudæi, quã antequam legem accepissent, relicti à deo, & sine lege & sacerdotio facti, & dispersi de gẽte in gentem, & de regno in regnum ad populum alterum. Sed valde cauendum est, ne forte vitia Iudæorum ad nos transeant. Ait enim: ⌊ Cum immundus spiritus exierit ab homine. ⌋ Omnis enim catholica ecclesia credit, quod per vndam baptismatis & gratiam spiritussancti, omnibus peccatis dimissis, dæmonis potestas excluditur. Tunc ambulat p loca arida, & inaquosa, i. corda aliorum Christianorum tentando, qui aridi sunt per abstinentiã: & inaquosi, à fluxu libidinis alieni. In talibus quoque quærens requiem, & non inuenit: quia castas & puras mentes effugiens, tenebrosas & libidinosas quærit. De quo ad Iob. 40. beatum Iob domin' ait: Sub vmbra dormit, in secreto calami in locis humentibus. Sed cum zelo diuini amoris fuerit expulsus, dicit: ⌊ Reuertar in domum meã vnde exiui. ⌋ Tunc varijs modis mentem hominis tentare incipit, quem per baptismum reliquerat. Sed qa sunt multi tepidi Christiani, recte de eadem domo subditur: ⌊ Et cum venerit, inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. ⌋ Vacantem .i. à bono opere torpentem. Scopis mundatam. i. per baptismum à præteritis peccatis ablutam. Ornatam, sub Christianitatis habitu simulatis virtutibus. ⌊ Et tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. ⌋ Solet contingere, vt quem ante baptismum per solum originale peccatum tenebat, postea p multa vitia possideat ⌊ Et fiunt nouissima hominis illius, peiora prioribus. ⌋ Quia sicut de talibus Petrus apostolus ait: Melius eis fue- 2. Pet. 2. rat non agnoscere viam veritatis, quàm post agnitionem retro cõuerti. De talibus autem dñs in euangelio dicit: Nemo mittens ma- Luc. 9. nũ suam in aratrum, & respiciẽs retro, aptus est regno dei. Non enim pœna par debetur ei, qui multum: & illi, qui parum peccat, domino in euangelio dicente: Seruus sciens vo Luc. 12 luntatem domini sui, & non faciẽs, digne plagis vapulabit multis.

Factum est autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit:

Magnæ deuotionis hæc mulier ostenditur, quæ fidem dominicæ incarnationis, quã corde concepit, inter turbas malignantiũ, reprehendentium, & calumniantium, ore credulo confessa est, dicens:

Beatus uẽter qui te portauit, & hubera quæ suxisti.

In quibus verbis non solum præsentes calumniatores, qui dicebant eum in Beelzebub eijcere dæmonia, confundit, sed etiam futurum eorum errorem destruit, q dicturi erant dominum non veram carnem ex Maria virgine assumpsisse. Si enim vẽtre portatus, huberibusq; est lactatus, patet profecto, quod consubstantialem carnẽ matris suscepit, maxime cum secundum physicos in ventre prægnãtis, liquor sanguinis & lactis ex vno fonte manat: sanguinis, vnde formatur homo: lactis, vnde pascitur. Si ergo dominus Iesus Christus sicut cæteri homines lac suxit, & nutritus est, nimirum veram carnem, non simulatam assumpsit, sicut Paulus Apostolus ait: Qui factus est ei ex semine Dauid secundum Rom. 1. carnem. De quo Matthæus in initio sui euangelij ait: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraam. Spiritualiter autem mulier ista sanctam significat ecclesiam, quæ inter turbas Iudæorum, paganorum & hæreticorum credula voce dominum Christum confitetur. Cuius reuera voce venter Mariæ virginis beatus prædicatur, quæ totius mundi redemptorẽ meruit portare, sicut ipsa de se ait: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et Elizabet: Beata es quæ credidisti. Confirmat autem verba mulieris, cum subiungit:

Quinimo, beati qui audiũt uerbum dei, & custodiunt illud.

Acsi dixisset. Iuxta tuam sententiam principaliter beatus ille venter est, qui me portauit: sed & omnes beati, qui audiunt verbum dei & custodiunt illud. Cui autem beatitudo Mariæ delectat, studeat libenter audire verbum dei & custodire, beatus erit. Quisquis ergo verbum dei libenter audit, Christũ concipit: si autem in ope perpetrauerit, Christum parit. Vnde dominus cuidam dicenti si Matt. 12. bi: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te, respondit: Si quis fecerit volũtatẽ patris mei, ipse meus frater, soror, & mater est. Omnis quippe qui verbum dei audiens impleuerit, quondie Christum cõcipit & parit. Et quem venter Mariæ portauit corporaliter, ipse portat spiritualiter. Bene autem postquam dixit: ⌊ Beati qui audiunt verbum dei, ⌋ subiunxit: ⌊ & custodiunt illud. ⌋ quia ad beatitudinem æternam promerendã non proficit verbum dei audire, nisi quisque illud studeat custodire, domino dicente discipulis: Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea. Vnde Iohannes in Apocalypsi cum dixisset: Beatus qui audit verba prophetiæ libri huius, ad Apoc. 1. iunxit, & seruat quæ in ea scripta sunt. Non enim (vt ait Apostolus) auditores legis iusti- Rom. 2. sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Audire & non facere, magis pertinet ad contumaciam, quàm ad beatitudinem,

Iacob. 4. Vnde Iacobus dicit: Scienti bonum & nõ faciẽti, peccatum est illi. Et Iacobus. Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Iacob. 1. Quia si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultũ natiuitatis suæ in speculo. Cõsiderauit enim se, & abijt: & statim oblitus ẽ qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit, non auditor obliuiosus factus, sed factor opis, hic beatus in facto suo erit.

FERIA SECVNDA POST Oculi. Lucæ IIII.

In illo tempore, dixerũt pharisæi ad Iesum: Quanta audiuimus facta. Et reliqua.



Vorum insana perfidia, sanam (licet nesciens) fidem cõfitetur, quæ Christum dñm fabrũ cognominat, & medicum vocat. Faber eñi est verus, quia om̃ia per ipsum facta sunt: medicus, quia omnia per ipsum restaurata sunt in cęlis & in terra, & sicut de seipso testatur. Non habẽt opus sani medico, sed male habẽtes. Et quia dixim', Luc. 5. quo instrumento fabricãdi, dicamus & quo vtatur genere medicandi. Præteriẽs vidit cæcum natum à natiuitate, expuit in terram, & Iohan. 9 fecit lutum de sputo, liniuitq; sup oculos ei', & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloe, quæ interpretatur missus. Abijt ergo & lauit, & venit vidẽs. Agnosce igitur magnæ modum medicinæ, & gaude, quia per hanc illuminare meruisti. Lutum de terra, caro Christi est. Sputum de capite, diuinitas eius est, quia caput Christi deus. Sputum luto immixtũ nos illuminat in natatoria Siloe baptizatos, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, quam prius tenebris arcentibus comprehendere non poteramus. Per fabrum ergo Christum creatus es, vt esses. Per medicum Christum recreatus es, vt post vulnera sanus esses, qui ab irridentibus ciuibus quidem seipm̃ curare, hoc est, in sua patria virtutes facere monet. Sed non ociose ab euangelista alio excusatur, quia non poterat ibi virtutem facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorũ, ne fortasse quis viliorẽ nobis fieri debere pñe putaret affectũ. Amabat itaq; ciues, sed ipsi se charitate patriaq; libere priuabant.

Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

Deut. 18. Propheram dici in scripturis dominum Christum, & Moyses testis est, qui ait: Prophetam vobis suscitabit dominus deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audite. Non solum autem ipse q caput & dominus est prophetarum, sed & Elias, Ieremias, cæteriq; prophetæ minores in patria quã in exteris regionibus habiti sunt: quia prope modum naturale est, ciues semper ciuibus inuidere. Non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilem recordantur infantiam quasi nõ & ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem venerunt.

In ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepha Sidoniæ ad mulierem uiduam.

Nõ, inquit, hoc quod diuina fastidiosis ciuibus beneficia subtraho, prophetarum gestis aduersatur, quia sicut fame quondam omnem terram premente, nemo est in Iudæa repertus Eliæ dignus hospitio, sed exterę gẽtis vidua est quæsita, quæ ob fidei gratiam à tanto propheta visitari deberet. Et sicut multis ibidem existentibus leprosis, Naaman tãtum Syrus, quia deuote quęsierat ab Eliseo ꝓpheta curari promeruit: sic & vos non alia quam inuidiæ perfidiæq; causa superno munere priuabit. Quorum si facta prophetarũ etiam allegorice discusseris, inuenies profecto dominum in patria sua, à q receptus non est perfidia, superbiam notasse Iudæorum. Nomine vero Capharnaum, quæ ager consolationis interpretatur, gentium prædicasse salutem, vbi maiora quotidie signa per apostolos apostolorumq; successores, nõ tam in corporum, quàm in animarum sanatione patrantur. Igitur vidua ad quam missus est Elias, gentium designat ecclesiam, quæ à suo diutius est conditore deserta, populum recte fidei nesciuit, quasi pauperum filium egena stipe nutriebat, id est, verbo fructus experte docebat, donec adueniẽs sermo propheticus, q exiccato vellere Israelis, vtpote clausa cæli ianua, fame periclitabatur in Iudæa, pasceretur ibi simul & pasceret, & receptus videlicet à credentibus, & reficiens ipse credentes. Vnde bene hæc vidua in Sarepha Sidoniæ dicitur esse morata. Sidonia quippe, venatio inutilis. Sareptha vero incendium, vel angustia panis interpretatur, quia vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Vbi rebus superuacuis acquirendis, quasi aucupandi cura impendebatur, vbi dire satis incendium

famis, panisq́ spiritualis antea fiebat angustia, ibi farina oleumq́ ore prophetico benedicitur, id est, fructus & hilaritas charitatis, siue gratia corporis dominici, & chrismatis vnctio indefectiuo verbi cęlestis munere fœcundatur: cuius hactenus in vasis oleum gaudij spiritualis, & benedictionis farina non defecit, cæterisq́ non credunt gentibus, inopia panis diuini miseris, & venatui deditis inutili. Nam & ipsa pulcherrime mysticum sibi, priusquam moreretur, panē factura, duo se ligna colligere velle testatur: non solum ligni nomine, sed etiam numero lignorum, signū crucis exprimens, quo nobis est panis vitæ præparatus æternæ.

Et multi leprosi erāt in Israel sub Eliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

Quia nota est historia, de mysterio necesse est paucis intimemus. Et Naamā ergo iste Syrus, qui interpretatur decor, populum demostrat nationum quondam perfidiæ scelerumq́ lepra maculosum, sed per sacramentū baptismatis ab omni mentis & corporis fœditate purgatum. Qui captæ consilio puellæ, hoc est, inspirationis supernæ gratia, quam, Iudæis conseruare non valentibus, gentes rapuere salutem, commonitus septies lauari iubetur: quia nimirum solum baptismi genus, quod ex spiritusancto regenerat, saluat. Vnde iure caro eius post lauacrum, velut caro pueri parui apparuisse memoratur, siue quia cunctos in Christo baptizatos in vnam parit gratia mater infantiam. Seu ille magis sit intelligendus puer, de quo dictum est: Par-
Isaie. 9. uulus natus est nobis, filius datus est nobis, cuius corpori per baptismum tota credentium soboles adunatur. Et vt cūcta hic baptismi scires sacramenta præmonstrata, in quo abrenuntiare sathanæ, fidem confiteri præcipimur, negat se Naaman vltra dijs alienis litaturum, soli per omnia domino seruiturus. Partem quoque terræ sanctæ secum tollere gaudet, qa baptizatos oportet dominici quoque corporis participatione confirmari. Merito igitur Naaman, cuius dum aqua corpus abluitur, fide pectus purgatur, id est, populus gentium, Iudæis lepra contumaciæ squalentibus antefertur. Merito vidua Sareptana, id ē, ecclesia ligno crucis refici desiderās, Iudæis fame verbi percuntibus, pane sacro corporis, & viuifici spiritus vnctione recreatur: probaturq́ dominus, non ob suam impotentiam ciuibus, sed ob eorum inuidentiam, virtutum dogma negasse. Atq́ hoc exēplo totam postremo gentem, non quia nō amaretur, sed quia ipsa se amari vellet, non amare, ab eo derelictam doctoribus, scilicet inde ob saluationē gētium toto orbe dispersis. Sed quod dominus verbo de Iudæis, hoc ipsi de se Iudæi facto testantur. Nam sequit:

Et repleti sunt omes in synagoga ira hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem.

Sacrilegia quippe Iudæorum, quæ ante prænunciauerat per Prophetam dicens dominus: Retribuebant mihi mala pro bonis, Psal. 34.
in euangelio docet esse completa. Nam cum ipse per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrogabant. Nec mirum si perdiderunt salutem, qui eiecerunt de suis finibus saluatorem. Moraliter enim dominus, & qui docuerit exemplo sui apostolos suos omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec inuitos alligat, nec eijcientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Sic Gerasenos alibi, cum virtutes eius sustinere non possent, quasi infirmos & ingratos reliquit. Simul intellige, non ex necessitate fuisse, sed volūtariam corporis passionem, nec captum à Iudæis, sed à se oblatum. Etenim, quando vult capitur, qñ vult labitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur.

Et duxerunt (inquit) illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per mediumillorum ibat.

O peior magistro discipulorum hæreditas. Diabolus verbo deū tentat, Iudæi facto. Ille dicit, mitte te: isti adoriuntur, vt mittant. Et quidem dominus supercilium montis pręcipitandus ascenderat, sed per medium illorum, mutata subito vel obstupefacta furentium mente, descendit, quod adhuc sanare, quàm perdere malebat: vt cum cassata viderentes suæ cœpta nequitiæ, à poscenda deinceps eius morte desisterent. Necdum enim venerat hora passionis, quæ non quolibet sabbato, sed in parasceue paschæ futura extiterat. Necdum locum passionis, qui non in Nazareth, sed in Hierosolymis hostiarum sanguine figurabat, aderat: sed nec hoc genus mortis, qui crucifigendus à seculo præconcionabatur, elegerat. Non igitur à Nazaræis præcipitari, nō ab Hierosolymitis lapidari, non inter pueros Bethleemitas ab Herode perimi, non alia vel alia voluit consummari morte. Quod enim tali morte regiæ potestatis indicium, quo fidelium frons amaretur, emineret? Sed solum crucis expectatum est vexillum, cuius figura & celerrimo dexteræ

motu, contra maligni hostis tentamenta depingi,& ipsa nihilominus figura monarchię singularis posset typus haberi, vt quomodo triumphum crucis exponens Apostolus ait:
Philip. 2 In nomine Iesu omne genu flectatur, cælesti um, terrestrium & infernorum. Hocē enim quod eiusdem crucis cacumina ad cælos tendūt, ima petūt, inferius cornua terra tegunt.

FERIA TERTIA POST Oculi. Matthæi XVIII.

In illo tempore: Respiciens Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum Et reliqua.

Pertinet hæc sententia ad id quod superius dixit: Væ mundo ab scādalis. Et: Qui scandalizauerit vnū
Mat. 18. ex his pusillis, expedit ei, vt suspendatur in collo eius mola asinaria, & demergatur in profundum maris. Quia ergo superius dominus admonuerat scandala fore vitanda, docet nunc qualiter eadem scādala vitari possint, scilicet per pacem, & per cōcordiam, & per remissionem peccatorum. Si frater noster in nos peccauerit, possumus ei dimittere, imo necesse habemus vt ei dimittamus. Si autem peccauerit in deum, non est nostrę potestatis, sed in dei arbitrio consistit.
1.Reg. 2. Quia scriptum est: Si peccauerit vir in virū, placari ei potest, si deus autem in deum peccauerit, quis orabit pro eo? Frater enim vester est, qui nobiscum patrem habet in cælis, & nobiscum potest dicere: Pater noster qui es in cælis.

Vade & corripe eum inter te & ipsum solum.

Quare solum? Ne videlicet si illum in publicum redargueris, confusionem postponat & ab emendatione discedat.

Si te audierit, lucratus eris frēm tuū.

Non solū tibi mercedem acquires, sed et-
Iaco. 5 iam sicut Iacobus apostolus dicit: Qui cōuerti fecerit virum ab iniquitate sua, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum, & suorum videlicet, & illius quē cōuerti fecerit ab iniquitate sua. Omis enim quicunq; propria admonitiōe fratrem suum corripit, lucratus est eum.

Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omē uerbum.

Vnum vel duos pręcipit esse adhibendos, vel causa testimonij, vt in ore duorum testium vel trium stet omne verbum: vel etiam, quia ab vno correptus non erubuit, saltem à duobus correptus erubescat.

Si autem illos non audierit, dic ecclesiæ. i. congregationi fidelium, vt qui ab vno vel duobus correptus se non emendauit saltem à generali conuentu fidelium in ruborem vertatur.

Si autem ecclesiam non audierit, sicut ethnicus sit tibi & publicanus.

Ethnos græce, dicitur latine gēs inde ethnicos, id est, gentilis. Et gētilis dicitur, qui in eodem ritu permanet, vsq; ad mortem, quo nascitur. Et publicani generaliter dicuntur, qui per fas & nephas diuitias sibi accumulāt. Cum aūt dicit: ⌊Sit tibi sicut ethnicus & publicanus,⌋ manifeste ostendit, quod peiores sunt, qui sub nomine fidelium opera infidelium latenter exercēt, quàm qui manifeste infideles sunt.

Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.

Dixerat dominus superius, si ecclesiā non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et poterat dicere aliquis, qui ita corripitur, & non emendatur: si me despicis, & ego te despiciam: si me condemnas, & meo etiam ore condemnaberis, confirmat iudicium ecclesiæ sua sententia, dicendo: ⌊Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.⌋

Iterum dico uobis, quia si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis a patre meo qui in cælis est.

Omnis sermo domini ad cōcordiam nos prouocat, ⌊Si duo (inquit) ex vobis consenserint super terram de omni re.⌋

Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Quod multis exemplis approbare possumus. Loquentibus enim apostolis de resurrectione sua, affuit. Duobus vero discipulis ambulantibus in Emaus, tertius illis se iun- Luc. 24
xit, & notitiam suam eis in fractiōe panis reuelauit. Nobis etiam quotidie adest in nomine Iesu congregatis. Nomē etenim illius est Iesus. Iesus vero interpretatur saluator. Tūc etenim in nomine Iesu congregamur, quoties aut de nostra salute, aut de fratrum salute tractaturi in vnum cōuenimus. Allegorice, ⌊Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.⌋ hoc est, si corpus & anima, & spiritus in vnum consen

ferint, vt neque caro repugnet aduersus spiritum, neque spiritus repugnet carni, quicquid à pře. petierimus, impetrabimus. Bona etenim petitio est, in qua spiritus non dissentit à carne, nec caro resistit spiritui.

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?

Motus Petrus ex verbis domini, quibus superius dixerat: Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solũ, percontatur, quoties debeat fratri in se peccanti dimittere, & cum interrogatione dixit: Vsq; septies? Inquid vsq; septies debeo ei dimittere qui in me peccauit?

Dicit illi Iesus: Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.

Hoc est, quadringẽtis nonaginta vicibus, secundum beatum Hieronymum, vt videlicet tot vicibus in die dimittam fratri in nos peccanti, quot in nos peccare non potest. Sed melius est, vt simpliciter accipiamus, q̃d dicit, septuagies septies, i. septuaginta septem vicibus, quàm quagringentis nonaginta. Omnis enim numerus quando per numerum transit aduerbialiter, tũc crescit summa illius: Verbi gratia, septies septuagies septuaginta, transit nomen per aduerbium, & fiunt quadringenti nonaginta. Et quando numeri aduerbialiter proferunt, summa numeri non crescit, sed intra suos terminos numerus continetur, sicut ẽ in hoc loco, quo dicit: Septuagies septies. Præcipit ergo dominus septuagies septies fratri in nos peccanti dimittere, vt tot vicibus & ei dimittamus, quot vicibus in nos peccare non sufficit.

FERIA QVARTA POST Oculi. Matthęi XV.

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis scribæ & pharisæi, dicentes: Et reliqua.



Ira dementia scribarũ & pharisæorum arguentium dominum, cur traditiones hominũ non sequatur, cum ipse sit dei filius, dicentes:

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas, cũ panẽ mãducant,

Hoc processerat ex traditione scribarum & pharisæorum. Nam erat cõsuetudo apud illos, vt si contigisset eis, vt vel cum gẽtili loquerentur, aut aliquid morticinum tangerẽt aut immundum aliquid viderent, aut totum corpus, aut etiam partem corporis abluerẽt.

Ipse autem respondens ait illis: Quare & uos transgredimini mandatum dei propter traditionem uestram?

Falsam calumniam veraci responsione dominus confutat, dicendo. Quare & vos trãsgredimini mandatum dei propter traditionem vestram? Ac si diceret: Cur apostolos meos arguitis, quod præcepta hominum trãsgrediuntur, vt possint præcepta dei adimplere, cum vos propter traditiones hominũ trãsgrediminι præcepta omnipotentis dei?

Nam deus dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur.

Honor etenim in scripturis dupliciter accipitur, & pro reuerentia videlicet honoris, & pro datione muneris. Vnde & Paulus apostolus dixit: Presbyteri duplici honore habeantur. Et: Honora viduas, quæ vere viduę sunt. 1.Tim. 5 In quo loco non tantum honor pro salutatione & reuerentia accipitur, quantum etiam pro datione. Honora patrem tuum & matrem tuam, & in reuerentia videlicet obsequij, & in dandis muneribus. Econtrario q̃d dixit, qui maledixerit patri vel matri, maledictio non tantũ pro verbo aspero, sed etiam pro subtractione beneficij ponit. Prævidens omnipotens deus imbecillitates & ætates senectutis parentum, præcepit filijs eorũ, vt postquam ad senectutem parentes illorũ peruenirent, vt honorem eis impẽderent, nõ solum in obsequio, sed etiam in datione muneris. Videntes hoc scribæ & pharisæi, quod ea quæ dabantur parentibus, à lucris eorum deperirent, cõposuerunt hanc stropham, vt dicerent falso intelligi hoc præceptũ à Iudæis, quod dicitur: Honora patrem tuũ & matrem, sed potius patrem vel matrem, templum & synagogam debere intelligi. Vt nõ pcepisset omnipotens deus honorare parentes carnales, sed potius quicquid haberent tẽplo & synagogæ distribuerent. Quod audiẽtes simplices, errore seducti, qcquid habere poterãt, in tẽplo offerebant. Cum vero contigisset, vt pater vel mater quærerent ab eis aliquod supplemetum, dicebant:

Munus q̃dcũq; ẽ ex me, tibi pderit

.i. nutquid illud munus quod semel deo obtuli, si in tuos vsus expendero, tibi proderit? Hoc audientes illi, malebant præ inopia vitã amittere, q̃ de consecreatis aliq̃d tangere. Potest & aliter intelligi, hoc quod dicitur, Munus quodcunq; est ex me, tibi proderit. Ac si diceret: Munus q̃ deo offero ex substantia mea, sicut proderit mihi, ita & tibi. Et hæc dicendo, non honorauit patrem vel matrem.

Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Isaias, dicens: Isai.29. **Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.**

Non bonũ dixit de malitia vestra, sed bñ cõuenit vobis hoc quod ille dixit: ⌊Populus hic labijs me honorat.⌋ Populus Iudæorũ labijs deum patrem honorabat, quia in illum se credere iactabat, cor autem eorum lõge erat ab eo, quia in sermone cupiebant eum capere, & tradere potestati Romanæ.

Sine causa autem colunt me, docẽtes doctrinas & mandata hominum.

Frustra, inquit, me colunt, doctrinas suas præponentes præceptis dei.

Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite.

Non vult deus auditores suos tantum audire, sed post auditum etiam intelligere.

Non quod in os intrat, coinquinat hominem.

Si ergo quod intrat in os, non coinquinat hominem, merito quæritur, cur Paulus apo- 1.Cor.8. & 9. stolus prohibet nos nõ vesci de idolothytis, vel cur dicat: Non potestis calicẽ domini bibere, & calicem dæmoniorum. Ad hoc dicendum est, quod illa quidem creatura per se mũda & bona est: cum autem idolis fuerit consecrata, propter inuocationem dæmoniũ & idolorum, sordida & immunda efficitur, & ideo præcipitur nobis non de talibus comedere. Omnis enim religio & sanctitas Iudæorum, maxime in differẽtia ciborum mundorum & immundorum consistebat: sed omnipotens deus quod in veteri testamento discrete posuit, hoc in nouo testamento indiscrete vti iussit. Præcipiebat enim omnipotens deus manus abluere, non aqua corporali, sed munditia bonorum operũ, vt digni simus, in quorũ manibus sermo dei fieret. Sic sæpe in veteri testamento legimus: Factum est verbum domini in manu Ieremiæ & Isaiæ, & cæterorũ. In manu etenim eorum factus est sermo domini, quia talia erant opera eorum, vt digni essent ad quos sermo dei fieret.

Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito hoc uerbo scandalizati sunt.

Ex hoc loco datur intelligi, ꝙ scandalum in quibusdam locis cauẽdum est hominibus, in quibusdam vero pro nihilo cõtemptui habendum. Hoc etiam dñs suo exemplo docet. Legimus enim alibi, quod accedẽtes illi, qui tributa requirebant à populo, ad Petrum dixerunt: Magister vester nõ soluit didragma. Mat.17. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur? Reges gẽtium, à quibus accipiunt tributa? A filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Et dixit ei: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui prius ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da pro me & te. Illic vitauit scandalũ, hic autem vbi sine causa scribæ & pharisæi scandalizabantur contra dominum, pro nihilo duxit scandalum eorum. Ex qua re datur intelligi, quia ibi debet scandalum caueri, vbi potest in fide offensio incurri: vbi vero veritas periculum fidei sustinet, melius est vt scandalum incurratur, quàm vt veritas relinquatur, σκάνδαλον enim græce, latine offensio dicit vel ruina pedis, siue impactio pedum, vel vt expressius scrupulus, latine permotio mẽtis dr̃.

Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cęlestis, eradicabitur.

Si omnis plantatio, quam non plantauit pater cælestis, eradicabitur, ergo nunquid illa plantatio, quam plantauit Paulus apostolus, eradicabitur, qui dicebat: Ego plantaui, Apollo rigauit? 1.Cor.3. Sed hanc quæstionem soluit id, q̃d subsequitur: Deus autem incrementum dedit. Si autem omnis plantatio, quam nõ plantauit pater, eradicabitur, ergo quam ipse plãtauit, non eradicabitur? Ad hoc dicendum est, quia omnis plantatio, quam plantauit pater cęlestis, à nemini potest eradicari, nisi ipse assensum eradicãdi præbuerit. Hinc est quod Ieremias dicit, Iere.2. Ego plantaui te vineam electam, quomodo conuersa es in amaritudinẽ vitis alienæ?

Sinite illos, id est, permittite illos in damnatione esse.

Cæci sunt, & duces cæcorum, subaudiatur populorum.

Cæcus autem si cæco ducatum prębeat, ambo in foueam cadunt.

Sciens dominus animos illorum incorrigibiles esse, ideo dixit: ⌊Cæcus autem si cæco ducatũ præbeat, ambo in foueam cadũt.⌋ Cæci erant scribæ & pharisæi, & non solum erãt cæci, sed etiam duces cæcorum. Quia nõ solum seipsos mittebant in perditionem, sed etiam & alios post se trahebant. Manifestum est, quia si cæcus doctor, & ipsi qui audierint in foueam æternæ damnationis corruent.

Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & uos sine intellectu estis?

Quod à dño plane & aperte fuerat dictũ, Petrus parabolice dictum esse putauit. Vnde reprehenditur à dño dicẽte: ⌊Adhuc & vos

ſine intellectu eſtis?⌋ Ex qua re datur intelligi, vitioſum eſſe illum auditorem, qui aut obſcure dicta vult manifeſte intelligere, aut manifeſte dicta vult ad obſcuritatē conuertere.

Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in uentrem uadit, & in ſeceſſum emittitur?

Culpant in hoc loco quidā, dicentes dominum phyſicæ diſciplinæ ignarum fuiſſe, cum id quod intrat in os, non ſtatim in ſeceſſum emittatur, ſed liquor illius cibi per venas prius diffunditur, deinde per quoſdam meatus, qui græce pori dicuntur, in ſeceſſum emittitur. Sed dum illum reprehendunt, ſuam imperitiam oſtendunt. Licet primum enim ille ſubtiliſſimus liquor per venas diffundatur, mox vt totum corpus peragrauerit, in ſeceſſum vadit.

Quæ autē procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquināt hominē.

Ipſe exponit quæ ſunt ea quæ coinquinant hominem, dicendo:

De corde enim exeunt cogitationes malæ.

Ex hoc loco datur intelligi, quia principale animæ, non eſt ſecundum Platonem in cerebro, ſed potius in corde: ⌊ quia ex corde procedunt cogitationes malæ.⌋ In hoc loco daſ etiam intelligi, quod diabolus non eſt autor malitiarum, ſed potius incentor. Incentor etenim poteſt eſſe, ſed non autor. Non enim poteſt interiora cordis noſtri rimari, ſed ex geſtib⁹ corporis intelligere quid cogitemus. Verbi gratia: Si uiderit nos frequenter pulchram mulierem reſpicere, ex motu oculorū intelligit cor noſtrum amoris iaculo eſſe vulneratum. Ex qua ratione probatur, quod ipſe non eſt autor, ſed incentor & cumulator malarum cogitationum.

FERIA QVINTA POST Oculi. Iohannis VI.

In illo tempore Dixit Ieſus turbis: Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in uitā æternā. Et rel.



Carnalis cibus perit, ſpiritualis vero permanet quem filius hominis vobis dabit. Hunc ergo deus pater ſignificauit iuſtum filium hominis. Nolite ſic accipere, quaſi alios filios, filium hominis, de quibus dictum eſt: Filij autem hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt. Iſte filius hominis ſequeſtratus quadā gratia à filijs hominum, exceptus à numero hominum, filius hominis eſt. Iſte filius hominis, & filius dei eſt: iſte homo, etiam & deus eſt. Vnde & ipſa veritas, quæ tunc loquebatur ad Iudæos, & nunc omnibus loquitur per euangelicæ prædicationis verba, quid ſit oſtendit, non qualem plurimi tunc æſtimauerunt, vel etiā nūc æſtimant, ſubiunxit vero:

Hunc enim deus pater ſignauit.

Signare quid eſt, niſi proprium aliquid ponere? Hoc eſt ſignificare, ponere aliquid quo non confundatur cum cæteris, ſignare eſt, ſignum ei ponere. Cuicunq; rei ponis ſignum, ideo ponis ſignum ne confuſa cum alijs, à te non poſſit agnoſci. Pater ergo eum ſignauit. Quid eſt ſignauit? Proprium quidem illi dedit, ne cum cæteris compararetur hominib⁹, ideo dictum eſt: Vnxit te deus deus tu⁹ oleo exultationis præ participibus tuis. Itaq; nolite (inquit) contēnere, quia filius hominis ſum, & quærite a me non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Sic em̄ filius hominis ſum, vt nō ſim vnus ex vobis. Sic ſum filius hominis, vt deus pater me ſignaret. Quid eſt ſignaret? Proprium aliqd mihi darei, quo non confunderer cum genere humano, ſed per me liberaretur genus humanū. Pſal. 44

Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera dei?

Dixerat enim illis, operamini eſcam non quæ perit, ſed quæ permanet in vitam ęternā. Quid faciemus, inquiunt, quid obſeruando, hoc præceptum implere poterimus?

Reſpondit Ieſus & dixit eis: Hoc eſt opus dei, ut credatis in eum quem miſit ille.

Hoc eſt ergo manducare cibum non q perit, ſed qui permanet in vitam æternā. Diſcernitur quidem ab operibus fides, ſicut Apoſtolus dicit, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Et ſunt opera, quæ videntur bona ſine fide Chriſti, & non ſunt bona. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiā omni credenti. Ideo noluit diſcernere ab opere fidem ſed ipſam fidem dixit eſſe opus. Ipſa enim eſt fides, quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, hoc eſt opus veſtrum, ſed dixit, ⌊ hoc eſt opus dei, vt credatis in eum quem miſit ille,⌋ vt qui gloriatur, in domino glorietur. Quia ergo inuitabat eos ad fidē, illi ergo adhuc quærebant ſigna quibus crederent.

Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum, ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris?

Parum ne erat, quod de quinque panibus paſti ſunt? ſciebant hoc quidem, ſed huic cibo manna de cælo pręferebāt. Dominus autem Ieſus talem ſe dicebat, vt Moyſi præponeretur. Non enim auſus eſt Moyſes de ſe di

cere, quod daret cibum non qui perit, sed qui habet vitam æternam. Attendebant enim plus promittentem, & quasi nondum videbāt maiora facientem. Attendebant vtiq; qualia fecisset Moyses, adhuc aliqua maiora volebant fieri ab eo, qui tam magna pollicebatur. Quid (inquiunt) facis, vt credamus tibi, & vt nouerimus quid operaris? Quia miracula antiqua huic miraculo comparabant, & ideo quasi minora ista iudicabant, quæ faciebat Iesus.

Patres nostri (inquiunt) manna manducauerunt in deserto, sicut scriptū est: Dedit illis manna manducare, & non talia operaris qualia Moyses. Panes hordeaceos ille non dedit, sed manna de cælo.

Dixit ergo eis Iesus. Amen amen dico uobis, nō Moyses dedit uobis panem de cælo, sed pater meus dat uobis panem de cælo uerum. Verus enim panis est qui descendit de cælo, & dat uitam mundo.

Verus ergo ille panis est, qui dat uitam mūdo, & ipse cibus est, de quo paulo ante locu-
Iohan. 6. tus sum: Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ergo & illud manna hoc significabat, & illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis, quod significabatur contemnitis.

Dixerunt ergo ad eum: Domine, da nobis semper panem hunc.

Quomodo mulier illa Samaritana, cui dictum est: Qui biberit de hac aqua, non sitiet vnquam, continuo illa secundum corpus accipiens, sed tamen carere indigentia volens, Da (inquit) mihi domine de aqua, sic & isti: Domine, da nobis panem hunc, qui nos reficiat, nec deficiat.

Dixit ergo eis Iesus: Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquā.

Qui venit ad me, hoc est, quod ait, & qui credit in me. Et quod dixit, non esuriet, hoc intelligendum est, non sitiet vnquam. Vtraq; enim illa significat æterna satietas, vbi nulla ē egestas. Panem de cælo desideratis, ante vos habetis, & non manducatis. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis.

FERIA SEXTA POST Oculi. Iohannis IIII.

In illo tempore: Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Et reliqua.



Vm autem dixit euangelista in quo prędio erat fons Iacob, addidit:

Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra puteum, quod sanctus Iacob Ioseph filio suo dereliquerat. Quod prędium non tam Ioseph, quàm Christo arbitror derelictum: cuius figuram sanctus Ioseph patriarcha portauit, quem vere sol adorat & luna, & omnes stellæ benedicūt. Ad hoc prædium ideo venit dominus, vt Samaritani, qui hęreditatē sibi patriarchæ Israel vendicare cupiebant, agnoscerent possessorem suum, & conuerterentur ad Christum, qui legitimus patriarchæ hæres est factus. Dicit enim euangelista: Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super puteum. Euangelica sacramenta in domini nostri Iesu Christi dictis factisq; signata non omnibus patēt, & ea nonnulli minus diligenter, minusq; sobrie interpretando, afferunt plerunque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis errorem. Interq; illud est sacramētum, quod scriptum est, dominum hora diei sexta venisse ad puteum Iacob, fessumq; ab itinere resedisse, à muliere Samaritana potum petisse, & cætera quæ in eodem loco discutienda & pertractanda dicuntur. De qua re id primum tenēdum est, quod in omnibus scripturis summa vigilantia custodiri oportet, vt secundum fidem sit sacramenti diuini expositio. Hora igitur diei sexta, venit ad puteū dominus noster. Video in puteo tenebrosam profunditatem: admoneo ergo intelligere mundi huius infimas partes, id est, terrenas, quo venit dominus Iesus hora sexta, id est, sexta ætate generis humani, tanquam senectute veteris hominis, quo iubemur exui, vt induamur nouo, qui secundum deum creatus est. Veteris itaque hominis vita, quæ secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta ætate senectute concluditur. Qua senectute (vt dixi) humani generis dominus noster creator & reparator aduenit, vt moriente scilicet veteri homine, nouum in se constitueret, quem exutum luto terreno, in cælestia regna transferret. Ergo nunc puteus (vt dictum est) mundi huius terrenum laborem & terrorem tenebrosa profunditate significat. Et quoniam exterior est homo vetus, & nouus interior, dictum est ab Apostolo: Et si exterior homo 2. Cor. 4
noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Rectissime omnino, quoniam omnia uisibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus disciplina Christiana renunciat. Hora sexta venit dominus ad puteum, id est, medio die vnde iam incipit sol iste visibilis declinare in occasum. Quoniā nobis voca

tis à Christo visibilium delectatio minuitur,
vt inuisibilium amore homo interior recrea-
tus,ad interiorem lucem quæ nunquam exci
1.Cor.13 dit,reuertatur, secundum apostolicam disci-
plinam,non quærens quæ videntur, sed quæ
non videntur. Quç enim videntur, tempora-
lia sunt: quæ autẽ non videntur, æterna sunt.
Quod aũt fatigatus venit ad puteũ, infirmita
tẽ carnis significat: q̃d sedit, hũilitatẽ. Quia im
becillitatẽ carnis pro nobis suscepit,& homo
hominibus tam humiliter apparere dignatus
est. De hac infirmitate carnis propheta dicit:
Homo in plaga positus,& sciens ferre imbe-
Philip. 2 cillitatem. De humilitate vero Apostolus lo
quitur,dicens: Humiliauit semetipsum factus
subditus vsq; ad mortem. Quanquam illud
quod sedit(quoniam solent sedere doctores)
possit alio intellectu, non humilitatis mode-
stiam, sed magistri demonstrare personam.
Sed quæri potest, quare à Samaritana, ab ea
quæ hydriæ implendæ gratia uenerat, bibere
postulauerit,cum ipse postea spiritualis fon-
tis affluentiam se petentibus dare posse prædi
cauerit. Sed scilicet sitiebat deus mulieris il-
lius fidem, quæ quoniam Samaritana erat,&
solebat Samaria idololatriæ imaginem susti-
nere. Ipsi enim separati à populo Iudæorum
simulacris mutorum animalium, id est, vac-
cis aureis animarum suarũ decus addixerant.
Venerat autem dominus noster Iesus Chri-
stus, vt gentium multitudinem, quæ simula-
cris seruierat, ad munimentum fidei Christi-
Matt.9. anæ,& incorruptæ religionis adduceret. Nõ
enim est,inquit, sanis opus medicus, sed ma-
le habentibus. Ergo eorum fidem sitit, pro q̃-
bus sanguinẽ fudit. Dixerat ergo ad eã Iesus.
Mulier, da mihi bibere.

Et vt noueris quid sitiebat dominus noster,
post paululum veniunt discipuli eius, qui pre
xerant in ciuitatem, vt cibos emerent.

Dicunt ei: Rabbi manduca. Ille autẽ
dixit eis: Ego habeo escam manduca
re quam uos nescitis. Dicunt disci-
puli eius ad alterutrũ: Nunquid ali-
quis attulit ei manducare? Dicit ei Ie
sus: Meus cibus est, ut faciam uolun
tatem eius qui misit me, ut perficiam
opus eius.

Nunquid hic intelligitur alia voluntas pa-
tris qui eum misit, vt opus eius perficere vel-
let, nisi vt nos ad fidem suã à pernicioso mun
di errore cõuerteret? Qualis ergo cibus eius,
talis & potus. Quapropter hoc in illa mulie-
re sitiebat, vt faceret in ea voluntatem patris,
vt perficeret opus eius. Sed illa carnaliter in-
telligens, respondit:

Tu cum sis Iudæus, quomodo a me
bibere possis, cum sim mulier Sama-
ritana? Non enim coutuntur Iudæi
Samaritanis. Cui dominus noster di
xit: Si scires donum dei, & quis est
qui dicit tibi: da mihi bibere, tu ma-
gis petisses ab eo, & dedisset tibi a-
quam uiuam.

Et hinc ei ostenderat, non se talem aquã
petisse, qualem ipsa intellexerat. Sed quia ipse
sitiebat fidem eius, eidem sitienti spiritum san-
ctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelli-
gimus aquam viuam, quod est donũ dei, sic-
ut ipse ait: Si scires donum dei. Et sicut idẽ
Iohannes testatur alio loco, dicens, quod sta
bat Iesus & clamabat: Si quis sitit, veniat & bi
bat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flu
mina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Con-
sequẽter omnino qui credit in me, inquit, flu- Iohã.7.
mina de ventre eius fluent aquæ viuæ: q̃a pri
mo credimus, vt hæc dona mereamur. Hæc
ergo flumina aquæ viuæ, quæ illi mulieri vo
lebat dare, merces est fidei, quam prius in il-
la sitiebat. Cuius aquæ viuæ interpretationẽ
ita subijcit: Hoc autem dicebat(inquit)de spi-
ritu, quem accepturi erant hi, qui in eum cre-
dituri erant. Nondum enim erat spiritus da-
tus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.
Hoc itaq; donũ spiritussanctus est, quod post
suam glorificationem dedit ecclesiæ, sicut alia
scriptura dicit: Ascendens in altum, captiuam Ephe.4.
duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Sed
adhuc illa mulier carnaliter sapit, sic enim re-
spondit:

Domine, neque hauritorium habes, &
puteus altus est, unde mihi habes dare
aquam uiuam? Nunquid tu maior es
patre nostro Iacob, qui dedit nobis
hunc puteum, & ipse ex eo bibit, &
filij eius, & pecora eius.

Nunc vero iam dñs exponit, quid dixerit.
Om̃is, inquit, qui biberit ex aqua ista,
sitiet iterum. Qui autem biberit de
aqua quam ego dedero, non sitiet in
æternum: sed aqua illa quam dedero, fi
et in eo fons aquæ salientis in uitam
æternam.

Sed adhuc mulier prudentiam carnis am-
plectitur, respondens:

Domine da mihi hanc aquam, ut nõ
sitiam, neq; ueniam huc haurire. Di-
cit ei Iesus: Vade, uoca uirum tuum,
& ueni huc.

Cum sciret eam virum nõ habere, cur hoc

dixerit quæritur. Nanq; cum mulier dixerit:

Non habeo uirum, dixit ei Iesus: Bene dixisti, non habeo uirum: quinq; enim uiros habuisti, & nunc quē habes, nō ē tuus uir. Hoc uere dixisti.

Sed non sunt hęc carnaliter accipienda, ne huic ipsi adhuc mulieri Samaritanæ similes esse videamur: sed de illo dono dei, si aliquid iā gustauimus, spūaliter ista tractemus. Quinq; uiros, quinq; libros, qui per Moysen ministrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum est, ⌊& nunc quem habes non est tuus vir,⌋ de seipso dominū dixisse intelligunt, vt iste sit sensus: Primo quinq; libris Moysi, quasi quinq; viris seruisti: nunc autem quem habes, id est, quem audis, non est tuus vir, qa nondum in eum credidisti. Sed quoniam nōdum credens Christo, adhuc itaque illorum quinq; virorum, id est, quinq; librorum copulatiōe tenebatur, potest moueri, quomodo dici potuerit, quinq; viros habuisti, quasi tūc eos iam non haberet, cum adhuc vtique ipsis subita viueret. Deinde cū quinq; libros Moysi, nihil aliud q̄ Christum prædicēt, sicut ipse
Iohan. 5. ait: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: Ille enim de me scripsit, quomodo potest intelligi à quinq; illis libris recedere hominem, vt ad Christum transeat, cum ille q credit in Christum, nō relinquat quinq; illos libros, sed spiritualiter intelligēdo, multo beatius amplectatur? Est ergo alius intellectus, vt quinq; viri intelligantur quinq; corporis sensus. Vnus, qui ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem, & quoslibet colores formasq; corporum cernimus. Alter est autem aurium, quo vocum & omnium sonorū momenta sentimus. Tertius narium, quo varia odorū suauitate delectamur. Quartus in ore gustus dulcia & amara sentit, & omnium saporum habet examen. Quintus per totū corpus tangendo dijudicat calida & frigida, mollia & dura, leuia & aspera, & quicquid aliud est quod tangendo sentimus. Istis itaq; carnalibus quinq; sensibus prima hominis ętas imbuitur, necessitate naturæ mortalis: quia ita post peccatum primi hominis nati sumus, vt nondum reddita luce mentis, carnalibus sensibus dediti, carnalem uitam sine vlla veritatis intelligentia transeamus. Tales necesse est esse infantes, & paruulos pueros, qui nondū possunt accipere rationem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam ætatem regunt, & deo artifice nobis tributi sunt, recte dicuntur ijdem mariti, tāquam legitimi. Quoniam non eos errores vitio proprio, sed dei artificio natura contribuit. Cum autem quisq; venerit ad ętatem, cuius vita possit capax esse rationis, si veritatem statim comprehēdere poterit, non iam illis sensibus rectoribus vtet, sed habebit virum spiritū rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat seruitutis, subijciens corpus suum cum anima, non iam viris quinq;, id est, quinq; corporeis sensibus, q bus subdita est: sed verbum diuinū habet legimum virum, cui copulata est inhærēs, cum & ipse spiritus hominis hæserit Christo: quia caput viri Christus est, amplexus spiritualia æternæ vitæ, sine vllo separationis timore p fruitur, vt ait Apostolus: Quis nos separare poterit à charitate Christi? subauditur, nul- Rom. 8.
la res. Sed quoniam illa mulier errore tenebatur, quæ significabat multitudinem seculi varijs superstitionib⁹ subiugari, post tempora illa quinq; carnalium sensuum, quibus prima ætas (vt diximus) regitur, non ea uerbum dei acceperat in coniugium, sed cōplexu adulterino diabolus eam obtinebat. Itaq; illi dominus dicit, videns eam esse carnalem. i. carnaliter sapere: ⌊Vade, voca virum tuum, & veni huc.⌋ id est, remoue te ab affectione carnali, in qua nunc constituta es, vnde non potes intelligere quæ loquor. Et voca virum tuum. i. spiritu intelligentiæ præsens esto. Est enim animę quasi maritus quodammodo spiritus hominis, qui animalem affectionem tāquā coniugem regit: non ille spiritussanctus, qui cum patre & filio incommutabiliter dat, sed spiritus hominis, de quo Apostolus dicit: Nemo scit quid est in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo. Nam ille spiritussanctus, spiritus dei est, de quo iterum dicit: Sic & quę dei sunt nemo scit, nisi spiritus dei. Hic ergo spiritus hominis cum præsens est, id est, intētus, & se pietate subijcit deo, intelligit homo quæ spiritualiter dicuntur. Cum autem diaboli error, tāquam absente intellectu, in anima dominatur, adulter est. ⌊Voca ergo (inquit) virum tuum,⌋ id est, spiritum, q est in te, quo potest homo intelligere spiritualia. Si eū lux veritatis illustret, & ipse adsit, colloquar tibi, vt spūalem aquā possis accipere. Et qui illa,

nō habeo, ait, uirum, bene, inquit, dixisti, quinq; enim uiros habuisti, id est, qnq; sensus carnis in prima ætate rexerūt te,

& nunc quē habes, non est tuus uir,

quia nō est in te spiritus qui intelligat deum, cum quo legitimum potes habere connubium, sed error diaboli potius dominat, qui te adulterina contaminatione corrumpit. Et fortasse intelligentibus indicaret, quinque virorum nomine, significari quinq; memoratos corporis sensus. Post quinq; carnales responsiones, ista mulier sexta responsione nominat Christum. Nam prima eius responsio est:

Tu cum sis Iudæus, quomodo a mē

bibere petis? Secunda: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Tertia: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc haurire. Quarta: Non habeo uirum. Quinta: Video quia propheta es tu, patres nostri in monte hoc adorauerunt.

Nam ista responsio carnalis est. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus vbi orarent: spirituales autem, spiritu & veritate oraturos esse dominus dixit. Quod posteaquam locutus est, sexta mulieris responsio, Christū fatetur oīm iustorum esse doctorē. Dicit enī: Scio quia Messias uenit, qui dicitur Christus. Cum ergo uenerit, ille nobis annunciabit omnia.

Sed adhuc errat, quia eum quem venturū sperat, venisse non videt. Veruntamen misericordia domini nunc error iste, tanq̄ adulter expellitur.

Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.

Quo audito, illa non respondit, sed statim relicta hydria sua, abijt in ciuitatem festinās, vt euangelium & domini aduentum non tantum crederet, sed etiam prædicaret. Nec hoc quod relicta hydria discessit, negligēter prætereundum est. Hydria fortasse enim amorē seculi huius significat, id est, cupiditatem, qa sibi homines de tenebrosa profunditate, cu⁹ imaginē puteus gerit, hoc est, de terrena conuersatione hauriunt voluptatem, qua percepta, iterum in eius appetitum inardescant, sicut de aqua illa qui biberit, sitiet iterum. Oportebat autem vt Christo credens seculo renūciaret, & relicta hydria, cupiditatem secularē se reliquisse monstraret, nō solum corde credens ad iustitiam, sed etiam ad salutē ore confessura, quod credidit.

Dicit enim mulier: Domine, uideo quia propheta es tu.

Cœpit venire vir, nondum plene venit, quia prophetam dominum putauit. Erat quidem & propheta, nam de seipso ait: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Item de illo dictum est ad Moysen: Prophetā eis suscitabo de fratribus eorum similem tui. Similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam maiestatis. Ergo inuenimus dominum Iesum dictum prophetam. Proinde iam non multum errat mulier ista. Mat. 13.

Video, inquit, quia propheta es tu.

Incipit virum adulterum excludere, quando ait: ⌊Video quia propheta es tu,⌋ & incipit quærere quod illā solebat mouere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos & Iudæos, quia Iudæi in templo à Salomone fabricato adorabant dominum. Samaritani longe inde positi, non in eo adorabant. Ex eo Iudæi meliores esse lætabantur, quia in templo adorabant deum. Non enim couttuntur Iudęi Samaritanis, quia dicebāt: Quomodo vos lætatis, & ideo vos nobis meliores esse perhibetis, quia templum habetis, quod nos non habemus? Nunquid patres nostri qui deo placuerunt, in templo adorauerunt? Nonne in isto monte adorauerunt, vbi nos sumus? Melius ergo nos (inquiunt) in hoc monte deum rogamus, vbi patres nostri rogauerunt. Contendebant vtrique ignari, quia virum non habentes, illi pro templo, isti pro monte inflabātur aduersus inuicem. Dominus tamen modo docet mulierem, tanquam cuius vir cœperit præsens esse.

Dicit ei mulier: Domine, uideo quia propheta es tu. Patres nostri in mōte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quia Hierosolymis adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi.

Veniet enim ecclesia, sicut dictum est in Canticis canticorum: Dilectus meus loquitur mihi. Et iterū: Surge, propera amica mea, formosa mea, colūba mea, immaculata mea, & veni. Iam enim hyems transiit, imber abijt, flores apparuerunt in terra nostra, tēpus putatiōis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Merito iā præsente viro audit mulier, ⌊crede mihi.⌋ Iam enim est in te qui credat, quia præsens est vir tuus. Cœpisti adesse intellectu, quando me prophetam appellasti. Mulier, crede mihi, quia nisi credideris, nō intelliges. Ergo crede mihi. Canti. 2.

Quia uenit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis q̄d nescitis, nos adoramus q̄d scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed uenit hora & nunc est.

Quę ergo hora?

Quando ueri adoratores adorabūt patrem in spiritu & ueritate.

Non in monte isto, non in templo, sed in spiritu & veritate. Spiritus est deus. Si corpus esset deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons: oportebat eum adorari in templo, quia corporeum est templū. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spū & veritate oportet adorare. ⌊Nos adoramus quod scimus, vos adoratis quod nescitis, quia salus ex Iudæis est.⌋ Multum dedit

Iudæis,sed noli istos reprobos accipere, parietem illum f.cui Israel adiunctus est, vt placati in lapide angulari,qui est Christus,copularentur. Vnus enim paries,à Iudæis, vnus à gentibus,longe disiuti parietes, sed donec in angulo coniungantur. Alienigenæ autem & hospites erant,& peregrini à testamentis dei, secundū hoc ergo dictū est, Lnos adoramus quod scimus.⅃Ex persona quidem Iudæorū dictum est, sed non omnium Iudęorum,non reproborum Iudæorum,sed de talibus,quales fuerunt apostoli, quales fuerunt prophetæ,quales fuerūt omnes illi sancti, qui oīa sua vendiderunt, & precia rerum suarum ad pedes apostolorum posuerūt. Non enim re-

Psal. 93. pulit enim deus plebem suam,quā præsciuit.

Dicit ei mulier: Scio q̃a Messias uenit,qui dicitur Christus. Cum ergo uenerit,ille nobis oīa demonstrabit.

Cum ille venerit,montem spernet,& templū euertet. Docebit nos ille omnia, vt in spiritu & veritate nouerimus adorare. Sciebat quis eam posset docere,sed iam docentē nōdum agnoscebat,iam ergo digna erat cui manifestaretur. Messias autem unctus est. Vnctus latine,græce χριστὸς est,Hebraice Messias est. LErgo dicit ei mulier,scio quia Messias venit,qui dicitur Christus. Cum ergo venerit,ille nobis annunciabit omnia.⅃

Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.

Iam mulier ordinatur in fide & regitur bene victura. Postea quā audiuit hoc,ego sum qui loquor tecum,iam vltra quid diceret? q̃n Christus dominus manifestare se voluit mulieri,cui dixerat: Lcrede mihi.⅃

Et cōtinuo uenerūt discipuli,& mirabantur quia cū muliere loquebatur.

Quia quærebat perditā, qui venerat quærere quod perierat,hoc illi mirabantur. Bonū enim mirabantur, non malum suspicabātur. Nemo tamen dixit,quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

Reliquit ergo hydriam suam mulier.

Audito,ego sum qui loquor tecū,& recepto in corde Christo dn̄o,quid facerer,nisi iā hydriam dimitteret,& euāgelizare curreret? Proiecit cupiditatem, & properare annunciare veritatē. Hydria vas erat vnde aqua hauriebatur, græco nomine appellatur ὑδρία, q̃m Græce aqua ὕδωρ dicitur, tāquam vas aquarū diceretur. Proiecit hydriā, quę non iam vsui, sed oneri fuit. Auida quippe desiderabat aqua illa satiari,vt annūciaret Christū, onere abiecto. Cucurrit ad ciuitatē,& dicit illis hoībus.

Venite & uidete hominem,qui dixit mihi omnia quæcunque feci.

Pedetentim,ne illi quasi irascerentur & indignarentur,& perquirerent,addidit:

Nunquid ipse est Christus? Exierūt ergo de ciuitate,& ueniebant ad eū: Et rogabant eum discipuli,dicentes: Rabbi,manduca.

Ierant emere cibos,& uenerunt.

Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare,quē uos nescitis. Dicebant ergo discipuli admuicē: Nūquid aliquis attulit ei manducare?

Quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli nondum intelligebant escam. Audiuit autem cogitationes illorum,etiam instruit vt magister, non per circuitum,sicut illam, cuius adhuc virum requirebat,sed etiam aperte.

Meus(inquit)cibus est: ut faciam uoluntatem eius qui me misit.

Ergo & potus ipse erat in illa muliere,vt faceret voluntatem eius,qui eum misit. Ideo dicebat, LSitio,da mihi bibere.⅃ Scilicet,vt fidē in ea operaretur,& fidem eius biberet,& eam in corpus suum traijceret. Corpus enim eius est ecclesia. LErgo(inquit) ipse cibus meus ē, vt faciam voluntatem eius,qui me misit,⅃ vt perficiam opus eius.

Nonne uos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt & messis uenit?

In opus feruebat,& operarios mittere disponebat. Vos quatuor menses computatis ad messem, ego vobis aliam messem albam & paratam ostendo.

Ecce dico uobis, leuate oculos uestros & uidete regiones, quia iam albæ sunt ad messem.

Ergo messores missurus est.

In hoc eñ est uerbū uerū,quia alius est qui seminat,& alius est qui metit.

Vt & q seminat simul gaudeat,& q metit.

Ego misi uos metere, quod uos non laborastis. Alii laborauerūt, & uos in labores eorum introiistis.

Nam vbi iam laboratum erat, vtiq; seminatum erat: & quod seminatū erat,iam maturum factum falcem & triturā desiderabat. Quo ergo erant messores mittendi? Vbi iam prophetæ predicauerunt. Ipsi enim seminatores fuerunt. Nam si ipsi non seminatores, vnde ad illā mulierē peruenerat, L scio quia Messias venit?⅃Iam ista mulier fructus maturus erat,& erant albæ messes,& falcē q̃rebāt. LMisi vos metere,quod non seminastis. Alij

ſéminauerunt,& vos in eorum labores intro iſtis. Quid laborauerunt ipſe Abraam, Iſaac & Iacob? Legite labores eorum. In omnibus enim laboribus prophetia eſt Chriſti, & ideo ſeminatores Moyſes & cæteri patriarchæ, & oēs prophetæ multa pertulerunt in illo frigore, quando ſeminabant. Ergo iam in Iudæa meſſis parata erat. Merito ibi tanquam matura ſeges fuit, qñ tot millia hoim precia rerum ſuarum afferebant, & ad pedes apoſtolorum ponentes, expeditis humeris à ſarcinis ſecularibus, Chriſtum dñm ſequebant. Vere matura meſſis. Quid inde factum eſt? De ipſa meſſe eiecta ſunt pauca grana, & ſeminauerunt orbē terrarū: & ſurgit alia meſſis, q̄ in finem ſeculi metenda eſt. Ad iſtam ergo meſſem non apoſtoli, ſed angeli mittūtur. Meſſores (inqt) angeli ſunt. Iſta ergo meſſis creſcit inter zizania, & expectat purgari in fine. Illa vero meſſis iam matura erat, quo prius miſſi ſunt diſcipuli, vbi prophetę laborauerūt. Sed tñ videte quid dictū ſit, Vt ſimul gaudeat, & q ſeminat, & q metit. Diſparis tēporis labores habuerunt, ſed gaudio pariter perfruentur, mercedem ſimul accepturi ſunt vitam æternam.

Ex ciuitate autē illa multi crediderūt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris teſtimonium perhibētis, quia dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cum ueniſſent autē ad illum Samaritani, rogauerunt eū ut apud eos maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderūt propter ſermonē eius. Et mulieri dicebāt: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus & ſcim⁹, quia hic eſt uere ſaluator mundi.

Et hoc paulatim animaduertendum eſt, q̄ lectio terminata eſt. Mulier prima nunciauit, & ad mulieris teſtimonium crediderunt Samaritani, & rogauerunt eum, vt apud eos maneret. Et manſit ibi biduo, & plures crediderunt. Et cum credidiſſent, dicebant mulieri: Non iam propter verbum tuū credimus, ſed ipſi cognouimus & ſcimus, quia hic eſt vere ſaluator mundi. Primo per famam, poſtea p̱ præſentiam, ſic agitur hodie cum eis qui foris ſunt, & nondum ſunt Chriſtiani. Chriſtus nunciatur per Chriſtianos amicos, tanquam ab illa muliere, hoc eſt, eccleſia annunciante ad Chriſtum veniūt, & credunt per iſtam famam. Manet apud eos biduo, hoc eſt, dat illis duo præcepta charitatis. Et multo plures credūt in eum firmius, quoniam ipſe vere eſt ſaluator mundi.

SABBATO POST OCVLI. Iohannis VIII.

In illo tempore: Perrexit Ieſus in mōtem Oliueti, & diluculo iterum uenit in templum. Et reliqua.



MOns quippe Oliueti ſublimitatem dominicæ paſſionis, & miſericordiam deſignat. Quia & græce [illegible] miſericordiam, oliuetū vocatur [illegible], & ipſa vnctio [illegible] feſſis ac dolentibus membris ſolet afferre leuamen. Sed & hoc, quod oleum & virtute ac puritate præeminet, & quemcunq; ei liquorem ſuperfundere volueris, cōſeſtim hunc tranſcendere, eiq; ſuperferri conſueuit, gratiam miſericordiæ cæleſtis non inconuenienter inſinuat, de qua ſcriptum eſt: Suauis dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſup̱ oḿia opera eius. Tempus quoq; diluculi, exortum eiuſdem gratiæ (quia remota legis vmbra, lux euangelicæ veritatis erat reuelanda) demonſtrat. Pergit ergo dominus in mōtem Oliueti, vt arcem miſericordiæ in ſe conſtare denunciet. Venit iterum diluculo in templū, vt eandem miſericordiam, cum incipiēte noui teſtamenti lumine, templo (fidelibus videlicet) ſuo, pandendā præbendamq; ſignificet.

Et om̄is (inquit) populus uenit ad eū. Et ſedens, docebat eos.

Seſſio domini, humilitatem incarnationis eius, per quam nobis miſereri dignatus eſt, inſinuat. Bene autem dicitur, quia cum ſedens doceret Ieſus, omnis populus venit ad eum: quia poſtquam humilitate ſuæ incarnationis proximus hominum factus eſt, libentius eſt à multis eius ſermo receptus: à multis (inquā) eſt eius ſermo receptus, nanq; à pluribus eſt ſuperba impietate contemptus. Audierunt enim manſueti, & lætati ſunt. Deniq; Iudæi tentantes, adduxerunt mulierem in adulterio deprehenſam, interrogantes quid de ea fieri iuberet, quoniam Moyſes talem lapidare mādauerat. Vt ſi & ipſe hanc lapidandam decerneret, deriderent eum, quaſi miſericordię, quam ſemper docebat, oblitū: ſi lapidare vetaret, ſtriderent in eum dentibus ſuis, & quaſi fautorem ſcelerum, legiq; contrarium velut merito damnarent.

Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.

Per inclinationem Ieſu, humilitas: per digitum, qui articulorum compoſitione flexibilis eſt, ſubtilitas diſcretionis exprimitur: porro per terram, cor humanum, quod vel bonarum, vel malarum actionum ſolet reddere fruct⁹, oſtēditur. Poſtulatus ergo dominus iudicare de peccatrice, nō ſtatim dat iudicium, ſed pri-

us se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum quàm obnixe rogatus iudicat. Nos videlicet, nos typice instituēs, vt cū quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc ante reprehendendo iudicemus, q̄ȝ ad conscientiam nostram humiliter reuersi, digito eam discretionis solerter sculpemus, et quid in ea conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, iuxta il-
Gala, 6. lud Apostoli: Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Cum autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis: Qui sine peccato est uestrum, prius in illam lapidem mittat.

Quia Hinc & inde domino scribæ & pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putātes eum vel immisericordem futurum in iudicādo, vel iniustum, præuidens ille dolos, quasi fila transit araneæ, & iudicium iustitiæ per omnia, & mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserendi, ⌞qui sine peccato est vestrum:⌟ ecce iterum iustitia iudicandi, ⌞primus in illam lapidem mittat.⌟ Ac si dixisset: Si Moyses mandauit vobis mulierē huiusmodi lapidare, videte quia non hoc peccatores, sed iustos facere præcepit. Primo vos ipsi iustitiam legis implete, & innocentes manibus & mudo corde ad lapidandam ream concurrite. Primo spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam & charitatē perficite, & sic ad carnalia iudicanda diuertite. Dato autem iudicio:

Dominus iterum se inclinans, scribebat in tarra.

Et quidem iuxta morem cōsuetudinis humanæ potest intelligi, quod ideo coram tentatorib⁹ improbis inclinare se, & in terra scribere voluerit, vt alio vultu intendens, liberā eis daret exeundi facultatem, quos sua responsione perculsos citius exituros, quam plura interrogaturos esse præuiderat.

Denique audientes, unus post unū exiebant, incipientes a senioribus.

Sed figurate nos admonet in eo, quod & adte datam, & post datā sententiam inclinans scripsit in terra, vt priusquam peccantē proximum corripiamus, & postquam debitæ castigationis illi ministeriū reddiderimus, nosipsos digna humilitatis inuestigatione perpēdamus, ne forte aut eisdem quæ in ipsis reprehendimus, aut alijs quibuslibet simus facinoribus irretiati, sicut forte fieri poterit, vt ipse q homicidā reū mortis esse iudicauerit, ipse in seipso per odium fraternę mortis reus esse ante oculum conditoris inueniatur. Similiter, qui fornicationis crimen in fratre accusat, in seipso superbiæ facinus non videat. Ideo iubetur iudex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inueniatur. Quid igitur nobis in huiusmodi periculis remedij, quid restat salutis, nisi vt cum peccantem conspicimus, ad illum mox inclinemur deorsum? id est, quàm deiecti ex nostræ conditione fragilitatis simus, si nos diuina pietas non sustentet, humiliter inspiciamus. Digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, neque enī reprehendit nos cor nostrū in omni via nostra. Bene, qui inclinatus scripsit in terra, erectus misericordiæ verba depromit: qa quod per humanæ infirmitatis societatem promisit, per diuinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit.

Erigens (inquit) se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabāt? Nemo te cōdēnauit? Quę dixit: Nemo dn̄e.

Nemo te condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere cœperant, q̄d magis damnandum cognoscerent. Sed qui accusantium turbas prolato iustitiæ pondere fugault, videamus accusatam quanto misericordiæ munere subleuet. Sequitur:

Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

Quoniam misericors & pius est, peccata præterita relaxat. Quoniam iustus est & iustitiam dilexit, ne amplius iam peccet, interdicit.

DOMINICA QVARTA in quadragesima siue Lætare. Ioh, VI.

In illo tempore: Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et reliqua.



Are Galilææ quod & Tiberiadis dicitur, pro qualitate circumiacentium regionum varijs censetur nominibus. Dicitur autē mare Galilææ, propter adiacentē patriam, vel prouinciam Galilæam. Dicitur autem mare Tiberiadis, propter Tiberiadem ciuitatem, quæ prius Paneas vocata fuit, sed postquam ab Herode reædificata est in honore Tiberij Cæsaris, Tiberias est appellata: dicitur etiam & stagnū Genesareth, eo quod ex se crispantibus vndis aurā generare videatur. Dicitur & latus Cennereth, propter ciuitatem Cennereth adiacentem, & propter oportunitatem portus. Mare quoq; Asphaltū à quibusdā nominatur. Extēditur enī in longitudine cētum quadraginta

ſtadia,in latitudine q̃dragiuta. Nec propterea mare vocatum eſt,eo quod aquæ eius amaræ ſint. Sunt enim dulces ad potandum,habileſq́ꝫ ad piſcandum. Sed idioma Hebrææ linguæ eſt,congregationes aquarum appellare maria,ſicut ſcriptũ eſt in Geneſi: Congregationes aquarum appellauit maria. Spiritualiter,hoc mare nauigerum, præſens ſignificat ſeculum,quod concuſſum, quietum permanere non poteſt. Vnde bene mare dicitur à meando, eo ꝙ ſemp accedat & recedat. Sicut enim mare quietum & tranquillum ſtare nõ valet,ſic mundus conturbationibus & tumultuationibus commouetur: nũc proſperitanbus eleuatur, nunc aduerſitatibus deijcitur, creſcit naſcendo,decreſcit moriẽdo. Hoc ergo mare dominus pertranſiit, quando calcatis mundi fluctibus, iter vitæ cæleſtis nobis oſtendit. De cuius tranſitu Petrus apoſtolus
Actu.10. ait: Qui pertranſiuit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.

Et ſequebatur eũ multitudo magna, quia uidebant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.

Turbæ quæ eum ſecutæ ſunt,electorũ eccleſia intelligitur,ex omnibus gentibus collecta. Hæc enim dominum quotidie ſequitur, nõ greſſu pedis, ſed imitatione operis. Sequi enim dominũ,imitari eſt,ſicut ipſe dicit: Qui mihi miniſtrat,me ſequatur. Vnde & in lege præcipitur: Poſt dominum deum tuum ambulabis. Hinc nos Iohannes admonet, dicẽs:
1.Ioh.2. Qui dicit ſe in Chriſto manere,debet ſicut ille ambulauit,& ipſe ambulare. Reprobi autẽ in hoc mari quaſi piſces voluuntur,qui à carnalibus deſiderijs implicati, littus æternæ vitæ tangere nequaquã valent. Vnde bene mare Galilææ dictum eſt,quæ rota ſiue volubilitas interpretatur. Sicut enim rota mobilis in circulo voluitur,ſed nullum iter perficit,ſic illi qui in mundi amores radices cordis plantauerunt, cum ſint mobiles & inquieti, tamẽ iter cæleſtis vitę nullo mõ arripiunt. De quibꝰ per prophetã dicitur: In circuitu impij am
Pſal.11. bulant. Nos autem qui hic manentem ciuitatem non habemus, ſed futuram toto deſiderio inquirimus,talium exempla deſpicientes,cum domino mare tranſnauigemus,& ea quæ retro ſunt obliuiſcentes, ad ea quæ ante ſunt extenti,ſecũdum vocationem ſequamur eum ad brauium æternæ remunerationis,q̃tenꝰ cum hac turba ſpecialiter ab illo inſtrui, curari & refici valeamus.

Subiit ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.

Mons, in quem dominus tranſnauigatio mari ſubijt,cęlum ſignificat,in quod poſtquã per triumphum ſanctæ crucis frementis mũdi fluctibus calcatis,victor aſcẽdit. Quod autem ibi cum diſcipulis ſedebat, oſtendit,quia vbi præceſſit caput,ſecutura erant & mẽbra, ſicut ipſe ait in euangelio: Volo pater,vt vbi Ioh.18.
ego ſum,ibi ſit & miniſter meus. Et iterum: Luc.17.
Vbi fuerit corpus,illic congregabuntur & aquilæ. Aliter, per hunc mõtem ſublimior doctrina intelligitur. Dominus in monte, verbum eſt in alto. Qui ergo ſublimiorem doctrinam vult accipere,cor de terra ad cælum eleuet,id eſt,de amore mundi trãſeat ad amorem dei. Turbas ergo dominus in conuallibus docet,curat & reficit,& cum diſcipulis in montem aſcendit,vt oſtendat, quia iuxta capacitatem auditorum, formandus eſt ſermo in prædicatione doctorum. Non enim propter perfectos deſerendi ſunt infirmi,ſed potius cum illis tolerandi & corrigendi. Quaſi Luc.19.
cum quodam dominus in conuallibus morabatur,quando illi quærenti, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Reſpondit: Si vis inuenire vitam,ſerua mandata: Non occides, non mœchaberis,non furtum facies,nõ adulterabis,non concupiſces rem proximi tui,honora patrem & matrem. Et illi ſublimiora q̃renti,& dicenti: Hæc omnia cuſtodiui à iuuẽtute mea, protinus montem perfectionis illi oſtendit,dicens: Adhuc tibi vnum deeſt. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes,& da pauperibus,& habebis theſaurũ in cælo,& veni,ſequere me. Sed quia difficile, qui diuitias habent vel amant,hunc montem aſcendũt,abijt triſtis, eo quod diues eſſet valde. Quaſi Paulus cum diſcipulis in conualli- 1.Cor.3.
bus morabatur,quando dicebat: Ego fratres non potui vobis loqui tãquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus. Quaſi paruulis lac vobis potum dedi,non eſcam. Quaſi mõtem aſcenderat,quãndo illis dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos. Quaſi in conual- 1.Co.7.
libus morabatur,quando aiebat: Propter fornicationẽ vnuſquiſq; propriam accipiat vxorem,& vnaquæq; vxor ſuum virum habeat. Quaſi montem aſcenderat,dum dicebat: De virginibus autem præceptum domini nõ habeo,cõſilium autem do. Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſecundum meum conſilium. Volo aũt omnes homines eſſe ſicut & me. Non enim vna eademq́ꝫ doctrina æqualiter omnibus congruit,quia aliter admonendi ſunt nuper conuerſi,& aliter perfecti: aliter coniugati,& aliter virgines: aliter caſti,& aliter luxurioſi: aliter ebrioſi,& aliter ſobrij: aliter ſuperbi,& aliter hũiles: aliter aliena rapiẽtes,& aliter ſua diſtribuẽtes. Plerunq; vero medicinæ antidotũ vnum morbum curat, alterum accumulat. Et panis,cum fortium vitã roboret, paruulorũ necat. Et venenũ, cum vita ſit ſer-

pẽtis,mors eſt hominis. Hæc ergo eſt diſcre
tio in prædicatione obſeruanda, vt quos vi-
derit doctor ſpiritualem intelligentiam cape
re non poſſe,iuxta literã doceat, nec propter
eos tamen perfectiores relinquat. Quod exẽ
plo ſuo nobis Iacob patriarcha oſtendit, qui
cum oues Labam auunculi ſui paſceret,& va
ria quæq; pro mercede acciperet, tulit virgas
populeas,& amygdalinas, quas ex parte de-
corticauit, & ex parte cum corticibus reliqt,
& poſuit eas in canalibus, vt in aſpectu illarũ
oues varios fœtus conciperent. Quid Iacob
paſtor ouium, niſi paſtorem eccleſiæ ſignifi-
cat? Quid oues, niſi fideles auditores? Vnde
primo paſtori dictum eſt: Si diligis me, paſce
Prou. 15 oues meas. Aqua vero ſcripturam ſacram de-
ſignat, de qua per Salomonem dicitur: A-
qua profunda ſermo ex ore viri, & torrens
redundans fons ſapientiæ. Virgæ autẽ, eiuſ-
dem ſcripturæ ſententiæ ſunt, quæ ex parte
ſunt decorticandæ, & ex parte cum corticibꝰ
relinquendæ, vt perfectiores allegorice in-
ſtruantur: minus capaces, iuxta literam eru-
diantur.

Erat autem proximum paſcha, dies feſtus Iudæorum.

Non vt quidam putant, paſcha à paſſione,
ſed à tranſitu eſt dictum. Ex eo vero tempo-
re, quo dominus per Aegyptum trãſiens, pri
mogenita Aegyptiorũ percuſſit, & filios Iſra
el liberauit, paſcha iuſſum eſt celebrari, quod
hebraice phaſe, latine tranſitus dicitur. Dictu
rus euangeliſta dominum ex quinq; panibus
quinque millia hominum ſatiaſſe, præmiſit:
⌊Erat proximum paſcha, dies feſtus Iudæ-
orum.⌋ vt intelligamus, quia tunc ab eo ſpi-
ritualiter paſcimur, quando tranſitum cele-
bramus, id eſt, quãdo de vitijs ad virtutes, &
de amore mundi ad amorem tranſimus dei.

Cum ſubleuaſſet ergo Ieſus oculos, & uidiſſet quia multitudo maxima uenit ad eum.

Oculi domini in ſcripturis duplicem ha-
bent ſignificationem. Aliquando enim dona
ſpiritusſancti ſignificant, aliquando reſpectũ
miſerationis. Dona ſpiritusſancti, ſicut in Za
Zach. 3. charia legitur: In lapide vno ſeptẽ oculi ſunt.
Apoc. 5. Et Iohannes in Apocalypſi: Et vidi, & ecce in
medio throni & quatuor animaliũ, & in me-
dio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occi
ſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſe-
ptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus dei, miſſi in o-
mnem terram. Reſpectum miſerationis, ſicut
in pſalmo legitur: Oculi domini ſuper iuſtos.
Pſal. 33. Et iterum, De cælo reſpexit dominus, vidit
Pſal. 32. omnes filios hominum. Cuius enim oculis
nuda & aperta ſunt omnia, tũc nos videre di
citur, qñ nobis dona ſuę miſerationis tribuit,
vel à preſſura tribulationis liberat, ſicut Mo- Exod. 3.
yſi dicit: Vidẽs vidi afflictionem populi mei,
qui eſt in Aegypto, & gemitum eorum audi-
ui, & deſcendi liberare eum. In hoc ergo lo-
co ſubleuatio oculorum domini, reſpectum
miſerationis ſignificat, quia turbas, quas po-
ſtea pauit, prius miſericorditer inſpexit. His
enim oculis dominus Petrum reſpexit, quan
do egreſſus foras amare fleuit.

Dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi?

Interrogauit dominus Philippum, non vt
ab eo aliquid diſceret, ſed vt eum doceret.
Quod facilius intelligimus, ſi quibus modis
interrogatio fiat perpendamus. Fit enim tri-
bus: aut ſtudio reprehendentis, aut voto diſcẽ
tis, aut affectu docentis. Studio reprehenden
tis, ſicut ſcribæ & phariſæi dominum interro
gauerunt, vt eum reprehenderent, veluti de
quadam muliere in adulterio deprehenſa, &
de denario, & cætera ſimilia. Voto dicentis,
ſicut apoſtoli dominum interrogauerunt, di-
centes: Dñe, quando hæc erunt? Vel quod
ſignum aduentus tui? & cætera talia. Affectu
docentis, ſicut angelus Iohannem in Apoca- Apo. 7.
lypſi interrogauit, dicens: Hi amicti ſtolis al-
bis qui ſunt, & vnde venerunt? Quo reſpon-
dente, domine mi tu noſti, continuo docuit
eum, dicens: Hi ſunt qui venerunt ex magna
tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & deal-
bauerunt eas in ſanguine agni. Interrogauit
dominus diſcipulum, non vt eum reprehen-
deret, neq; vt ab eo aliquid diſceret, ſed vt eũ
doceret. Quod ſolicite euangeliſta manifeſta
re curauit, cum protinus ſubiunxit:

Hoc autem dicebat, tentans eum.

Quid eſt quod dominus diſcipulum tẽtaſſe
dicitur, cum Iacobus apoſtolus dicat: Nemo Iacob. 1.
cum tentatur, dicat, à deo tentaſ, qa deus in-
tentator malorum eſt. Deus enim neminem
tentat. Si igitur deus neminem tentat, quare
euangeliſta dicit, ⌊hoc autem dicebat tentãs
eum?⌋ Ad quod breuiter reſpondendum, qa
alia eſt tentatio diaboli, qua hominem tentat,
vt perdat: & alia dei, qua hominem tentat, vt
probet. Quod melius cognoſcimus, ſi earun-
dem tentationum modos ſubtilius diſcutia-
mus. Eſt enim tẽtatio diaboli, qua hominem
tentat, vt perdat: de qua liberari cupientes, in
oratione quotidie dicimus: Et ne nos indu-
cas in tentationem. Eſt autem & alia, quæ ex
fragilitate vel delectatione carnis oritur, de q̃
Iacobus dicit: Tentatur aliquis, à concupiſcẽ- Iacob. 1.
tia ſua abſtractus, ſolutus & illectus. Et Apo- 1. Co. 10.
ſtolus: Tentatio vos nõ apprehẽdat, niſi hũa
na. Eſt etiam & alia, qua deus hoĩem tẽtat, vt
probet: de q̃ per Moyſen Iſraelitis dr̃: Tẽtat
vos dñs deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum,
an non. Et per quendam ſapientem: Vaſa fi-

guli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Quo genere tentationis tentauit deus Abraam, vt qui notus erat deo, hominibus appareret probatus. Taliter enim se optabat tentari propheta, cum dicebat: Proba me domine & tenta me. (Psal. 25.) Hoc igitur modo dominus tentauit Philippum, vt qui ignarus erat tanti ministerij, sciolus & doctus redderetur, & disceret eo præsente, qui educit panem de terra, & vino lætificat cor hominis, non dubitare de paucis panibus multas turbas hominum satiare posse. Hæc igitur tentatio non est timenda, sed potius propter probationẽ toleranda, atq; optanda, Iacobo apostolo admonẽte, qui ait: (Iacob. 1.) Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes inci deritis, scientes quod tẽtatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit deus diligẽtibus se.

Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum qd accipiat.

Philippus os lampadis interpretatur, significat hoc in loco populum Iudæorum, q quõdam os lampadis fuit, quando aperto ore ad laudandum deum prosiliuit. In eo vero quod ait, ⌊ducentorum denariorum panes nõ sufficere eis, vt vnusquisq; modicum quid accipiat,⌋ raram vel modicam eiusdem populi significat fidem, quæ per corporalem domini præsentiam & paruum numerum apostolorum, ad vtriusque testamenti notitiam ac cognitionem hominem venire posse non credidit. Ducenti enim denarij, vtrunq; testamẽtum significant.

Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, q habet quinq; panes hordeaceos & duos pisces. Sed hæc qd sunt inter tantos?

Si litera inspiciatur, Andreas hoc in loco maiorem fidem quantulamcunq; videtur habere Philippo, cum dicit: ⌊Est puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos pisces.⌋ Sed in fide dubitauit, cum subiunxit: ⌊Sed hæc quid sunt inter tantos?⌋ Significat enim propheticum sermonem, qui cum deo in carne venturũ prædixit, fidem habuit. Sed cum eum veniẽtem idem populus magna ex parte credere renuit, in fide dubitauit. (Gen. 25.) Quos præfigurauit Isaac, qui cum caligantibus oculis filium benediceret, multa ei futura prædixit, sed tamen quis præsens esset, non agnouit. Puer in scripturis aliquando pro puritate, aliquando pro leuitate mentis accipit. Pro puritate, sicut de domino dicitur: (Isaia. 41) Ecce puer meus electus, quem elegi. Et sicut ipse discipulis suis: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Pro leuitate, vel instabilitate mẽtis, sicut dominus de Iudæis dicit: (Ioh. 21. Mat. 11.) Cui assimilabo hanc generationem pessimam, vel cui eam similem dixerim? Similis est pueris sedentibus in foro ludentibus atq; dicẽtibus: Saltauimus vobis, & non cantastis: planximus, & non lamentastis. Est enim puerilis ætas garrula & leuis, nisi disciplinæ verbere coerceatur. Puer nanq; iste populum significat Iudaicum, qui pro leuitate vel instabilitate mentis, in fide & cognitione dei firmus non permansit. Qui quinque panes habuit, quia Iudaicus populus quinq; libros Moysi accepit, videlicet, Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomium, qui Hebraica lingua Beresith, Veellehsemoth, Vaicra, Vaidabber, Ellehaddebarim nominãtur. Et bene quidem illi panes hordeacei fuisse referũtur, propter duritiam legis. Hordeũ nanq; spissum habet tegumen, & non facile ad eius peruenitur medullã, obscuritatem legis significans, quia lex ante aduentum dñi intantum velata extitit, vt nullus homo eam spiritualiter intelligere posset, quousq; veniens benedictionem daret, qui legem dederat. Si enim per quinq; panes quinque libri Moysi intelliguntur, possumus & per duos pisces alios duos intelligere libros, oracula s. prophetarum, & cantica Psalmorum, qui post autoritatem legis sacratiores in eodem populo habebãtur, quorum vnum memoriter decantando, alterum vero in synagogis suis frequenter legendo, recitabant. Et recte per hos duos pisces, hi duo libri intelligũtur, quia talem populum in ecclesia futurum prædixerũt, qui hoc seruaret in moribus, quod piscis habet in natura. Piscis nanq; quatuor habet naturas: vnã, quia sine aqua viuere non præualet: secundam, quia super eam saltũ dare cõsueuit: tertiam, quia quo magis tunditur fluctibus, eo amplius cõualescit: quartã, quia pisces per coitum nec generant, nec generantur. Sicut igitur sine aqua viuere non potest, ita idem populus sine fonte baptismatis in vitam intrare perpetuã nequit, dño dicẽte: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest intrare in regnum dei. (Iohan. 3.) Et sicut pisces super aquas saltus emittit, sic ipse spiritus terrena despiciens, penna contemplationis sese ad cælestia subleuat, dicens cum Apostolo: Nostra autem conuersatio in cælis est. (Philip. 3.) Et quemadmodum piscis quanto magis fluctibus tunditur, eo amplius conualescit, sic & perfectus Christianus tantum in deo proficit, quantum in hoc seculo inuenit quod durius portet, dicens cum propheta: Induxisti (Psal. 65.)

nos in laqueum, posuisti tribulationes in dor
so nostro, imposuisti homines sup capita no
stra. Transiuimus per ignem & aquam, & e-
duxisti nos in refrigerium. Et sicut mundi pi
sces per coitum nec generant, nec generan-
tur, ita quoque & in ecclesia tales habentur,
qui coniugalem coniunctionem respuentes,
integritatem virginalem sectantur, implen-
tes illud quod dominus dicit in Euangelio:
Luc. 12 Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardē-
tes. Aliter: Per duos pisces, duos ordines, q
in eodem populo celebriores habebantur, in
telligere possumus, regalem scilicet & sacer-
dotalem, à quibus regebantur & instrueban-
tur: quos dominus Iesus in se suscipe digna-
tus, vt fieret nobis rex pariter & sacerdos:
rex, vos bene regēdo: sacerdos: semetipsum
deo hostiam immaculatam pro nobis offe-
rendo.

Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere.

Discumbere homines, est spiritualiter in
fide quiescere. Tunc enim discipulis, vt ho-
mines discumbere facerent, dominus præce-
pit, quando eos in mundū ad prædicandum
destinauit, dicens: Euntes in mundum vni-
uersum, docete omnes gentes, baptizantes
eos in nomine patris & filij & spiritussancti.
Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus e-
rit. Tunc autem discumbere fecerunt, quan-
do profecti prædicauerunt vbiq; deo coope
rante, & sermonem confirmante sequētibus
signis. Sed illud prætermittendum non est,
quod sicut alio euangelista narrante cogno-
uimus: Fecerunt eos discumbere pro con-
uiuia, quinquagenos & centenos. Ordo enī
iste discumbentium, varietatem significat in
ecclesia cōuersantiū. Quinquageni igit discū
bunt pœnitētes, quinquagenarius numerus
pœnitentibus congruit, qa quinquagesimus
Psalmus in pœnitētia est decantatus, & quin
quagesimus annus in lege iubileus ē dictus,
id est, annus remissionis. Centeni, qui se deo
protegente, nulla pœnitentia publica indi-
gent. Aliter: Quinquageni discumbunt con
iugati, centeni virgines. Vel certe quinqua-
genti, qui terrenas res bene disponunt: cen-
teni, qui perfectionis amore omnia propter
deum derelinquunt.

Erat autem fœnum multum in loco.

Fœnum herba est pratorum, quæ dum vi
ridis est, & visu est delectabilis, & sessioni at
que deambulationi suauis: sed cum falce seca
ta fuerit, subito pristinam viriditatē amittit.
Per fœnum ergo delectatio carnalis, siue ei-
usdem fragilitas carnis designatur, quæ cum
amatoribus suis iucunda videatur & pulchra
falce mortis præcisa, in ariditatē pulueris re-
Isaie. 40 digitur, Isaia dicente: Omnis caro fœnum,
& omnis gloria eius quasi flos fœni. Exicca
tum est fœnum, & decidit flos, quia spiritus
dei sufflauit in eo. Vere fœnum est populus
Cuius fœni ariditatem inspexerat Propheta
cum dicebat: Homo sicut fœnū dies eius, tan
quam flos agri, sic efflorebit. Et Iob: Homo Psal. 102.
natus de muliere, breui viuens tēpore, reple- Iob. 14
tur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur
& conteritur, & velut vmbra fugit, & nun-
quam in eodem statu permanet. Turba enim
quam dominus pauit, super fœnum discubu
it, vt intelligamus, quia si spiritualiter ab eo
refici cupimus, necesse est, vt delectationes
carnis sub mentis dominio comprimamus,
iuxta illud Apostoli: Non regnet peccatum Roma. 6
in vestro mortali corpore, vt obediatis con-
cupiscentijs eius, sed mortificate membra ve Colo. 3
stra, quæ sunt super terram, id est, fornica-
tionem, immunditiam, auaritiam, & cætera
huiusmodi.

Discubuerūt ergo uiri, numero quasi quinq; millia.

Non absque consideratione prætereun-
dum est, quod in hac refectione domini nul-
la fœmina interfuisse memoratur, sed tātum-
modo viri. Vir quippe à viribus dicitur. Vn
de dominus ad beatum Iob dicit: Accinge Iob. 38
sicut vir lumbos tuos, id est, sicut fortis re-
stringe luxuriam. Et in sapientia: O viri, ad
vos clamito. Ac si diceret: Qui fluxa & fœ-
minea mente sunt, mea verba audire nō pos-
sunt. Hinc & in laude Ioseph tribulationes
Aegyptias fortiter tolerantis dicitur: Misit
ante eos virum. Cum ergo in hoc conuiuio
domini tantummodo viri fuisse dicūtur, my
stice monemur, vt si quàm suauis sit domin9
gustare desideramus, viri simus, id est, fortes
contra diaboli tentationes, Apostolo monē-
te: Viriliter agite, & confortamini, oīa ve- 1. Cor. 6
stra in charitate fiant. Et angelo in Apocaly
psi: Estote fortes in bello, & pugnate contra
antiquum serpentem. Ne ab hac refectione
dominica fœmina ieiuna remanebit, si sexu
fœminæo viriliter tentamenta diaboli com-
presserit; sicut ecōtra vir sexu fœmineę men
tis efficitur, si contra impetum tētationis mol
lis & dissolutus in opere suo inuenitur. Ad
quorum vituperationem dicitur, & effœmi- Isai. 3.
nati dominabuntur eis. Bene autem quinque
millia hominum fuisse referunt, propter qui
narij numeri perfectionem. Quinarius enim
numerus ad quinque sensus corporis perti-
net, visum scilicet, auditum, gustum, odora-
tum & tactum. Hos igitur sensus solicite cu-
stodire debemus, si conuiuio domini inter-
esse volumus. Custodiamus oculos ab illi-
cito visu, ne videant quod concupiscant, pro
pter illud quod dominus ait: Qui vide it mu Matt. 5.
lierem ad concupiscendam eam, iam mœ-
chatus est eam in corde suo. Et iterum:

Non concupiſces rem proximi tui. Vt cum
Iob.31. Iob dicere valeam: Pepigi fœdus cum ocu
lis meis, ne cogitarem quidem de virgine.
Quod vt facere poſſimus, aſſidue cū Prophe
ta oremus, dicentes: Auerte oculos meos ne
videant vanitatem. Cuſtodiamus aures, ne li
benter audiant verba maledictionis, detracti
onis, falſitatis & ſcurrilitatis, ſed ſemper aper
te ſint ad diuinum verbum audiēdum, vt cū
Iob dicere poſſimus: Auditu auris audiui te
Iob. 42. domine. Hinc nos propheta admonet, dicēs:
Eccl.28. Sepi aures tuas ſpinis, ne audiant verba de-
trahentium. Cuſtodiamus nares ab illicitis
odoribus, ne per illecebras odoris ad peccan
2.Cor.2 dum pertrahamur, ſed ſicut ait Apoſtolus: Si
mus Chriſti bonus odor, deo in omni loco.
Cuſtodiamus linguam à maledictione, de-
tractione, falſitate, murmuratione & ocioſo
ſermone: & propter taciturnitatis cuſtodiam
interdum à bonis ceſſemus eloquijs, iuxta il
Pſalm.38 lud prophetæ: Dixi, cuſtodiam vias meas, vt
non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo
cuſtodiam, & obmutui, & humiliatus ſum, &
Prouer. ſilui à bonis. Mors enim & vita (vt Salomon
18.&21. ait) in manibus linguę. Et: Qui cuſtodit os ſu
um, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam. To
ta enim noſtra religio quodammodo com-
maculatur, niſi linguæ moderationem poſue
1.Co.15 rimus. Quia ſicut ait Apoſtolus: Corrumpūt
Iacob.1. bonos mores colloquia mala. Et Iacobus: Si
quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans
linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius
vana eſt religio. Cuſtodiamus manus ab ef-
fuſione ſanguinis, à perſecutione & læſione
proximi, & eas ſemper paratas ad eleemoſy-
nam habeamus, & ad id quod bonū eſt ope-
randum promptiſſimas, vt cum Propheta di
Pſal. 25. cere poſſimus: Lauabo inter innocentes ma-
nus meas, & circundabo altare tuum domi-
ne. Quod ſi fecerimus, ad millenarij numeri
perfectionem puenimus. Millenarius quip-
pe numerus, vltra quem nulla cōputatio cre
ſcit, eorum perfectionem ſignificat, qui per-
fectæ conſummatæq; ſunt virtutis. Quibus
1.Cor.1. (vt ait Apoſtolus) nihil deeſt in vlla gratia,
expectantibus reuelationem domini noſtri
Ieſu Chriſti.

Accepit ergo Ieſus panes, & cū gra
tias egiſſet, diſtribuit diſcumbenti-
bus. Similiter & ex piſcibus quan-
tum uolebat.

Alius euangeliſta dicit, quod accipiens Ie
ſus panes, gratias agens benedixit, fregit, de-
dit diſcipulis ſuis, vt apponerent, & appoſue
runt turbæ. Iam enim ſuperius per panes, le-
gem Moyſi ſignificari diximus: & per piſces
oracula prophetarum & cātica Pſalmorum.
Accepit ergo Ieſus panes, fregit, & dedit di-
ſcipulis, quando poſt reſurrectionem ſuā ſen
ſum in lege eius aperuit, ſcilicet quando in-
cipiens à Moyſe & omnibus prophetis, in-
terpretabatur illis ſcripturas in omībus quæ
de illo erant. Accepit etiam piſces, fregit, &
dedit diſcipulis, quando & in pſalmis & pro
phetis ſpiritualem intellectum oſtendit illis,
dicēs: Quia ſic ſcriptum eſt in lege Moyſi &
prophetis & pſalmis de me. Et ſic oportuit
pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis & in-
trare in gloriam ſuam, & prædicari in nomi
ne eius remiſſionem omnium peccatorum.
Diſcipuli autem appoſuerunt turbæ, quan-
do eandem intelligentiam vniuerſo orbi pr-
dicauerunt. De quibus dicitur: In omnem ter
ram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis ter
ræ verba eorum. Refecturus autem domin*
turbam, gratias egit patri, non vt aliquid in-
digeret ab eo poſtulare, qui cuncta poſtulata
dat cum patre: ſed vt oſtenderet omnia ſan-
cta & iuſta ab eo eſſe quærenda, de quo Iaco-
bus apoſtolus ait: Omne datum optimum & Iacob.1.
omne donum perfectū deſurſum eſt, deſcen
dens à patre luminum.

Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipu-
lis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt
fragmenta, ne pereant.

Magna hic domini potentia oſtenditur,
ſed non minor eius humilitas declarat̄. Ma-
gna eſt enim poteſtas, de quinq; panibus qn
que millia hominum ſatiare: ſed mira humili
tas, fragmenta quæ remanſerunt, non velle
perire. Si autem per panes ſcriptura intelligi
tur, vt dictū eſt, poſſumus & per fragmenta
quæ remanſerunt, obſcuriores quaſque ſentē
tias eiuſdem ſcripturæ intelligere. Quod er-
go plebeia multitudo nō capit, dominus apo
ſtolis, vt colligerent præcepit: quia obſcurio
res ſententias, quas ſimplex multitudo cape-
re non poteſt, magiſtri eccleſiæ, epiſcopi ſci-
licet & ſacerdotes in proprijs pectoribus de
bent recondere, vt tempore neceſſitatis, non
ſolum ad eam docendam, ſed ad defendendā
idonei inueniantur. Vnde apoſtolus Paulus
cum virtutes epiſcopi deſcriberet, ſcientiam
ſcripturarum in eo eligendam eſſe oſtendit,
dicens: Obtinentem eum, qui ſecundum do-
ctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit Titum 1.
exhortari in doctrina ſana, & contradicen-
tes redarguere. Quamuis enī melior ſit ſan-
cta ſimplicitas, quā docta malitia, tamen ma
giſtris eccleſiæ vtrunq; conuenit, vt & ſan-
cta ſit vita propter exemplum, & docta lin-
gua propter eruditionem aliorum. Vnde do
minus ait: Omnis ſcriba doctus in regno cæ Matt.13.
lorū, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui pro
fert de theſauro ſuo noua & vetera. Et item:
Quiſputas eſt fidelis ſeruus & prudēs, quem Mat.24.
conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt
det illis in tempore tritici menſuram? Amen

dico vobis, quia super oīa bona cōstituet eū. Collegerunt ergo & impleuerūt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, quę superfuerant his q manducauerunt.

Sed creuit signum, auxit admirationem, quia nō solum de quinq; panibus quinq; millia hominum satiata sunt, sed etiā tot fragmēta remanserunt, ex quibus duodecim cophini replerentur. Per duodecim nanq; cophinos, duodecim apostoli cōgrua ratione figurantur. Cophinus enim ex vilibus ac minutissimis contexitur virgis, sic nimirum & apostolidum non ex regibus & principibus, nō ex philosophis & sapientibus huius mundi, sed ex simplicibus & piscatoribus sunt electi, quasi cophini ex vilibus & minutissimis virgis sunt contexti, de quibus ait Apostolus: In
1. Cor. 1. firma mundi elegit deus, vt confundat fortia Est etiam & alia ratio, per quam congrue apostoli cophinis comparantur. In cophinis igitur simus ponitur, & in arentem terram, id est, in gentilium corda detulerunt, vt fructus huberiores redderent, & impleretur prophetia: Pinguescent speciosa deserti, & exul-
Psal. 64. tatione colles accingentur. Induti sunt arietes ouium, & valles abundabant frumento.

Illi ergo hoēs, cum uidissent quod fecerat signum, dicebāt: Quia hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum.

Merito homines appellantur ab euangelista, quia humana tantum sapiebant. Videntes enim tale tantumq; miraculum, debuerāt dicere, quod hic est vere filius dei, qui venit in mundum. Sed quia homines erant, & humana sapiebant, filium dei tacentes, prophetam confitentur. Sed nec in toto erant, cum dominum prophetam confitentur, quia sicut ipse de seipso ait: Nō est propheta sine ho
Marc. 6. nore, nisi in domo & in patria sua. Et iterum:
Luc. 13 Non oportet mori prophetam extra Ierusalem. Sed nos ab eo docti & spiritusancto instructi, horum exempla refugientes, confiteamur cum Petro, quia hic est filius dei viui, qui propter nos, & propter nostram salutem venit in mundum, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos.

FERIA SECVNDA POST Laetare. Iohannis II.

In illo tempore: Prope erat pascha Iudaeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Et reliqua.



Descendit Iesus Capharnaū, ipse & mr̄ eius, & fratres eius, & discipuli eius ibiq; manserunt nō multis diebus. Et prope erat pascha Iudęorū, & ascēdit Iesus Hierosolymā.

Bene enim euangelista ait descendisse Iesum in Capharnaum. Capharnaum vero villa pulcherrima interpretatur, significans hūc mūdum, ad quem dn̄s noster Iesus Christus pro salute humani gn̄is, à paterna sede nunq̄ recedens, descendisse dicitur. Sed solet mouere quosdam, quod in exordio lectionis huius euangelicæ dictum est, quia descendente Capharnaum domino, non solum mater & discipuli, sed & fratres eius secuti sunt eum. Nec defuere hæretici, qui Ioseph virum Mariæ semper virginis, putarēt ex alia vxore genuisse eos, q̄s frēs dn̄i scriptura appellat: alij maiori perfidia, hos eū ex ipsa Maria post natū dn̄m generasse putarent. Sed nos frēs charissimi absq; vllius scrupulo quæstionis scire & cōfiteri oportet, nō tm̄ beatā dei genitricē sed & beatissimū castitatis eiꝰ testē atq; custodē Ioseph ab oīni prorsus actione coniugali mansisse semp immunē, nec natos, sed cognatos eos more scripturæ vsitato fratres & sorores saluatoris vocari. Deniq; Abraam hoc
mō loquitur ad Loth: Ne q̄so sit iurgiū inter me & te, & pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus. Et Labā ad Iacob: Num, Gene. 13.
quia frater meus es, gratis seruies mihi? Et q- Gen. 29.
dem constat, quia Loth filius Aran fratris Abraam, & Iacob filius Rebeccæ sororis Labā, sed propter cognationē sunt fratres nuncupati. Hac ergo regula in scripturis sanctis (vt dixi) frequentissime etiā cognatos Mariæ vel Ioseph dn̄i appellatos oportet intelligi. Qd aūt propinquante pascha Iesus ascendit Hierosolymā, nobis profecto dat exemplū: q̄ta animi vigilantia dn̄icis subijci debeamus imperijs, cū ipse in hoīs infirmitate apparēs, eadem q̄ ex diuinitatis autoritate statuit decreta, custodiat. Ne eñi putarent serui, absq; crebris oronū bonorūq; actuū victimis, vel flagella euadere, vel pręmia se posse percipere, etiā inter seruos ipse ad orandū immolādūq; dei filius ascēdit. Qui veniens Hierosolymā quid ibi gerentes inueniret, quid ibidem gesserit videamus.

Et inuenit (inquit) in templo uendentes boues & oues & columbas & nūmularios sedētes. Et cū fecisset quasi flagellū de funiculis, omnes eiecit de tēplo, oues q̄q; & boues, & nūmulatiorū effudit æs, & mēsas subuertit.

Boues & oues & columbæ ad hoc emebã
tur, vt offerentur in templo. Nummularij ad
hoc sedebant ad mensas, vt interẽptores vẽ:
ditoresq; hostiarum prompta esset pecuniæ
taxatio. Videbantur ergo licite vẽdi in tem-
plo, quæ ad hoc emebãtur, vt in eodem tem
plo offerentur domino. Sed nolens ipse do-
minus aliquid in domo sua terrenæ negotia-
tionis geri, nec eius quidem quæ honesta pu
taretur, negociatores iniustos foras omnes
simul cum his qui negotiabãtur eiecit. Quid
ergo fratres mei? quid putamus faceret do-
minus, si rixis dissidentes, si fabulis vacan-
tes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere
inueniret irretiatos, qui hostias, q̃ sibi immo
larent, ementes in tẽplo vidit, & eliminare fe
stinauit? Hæc propter illos diximus, qui ec-
clesiam ingressi, non solum intentionẽ oran-
di negligunt, verumetiam detractionibus in
sequuntur, addentes videlicet peccata pecca-
tis, & quasi funem sibi longissimum in cauda
eorum augmentatione texentes, nec timen-
tes ex eo districti iudicis examinatione da-
mnari. Nam bis quidem in sancto euange-
lio legimus, quod veniens in templo domi-
nus, huiusmodi negociatores eiecerit. Nunc
videlicet. i. tertio ante passiõem suam anno,
sicut & huius euangelistæ sequentibus scri-
ptis agnoscimus, & ipso quo passus est anno,
cum ante quinque dies paschæ sedens in asi-
no Hierosolymam venisset. Sed hoc idem in
templo sanctæ ecclesiæ domini examine ac
quotidiana visitatione geri, omnis qui recte
sapit, intelligit. Vnde multum tremẽda sunt
hæc dilectissimi, & digno expauescẽda timo
re, sedulaq; præcauendum industria, ne veni
ens improuisus, peruersum qd in bonis, vn-
de merito flagellari, ac de ecclesia eijci debea
mus, inueniat. Et maxime in illa, quæ specia-
liter domus orationis vocabitur, obseruan-
dum, ne quid ineptum geramus, ne cum Co
rinthijs audiamus ab Apostolo: Nunqd do-
1.Cor.11 mus non habetis ad agenda vel loquenda tẽ
poralia, aut ecclesiam dei contemnitis? Et ꝓ-
pheta cum loqueretur, dicens Iudæis: Dile-
Iere.11 ctus meus in domo mea fecit scelera multa.
Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus
in baptismo templum dei, teste Apostolo q
2.Cori.3 ait: Templum enim dei sanctum est, quod e-
stis vos, ipsi ciuitas regis magni, de qua cani-
tur: Fundamenta eius in montibus sanctis. i.
Psal. 86. fundamenta ecclesię in soliditate fidei aposto
lorum & prophetarum. Sed non minus tre-
mendum quod præmisit Apostolus, dicens:
Si quis autem templum dei violauerit, disper
det illum deus. Et ipse iudex iustus: Disper-
Psal. 99. dam (inquit) de ciuitate domini omẽs q ope
rantur iniquitatem. Gaudendum quia in no-
bis paschę solennitas agitur, cum de vitijs ad
virtutes transire satagimus. Pascha quippe
transitus dicitur. Gaudendum, q̃a nostra pe-
ctora ciuitatem videlicet suam visitare: quia
idem pascha nostræ bonæ actionis præsen-
tia suæ pietatis illustrare dignatur. Sed timẽ-
dum satis, vt ne nos in ciuitate sua aliud quã
ipse diligit agentes inueniat, & ipse nobis q̃-
lem non diligimus districtus creditor osten
dat. i. ne nos in templo nummularios, ne ven
ditores ouium, columbarumve reperiens, da
mnet. Boues quippe doctrinam vitę cęlestis,
oues opera munditiæ & pietatis, colũbæ san-
cti spiritus dona designãt. Quia nimirum bo
um iuuamine solet ager exerceri, ager est do
mini cor, cælesti excultum doctrina, & susci-
piendis verbum dei præparatum rite semini
bus. Oues innocenter sua vellera vestiendis
hominibus præstant. Et spiritus super domi
num in columbæ specie descendit. Vendunt
autem boues, qui verbum euangelij non di-
uino amore, sed terreni quæstus intuitu audi
entibus impendũt. Quales reprehendit Apo
stolus, quia Christum nunciarent non synce
re. Vendunt oues, qui humanæ gratia laudis
opa pietatis exercẽt. De quibus dominus ait,
quia receperunt mercedem suam. Vendunt
columbas, qui acceptam spiritus gratiã, non
gratis, vt præceptum ẽ, sed ad præmiũ dãt: q
impositionem manus, q̃ spũs accipit, etsi nõ
ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen fauo-
rem tribuunt, qui sacros ordines non ad vi-
tæ meritum, sed ad gratiam largiũtur. Num
mos mutuo dant, qui non simulate cælesti-
bus, sed aperte terrenis rebus in ecclesia de-
seruiunt, sua quærentes, non quæ Iesu Chri-
sti. Verum huiusmodi operarios fraudulen-
tos quæ merces maneat ostendit dominus,
cum facto de funiculis flagello omnes eiecit
de templo. Eijciũtur enim de parte sortis san
ctorum, qui inter sanctos positi, vel ficte bo-
na, vel aperte faciunt opera mala, Oues quo-
que & boues eijcit, quia talium vitam pariter
& doctrinam ostendit esse reprobam. Funi-
culi quibus flagellãdo impios de templo ex-
pulit, crementa sunt actionum malarum, de
quibus materia damnãdi reprobos districto
iudici datur. Hinc etenim dicit Isaias: Vę qui Isaie.5
traditis iniquitatem in funiculis vanitatis. Et
in Prouerbijs Salomon: Iniquitates (inquit) Prou. 5.
suæ capiunt impium, & funibus peccatorum
suorum constringitur. Qui enĩ peccata pec-
catis pro quibus acriꝰ damnetur accumulat,
quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur,
paulatim agendo prolongat. Nummulario-
rũ quoq;, quos expulerat, effudit æs, & men-
sas subuertit, quia damnatis in fine reprobis,
etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet fi-
gurã, iuxta hoc quod scriptũ est: Et mundus 1.Ioh.2.
transibit, & concupiscentia eius.

Et his qui columbas uendebant, di-

xit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.

Venditionem columbarum de templo auferri præcepit, quia gratia spiritus gratis accipi, gratis debet dari. Vnde Simon ille ma-
Act. 8 gus, qui hanc emere pecunia voluit, vt maiori precio venderet, audiuit: Pecunia tua tecũ sit in perditionem. Nõ est tibi pars neq; sors in sermone hoc. Notandum autem quia non solum venditores sunt columbarum, & domum dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo, precium pecuniæ vel laudis vel etiam honoris inquirunt: verũ hi quoq; qui gradum vel gratiam in ecclesia spiritualem, quam deo largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanæ causa retributionis exercent, contra illud apostoli Petri: Qui loquitur quasi sermones
1. Pet. 4. dei, qui ministrat tanquam ex virtute, quam administrat deus, vt in omnibus honorificetur deus per Iesum Christum. Quicũq; ergo tales sunt veniente domino de ecclesia auferri, auferat ista de suis actibus, ne faciãt domũ dei domum negotiationis. Nec prætereundum, quia solicite nobis scriptura vtranq; saluatoris nostri naturam, & humanam videlicet commẽdat & diuinam. Vt enim vere dei filius intelligatur, audiamus quod ipse dominus ait: [Nolite facere domũ patris mei domum negotiationis.] Aperte nãq; se filium dei patris oñdit, qui templũ dei domũ sui patris cognominat. Vt rursum ver⁹ hoĩs filius sentiatur, recolamus quod in huius capite lectionis descẽdens in Capharnaum, matrem comitem habuisse perhibetur. Sequitur:

**Recordati uero sunt discipuli eius,
Psal. 68. quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.**

Zelo domus patris saluator eiecit impios de templo. Zelemus & nos fratres charissimi domum dei, & quantum possumus, ne quid in ea prauum geratur, insistamus: Si viderimus fratrem qui ad domum dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati seruientem, si luxuria eneruatum, si iracundia turbidum, si alij cuiquã vitio substratum, studeamus inquantum facultas suppetit castigare, polluta ac peruersa corrigere, & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrima mẽte sustinere dolorem. Et maxime in ipsa domo oratiõis, vbi corpus domini consecratur, vbi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostrum fraternãve orõnẽ impediat, totis viribus agamus. Seqt.

Responderunt ergo Iudæi: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus & dixit eis: Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

De quo templo dicat euãgelista post aperuit, videlicet de templo corporis sui, quod ab illis passione solutum, ipse post triduũ excitauit de morte. Quia ergo signũ quærebant à domino, quare solita cõmercia proijcere debuerit è templo, respondit rectissime impios exterminare de tẽplo, quia ipm templum significauerit templum corporis sui, in q̃ nulla prorsus esset alicuius peccati macula. Neq; immerito typicum purgauerit à sceleribus templum, qui verbi dei templum ab hominibus morte solutum diuinæ potentia maiestatis excitare posset à mortuis.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu tribus diebis excitabis illud?

Quõ intellexerunt, ita responderunt. Sed ne nos quoq; spũalem dñi sermonem carnaliter sentiremus, euangelista subseq̃ter de quo templo loqueretur, exposuit. Quod aũt aiũt de templo, quadraginta & sex annis ædificatum est, non primã, sed secundã illius ędificationem significant. Primus eñ Salomon in maxima regni sui pace de centesimo & septem annorum opere perfecit: quod destructũ à Chaldæis, post septuagita annos ad iussionem Cyri Persæ laxata captiuitate, reædificari cœptum est. Sed filij transmigrationis opus quod principib⁹ Zorobabel & Iesu faciebant, propter impugnationem gẽtium vicinarum ante quadraginta & sex annos implere nequiuerunt: qui etiam numerus annorũ perfectionẽ dñici corporis aptissime congruit. Tradunt etenĩ naturaliũ scriptores rerum, formã corporis humani tot dierũ spatio perfici: quia videlicet primis sex à cõceptiõe diebus lactis habeat similitudinẽ, seq̃tibus nouem vertat in sanguinẽ: deinde duodecim solidet, reliquis decem & octo firmetur, vsq; ad perfecta lineamenta om̃ium membrorũ, & hinc iam reliquo tẽpore usq; ad tẽpus partus magnitudine augeatur. Sex autem & nouem, & duodecim & decem, & octo, quadraginta quinq; faciunt, quibus si vnum adiecerimus. i. ipsum diem quo discretum per mẽbra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis domimini, quot in fabrica templi annos inuenimus. Et quia templum illud manufactum, sacrosanctam domini carnem, quam ex virgine sumpsit, vt ex hoc loco discimus, figurabat, quia æque corpus eius, quod est ecclesia, quia vniuscuiusque fidelium corpus animamque designabat, vt in plerisque scripturarum

locis inuenimus. Adã vero primus post peccatum audiuit: Terra es, & in terram ibis. Secundus vero Adam de seipso ait: ⌊Soluite tẽplũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud.⌋ Sparsus vero fuit primus p̃ vniuersum mundum, qui in secũdo collectus est, quod significat nomen Adam, qui quatuor literis scribitur, i. ἄλφα, δέλτα: iterum ἄλφα & μῦ, quæ quatuor literæ, quatuor partes orbis designant, in q̃s sparsus est Adam in filijs suis. Ideo in principijs nominum partium mundi, hæ quatuor literæ leguntur. Nam ἄρκτος quod est septentrio, ab α incipit: δύσις, quod est occidẽs à δ incipit: & ἀνατολή, quod est oriens, ab α etiam incipit: μεσημβρία quod est meridies, à μ incipit, q̃ sunt partes orbis, ab his quatuor literis incipientes. Quæ literæ si in computo græco cõsiderentur, quadragintasex faciũt. Nam α, vnum: δ, quatuor: & iterum α, vnum: μ, quadraginta, qui simul ducti, sunt quadragintasex, mystice designant annos, quibus templũ corporis Christi in vtero virginali ædificatum est, sicut superius diximus. Caro autẽ Christi, quæ de Adam sumpta est, destructa est à Iudæis, & à seipso iterum ædificata est, secundum scripturas prophetarum. Et ideo dicit Euangelista.

Hoc enim dicebat de templo corporis sui. Cũ ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, q̃a hoc dicebat de corpore suo, & crediderunt scripturæ, id est, prophetarum dictis, qui prædixerunt Christum tertia die resurgere.

Et sermoni quem dixit Iesus .i. q̃d ait, ⌊soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.⌋ Hoc est, tertia die resuscitabo, quod vos soluitis in cruce. Sequitur:

Cum autem esset Iesus Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa quæ faciebat. Ipse autem Iesus nõ credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse em̃ sciebat q̃d esset in homine.

Non enim sic credebant in eum, vt digni essent Christum habitare in eis, quorum fides catechumenis comparari potest, qui credunt in Christum, sed Christus nõ credit seipsum eis. Quia nisi quis renatus fuerit ex a-
Iohan. 3. qua & spiritusancto, non potest introire in regnum dei. Nemini vero se credit Christ⁹, nisi qui dignus est introire in regnum dei. Vnde & ecclesiastica consuetudo catechumenis corporis & sanguinis Christi communionem non tradit, quia non sunt renati ex aqua & spiritu, quibus tantum creditur participatio corporis & sanguinis Christi.

FERIA TERTIA POST Lætare. Iohannis VII.

In illo tempore: Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cũ non didicerit? Et reliqua.



ILle qui latebat, docebat & palam loquebatur, & non timebat. Illud enim, vt lateret, erat exempli, hoc potestatis, sed cũ doceret, mirabantur Iudæi. Omnes quidem (quantum arbitror) mirabãtur, sed non omnes conuertebantur. Vnde admiratio? Quia multi nouerant, vbi natus, quemadmodum fuerit educatus, nunquam eum viderant literas discentem, audiebant tamen de lege disputantẽ, legis testimonia proferentem, quæ nemo potest proferre nisi legisset, nemo legerit nisi literas didicisset, & ideo mirabantur. Eorum autem admiratione magistro facta est insinuandæ altius veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione & verbis dixit dominus aliquid profundum, & diligentius inspiciendum. Quid ergo respondit dominus eis, admirantibus quomodo sciret literas, quas non didicerat?

Mea (inquit) doctrina nõ est mea, sed eius qui misit me.

Hic est em̃ profunditas. Videt em̃ paucis verbis contraria locutus: Non em̃ ait, ista doctrina non est mea, sed mea doctrina non est mea. Quomodo mea, & non mea? Quæstio est, quomodo fieri possit vtrunque, & mea & non mea. Si enim diligenter intuemur, quod ipse in eodẽ dicit sanctus euangelista: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum, inde pendet huius solutio quæstionis. Quæ est ergo doctrina patris, nisi verbum patris? Ipe ergo Christus patris doctrina, siue verbum patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicuius, & suam doctrinam dixit seipsum & non suam, quia patris est verbum. Hoc dixisse videtur dominus Christus, ⌊mea doctrina non est mea⌋ acsi diceret: ego non sum à meipso. Quamuis enim filium patri dicamus & credamus æqualem, nec vllam in eis eẽ naturæ vel substãtiæ distantiam, nec inter generantem atq; generatum aliquod interfuisse interuallum, tamen hoc seruato & custodito, ista dici

mus quod ille pater est, ille filius. Pater autē non est, si non habeat filium: filius nō est, si non habeat patrem. Sed tamen filius deus de patre, pater autem deus, sed non de filio pater. Deus de deo, lumen de lumine. Pater lumen, filius lumen nō duo lumina, sed vnum lumen. Pater deus, filius deus, nō duo dīj, sed vnus deus pater & filius. Spiritussanctus de patre & filio procedens, & ipse deus, sicut pater deus, sicut filius deus, sic etiam spiritussanctus deus: non tres dīj, sed vnus deus, vnum lumen, vna substantia, vna natura, vna maiestas, vna æternitas, vna magnitudo, vna potentia, vna bonitas. Vidit itaq; ipse dominus Christus dei sapientia, hoc tam profundum arcanum non omnes intellecturos, iis consequentibus dedit consilium, quod intelligere
Isa. 7. iuxta 70. est credere. De⁹ enim per prophetam dixit: Nisi credideritis non intelligetis. Ad hoc pertinet quod hic etiam dn̄s secutus adiunxit:

Si quis uoluerit uolūtatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrū ex deo sit, an ego a meipso loquor.

Quid est hoc, Si quis voluntatem voluerit facere? Sed ego dixeram, si quis crediderit, & hoc consilium dederam: si non intellexistis inquam, credite, intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere vt credas, sed crede vt intelligas, quoniam nisi credideritis non intelligetis. Cum ergo ad possibilitatem intelligendi, consilium dederim obedientiam credendi, vt dixerim dominum Iesum Christum hoc ipsum coniunxisse, in consequenti sententia inuenimus eū dixisse: Si quis voluerit voluntatem eius facere, hoc est, credere: sed quia cognoscit, hoc est, intelligit, omnes intelligunt. Quia vero quod ait, si quis voluerit voluntatem eius facere, hoc pertinet ad credere, vt diligentius intelligatur, opus est nobis ipso domino nostro expositore, vt indicet nobis, vtrum vera credere pertineat ad facere voluntatem patris eius. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem dei, operari opus eius? Id ē, quod illi placet. Ipse autem dominus aperte alio loco di-
Iohan. 8. cit: Hoc est opus dei, vt credatis in eum quē ille misit. Vt credatis in eum, non vt credatis ei. Non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebāt ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis ipsius possumus dicere: Credimus per Paulum, sed non credimus in Paulum: credimus per Petrum, sed non credimus in Petrū. Credidit in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Quid ergo est credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo ad eum scribi, & eius membris incorporari. Ipsa ergo fides, quam de nobis exigit deus, est quæ per dilectionem operatur. Si intelligis verba dei, intellige q̄a Christus filius dei est, & doctrina patris non ē ex ipso. Non ex nihilo, non ex alijs subsistentibus, sed ex patre tantum, in patre manens, æqualis patri.

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.

Hic erit qui vocatur antichristus, extollēs se (sicut Apostolus dixit) super omne quod dicitur deus, & quod colitur. Ipsum quippe annuncians dominus gloriam suam quæsiturum, non gloriam patris, ait ad Iudeos: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc suscipieris. Iohan. 5. Significauit eos antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflat⁹, nō solidus. Et ideo instabilis, sed vtiq; ruinosus. Dominus autem noster Iesus Christus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis. Nempe æqualis est patri. Nempe in principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Nempe ipse dixit, & verissime dixit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, Iob, 14. qui vidit me, videt & patrem. Nempe ipse dixit, & verissime dixit. Ego & pater vnum sumus. Si ergo cum patre vnum, æqualis patri deus de deo, deus apud deum coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter sine tempore, pariter creator & dispensator temporum: tamen quia venit in tempore, & formam serui accepit, & habitu inuentus est vt homo, quærit gloriam patris, non suam. Quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris: quando autem aliquid mali facis, deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnosce creatorem: seruus es, ne contemnas dominū: adoptatus es, sed non meritis tuis: quære gloriam eius, à quo habes hanc gratiam hō adoptatus: cuius gloriam quæsiuit, qui est ab illo vnicus natus.

Qui autem quærit gloriam eius qui misit illum, hic uerax est, & iniustitia in illo non est.

In antichristo autem iniustitia est, & verax non est, non est à quo missus est. Non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne induamur in laqueos Antichristi, nō quæramus gloriam nostram. Sed si ille quæsiuit gloriam eius qui eum misit, quanto magis nos eius q nos fecit? Sequitur:

Nonne Moses (inquit) dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem?

Nam si legē fecissetis, in ipsis literis Christum agnosceretis, & præsentem non occideretis.

Quid me quæritis interficere?

Ideo enim quæritis me interficere, qa nemo ex vobis facit legem.

Respondit ei turba: Quid responderit videte.

Dæmonium habes? Quis te quærit interficere?

Quasi non fuit peius dicere, dæmonium habes quàm eum occidere. Ei quippe dictum est, quod dæmonium habebat, qui dæmones expellebat: quid possit aliud dicere turba turbulenta, quid possit aliud olere cœnum commonum, nisi putridum? Turbatur turba, vnde? à veritate, Turbam lippitudinis turbauit claritas lucis. Oculi autem non habentes sanitatem, nō possunt ferre luminis claritatem dominus autē non plane turbatur, sed in sua veritate tranquillus, nō reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus si diceret, dæmoniū habetis potius vos, verum vtiq; diceret. Vnde enim hoc diceret de veritate, dæmonium habes, nisi eos diabo li falsitas irritaret? Quid ergo respondeat, tranquillius audiamus, & tranquille viuamus.

Vnū opus feci, & omnes miramini.

Tantum est ac si diceret: Quid si omnia opera mea videritis? Ipsius enim opera erant, quæ in mundo videbant. Fecit vnam rem & turbati sunt, quia saluum fecit hominem in sabbato, non intelligentes dominum esse sabbati filium hominis, qui sabbatū propter hominem constituit, non hominē propter sabbatum. Nec sabbatum destruxit, qa sanum fecit hominem in sabbato, quia ad salutem hominum, hominibus sabbati custodia data est.

Propterea Moyses dedit uobis circuncisionem, bene factum est vt accipere tis circuncisionem à Moyse, non quia ex Moyse est, sed est patribus.

Abraam quippe primus accepit circuncisionem à domino. Et in sabbato circūciditis hominem. Cōuincit vos Moyses, in lege accepistis vt circūcidatis octauo die, accepistis in lege vt vacetis septimo die. Si octauꝰ dies illius q natus ē, occurrerit ad diē septimū sabbati, qd facitis? vacabitis, vt seruetis sabbatū, an circūcidetis, vt impleatis sabbato sacramētū diei octaui? Sed noui (inquit) quid facitis, circunciditis hoiem. Quare? quia circuncisio pertinet ad aliquod signum salutis, & non debent homines sabbato vacare à salute. Ergo nec mihi irascimini, quia saluum feci totū hominem in sabbato. Si circuncisiōem (inqt) accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi. Aliquid enim per Moysen in illa cōstitutione circūcisionis salubriter institutū ē.

Mihi operanti salutē in sabbato quare indignamini?

Forte enim illa circuncisio ipsum dominū significabat, cui isti curanti, & sanāti indignabantur. Iussa est enim adhiberi octaua die. Et quid est circūcisio, nisi carnis expoliatio? Significat ergo ista circuncisio expoliatiōem à corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est, & in eo membro fieri iussa. Quoniam per illud membrum procreaꝰ creatura mortalium, & per vnum hominem resurrectio mortuorum. Et per vnum hominē peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, ideo quisq; cum præputio nascitur quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur. Et non mundat deus siue à vitio cum quo nascimur, siue à vitiis quæ male viuendo addimus, nisi per cultellum petrinū. i. dominū nřm Iesum Christū. Petra enim Chřs. Cultellis enim petrinis circuncidebant, & petræ nomine Christum figurabant, & præsentem non agnoscebant, sed insuper eum occidere cupiebant. Quod vero circunciditis hominem in sabbato, intelligite hoc significari opus bonum, quod ego feci totum hominē in sabbato saluum: quia & curatus est, vt sanus esset in corpore: & credidit, vt sanus esset in anima.

Roma. 5.

1. Cor. 10.

Nolite iudicare personaliter, sed recte iudicium iudicate.

Quid est hoc modo? Quasi per legem Moysi circunciditis sabbato, non irascimini mihi personaliter veritati. Veritatem attendite, & iustum iudicium iudicate. Si secundum veritatem iudicatis, neq; Moysen neq; me condemnabitis, & veritate cognita me cognoscitis, quia ego sum veritas. Hoc vitium fratres quod dominus notauit hoc loco, euadere in hoc seculo magni laboris est, non personaliter iudicare, sed rectum iudicium retinere. Admonuit quidem dominus Iudæos, sed nō minus admonuit & nos. Illos conuicit, nos instruxit: illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobis ideo non dictum, qa tūc ibi non fuimus: nos itaq; sic audiamus euangelium quasi præsentem dominum. Ne dicamus, ò illi felices, qui eum videre potuerunt. Multi in eis, qui viderunt eum carnaliter, occiderunt: multi autem in nobis, qui non viderunt, crediderunt. Quis est qui non iudicat personaliter, nisi qui æqualiter diligit? Qui æqualiter omnes diligit, æqualiter de omnibus iudicat. Ne hoc dictum putemus de illis, quos pro honore graduum diuerso modo honoramus, sed de illis q̄rum, causas dīu dicare iubemur. Dñs igitur Iesus non manifeste, sed occulte ascēdit ad diē festū, nō quia timebat ne teneret, sed vt significaret etiam ipso die festo, qui celebraꝰ à Iudæis, occulta-

tum & fummum effe myfteriũ. Sed mox apparuit poteftas, quæ putabatur timiditas. Loquebatur enim palam in die fefto, ita vt mirarentur turbæ, & dicerent, quod audiuimus cum lectio legeretur:

Nonne hic eft, quem quęrunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid uere cognouerunt principes, quia hic ē Chriftus?

Qui nouerant qua fæuitia quærebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur. Inde non plene intelligentes illius potentiam, putauerunt effe principum fcientiam, quod ipfi cognouerant, eundem effe Chriftũ, ideo pepercerunt ei, quem tantopere occidendum q̃ſierunt. Deinde illi ipfi apud feipfos quid dixerunt? ⌊Nunquid vere cognouerunt principes, quia hic eft Chriftus?⌋ Fecerunt fibi q̃ſtionem, qua eis videretur nõ effe Chriftus, adiungentes enim dixerunt.

Sed iftum nouimus unde fit. Chriftus autem cum uenerit, nemo fcit unde fit.

Quid eft quod dixerunt Iudęi: ⌊Chriftus cum venerit, nemo fcit vnde fit,⌋ quum Herode interrogante locum natiuitatis eius demonftrauerunt, iuxta prophetiam Micheæ prophetæ? Et ex hoc certum, locum natiuitatis illius eos noffe. Sed confiderandum eft, quid fe noffe putarent, & quid fe nefcire dixerunt. Locum vero natiuitatis illius fciebant per prophetarum dicta, fed diuinam eius natiuitatem, qua ex deo patre æternaliter natus eft, propter impietatem cordis fui nefciebant

Ifaie.53. Ifaia dicente: Generationem eius quis enarrabit? Deniq; & ipfe dominus ad vtrũq; refpõdit, & de humanitatis fragilitate, & de diuinitate maieftatis, dicens:

Clamabat ergo docens in templo Iefus: Et me fcitis, & unde fim fcitis.

Recte ergo dixit: ⌊Et me noftis & vnde fim fcitis⌋.i. fecundum carnem natiuitatem meam noftis, & nobilitatem parentum meorum, & effigiem vultus mei noftis, fecũdum diuinitatem autem non noftis, quia

A meipſo non ueni, fed eft uerus qui me mifit, quem uos non fcitis.

Sed vt eum fciatis, credite in eũ quem mifit. Et fciatis, quod nemo deum vidit vnquã, nifi vnigenitus filius, q eft in finu patris, ipfe enarrauit. Et nemo cognouit patrem, nifi filius, & cui voluerit filius reuelare. Deniq; cũ dixiffet, fed eft verus qui mifit me, quem vos nefcitis, vt oftenderet eis vnde poffent fcire quod nefciebant, fubiecit:

Ego fcio eum. Ergo à me quærite, vt fciatis eum. Quare autem fcio eum?

Quia ab ipfo fum, & ipfe me mifit.

Magnifice vtrunq; monftrauit: ⌊ab ipfo (inquit) fum,⌋ quia filius de pře. Et quicquid eft filius, de illo eft cuius eft filius. Ideo dominum Iefum dicimus deum de deo, patrē non dicimus deum de deo, fed tantum deum. Et dicimus dominum Iefum lumen de lumine, fed patrem tantum lumen. Ad hoc ergo pertinet quod dixit ⌊ab ipfo fum⌋. Quod autem videtis me in carne, ipfe me mifit: vbi audis, ipfe me mifit, noli intelligere naturæ diffimilitudinem, fed generantis autoritatem.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo mifit in illum manus, qa nondum uenerat hora eius.

Hoc eft, quia nolebat. Qui enim voluntate natus eft, volũtate paffus eft. Sicut horam præuidebat fibi natiuitatis fuæ, ita horam prę deftinauit paffionis fuæ. Si hora mortis noftræ illius eft voluntas, quanto magis hora paffionis fuæ in arbitrio voluntatis fuæ venit? Magna igitur mifericordia domini noftri Iefu Chrĩſti, factum effe eum ꝓpter nos in tempore, per quem facta funt tempora: factum effe inter omnia, per quem facta funt omnia: factum effe, quod fecit. Factus eft qđ fecerat, factus eft em̃ hõ, qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundum hanc difpenfationem iam venerat hora natiuitatis & natus erat, fed nondum venit hora paffionis, Ideo nodum paffus erat, quia nondũ venerat hora in qua pati voluiffet. Ideo in cruce legitur eum dixiffe, dum oñia perfecta funt fecundum fcripturas prophetarum: Cõfummatum eft, & inclinato capite tradidit fpiritum. Dum vero voluit, confummata fuerant, quæ de eo fcripta funt, & confummatis oñibus, poteftate propria emifit fpiritum.

De turba autem multi crediderunt in eum.

Humiles & pauperes faluos faciebat dominus, principes infaniebant. Et ideo medicum non folum non agnofcebant, fed etiam occidere cupiebant.

FERIA QVARTA POST Lætare. Iohannis IX.

In illo tempore præteriens Iefus, uidit hominem cæcum a natiuitate. Et reliqua.



A quippe quæ fecit dominus nofter Iefus Chriftus ftupenda atque miranda, & opera & verba funt. Opera, quia facta funt: verba, quia figna funt.

Si ergo quid significet hoc, quod factum est cogitemus, genus humanum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim cæcitas est infidelitas, & illuminatio fides, quẽ fidelem, quãdo venit Christus inuenit? Ideo Euangelista, de Christo dicit: ⌊Et præteriẽs Iesus.⌋ Sic prẹterijt eñ Christus, & non in via peccatorum nostrorũ stetit, sicut in quadã parabola ipse dominus ait:
Luc. 10. Venit enim Samaritanus secus viam, qui venit sanare vulneratum semiuiuum. Præterijt cæcum illuminare, qui vulneratus in parabola dicitur, hic in re gesta cæcus illuminatur. Vidit ergo hominem cẹcum, non vtcunque cæcum, sed cæcum à natiuitate. Omnes enim homines præter illum solum, qui ex virgine natus est, originali peccato cæci, id est, cum peccato nati sunt, quod ex radice peccati primi parentis traxerunt.

Interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi.

Magistrum appellabant, qui discere desiderabant. Quæstionem quippe domino proposuerunt, tanquam magistro.

Quis peccauit? hic, aut parentes eius, ut cẹcus nasceretur? Rñdit Iesus: Neq; hic peccauit, neq; parẽtes eius

Quid est quod dixit? Si nullus homo sine peccato, nunqd parentes huius cæci sine peccato erant? Nunquid ipse sine peccato originali natus erat, vel viuendo nihil addiderat? Si ergo & parentes eius habuerũt peccatum & iste habuit peccatũ, quare dominus dixit, ⌊Neq; hic peccauit neq; parentes eius,⌋ nisi ad rem respondit, de qua interrogatus ẽ, cur cæcus nasceretur? Habebãt autem peccatum parẽtes eius, sed non in ipso peccatum factũ est, vt cæcus nasceretur. Si ergo non peccato parentum factum est vt cæcus nasceretur, q̃re cæcus natus est? Audi magistrum docentem, quærit credentem, vt faciat intelligentẽ ipse causam dicit, quare sit ille cæcus natus. ⌊Neq; hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera dei in illo.⌋ Non solum quid in hoc tantummodo cæco acturus sim, sed vt manifestetur, quid in cẹcitatate totius humani generis per me agendum sit, deinde secutus adiunxit:

Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.

Memento quomodo vniuersam gloriam illi dat, de quo ẽ, quia ille habet filium qui de illo sit, ipse non habet de quo sit. Quæ sunt opa domini propter quod venit filius dei in mundum, nisi cæcitatem humani generis illuminare, vulnerata quæq; sanare, perdita requirere, deformia reformare? Sed quid est q̃ dixit: ⌊Me oportet operari opera eius q̃ misit me, donec dies est? Venit enim nox qñ nemo põt operari.⌋ Constat expressum ac diffinitum diem commemorasse dominũ hoc loco seipsum. i. lumen mundi. ⌊Quam diu (inquit) sum in hoc mundo, lumen sum mũdi.⌋ Ergo ipse operatur, q̃diu est in hoc mundo. Putamus fratres eum fuisse hic tũc, & modo non hic esse? Si hoc putamus, iam ergo post ascensum domini facta est nox ista metuenda, vbi nemo possit operari. Sed post ascensionem facta est nox ista, quid est quod ait discipulis suis ascendens in cælũ: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationem seculi? *Mat. 28.* qui tunc corporali præsentia fuit in mundo, nunc diuina potentia præsens est vbiq; In mundo. Audiuimus diẽ, audiamus quæ sit nox ista. Quid igit? Quid dicemus de nocte ista, quãdo erit, qñ nemo poterit operari? Nox ista Impiorũ erit, nox ista eorum erit, quib⁹ in fine dicetur: Ite in ignẽ *Mat. 25.* æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Sed & nox dicta est flamma ignis. Audi, quia & nox est, quæ de quodam seruo dicitur: Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores. Operet̃ ergo homo, ne illa nocte præueniatur, vbi nemo possit operari. Modo est, vt operetur per dilectionem: & si modo operamur, hic est dies, hic est Christus. Audi promittentẽ, & ne arbitreris absentẽ. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ seculi. Ibi eñ erit nox, vbi nemo possit operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis. Reddet enim vnicuiq; secundum opera sua. Audiamus solicita mente Apostolum nos exhortantem operari. Dicit enim: Dum tempus habem⁹, ope- *Galat. 6.* remur bonum. Quid enim Christus dixerit, admonendo bonos, terrendo malos, audiuimus. Sed videamus quid fecerit.

Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos eius, & dixit ei: Vade & laua in natatoria Siloe, q̃d interpretatur missus.

Quid fecit dñs perspicuũ est. Illuminatio enim facta ẽ in cæco, sed magnum mysteriũ cõmendat̃ in hũano gñe. Expuit in terrã, & ex saliua lutũ fecit, qa verbũ caro factũ est, & vnxit oculos cæci. Iunctus erat, & nondũ videbat, mittit illũ ad piscinã, quæ vocat̃ Siloe. Pertinuit aũt ad euangelistã cõmendare nobis huius piscinẹ intelligentiã, & ait: ⌊Quod interpretat̃ missus.⌋ Iã quis est missus agnoscitis. Nisi eñ ille fuisset missus, nemo nostrũ fuisset ab iniquitate dimissus. Lauit ergo oculos in ea piscina, quẹ interpretatur missus, ba-

ptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in seipso quodammodo baptizauit, tunc illuminauit: quando inunxit, fortasse catechumenum fecit. Potest quidem aliter atq; aliter tanti sacramenti exponi & pertractari profunditas, sed hoc sufficiat charitati vestrę. Vngitur catechumenus. i. docetur vt credat in Christum. Mittitur ad piscinam baptismi, vt illuminetur, vt lumen verum agnoscat, vt remissionem peccatorum accipiat, vt ex filio iræ efficiatur filius dei, illuminatusq; veniat prędicare Christum.

Itaque uicini, & qui uidebant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nõne hic est, qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est: alij aũt, nequaquam, sed similis est eius.

Aperti oculi, vultum mutabant.

Ille uero dicebat, quia ego sum.

Vox grata, ne damnaretur ingrata.

Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & laua. Et abij, & laui, & uidi.

Ecce annunciator factus est gratiæ, euangelizat, confitetur. Videns cæcus ille confitebatur, & cor impiorum stringebatur, qa non habebant in corde, quod iã habebat in facie.

Dixerũt ei: Vbi est ille? Ait: nescio.

In his verbis animus ipsius adhuc inũcto similis erat, nondum videnti. Sed ponamus fratres tanquam illam inunctionẽ in animo habuerit, & prædicat, & nescit quẽ prædicat.

Adducunt ergo eum ad pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum pharisæi quõ uidisset. Ille autem dixit: Lutum mihi posuit super oculos meos, & laui, & uideo. Dicebãt ergo ex pharisæis quidam.

Non omnes, sed quidam: iam enim inungebantur quidam. Quid ergo dicebant, nec videntes, nec vncti?

Non est iste homo a deo, qui sabbatum non custodit.

Ipse potius custodiebat, qui sine peccato erat, sabbatum spirituale, hoc est, non habere peccatum. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. (Iohan. 8.) Sed isti nec videntes (vt dixi) nec inuncti, sabbatũ carnaliter obseruabant, spiritualiter violabant.

Alii dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere.

Ecce sunt inuncti. Et schisma erat in eis.

Dies ille diuisus erat inter lucem & tẽnbras.

Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos? Quid de illo sentis? quid existimas? quid indicas?

Quærebant quemadmodum homini calumniarẽtur, vt de synagoga pelleretur, sed à Christo inueniretur. Sed ille cõstanter qđ sentiebat expressit. Ait enim:

Quia propheta est, adhuc quidem inunctus in corde, nondum dei filium confitetur, nec mentit. Tamẽ ipse dñs de seipso ait: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. (Mat. 11.)

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & uidisset, donec uocauerunt parentes eius qui uiderat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic ẽ filius uester, quem uos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc uidet? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo ergo nunc uideat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus, ipsum interrogate, ętatẽ habet, ipse de se loqtur.

Quasi dicerẽt, scimus quia hic filius noster est, & quia cæcus natus est: sed iuste cogeremur loqui pro infante, si ipse pro se loqui nõ posset. Iste olim cæcus loquitur, modo videt. Cęcum à natiuitate nouimus, loquentẽ olim scimus, videntem modo videmus. Ipsum interogate, vt instruamini.

Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerunt Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogã fieret. Propterea parentes eius dixerunt, quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerũt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerũt ei: Da gloriam deo.

Quid est, da gloriã deo? Nega qđ accepisti. Hoc plane nõ est deo gloriã dare, sed deũ potius blasphemare. (Iohan. 5.) Da, inquiũt, gloriã deo.

Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator ẽ,

nescio. Vnum scio, quia cæcus cum essem, modo uideo. Dixerunt ergo ei: Quid fecit tibi, quomodo aperuit tibi oculos?

Et ille iam stomachās aduersum duritiam Iudæorū, & ex cæco videns, nō ferens cæcos?

Respondit eis: Dixi uobis iam, & au distis. Quid iterū uultis audire? Nū qd & uos uultis discipuli eius fieri?

Quid est, nunquid, nisi quia ego iam sum? Nunquid & vos iam video? sed non video vos videre.

Maledixerunt ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis.

Tale maledictum super nos, & super filios nostros. Maledictum est enim si cor discuti as, non si verba perpendas.

Nos autem discipuli Moysi sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est deus.

Habetis enim dominum dicentem: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. De me enī scripsit ita: Me sequimini seruum, & dorsum ponitis contra dominum.

Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia uos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores deus non audit. Sed si quis dei cultor est, & uoluntatē eius facit, hūc exaudit.

Adhuc inunctus loquitur, nam peccatores exaudiuit deus. Si enim peccatores deus nō audiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiēs, diceret: Domine, propitius esto mihi peccatori. Et per istam confessionem meruit iustificationem, quomodo iste cæcus illuminationem. Sed peccatoribus lauādum est cor pœnitentiæ lachrymis, vt exaudiantur: & fiat in corde illorum, quod factum est in facie cæci huius, & sentiant deum illos exaudire, qui vt peccatores saluaret, venit in mundum.

A seculo non est auditum, quia quis apuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a deo, non poterat facere quicquam.

Libere, constāter, & veraciter. Hæc enim quæ facta sunt à domino, à quo fierent, nisi à deo? Aut quando à discipulis talia fierent, nisi in eis deus habitaret?

Responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus.

Quid est totus? Cum oculis clausis. Sed q apuit oculos, saluat & totū. Ipse dabit in corde resurrectionē, qui in facie dedit illuminationē. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? & eiecerunt eum foras?

Ipsi illum magistrum fecerant: vt disceret toties interrogauerunt: & interrogatum, docentem proiecerunt.

Dum ergo audiuit Iesus, quia eiecerūt eum foras, & cum inuenisset eū, dixit ei: Tu credis in filium dei?

Modo lauat faciem cordis.

Respondit, & dixit quasi adhuc inūctus: Quis est domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et uidisti eum, & q loquitur tecum, ipse est. Tunc prostratus adorauit eum.

Deniq; iam facie lota cordis, & mundata conscientia, agnoscens illum non filium Ioseph, q̄d ante crediderat, sed filium dei quem videbat, ait: Credo domine. Sed parum est dicere credo. Vis videre qualem credat? Procidens adorauit eum.

Si deum dei filium non credidisset, quem videbat, nullatenus adorasset eum. Incumbite ergo orationibus peccatores. Confitemini peccata vestra, orate vt deleātur, orate vt minuantur, orate vt vobis proficientibus ipsa deficiant.

FERIA QVINTA POST Lætare. Iohannis V.

In illo tempore, dixit Iesus turbis Iudæorū: Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Et reliqua.



Peratur pater & filius, vt naturarum diuersitas permaneat, q̄ in prima conditione mundi cō ditæ sunt. Ideo dictū est in Psalmis: Qui finxit sigillatim corda eorum. Non incognita animarū genera, sed eiusdem substantiæ animas, quę in primo homine condita est, reformat. Quapropter Psalmista, cum non solum primordialem mundi creationem, sed & quotidianam creaturæ gubernatiōem ad laudem creatoris referret, ait inter cætera: Oīa in sapiētia fecisti. Si Christum dei uirtutē & dei sapientiā recte confitemur, & omnia in sapientia ac regit deus, cōstat nimirum, q̄a pater vsq; modo operatur, operatur & filius. Ergo pater meus (inquit) nō sex solum (vt putatis) diebus primis operatus est, veꝝ vsq; modo operaē, nō nouum creaturæ genus instituendo, sed quæ in principio creauerat, ne deficiāt, ꝑpagādo. Et ego operor, subaudiē, vsq; mō, cū eo cūcta disponēs, regēs, accumulans. Ac si apte dicat: Quid mihi inuidetis? cur me vituperatis cæci le- Psal. 103.

gis doctores, quod in forma hominis sabbato salutem vnius hominis operatus sum, qui in natura diuinitatis vna cum deo patre totũ genus humanum, imo totam mundi machinam, & cuncta visibilia & inuisibilia quietus semper operor? Sed ipsi talis ac tanti mysterij minus capaces.

Propterea magis quærebant eũ interficere, quia nõ solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat deum, ęqualem se faciens deo.

In eo maxime dolebant, quia is, quem verum ex infirmitate carnis hominẽ nouerant, se verum dei filium credi voluisset, id est, nõ gratia adoptatum, vt cæteros sanctos, quib⁹
Psal. 81. loquitur Propheta: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: sed natura patri per omnia æqualem. Notandum sane quod dictum est, ⌊æqualem se faciens deo,⌋ ad Iudæorum personam dictum, qui putabãt dominum Iesum prædicando facere quod non esset, & non veraciter intimare quod esset. Commoti ergo sunt Iudæi, & indignati. Merito quidẽ, quod audebat homo æqualem se facere deo: sed ideo immerito, quia in homine non intelligebant deum. Carnem videbant, deum nesciebant, habitaculum cernebãt, habitatorẽ ignorabant. Caro enim illa templum erat, deus inhabitabat intus. Non ergo Iesus carnem æquabat patri, non formam serui domino cõparabat: non quod factum est propter nos, sed quod erat, quando fecit nos. Quis nanq; sit Christus (catholicis loquor) nostis, quia bene credidistis non verbo tantum, sed verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Recensere de verbo quid nostis? In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hic æqualitas cum patre, sed verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hac carne, maior est pater. Ita pater, & æqualis & maior. Æqualis verbo, maior carne: æqualis ei per quem fecit nos, maior eo qui factus est propter nos. Commoti sunt vero & turbati Iudæi, quia se æqualem Christus patri fecit, qui hominem tantummodo intellexerunt, non deum. Carnem viderunt, diuinitatem non crediderunt.

Dixit enim: Non potest a se filius facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem.

Non alia opera facit pater, quæ videat filius: & alia filius, quæ viderit patrem faciẽtem, sed eadem opera ipsa pater & filius similiter. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Non cum ille fecerit alia, filius similiter facit: sed quæcunque ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Sed hæc facit filius, quæ fecerit pater: per filium facit pater. Si per filium facit, quæ facit pater, non alia pater, alia filius facit, sed eadem opera sunt patris & filij. Et quomodo ea facit & filius & eadem & similiter? Ne forte eadem, sed dicis similiter. Eadem, inquit, & similiter: & quomodo possit eadem non similiter, dum omnia quæ pater facit, per filium facit, sicut dictum est: Oĩa per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est Psal. 103.
nihil. Ideo similiter dixit: quia eadem facit filius, quæ facit & pater, quia vna patris & filij in diuinitate substantia & operatio, vna volũtas & potestas, vna vita & essentia. Et æqualia omnia sunt in patre & filio, nisi quod pater, pater est: & filius filius est. Separatio est in personis, sed vnitas in natura. ⌊Non enim potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem faciẽtem.⌋ Non debemus carnaliter intelligere hanc sententiam, quasi duorum hominum patris & filij, vnius ostendẽtis, alterius videntis: vnius loquentis, alterius audientis: quia nec pater minorem habet potestatem, nec maiorem dei filius, cum patre & filio distantia diuinitatis nõ sit, sed vna maiestas. Ideo subiecit:

Omnia enim quæcunq; facit pater, eadem & filius facit similiter.

Significationem vnius naturæ ostendit, & vnius operationis: quia communis est operatio patris & filij, quorum est vna natura, vna etiam operatio. Ideo consequenter subiunxit:

Pater diligit filium, & omnia demõstrat ei quæ ipse facit.

Vt ostenderet omnem hanc patris demõstrationem fidei nostræ esse doctrinam. Et vt nequaquam hic ignoratio in filio possit intelligi, cui pater opera omnia quæ ipse faceret monstraret, continuo ait:

Et maiora his opera demonstrabit ei, ut uos admiremini. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult, uiuificat.

Ea enim patrem demonstrare filio dicit, quæ mirentur: & quæ eadem essent, illa mox docuit. ⌊Sicut enim pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat.⌋ Exæquata virtus est per naturæ indissimilis vnitatem, & demonstrationem operum. Non ignorationis instructio est, sed nostræ fidei, quæ non filio scientiam ignoratorum, sed nobis confessionem natiuitatis inuexit. Demonstrare enim patrem, est per filium facere quæ facturus est. Nam maiora opera sunt resurrectio mortuoꝝ, q̃ erit in nouissimo die,

q̃ iſtius languentis ſanitas, qui Christi verbo ſanatus eſt, ex quo nata eſt huius occaſio tota ſermonis. Dicit enim, ⌊vt vos miremini.⌋ Et hoc difficile eſt videre, quomodo tãquam temporaliter filio coæterno aliqua demonſtret æternus pater, omnia ſcienti quæ ẽ apud patrem. Quæ ſunt tamen illa maiora? Maiora ergo ſunt opera mortuos ſuſcitare, q̃ lãguidos ſanare. Sed ſicut ſuſcitat pater mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. Non enim alios pater, alios filius viuificat, ſed vna poteſtas vnam viuificationem facit, quę etiam poteſtas vno honore honoranda eſt. Et ideo conſequenter ſubiunxit:

Pater enim non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio: ut omnes honorificent filium, ſicut honoricant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit illum.

Pater non iudicat quenquam, quia patris perſona in homine ſuſcipitur, nec in iudicio videbitur, ſed ſola filij forma, quę iudicata eſt iniuſte, & iuſte iudicat viuos ac mortuos. Nec enim filius videbitur in iudicio in ea natura, q̃ conſubſtantialis eſt deo patri, ſed in ea qua cõſubſtantialis eſt matri, & homo factus eſt. Ita intelligendum eſt, ⌊Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio,⌋ acſi diceretur: Patrem nemo videbit in iudicio viuorum & mortuorum, ſed omnes filium: q̃a & filius hominis eſt, vt poſſit & ab impijs videri, cum & illi videbunt in quẽ pupugerũt. Quod ne conijcere potius, q̃ aperte demonſtrare videamur, proferimus eiuſdem domini certã manifeſtamq; ſententiam, quã oſtendim⁹ ipſam fuiſſe cauſam, vt diceret: ⌊Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudiciũ dedit filio:⌋ q̃a iudex in forma filij hominis apparebit, quæ forma non eſt patris, ſed filij. Nec ea filij in qua æqualis eſt patri, ſed in qua minor eſt patre, vt ſit in iudicio cõſpicuus bonis & malis, ⌊vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem.⌋ Qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Quid eſt enim, honorificat patrem, niſi quod habeat filium? Aliud eſt enim, cum tibi commendatur deus, quia deus eſt: & aliud, cum tibi commẽdatur deus, quia pater eſt. Cum tibi quia deus eſt commendatur, creator tibi commendatur, omnipotens tibi commendatur: ſpiritus quidam ſummus, æternus, inuiſibilis, incommutabilis tibi commendatur. Cum vero tibi, quia pater eſt, commendatur, nihil tibi aliud q̃ filius commendatur. Quia pater dici nõ poteſt, ſi filium non habet: Sicut nec filius, ſi patrem nõ habet. Sed ne forte patrem quidem honorifices tanquam maiorẽ, filium vero tanquam minorem, vt dicas: Honorifico patrẽ: ſcio enim quod habeat filium, & non error in patris nomine. Non enim patrem intelligo ſine filio, honorifico tamẽ & filium tanquam minorem. Corrigat te ipſe filius, & reuocet te, dicens: ⌊Et omnes honorificent filium,⌋ non inferius, ſed ſicut honorificant patrem. ⌊Qui ergo non honorificat filium, nec patrẽ honorificat qui miſit illũ.⌋ Ego (inquit) maiorem honorem volo dare patri, minorem filio. Ibi tollis honorem patri, vbi maiorẽ das filio. Quid enim tibi aliud videtur iſta ſententia, niſi quia pater æqualem ſibi filium generare aut noluit, aut nõ potuit? Si noluit, inuidit: ſi nõ potuit, defecit. Non ergo vides, quia ita ſentiendum, vbi maiorem honorem vis dare patri, ibi es contumelioſus in patrem. Proinde ſic honorifica filium, quomodo honorificas patrẽ, ſi vis honorificare & filiũ & patrẽ.

Amen amẽ dico uobis, quia qui uerbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam. Et in iudicium non ueniet, ſed tranſit a morte in uitam.

Et hoc attendite, ⌊qui verbum meum audit,⌋ & non dixit, crede mihi, ſed, ⌊credit ei q̃ me miſit.⌋ Verbum ergo filij audiat, vt patri credat. Quare verbum audit tuum & credit alteri? Nonne cum verbum alicuius audimus, eidem uerbum proferenti credimus, loquenti nobis fidem accommodamus? Quid ergo voluit dicere, ⌊qui verbũ meum audit, & credit ei, qui miſit me,⌋ niſi quia verbum eius ẽ in me? Et quis eſt qui audit verbum meum niſi qui audit me, & qui credit in me? Credit autem ei qui miſit me, quia cum illi credit, verbo eius credit. Cum autem verbum eius credit, mihi credit: quia verbum patris ego ſum. Non enim tranſiret de morte ad vitã, niſi primo eſſet in morte. Mortuus ergo erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Fit proinde iam quædam reſurrectio, & tranſeunt oẽs à morte quadam ad quandam vitam: à morte infidelitatis ad vitam fidei, à morte falſitatis ad vitam iuſtitiæ. Eſt ergo & iſta reſurrectio mortuorum. Aperiat illam plenius, & luceſcat nobis vt cœpit.

Amen amen dico uobis, quia uenit hora & nunc eſt, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint uiuent.

Hoc propium eſt piorum, qui ſic audiunt de incarnatione eius, vt credãt quia filius dei eſt, id eſt, ſic eum propter ſe factum, accipiũt minorem patre in forma ſerui, vt credant q̃a æqualis eſt patri in forma dei. Et ideo ſequit̃:

Sicut enim pater habet uitam in ſe-

semetipso, ita dedit & filio uitam habere in semetipso.

Quod ergo ait: ⌊dedit filio vitam habere in semetipso, breuiter dicat, genuit filium vitam in se habentem.⌋ Neque enim erat sine vita, & accepit vitam, sed nascendo vita est. Pater vita est non nascendo, filius vita est nascendo. Pater de nullo patre, filius de deo patre. Pater propter filium est, filius vero, & q̃d filius est, propter patrem est: & quod est, à patre est. Hoc dixit, vitam dedit filio, vt haberet eum in semetipso, tanquam diceret: Pater qui est vita in semetipso, genuit filium qui esset in semetipso. Pro eo enim quod genuit, voluit intelligi dedit, tanquam si cuiquã diceremus, dedit tibi deus esse. Sequitur enim & dicit:

Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.

Puto nihil esse manifestius. Nam filius dei æqualis patri non accipit hanc potestatem iudicium faciendi, sed habet illam cum patre in occulto. Accepit autem illam, vt boni & mali eum videant iudicantem, quia filius hominis est. Visio quippe filiĳ hominis exhibebitur & malis. Nam visio formæ dei, non nisi mũdis corde, quoniam ipsi deum videbũt, id est, solis pĳs quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia ostendet seipsum illis. Et ideo vide quid sequitur:

Nolite mirari hoc, inquit. Quid nos prohibet mirari, nisi illud quod reuera miratur omnis qui non intelligit? Et ideo diceret patrem dedisse ei potestatem iudicium facere, q̃niam filius hois est, cum magis q̃si hoc expectaretur, vt diceret, quoniam filius dei est: sed quia filium dei, secundum id quod in forma dei æqualis est patri, uidere iniq non possunt, oportet vt iudicem viuorum & mortuorum, cum coram iudicabuntur, & iusti videant & iniqui.

Nolite, inquit, mirari, quoniam uenit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filiĳ dei. Et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem uitæ: qui mala gesserunt, in resurrectionem iudiciĳ.

Ad hoc ergo oportebat, vt ideo acciperet illam potestatem, qui fili⁹ hominis est, vt resurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab hominibus põt, sed aliĳ ad damnationem, aliĳ ad vitam æternam. Quæ est autem vita æterna, nisi illa visio quæ non conceditur impĳs? Vt cognoscant te (inquit) vnũ verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Quomodo & ipsum Iesum Christum,
Iohã.13. nisi quemadmodum vnum verum deum qui ostendit seipsum illis? Non quõ se ostenderet etiam puniendis in forma filiĳ hominis. Secũ Psal.72.
dum illam visionem bonus est, secundũ quã visionem deus apparet mundis corde, vt ait Psalmista: Quoniam q̃ bonus Israel deus rectis corde. Q̃n autem iudicem videbunt mali, non eis videbitur bonus, quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc se plangent omẽs tribus terræ, in numero vtiq; malorum omnium & infidelium. Propter hoc etiam ille, qui eum dixerat magistrum bonum, quærẽs ab eo consilium consequendæ vitæ æternæ, respondit: Quid me interrogas de bono? Ne- Mat.19.
mo bonus, nisi vnus deus, cum hominẽ alio Mat.10.
loco dicat bonũ ipse dominus: Bon⁹ homo, de bono thesauro cordis sui profert bona: & malus hõ, de malo thesauro cordis sui profert mala. Sed quia ille vitam æternam quærebat, uita autem æterna est in illa contemplatione, quia non ad pœnam videtur deus, sed ad gaudium sempiternum, duas hic resurrectiones ipse dominus Iesus Christus in his verbis nobis demonstrat: Primam, quæ in fide est, resurgendo à peccatis, de qua ait: ⌊Amen amẽ dico vobis, q̃a venit hora in q̃ mortui audient vocẽ filiĳ dei.⌋ Alterã vbi ait: ⌊Amen amen dico vobis, quia venit hora in qua omnes qui in monumento sunt, audient vocem filiĳ dei.⌋ Illa prior est resurrectio animarum, illa sequens resurrectio erit corporum. Qui vero in hac prima non resurgit, nec ibi ad eum resurget. Hora autem nunc est, vt resurgant mortui. Hora erit in fine seculi, vt resurgant & mortui. Sed si resurgant nunc in mente, tunc in carne resurgent. Nunc in mente per verbum dei, id est, per filium dei, resurgent: tunc in carne per verbum dei carõ factum, filium hominis. Neq; enim ad iudicium viuorum & mortuorum pater ipse venturus est, nec tamẽ recedit à filio pater. Quomõ ergo non ipse venturus est? Quia nõ ipse videbitur in iudicio. Videbunt in quem pupugerũt. Forma illa erit iudex quæ stetit sub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata est. Iudicata est enim inique, iudicabit iuste. Talis apparebit iudex, qualis videri possit à quibus coronatus est. Distinctio est inter illud verbũ, quod superius dixit, ⌊quod mortui audient vocem filiĳ dei:⌋ & inter illud, quod hic ait: ⌊Venit hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filiĳ dei,⌋ Ibi vero ait, ⌊audient,⌋ id est, obedient, ideo ista resurrectio est ad vitam: illa vero quæ futura est, de qua dicit, ⌊audient vocem filiĳ dei,⌋ id est, audient vt resurgãt ad iudicium. Non addidit hic, ad vitam: quia om̃es ad gloriam non resurgent, sed multi ad pœnam. Ideo addidit de futura resurrectione. ⌊Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui male egerunt, in resurrectionem iudiciĳ,⌋

id est, damnatiõis, quia hic iudicium pro pœna posuit. Tunc erit vltima palea, vt separet bonos à malis, triticum à paleis. Tunc ibunt impij in ignem æternum, iustia autem in vitam æternam.

FERIA SEXTA POST Lætare. Iohannis XI.

In illo tẽpore: Erat quidem anguẽs Lazarus a Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Et rel.

Plurima vero in hoc miraculo resuscitationis Lazari, quia manifesta sunt, expositione in singulis non indigemus. In superiore lectione manifestat euangelista, quod dominus exijt de manibus eorum qui lapidare eũ voluerant, & abijt trans Iordanem, vbi Iohannes baptizabat. Ibi ergo domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Hierosolymis.

Maria autem erat quæ unxit dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius, dicentes:

Iam intelligimus ꝙ miserunt vbi erat dominus, quoniam absens, trans Iordanem scilicet, miserunt ad dominum, nũciantes quod ægrotaret frater earum, vt si dignaretur, veniret vt eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, vt posset resuscitare. Quid ergo annunciauerunt sorores eius?

Domine, ecce quẽ amas infirmatur.

Non dixerunt, Veni, amanti enim tãtummodo nunciatum fuit: non ausæ sunt dicere, Veni & sana: non sunt ausæ dicere, ibi iube, & hic fiet. Cur enim non istæ laudantur, si fides illius centurionis inde laudaẽ, quod ait: Non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus? Nihil horum istę, sed tantummodo: ⌊Domine, ecce quem amas infirmatur.⌋ Sufficit vt noueris, non enim amas & deseris. Dicit aliquis, quomodo per Lazarum peccator significabatur, & à domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: Non veni vocare iustos, sed peccatores: quod nequaquam diceret, si peccatores conuersos non amaret.

Audiens autem Iesus, dixit illis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam.

Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc ergo ait, ⌊non est ad mortem,⌋ quia ipsa mors nõ est ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facto, crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem. Nam sunt hæretici qui hoc negant, quod filius dei sit deus, ecce audiant: ⌊Infirmitas ergo hæc, inquit, non est ad mortẽ, sed pro gloria dei.⌋ Qua gloria? Cuius dei? Audi quod sequitur, Vt glorificetur filius dei ꝑ eam. Per quam? Per illam infirmitatem.

Diligebat autem Iesus Martham & sororem eius Mariam & Lazarum.

Ille autem languẽs, illæ tristes, omnes electi: sed diligebat & languentiũ saluator, imo etiam mortuorum suscitator, & tristium consolator.

Vt ergo audiuit quod infirmabatur, tunc quidem mãsit in eodem loco duobus diebus.

Nunciauerunt illæ, mansit illic ille. Tandiu ductum est tempus, quoadusq; quatriduum compleretur: non frustra, quia forte, imo quia certe & ipse numerus dierũ intimat aliquod sacramentum.

Deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.

Vbi pene fuerat lapidatus, qui propterea inde discessisse videbaẽ, ne lapidaretur. Discessit enim vt homo, sed in redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatẽ. ⌊Eamus (inquit) in Iudæam.⌋ Deinde hoc dicto, videte quemadmodum discipuli territi fuerint.

Dicunt ei discipuli: Rabbi, nũc quęrebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei?

Quid sibi vult ista responsio? Illi dixerunt. ⌊Modo te volebãt Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc, vt te lapident?⌋ Et dñs: ⌊Nonne duodecim horæ sunt diei?⌋

Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

De die quidem locutus est, sed ad nostrã intelligentiam, quasi adhuc nox est, inuocemus diem, vt repellat noctem, & cor lumine illustret. Quid enim dominus dicere voluit? Quantum mihi uidetur, quantum subiacet altitudo profunditasq; sententiæ, redarguere voluit dubitatiõem illorum & infidelitatem. Voluerunt enim dare domino consilium ne moreretur, qui venerat mori, ne ipsi morerẽtur. Sic etiam quodam alio loco sanctus Petrus diligens dominum, sed adhuc non plene intelligens cur venisset, timuit ne moreretur.

Et vitæ displicuit.i.ipsi domino. Cum ergo vellent dare consilium homines deo, discipuli magistro, serui dño, ægroti medico, corripuerunt eos & ait: I. Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, nõ offendit. I. Me sequimini, si non vultis offendere. Nolite mihi consilium dare, quos à me consiliũ oportet accipere. Quo ergo pertinet. Nonne duodecim horæ sunt diei? Quia vt diem se esse ostẽderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum (inquit) dies, & vos horæ, nunquid horæ diei consilium dant? Horæ diem sequuntur, non horas dies. Si ergo illi horæ, quid ibi Iudas, & ipse inter duodecim horas? Si hora erat, lucebat, si lucebat, quomodo diẽ ad mortẽ trahebat? Sed dominus in hoc verbo, non ipsum Iudam, sed successorem ipsius præuidebat. Iuda enim cadente, successit Matthias, & duodenarius mansit. Non enim frustra duodecim discipulos elegit, nisi quia ipse spiritalis est dies. Sequantur ergo horæ diem, prædicent horæ diem. Horæ illustrentur à die, horæ illuminentur à die. Per horarum prædicationem, eredat mundus diem. Ergo ait de cõpendio: Me sequimini, si non vultis errare.

Et post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut a somno excitem eum.

Verum dixit, sororibus mortuus erat, domino dormiebat: hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Nam dominus tanta facilitate suscitabat de sepulchro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Ergo secundum potentiam suam dixit dormientem, quia & alij mortui dicti sunt in scripturis sæpe dormiẽtes, sicut Apostolus dicit: De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem nõ habent. Ideo & ipse dormientes appellauit, quia resurrecturos pronunciauit. Et in alio loco: Omnes quidem dormiemus, sed non omnes resurgemus, mortẽ nostram dormitionis nomine significans. Nam corpus dum deseritur ab anima, dormit in sepulchro vsq; ad resuscitationẽ in nouissimo die. Animæ vero dum deserunt corpora, diuersas receptiones habent. Gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorũ tormenta grauiora, quãdo cum corpore torquebuntur. Dum dominus de dormitione amici dixerat, discipuli responderũt, quomodo intellexerunt.

1.Thes.4.

1.Cor.15.

Domine, si dormit, saluus erit.

Solent enim somnia esse ægrotanti interitus vel salutis indicia.

Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste.

Subobscure enim dixerat, dormit, Ait ergo manifeste:

Lazarus ergo mortuus ẽ, & gaudeo propter uos ut credatis, quia non eram ibi.

Aeger enim, non mortuus fuerat nunciatus, sed vt lateret q creauerat, & ad cuius manus anima morientis exierat. Hoc est, quod ait, I. gaudeo propter uos vt credatis, qa non ibi eram. I. vt iam inciperent admirari, qa dominus potuit dicere mortuum, quod nec viderat, nec audierat. Vbi sane meminisse debẽmus, quod adhuc etiam ipsorum discipulorũ, qui in eũ non crediderant, miraculis ædificabatur fides: nõ vt esse inciperet, sed vt ea quæ iam esse cœperat, cresceret: quamuis tali verbo vsus sit, quasi tunc credere inciperent. Nõ enim ait, gaudeo propter vos, vt vestra fides augeatur, siue firmetur, sed ut credatis, quod intelligendum est, vt amplius robustiusq; credatis.

Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

De quatuor diebus multa quidem dici possunt, sicut se habent obscura scripturarum, quæ pro diuersitate intelligentium multos sensus pariunt. Dicamus & nos, quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus. Quomõ enim in illo cæco intelligimus quodammodo humanũ genus, sic forte & in isto mortuo multos intellecturi sumus. Diuersis enim modis vna res significari potest. Homo quando nascitur, iam cum morte nascitur, qa de Adam peccatum trahit. Vnde dicit Apostolus. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Ecce habes vnum diem mortis, quod homo trahit de morte propaginẽ. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, vt legem sapiat naturalem, quam omnes habent in corde fixã. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Nunquid hoc de paginis discitur, & non in natura ipsa quodãmodo legitur? Furtum facere vis? pati vtiq; nõ vis. Ecce lex in corde tuo. Quod nõ vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur hoies. Ecce alter dies mortis. Data est etiam lex diuinitus per famulũ dei Moysen. Dictum est illic: Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum &

Rom.5.

Exod.20

matrem, non concupisces rem proximi tui. Ecce lex scripta est,& ipsa contemnitur,& ad tertium diem mortis qui restat, venitur. Et euangelium prędicatur,regnum cælorũ diffamatur vbiq;,Christus minatur gehēnam,vitam promittit æternam. Et ipsum contemnitur, transgrediuntur homines euangelium. Ecce quartus dies mortis. Merito iam putet. Nunquid de talibus neganda est misericordia? Absit. Etiam ad tales excitandos non dedignatur accedere.

Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quia Iesus uenit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus nõ fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris a deo, dabit tibi deus.

Non dixit, sed & rogo te modo vt suscites fratrem meum. Hoc tãtum dixit, scio quia potes si vis, vtrum aũt facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.

Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus, Dicit ei Martha: Scio quia resurget in nouissimo die.

De illa resurrectione secura sum, de hac incerta sum.

Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita.

Dicis, resurget frater tuus in nouissimo die. verum est, sed per quem tunc resurget, põt & modo resurgere: quia ego sum resurrectio & vita. Ideo vita, quia resurrectio. Quia si credit in me, nõ morief in ęternũ. Quid est hoc,

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet.

Sicut Lazarus mortuus est & viuet? Quia non est deus mortuorum, sed viuorum. De olim mortuis patribus, hoc est, de Abraam, Isaac, Iacob, tale respõsum Iudæis dedit: Ego
Exod. 3. sum deus Abraam & deus Isaac & deus Ia-
Luc. 20. cob. Non est deus mortuorum, sed viuorum. Omnes enim illi viuũt. Crede ergo, & si mortuis fueris, viues: si autem non credis, & cum viuis mortuus es. Vnde est ergo mors in anima? Quia non est fides in ea. Vnde est in corpore? Quia nõ est ibi anima. Ergo animæ tuæ vita, fides est. Sicut anima corporis, vita est corporis: ita fides animę, vita ẽ animæ. Qui credit in me, inquit, etiam si mortuus fuerit in carne, viuet in anima, donec resurgat caro nunquam postea moritura. Hoc est, q credit in me, licet moriatur, viuet.

Et omnis qui uiuit in carne, & credit in me, & si morietur ad tẽpus propter mortem carnis, non morietur in æternum. propter vitam spiritus, & immortalitatem resurrectionis. Hoc est quod ait: Et omnis qui viuit & credit in me, nõ morietur in ęternũ.

Credis hoc? Ait illi: Vtiq; domine. Ego credidi quia tu es Christus filius dei, qui in hunc mundum uenisti.

Quãdo hoc credidi quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita; credidi quia qui credit in te, etsi moriatur, viuet. Et qui viuit & credit in te, non morietur in æternum.

Et cum hæc dixisset, abijt & uocauit Mariam sororem suã silentio, dicẽs: Magister adest, & uocat te.

Aduertendum est, quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupauit. Nam quomodo siluit, quæ dixit, Magister adest, & vocat te. Aduertendum etiam, quemadmodum euangelista non dixerit, vbi vel quãdo, vel quomodo Mariam dominus vocauerit, vt hoc in verbis Marthæ potius intelligeretur, narrationis veritate seruata.

Illa ut audiuit, surrexit cito, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur, qui erant cum illa in domo, & consolabantur eam, cũ uidissent Mariam, quia cito surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes: quia uenit ad monumentum, ut ploret ibi.

Quare hoc pertinuit ad euangelistam narrare? Vt uideamus quæ occasio fecerit, vt plures ibi essent quãdo Lazarus resuscitatus est. Putabant enim Iudæi propterea illam festinare, vt doloris sui solatium lachrymis quæreret. secuti sunt eam, vt tam grande miraculum quatriduani mortui resurgẽtis testes plurimos inueniret.

Maria ergo cum uenisset ubi erat Iesus, uidens eũ, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, nõ esset mortuus frater meus, Iesus ergo ut uidit eam plorantẽ, & Iudæos qui cum illa erant plorantes, fremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum?

Aliquid nobis insinuauit fremendo spiritu, & turbando seipsum. Quis enim eum posset, nisi ipse seipsum, turbare? Itaq; primo hic

attendite potestatem, & sic inquirite significationem. Turbaris tu nolens, turbatur Christus, quia voluit. Contristatus est Iesus, verũ est, sed quia voluit. Esuriuit Iesus, verum est, sed quia voluit. Dormiuit Iesus verũ est, sed quia voluit. Mortuus est Iesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat, vel sic affici, vel non affici. Veram enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ vnitate naturam. Nam & anima Apostoli verbo illustrata est, anima Petri & anima Pauli verbo illustrata est, aliorum apostolorum, sanctorum prophetarum animæ verbo illustratæ sunt, sed de nulla dictũ est. Verbum caro factum est: de nulla dictũ est, Ego
Iohã. 10. & pater vnum sumus. Anima Christi, & caro Christi, cũ verbo dei vna persona est, vnus Christus ẽ. Ac per hoc vbi summa potestas, secundum volũtatis nutum turbatur infirmitas, Hoc est q̃d ait. ⌊Turbauit semetipsum.⌋ Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi vt significet tibi, quõ turbari tu debeas, cum tanta mole peccati grauaris & premeris? Attendisti enim te, vidisti te, computasti tecũ: illud feci, & pepercit mihi deus: illud cõmisi, & sustinuit me: euangelium audiui, & cõtempsi: baptizatus sum, & iterum ad eadẽ reuolutus sum, quid facio? quo eo? vnde euado? Quando ista dicis, iam fremit spiritus, quia fides fremit. In voce frementis, apparet spes resurgẽtis. Ergo fides tua de Christo, Christus in corde tuo, ergo fremat Christus in corde tuo. Fleuit ergo Christus amicum mortuum, quem venit resuscitarus. Quare enim fleuit, nisi quia hominẽ flere docuit, oppressum põdere peccatorum? Quare fremuit & turbauit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis, fremere hunc ad modũ debet in accusatione malorum operum, vt violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi? ⌊Et dixit: Vbi posuistis eum?⌋ Scis quia mortuus sit, & vbi sit sepultus ignoras? Et ista significatio quæ ẽ? Non ausus sum dicere nescit. Quid enĩ ille nescit? sed quasi nescit. Vnde hoc probamus? Dominum audi dicturum
Matt. 7. in iudicio: Nõ noui vos, discedite à me. Quid est, nõ noui vos? Non vos video in luce mea, non vos video in illa iustitia, quam noui. Sic & hic, tanquam nesciens talem peccatorem: dixit: ⌊vbi posuistis eũ?⌋ Talis ẽ vox dñi in paradiso, posteaq̃ peccauit Adã: Adã, vbi es?

Dicunt ei: Domine, ueni & uide.

Quod est, vide & miserere. Videt enĩ dñs, quando miseretur. Vnde illi dicitur: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.

Lachrymatus est Christus. Dixerũt ergo Iudæi: Ecce quõ amabat eum.

Quid est, amabat eum? Non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Quidam aũt dixerunt ex ipsis. Non poterat hic, qui aperit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?

Qui noluit facere vt non moreretur, plus est quod facturus ẽ, vt mortuus suscitetur.

Iesus ergo rursus fremens in semetipso, uenit ad monumentum.

Fremit & in te, si disponis reuiuiscere. Omni homini dicitur, qui premitur pessima cõsuetudine: ⌊Venit ad monumentum.⌋

Erat autem spelunca & lapis superpositus erat ei.

Mortuus sub lapide, reus sub lege. Scitis enĩ qa lex q̃ data est Iudæis, in lapide scripta est: oẽs aũt rei, sub lege sunt. Bñ viuentes enĩ, in lege nõ sunt, iusto lex posita nõ est. Quid ẽ ergo lapidẽ remouere? Gratiã prædicare. Apostolus enĩ Paulus ministrum se dicit noui te- 2. Cor. 3
stamenti, non litera, sed spiritu. Nam litera (inquit) occidit, spiritus autem viuificat. Litera occidens, quasi lapis est premens.

Remouete, inquit, lapidem, remouete legis pondus, gratiam prædicate.

Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Dñe, iam fœtet, quatriduanus enim ẽst. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, uidebis gloriam dei?

Quid ẽ, videbis gloriã dei? Quia & fœten- Ro. 3. 5.
tẽ, & q̃triduanũ suscitat. Omnes enĩ peccauerunt, & egent gloria dei. Et, Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.

Tulerunt ergo lapidẽ. Iesus aũt eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, q̃m audisti me. Ego aũt sciebã, quia sp̃ me audis, sed propter populum, qui circunstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, uoce magna clamauit.

Fremuit, lachrymauit voce magna clamauit, vt aio perpendas, q̃ difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit, sed tamẽ surgit, occulta gratia intus viuificatus. Surgit post vocem magnam, qua clamauit:

Lazare, ueni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.

Quõ processit ligatis pedibus miraris, & nõ miraris qa surrexit q̃triduanus? In vtroq; potentia dñi erat, nõ vires mortui. Processit,

& adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tñ foras iam processit, quid significat? Qñ cõtemnis, mortuus iaces: & si tanta quanta dixi contemnis, sepultus iaces, surgis, qñ cõfiteris. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeũdo manifestari? Sed vt confitearis, deus facit clamando. i. magna gratia vocãdo. Ideo processit mortuus, adhuc ligatus, adhuc reus, vt soluerent pctã eius. Ministris ergo hoc dixit: Soluite eum, & sinite abire.

Potuit enim ligamenta soluere, qui mortuũ resuscitauit. Sed propter vnitatẽ sanctæ ecclesiæ, & indiuiduam charitatem dĩ ministris. i. discipulis Christi: ⌊Soluite eum.⌋ Quia sine vnitate catholicæ fidei, & charitate ecclesiasticæ sanctitatis, peccata non soluuntur.

Multi aũt ex Iudæis, qui uenerãt ad Mariam, & uiderant quę fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.

Non oẽs ex Iudæis, q cõuenerãt ad Mariã, sed quidã, siue ex eis q nõ crediderãt, abierũt ad pharisæos, & dixerũt q̃ fecit Iesus, siue annũciando, vt & ipsi crederẽt, siue potius prodendo, vt sæuirent: sed quomodolibet, & à quibuslibet, ad pharisæos ista perlata sunt.

SABBATO POST LAEtare. Iohannis VIII.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Et rel.



Bi manifeste docet, non solum qua autoritate mulieri peccata dimiserit, (vt paulo superius refert) sed etiã q̃d ipse sit vera lux, quæ illuminat oẽm hominem venientem in hunc mundũ. Cuius perpetuũ splendorẽ humana fragilitas videre non potuisset, nisi nube carnis tegeretur, per quã q̃si ꝑ quoddam lucidissimũ speculũ, diuini luminis claritas hũanis mẽtibus innotesceret, quę fide purgãda est, vt tanti lũinis aspectu digna efficiatur. Vñ secutus ait: ⌊Qui sequitur me, nõ ambulat in tñbris, sed habeat lumẽ vitæ.⌋ Qui meis modo iussis & exemplis obsequitur, non timebit in futuro tenebras damnationis, sed lucem potius vitæ, vbi nunquam prorsus moriatur, habebit. Itaque fratres mei, sequamur Christum lumẽ mundi, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ metuendæ sunt, morũ, non oculorum. Etsi oculorum, non exteriorum, sed interiorum. Vnde discernitur nõ album & nigrum, sed iustum & iniustum. Anteq̃ ergo veniret dñs noster Iesus Christus, multas ante se lucernas propheticas accẽdit, & misit. De his erat etiam Iohannes Baptista, cui tam magnũ ipsum lumẽ, q̃d est dñs Christus, perhibuit testimoniũ, quali nulli hoĩm. Ait enim: Inter natos mulieꝝ non surrexit maior Iohanne Baptista. Hic tñ, quo nemo erat maior inter natos mulierum, dicit de dño nostro Iesu Christo: Ego quidem baptizo vos in aqua. Qui aũt venit post me, fortior me ẽ, cui non sum dignus calceamenta soluere. Vĩdete quemadmodum se lucerna diei submittat. Lucernam vero ipsum Iohannem fuisse dominus ipse testatur. Ille erat (inquit) lucerna ardens & lucens, & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius.

Responderunt ergo pharisęi: Tu de teipso testimonium dicis, testimonium tuum non est uerum.

Videamus quid audiant, audiamus & nos, sed non sicut illi: illi contemnentes, nos credentes: illi Christum occidere volentes, nos per Christum viuere cupientes. Interim ista distantia distinguat aures mentesq; nostras, & audiamus quid Iudæis responderit dominus.

Respõdit Iesus, & dixit eis: Et si ego de meipso testimonium perhibeo, uerum est testimoniũ meum: quia scio unde uenio & quo uado.

Patrem volebat intelligi. Et si patri gloriam dabat filius, æqualis glorificat eum à quo est missus, quantum debet homo glorificare eum à quo est creatus? ⌊Scio vnde venio, & quo vado.⌋ Iste qui in præsentia vobis loquitur, habet quod non deseruit, sed tamen venit. Non enim veniendo inde discessit, aut redeundo nos dereliquit, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad cõsummationem seculi. Ergo verum est testimonium luminis, siue se ostendat, siue aliter: quia sine lumine non potest videri lumen, & sine lumine non potest videri quodlibet aliud, quod non est lumen. Sicut enim lumen & seipsum ostendit, & quę circa sunt: ita & Christus, & seipsum ostendit, & alios illuminat, qui charitate circa se sunt, & sequuntur illum, non pedum gressibus, sed charitatis officijs. Duos aduentus domini nostri Iesu Christi legimus in scripturis sanctis à prophetis eẽ prędictos, vnum misericordiæ, qui peractus est, alterum iudicij, qui venturus est. Prima ergo dispensatio domini nostri Iesu Christi medicinalis, non iudicialis. Nam si primo venisset iudicaturus, neminem inuenisset cui præmia iustitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino esse neminem immunem à morte peccati, prius erat eius misericordia

Mat. 28.

prærogan da, & post exercendum iudicium. Quia de illo cantauerat Psalmus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Non enim ad iudicium & misericordiam. Nam si primum esset iudiciũ, nulla eēt misericordia, sed primo misericordia, postea iudiciũ. Quæ est prima misericordia? Creator hominis homo esse dignatus est, factus quod fecerat, ne quod fecerat periret. Quid huic misericordiæ addi potest? Addidit tamen. Nam reprobatus ab hominibus, pro quorum salute venerat in mundum, irrisiones sustinuit, flagella, sputa, opprobria inimicorum, turpissimam mortẽ crucis. Hæc omnia sustinuit, qa voluit, vt saluaret hominem quem creauerat. Nullum genus mortis intolerabilius fuit cruce, propter lõgos cruciatos: sed nihil gloriosius, q̃ signũ crucis portare in frõte. Vnde Apostolus ait, gloriam crucis prædicans: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce dñi nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Quia venit neminem iudicare, consequenter Iudæis respondit:

Psal. 100.

Gal. 6.

Vos secũdum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam.

Pertulit iniustum iudicium, vt ageret iustũ: sed in eo quod pertulit iniustum, misericordiæ fuit. Deniq; ita humilis factus est, vt perueniret ad crucem. Distulit quidem potentiam, sed publicauit misericordiam. Vnde distulit potentiã? Quia de cruce descendere no luit, qui potuit de sepulchro resurgere. Vnde publicauit misericordiam? Quia pendens in cruce, dixit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Siue ergo propter hoc, quia nõ venerat iudicare mundum, sed saluare mundũ, dixit: ⌊Ego non iudico quenq̃: siue (quẽadmodum cõmemoraui) qm̃ dixerat, ⌊Vos secundum carnem iudicatis,⌋ addidit, ⌊Ego non iudico quenquã:⌋ vt intelligamus, Christum non secundum carnem iudicare, secundum quod ab hominibus iudicatus est. Non vt cognoscatis iam, vt iudicem Christum, audite quid sequitur:

Et si iudico ego, iudicium meum uerum est.

Ecce habet & iudicium. Sed agnosce saluatorem, ne sentias iudicium. Quare autem dixit iudicium suum verum esse?

Quia solus (inquit) non sum, sed ego & qui misit me, pater.

Quid est missio Christi, nisi incarnatio ei? Missus est Christus, idem est, si dicas, incarnatus est Christus. Et à patre missus erat, & à patre nunquam recessit. Et hic fuit per incarnationem, & hic est modo per diuinitatem. Fides ergo inundat corda nostra, vt intellectꝰ impleat corda nostra. Et vt intelligamus, mysterium salutis nostræ altum est, profundum est, secretum est, vna substantia est, vna diuinitas est, vna maiestas patris & filij. Pater non passus est, sed solus filius. Ergo intelligamus missionem filij nominatam incarnationem filij: patrem autem incarnatũ esse non credas. Vnde ergo verum est iudicium eius, nisi quia verus est filius patris? ⌊Ideo dixit, Iudicium meum verum est, quia solus nõ sum, sed ego, & qui memisit pater.⌋ Idem ergo in alio loco dixit: Ego & pater vnum sumus. Vnum in substantia, duo in persona. Vnum dixit, in substantiæ vnitate: sumus dixit, propter personarum distinctionem. Audi qd dixit: ⌊Ego & qui me misit, pater.⌋ Distingue personas: agnosce quia pater, pater est: agnosce, quia filius, filius est: ne in barathrum Sabellianum peruenias. Et noli dicere, aliud & aliud: sed dic, alius & alius. Non aliud in substãtia, sed alius in persona. Non pater maior, non filius minor in diuinitatis gloria: sed crede, vnum sumus. In eo quod dixit ipsa veritas, vnum, libera te ab Arrio: quod dixit, sumus, libera te à Sabellio. Si vnum, non ergo diuersum: si sumus, non ergo vnus. De iudicio dixerat, ⌊Ego non iudico quenquam:⌋ de testimonio nunc vult dicere.

In lege (inquit) uestra scriptum est.

Vestra dicit, tanquam diceret, In lege quæ vobis à deo data est, sicut dicimus: Panem nostrũ quotidianũ, quẽ à deo nobis dari poposcimus. Quid est quod in lege eoꝝ scriptũ est.

Quia duorum hominum testimonium uerum est.

Nunquid semper duo homines verum dicunt testimonium? Nonne duo falsi testes cõtra Susannam falsum protulerunt testimonium? Et Iudæis quærentibus falsum testimonium contra Christum, dicit euangelista: Venerunt nouissime duo falsi testes. Nunquid quia duo erãt, ideo falsi testes nõ erant? Quid de duobus dicimus vel tribus? Vniuersus populus mentitus est contra Christum. Si ergo totus populus, qui constat ex magna hominum multitudine, falsum testimonium dicere inuentus ē, quomodo accipiendum est, In ore duorum vel trium testiũ stabit omne verbum, nisi quia hoc modo per mysterium trinitas commendata est, in qua perpetua stabilitas veritatis est? Si vis habere bonam causam, habeto duos vel tres testes, patrem & filium & spiritumsanctum. Deniq; quãdo Susanna casta fœmina fidelisq; coniunx à duobus falsis testibus vrgebatur, trinitas illi in cõscientia atq; in occulto suffragabatur. Illa trinitas de occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit. Ergo quia in lege vestra scriptum ē, duorum hominũ testimoniũ verũ esse, accipite verum testimoniũ, ne senti

Dani. 13.

Matt. 26

atis iudicium. L Ego enim (inquit) non iudico quenquam, sed testimoniũ perhibeo de meipso. ⅃ Differo iudicium, non differo testimonium. Eligamus fratres testimonium dei, quia testimonium dei verum ẽ. Et quomodo testis est omnium quæ agimus, Iudex erit oim quæ fecimus. Et alium non quærit testem, nisi seipsum: qui omnia secreta cordis nostri considerat, & quid, vel ex quo fonte procedat. Ideo testis, quia non quærit alium vnde cognoscat qui sis, vel qualis sit vita tua, qui reddit vnicuiq; secundũ opera sua. Responderunt ergo Iudæi dño loquẽti de patre suo, & dixerũt.

Vbi est pater tuus.

Patrem Christi carnaliter acceperunt, qa verbo Christi secũdum carnem iudicauerũt. Erat autem qui loquebatur, in aperto caro, in occulto verbum: homo manifestus, deus occultus. Videamus ergo quid ad hæc domin⁹ respondit. Vbi est, inquiunt, pater tuus? Audiuimus enim te dicere, solus non sum, sed ego & qui me misit pater. Nam solũ te videmus, patrem tuum tecum non videmus. Quomodo te dicis solum non esse, sed cum patre tuo esse? Age, ostende nobis tecum esse patrẽ tuum. Et dominus: Nunquid me videtis, & patrem meum non videtis? Hoc enim sequitur, hoc suis verbis ipse respondit, quorum verborum expositionem nos ante præmisimus. Videte enim quid dixerit.

Respondit Iesus: Neq; me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.

Dicitis ergo, L Vbi est pater tuus, ⅃ quasi iam sciatis, quasi totum hoc sim, quod videtis. Ergo quia me non nostis, ideo vobis patrem meum non ostendo. Hominem quæritis, quia secũdum carnem iudicatis. Quia vero, secundum quod videtis, aliud sum: & aliud, secũdũ quod nõ videtis, patrem autẽ meum loquar occultum. Occultus prius est, vt me noueritis, tunc & patrem meum scietis. L Si enim me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. ⅃ Ille qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende enim quomodo increpatiue dicatur ipsum forsitan, quod videtur esse verbum dubitationis: sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine dubitante: ideo dubitante, qa nesciente. Cum vero dicitur à deo verbum dubitationis, cum deum nihil vtiq; lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, nõ opinatur diuinitas. Homines enim de his rebus quas certas habent, aliquando increpatiue dubitant, id est, verbum dubitationis ponũt, cum corde non dubitant. Velut, si indigneris seruo tuo, & dicas: Contemnis me? considera forsitan dominus tuus sum. Hinc & Apostolus ad quosdam contemptores suos loquẽs, 1.Cor.7 ait: Puto autem quod & ego spiritum dei habeo. Quod dicit puto, dubitare videtur, sed ille increpabat, non dubitabat. Et dominus Christus alio loco increpans infidelitatem fu- Luc.7. turam generis humani. Cum venerit (inquit) filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Scit ergo omnia, per quem facta sunt omnia, & tamen dubitando increpat: L Si me sciretis, & patrem meum forsitan sciretis. ⅃ Increpat infideles, admonet fideles, vt sciant vnam esse cognitionem patris & filij, quatenus sciant cognitionem filij dei, cognitionem esse & Ioh.14. patris. Ideo discipulo electo poscenti vt ostẽderet eis patrẽ, respondit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Si dissimilis esset filius patri, nunquid diceret discipulis suis. Qui me videt, videt & patrem? Nunquid diceret Iudæis, Si me sciretis, & patrem meum sciretis?

Hæc uerba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo.

Magna fiducia sine timore. Non enim pateretur, si nollet: quia nec nasceretur, si nollet. Quid est quod hæc verba Iesus in gazophylacio, docens in templo, locutus est? Gazophylacium est, vbi thesauri conduntur. Iesus in gazophylacio loquebatur Iudæis, dum in parabolis locutus est turbis, nam gazophylacium fuit Christi, in quo omnia latuerunt mysteria tunc aperienda, dum ipse, qui latuit in litera, loquebatur: nõ in prouerbijs, sed palam omnia fidelibus suis enarrans. Nam & gazophylacia adhærebant templo, quia ipse Christus templum est, de quo ipse ait: Soluite templum hoc. Cui omnia mysteria veteris legis adhærebant, & ad eum omnia respiciebant, donec veniret ad aperienda singulorum gazophylacia mysteriorum, aperiente eo sensus fidelium suorum, vt intelligerent quæ latebant, sicut euangelista ait: Tunc aperuit illis Luce.2 sensum, vt intelligerent scripturas. Denique quid sequitur, audiamus:

Nemo apprehendit eum, quia necdum uenerat hora eius.

Scilicet omnia sunt dispositionis suæ, omnia voluntatis suæ. Quia qui voluntate natus est, voluntate & passus est. Si ergo pati nollet, nõ pateretur: sed si non pateretur, sanguis illius non funderetur: si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaque gratias & potestati diuinitatis, & miserationi infirmitatis eius, de occulta potentia, quam Iudæi non nouerant, vnde illis modo dictum est:

Neque me nostis, neque patrem meum.

& de carne suscepta, quam Iudæi nouerant, & cuius patriam sciebant. Vnde illis alio loco dixit: Et me scitis, & vnde sum scitis. Vtrunque nouerimus in Christo, & vnde æqualis patri, & vnde illo maior est pater: illud verbum est, illud caro: illud deꝰ est, illud hõ: sed vnus Christus, deus & homo.

DOMINICA QVINTA in quadragesima, quæ dicitur in passione dñi. Ioh. VIII.

In illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotũ: Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico, quare uos nõ creditis mihi? Et reliqua.

Iohan. 8. POstquam dominus Iudæos conuicit, & eos filios diaboli esse oñdit, dicens: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis: & postquam (quæ in eadem historia superius leguntur, quia de genere nobilitatis gloriabantur, dicentes: Semen Abraę sumus, & nemini seruimus vnquam) demõstrauit nihil prodesse nobilitatem carnis sine nobilitate mentis, adiunxit, dicens: Amen amẽ dico vobis, quia omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum. Vt ergo ostenderet quia si eum imitari vellent, filij dei esse possent, adiunxit hoc quod in capite huius lectionis habetur: ⌊Quis ex vobis arguet me de peccato?⌋ Quis, pronomen infinitum, aliquando vim interrogantis habet, aliquando abnegantis. Interrogantis, sicut per Psalmistam dicitur: Psal. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Ad quam interrogationem protinus respondetur, cum subditur: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Abnegantis, sicut Pro. 20. Salomon ait: Quis potest dicere, mũdum est Psalm. 6. cor meum, purus sum à peccato? Et iterum: In inferno autem quis confitebitur tibi? vbi subaudiendum est per singula, nullus. Ita & in hoc loco abnegatiue ponitur, cum à domino dicitur: ⌊Quis ex vobis arguet me de peccato?⌋ subauditur, nullus. Nemo eum de peccato arguere poterat, qui vt peccatores à peccato solueret, in mundum absq; peccato venerat. Alij nanq; homines similes sibi de peccatis redarguere possunt, siue de præteritis, siue de futuris, quæ perpetrari possunt: dominum autem Iesum Christum nec de præteritis, nec de futuris vllus redarguere præualet, quia carnem quidem ex carne traxit Adam, sed tamen nullam culpam peccati ex origine traxit Adæ. De quo veracissime apostolus Petrus ait: Qui peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. 1. Pet. 2. Et ipse dominus de seipso: Iohã. 14 Venit ad me princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Nec solum eius sancta conceptio atq; natiuitas absq; peccato fuit, sed etiam omnis eius operatio, prædicatio, atq; inter homines conuersatio irreprehensibilis apparuit, sicut ipse ait in euangelio: Si male locutus sum, testimonium phibe de Iohã. 18. malo. Et iterum: Opera quæ ego facio in no- Iohã. 10. mine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Vt autem ostenderet eos à peccatis liberari posse, si in eum credere vellent, subiunxit, dicens:

Si ueritatem dico, quare non creditis mihi?

Veritas ipse est qui ait: Ego sum via, veri- Ioh. 14. tas & vita. Acsi diceret: Cum mihi qui veritas sum, à patre veritatis veniens, veritatem vobis loquenti non creditis, profecto filios illius vos esse ostenditis, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, quoniam veritas in eo non est.

Qui est ex deo, uerba dei audit.

In his verbis vnusquisq; suam conscientiam probare potest, vtrum ex deo sit an non. Qui enim verbum dei libenter audit, & libẽtius opere complet, nullo modo se ex deo esse dubitet, quoniam sicut dominus ait in euã- gelio: Non est arbor mala faciens fructus bo- Matt. 7. nos. Qui vero vecors & durus verbum dei audire cõtemnit, vel si cum aure corporis audierit, illud nullo studio vel labore in opere mittere conatur, profecto se ex deo non esse manifestat: quales erant isti, quibus à dño dr:

Propterea uos non auditis, quia ex deo non estis.

In quibus verbis quæstio oritur, quare dominus dicat Iudæis: Vos ex deo non estis, cũ alibi scriptum sit: Vidit deus cuncta quæ fe- cit, & erant valde bona. Et iterum: Qui ma- Eccl. 18. net in æternum, creauit omnia simul. Ad q̃d dicendum, quia non negat eos natura ex deo esse, sed vitio. Aliud est enim natura in homine, aliud peccatum. Natura in homine, à deo creata valde bona est, peccatũ à diabolo inuẽtum est. Bonum quippe sine malo esse potest, malum vero sine bono esse non potest. Quia priuatio boni, nihil aliud est, nisi inuentio mali. Igitur conditione ex deo erant, sed vitio ex deo non erant. Quod apertius cognoscimus, si paululum huius lectionis superiora attendamus. Legimus enim, quia eosdem Iudæos filios Abraæ confessus est, dicens: Scio quia filij Abraæ estis, & post pauca eẽ filios Abraę negauit, subijciens: Si filij Abraæ estis, opera Abraæ facite. Ergo per propaginem carnis Ioh. 8. filij erant Abraæ, sed per imitationem humi-

litatis & fidei, non erant filij Abrahæ. Sic ergo vt dictum est, natura ex deo erant, sed vitio ex deo non erant. Quod genus locutionis adeo vsitatissimum est in scripturis, vt etiam in cōmuni locutione reperiatur. Verbi gratia, video hominem peccatorem, cum hominē nominamus, naturam intelligimus: cum subiungimus peccatorem, vitium. Similiter etiam & homines bonos dicimus & homines malos: bonos, quia à deo sunt conditi: Malos, quia vitiosi. Et dicimus angelum bonum, & angelum malum: Non quod ipse per naturam malus esse possit, sed quod vitio se malum esse fecit. Sed quod dominus verbis de Iudæis testatur, scilicet quod ex deo non essent, ipsi de se operibus manifestant. Nam ex correptione, qua emendari debuerant, deteriores effecti sunt. Quia sicut sequitur:

Responderunt, & dixerunt ei: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Quod vt ad vituperationem pertineat, illos dominum dæmonium habere dixisse, manifestum est. Sed quid vituperationis habeat, quod eum Samaritanum nominauerint, propter eos, qui historiam ignorant, commemorandum est. Legimus enim in Regnorum libris, quod decem tribus filiorum Israel in Samaria ad suggestionem Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel, relicto deo patrum suorū, vitulos aureos & argenteos, quos ipse in Bethel & Dan statuerat, coluerint. Et idcirco suscitauit dominus contra illos Salmanasar regem Assyriorum, qui duxit eos captiuos in exteras nationes, ita tñ, vt in eorū regione alias gentes cōstitueret. Quæ etiam cū ibi deos suos colerent, misit dominus in eos pessimas bestias, vrsos scilicet & leones, ad quorum morsus & plagas cum plures morerentur, miserunt nūcios ad regem, dicentes: Terra, in qua habitamus, optima est, sed habitatores suos deuorat, eo quod ignoremus legitima dei terræ colere. Tunc rex inito consilio, misit vnū de sacerdotibus Hebræorum, qui eos legitima dei terræ colere doceret, & eo tēpore ipsæ gentes deū cæli coluerūt, nō tñ idola sua relinquentes. Tribus aūt Iuda & Beniamin, in quibus reges de stirpe Dauid regnabant, sicut ei dñs promiserat lucernā ei se daturum ex semine eius in æternum, necdū adhuc ductæ in captiuitatem, in Ierusalem manebat. Ex quo tempore Iudæi dicti sunt, non vt quidam putant, à Iuda Machabæo. Tanta igitur discordia inter Iudæos & prædictos Samaritanos excreuit, vt nullus Iudæorum familiariter colloquium habere dignaretur cum eis, nec conuiuium participare, nec aliquā societatem habere, sicut ostēdit mulier Samaritana, quæ dño dixisse fertur, sicut in euangelio

3. Re. 12.

legitur: Quō tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enī coutuntur Iudæi Samaritanis. Quæcunq; aūt Iudæi improperio lacessere volebant, illū Samaritanum vocabant. Vnde contra dominū felle commoti, quia nec vera mala q̄ exprobrarent inuenire poterāt, falsa improperia imposuerunt, dicētes eum dæmonium habere, & Samaritanum esse. Et cū in veritate eis rñdere posset, vos dæmonium habetis, noluit, sed verum malum quod in ipsis esse cognouit, patienter tacuit, imitabilem nobis patientiam ostendens, vt quotiescunq; à proximis iniurias patimur, eorum vera mala patienter taceamus, ne forte talis correptio non ex dilectione, sed ex vindicta nata videatur. Ioh. 4.

Respōdit Iesus & dixit illis: Ego dæmonium non habeo.

Notādum autem quod duo ei opposita fuerunt, sed ipse vnum negauit, alterū vero tacendo cōsensit. Negauit se dæmonium habere, non tñ negauit se esse Samaritanū. Samaritanus quippe interpretatur custos. Noluit ergo dominus se Samaritanum esse negare, se nostrum nouerat esse custodem, illum scilicet, cui propheta suam fragilitatem custodiendam commēdauit, cum dixit: Custodi me domine vt pupillam oculi. Et iterum: Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi. Et, nō dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israel. Et, Custodiens paruulos dominus. Iste est enim ille Samaritanus, qui proximum suum inueniēs vulneratum, alligauit vulnera eius, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. De quo per prophetam Isaiam dicitur: Onus Duma ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte, custos qd de nocte? Dixit custos: Venit mane & nox. Si q̄ritis q̄rite: cōuertimini & videte.

Psalm. 16
Psal. 140
Psal. 120
Psal. 114
Isai. 21.

Sed honorifico patrē meum, & uos inhonorastis me.

In multis locis euangelij inuenimus, filium patrem honorificasse. Non solum enim incarnationis suæ mysterium ad patris gloriam retorsit, sed etiam prædicationem, miraculorū ostensiōem & infirmorum, sicut ipse ait: Ego a meipso non veni, sed pater meus misit me. Et iterum: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. Et alibi: Pater maior me est. Et iterū: Pater sancte, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Et iterū: Ego a meipso nihil facio. Et in passione: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Sed Iudæi filium patrem honorantem inhonorauerunt, quando dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorū eijcit dæmonia. Et iterum: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Et, Hic homo non

Iohan. 8.
Iohā. 7.
Ioh. 14.
Ioha. 17.
Iohā. 8.
Mat. 26.
Matt. 9.
Iohan. 8.
Iohan. 9.

Ioh.18. est à deo, qui sabbatum non custodit. Et: Si
non esset hic malefactor, non tibi tradidisse-
mus eum.

Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet.

Cum filius dei multa signa faceret, multas
virtutes ostenderet, gloriam suam non quæ
siuit. Vt nos eius exemplo instructi, discam⁹
de bono quod agimus non gloriari, ne forte
dirigatur ad nos illa sententia, quæ ait: Quid
superbis terra & cinis? Vnde Apostolus glo
riantem in se præsumptionem reprimit, di-
1.Cor.4 cens: Quid habes quod nō accepisti, q̄d glo
riaris quasi non acceperis? Sed quæritur qua
re dicat: Ego non quæro gloriam meam, est
qui quærat & iudicet, Cum alibi dixisse lega
tur: Pater non iudicat quenquam, sed omne
iudicium dedit filio? Si pater omne iudicium
dedit filio, quare idem filius post acceptā cō-
tumeliam dicit: ⌊est qui quærat & iudicet?⌋
Ad quod dicendum, quia iudiciū in scriptu-
ris duplicem significationem habet. Aliquan
do autem ad discretionem, aliquando perti-
Psal.42. net ad damnationem. Nisi enim ad discretio
nem pertineret, nequaquam Psalmista dice-
ret: Iudica me deus, & discerne causam meā,
de gente nō sancta. Et: Deus in nomine tuo
saluum me fac, Et nisi ad condemnationem
pertineret, saluator nullo modo in Euange-
lio dixisset: Veniet hora, quando mortui au-
dient vocem filij dei, & procedent qui bona
egerunt, in resurrectionem vitę: qui vero ma
la, in resurrectionem iudicij. Ergo in hoc lo-
co iudicium ad discretionem pertinet, cū ait:
⌊Ego non quæro gloriam meam, est q quæ-
rat & iudicet.⌋ Ac si diceret: Est pater meus
qui discernit inter causam meam & vestram,
Mittens enim deus pater filium suum in mū
dum, nō solum à reprobis, sed etiam à iustis
eius causam longe discretam ostendit. Alij
enim cum peccato nascuntur, ille sine pecca-
to est natus, alij ad mensuram accipiunt spiri
tum sanctum, in eo autem habitat omnis ple-
nitudo diuinitatis corpaliter, sicut Isaias ait:
Et requieuit super eum spiritus domini, spi-
ritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij
& fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, &
repleuit eum spirit⁹ timoris domini. De qua
Psal.44 discretione per Psalmistam dicitur: Vnxit te
deus deus tuus oleo lætitiæ præ participibus
tuis. Secundum vero illud iudicium, quo re-
probi in condemnationem mittentur, pater
non dicitur quenquam iudicare, sed omne iu
dicium dedit filio; quia iustum & æquum est
vt filius dei qui ab hominibus iniuste est iu-
dicatus, in vniuersali iudicio iudex viuorum
& mortuorum appareat, & segreget bonos
à malis, sicut ipse ait: Cum sederit filius homi
nis in sede maiestatis suæ, tunc congregabun
tur ante eum omnes gentes, & separabit eos
ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hœ-
dis. De quo iudicio alibi in euāgelio legitur:
Potestatem dedit ei pater facere iudicium, q̄a Iohan 5
filius hominis est. Et apostolus: Omnes nos 2.Cor.5
manifestari oportet ante tribunal Christi, vt
referat vnusquisq; prout gessit, siuè bonum,
siue malum. Nec alicui impossibile debet vi-
deri, vno iudicij nomine duas habere signi-
ficationes, cum multa talia inueniātur in scri
pturis. Est enim tentatio adducens gloriam,
& est tentatio adducens peccatum. Est timor
seruilis, quem perfecta charitas foras expel-
lit: & est timor castus, qui permanet in secu-
lum seculi. Sic est & iudicium, quod pertinet
ad discretionem & iudicium, quod ad conde-
mnationem. Sed nec ingratus dominus be-
neficium suæ prædicationis subtrahit. Nam
quos per increpationem corrigi nō videbat,
blanda promissione ad corrigendum prouo
cat, dicens:

Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortē non uidebit inæternum.

Semper enim amen in Euangelio gemina
tur, vt quod dicit, credatur verius. Quæritur
autem quare dicat: ⌊Si quis sermonem me-
um seruauerit, mortem non videbit inæter-
num,⌋ cum legamus sanctos patres seruasse
domini sermonem, & tamen mortem corpo
ris nullo modo euasisse, excepto Elia & E-
noch, qui quamuis adhuc viuant, mortem ta
men corporis non euadent. Ex quo enim pri
mus parens noster præceptum vitæ contem
psit, se suamque sobolem conditioni mortis
substrauit, iuxta sententiam domini commi-
nantis: Quocunque die commederitis ex li- Genes.2.
gno scientiæ boni & mali, morte moriemini.
Et vnde scriptura dicit: Quis ē homo qui vi
uet, & non videbit mortem? Subauditur, nul
lus. Hæc autem lex humanæ conditioni con
stituta est, vt qui gustauerit vitam, gustet &
mortem, maxime cum de domino scriptum
est: Et domini domini exitus mortis. Quare
ergo dicit: ⌊Si quis sermonem meum serua-
uerit, mortem non videbit inæternum?⌋ Ad
quod dicendum, quia alia est mors animæ, Ieze.18.
& alia corporis. Anima nanque per pecca-
tum moritur, sicut scriptum est: Anima quæ
peccauerit, ipsa morietur: corpus vero pro-
pter pœnam peccati, quia sicut ait scriptura:
Peccata cum consummata fuerint, generant
mortē. Vtriusq; igitur genus mortis dn̄s cō
prehēdit, cū dicit: Sine mortuos sepelire mor
tuos suos. i. vt mortui animæ sepeliant mor-
tuos corporis. Vita quippe corporis, ani-
ma est: & vita animæ deus est. Sicut enim
moritur corpus sine anima, sic aīa sine deo.

De hac ergo morte.i.de morte aiæ,de mor-
te perpetua,de morte gehennali dicit.LSi qs
sermonem meum seruauerit,mortem nō vi-
debit inæternum. Quoniam quicunque præ
ceptum domini custodierit, licet in mortem
corporis incidat,tamen à morte animæ libe
rabitur,canens cum Propheta: Si ambulaue-
ro in medio vmbræ mortis, non timebo ma
la,quoniam tu mecum es. Vnde dominus in
Ioh.11. euangelio: Ego sum resurrectio & vita , qui
credit in me,etiā si mortuus fuerit, viuet. Et
omnis qui viuit & credit in me non morie-
Apoc.20 tur inæternum. Et Iohannes in Apocalypsi:
Beatus & sanctus qui habet partem in resur-
rectione prima. In his secūda.i. animæ mors
non habet potestatem.i.quādo anima de vi-
tijs in hoc seculo trāsit ad virtutes. Quod vt
facilius intelligatur,aliquod ponamus exem
plum. Verbi gratia, quibusdam dictum est:
Adorate idola,alioquin interficiemini. At illi
magis mortem corporis timentes quàm ani
mæ,adorauerunt,& in mortem animæ inci-
derunt,nec tantum mortem corporis peren-
niter euaserunt. De talibus scriptū est: Mors
Psalm.33 peccatorum pessima. Alijs etiam dictum est:
Adorate idola alioquin mittemini in caminū
igis ardentis. Illi vero magis mortem animæ
quàm corporis timentes,fiducialiter respon-
derunt,dicentes: Potens est nos dominus de
camino ignis ardentis,& de manibus tuis ò
rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi,
quia deos tuos non colimus,& statuam aure
am quam erexisti, non adoramus. Et ideo qa
magis dilexerunt vitam animæ, quàm timuis
sent mortem corporis,& istam ad tēpus eua
serunt. Et si in camino morerentur, preciosa
Psal. 115 est in conspectu domini mors sanctoꝝ eius.
Sed quæritur quare dixerit, Lmortem nō vi
debit inæternum,⌋cum hęc visum potius au
ferat, quàm tribuat. Ad quod etiam respon-
dendum, quia videre in hoc loco pro sentire
vel experiri ponitur. Sicut enim & fossa cęca
dicitur, non quod oculis careat, quos nunq̄
habuit,sed quia eos,q̄s intra se retinet, nō vi
dētes facit : Et sicut tristes lupinos dicimus,
non quod ipsi tristes vel læti esse possint, sed
quia de se gustantes tristes reddunt, propter
amaritudinem: sic & mors videri dicitur , eo
quod amaritudinē suam sentiri facit. Sed qa
Iudæi in mortem inciderant animæ, ita vt eā
minime viderunt, dixerunt:

Nūc cognouimus quia dæmonium
habes. Abraam mortuus est & pro-
phetæ: & tu dicis, si quis sermonē me
um seruauerit, non gustabit mortem
inæternum.

Quomodo intellexerunt, ita & responde-
runt. Ac si dicerent: Et si hucusq; indubij fui
mus te dæmonium non habere, nunc veraci
ter credimus, cum dicis: LSi quis sermonem
meum seruauerit, mortem nō gustabit, cum
Abraam mortuus sit.⌋Quod enim dominus
de morte animæ dicebat, illi de morte corpo
rea intelligentes, cum quodā iurgio respon-
derunt, dicentes:

Nunquid tu maior es patre nostro
Abraam, qui mortuus est? Et pro-
phetæ mortui sunt. Quem teipsum
facis?

Ac si dicerent: Nimium extolleris, super-
flue eleuaris, vltra modum erigeris, cum ser
uatores sermonum tuorum Abraæ & ꝓphe-
tis præferre præsumis, quos cōstat & sermo-
nem domini seruasse, & tamen mortuos cor
pore esse. Et quia temporalem gloriam non
permanentem vidit eos quærere, ad humili-
tatem sectandam prouocando eos, respōdit:
Si ego glorifico meipm̄, gloria mea nihil ē. Iohan.8
Ac si diceret: Gloria mea nihil esse posset, si e-
go meipsum glorificare vellem. Ergo gloria
vestra nihil est: quia ab inuicem gloriam quę
ritis: & gloriam quæ à solo deo est, non desi
deratis. Scriptum est enim: Laudet te alienus Prou.27
& non os tuum: extraneus, & non labia tua.
Vnde & subditur:

Est pr̄ meus qui glorificat me, quem
uos dicitis, quia deus noster est.

Si quis historiam sancti euangelij recense
at, facile potest reperire, qualiter pater filium
glorificauerit. Glorificauit filium pater, quan
do eo baptizato vox de cælo intonuit, dicēs: Mar.1.
Hic est filius meus dilectus, in te complacui. Matt.17
Glorificauit etiam, quando & coram discipu
lis in monte trāsfiguratus est, & eadem vox
intonuit, dicens: Hic est filius meus dilectus,
in quo mihi bene complacui, ipsum audite.
Glorificauit, quando tales virtutes & signa
per eum fecit, vt ipsum hominem deum esse
ostēderet. Vnde eodem filio dicente: Clarifi- Ioh.17
ca me tu pater apud temetipsum claritate,
quam habui priusquam mundus fieret, respō
dit pater: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Ioh. 12
Clarificauit alibi filius patrem, quādo dixit: Iohan 8.
Ego à meipso non veni, sed pater meus mi- Iohan.7
sit me. Clarificauit etiam quādo opera & vir
tutes, quas fecit, ad patris gloriam reduxit, di
cens: Mea doctrina non est mea, sed eius qui
misit me patris. Vnde alibi scriptum est: Pa-
ter sancte, ego te clarificaui super terram, o- Ioh. 17.
pus consummaui quod dedisti mihi vt face-
rem. Ex nulla vero causa alia magis Iudæi cō
tra dominum irascebātur, quam ex ea, quod
deum illorum patrem suum esse dicebat, sic-
ut idem Iohannes alibi ostendit, cū dicit: Pro
pterea quærebāt Iudæi Iesum interficere, qa
non solum sabbatum soluebat, sed etiam pa-
trem suum dicebat deum, æqualem se faciēs

deo. Sed quamnis irascerent, quamuis indignarentur, quamuis fremerent, veritas semper tamen dicebat veritatem, ostendens nobis, quia quotienscunq; pro veritate scandalum nascitur, melius est vt scandalum sustineatur, quam veritas relinquatur.

Et non cognouistis eum.

In hoc se Iudæi patrem non cognouisse ostenderũt, quia filium eius ab eo missum nõ crediderunt. Si enim patrem cognouissent, vtiq; & filio eius credidissent, sicut ipse filius eis dicit: Si deus pater vester esset, diligeretis vtique & me, quia à deo exiui & veni. Bene etiam subditur:

Ego autem noui eum.

Aliter eñi filius patrẽ nouit, & aliter nos. Nos vero ex tempore ab illo illuminati, parum de eius subtili natura sentimus. Illi autẽ nosse patrem est, coæternum & consubstantialẽ semper cum eo esse, sicut ipse dicit: Sicut
Iohã. 10. nouit me pater, & ego agnosco patrem.

Et si dixero, quia nescio eum, ero similis uobis mendax.

Cum enim (vt ait scriptura) omnis homo mendax, deus autẽ solus verax, sicut ipse ait: Ego sum veritas, multo deterius Iudæi mendaces erant, qui filium dei dæmonium habere dicebant.

Sed scio eum, & sermonẽ eius seruo.

Ac si diceret: Si inuisibilem deum videre non valetis, ex operibus, quæ in nomine eius facio, me ab illo missum esse cognoscere potestis, sicut ipse ait: Si mihi nõ creditis, vel operibus credite. Et iterum: Opera quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonia perhibent de me. Et quia inde me eum cognoscere manifesto, quia sermonem eius seruo, profecto vos falso illum cognoscere gloriamini, cuius præcepta contemnitis. Vnde Iohannes apostolus: Si quis dixerit, quõ diligo deũ, & mandata eius nõ custodit, mẽdax est.

Abrahã pater uester exultauit ut uideret diẽ meum, uidit, & gauisus ẽ.

Quærit fortasse aliquis, vbi vel quando beatus Abraam patriarcha diem Christi vidisse, & gauisus esse inueniatur. Sed si eius opera diligenter inspicimus, & ea spiritualiter cõsideramus, citius cognoscimus, vbi vel quando diem Christi viderit, & gauisus sit. Legimus enim in Genesi, quia cum esset senex, prouecteq; ætatis, seruum seniorem domus suæ vocauit ad se, & ait illi: Mitte manum tuã sub femore meo, & iura mihi per deum cæli, quod non accipias vxorem filio meo de filiabus Chanaan, inter quos habito, sed proficiscaris ad terram, & cognationem meam. & inde filio meo Isaac accipias vxorẽ. Quid sibi vult talis adiuratio? Quid deus cæli ad femur Abrahæ pertinet, aut femur Abrahæ ad deum cæli? Si autem per femur, vt quid per deum? Et si per deum, vt quid per femur adiurauit? Nimirum per femur, propago carnis designatur. Cum igitur seruum per deum cæli & femur adiurauit, ostendit, quia intellexit illum de stirpe sua nasciturum, qui sic ad eius femur pertinet, vt merito deus cæli crederetur: & sic vidit Abraam diem Christi, & gauisus est: ineffabili nanq; gaudio potuit exultare, quãdo eum de stirpe sua præuidit nasciturum, per quẽ non solum ipse saluaretur, sed etiã totus mundus redimeretur, & impleretur promissio domini ad eum dicentis: In semine tuo benedicẽtur omnes gentes. Siue aliter: Abraam diẽ Christi vidit, & gauisus est, quando in figura sanctæ trinitatis tres angelos meridie hospitio suscepit. Tres enim vidit & vnum ad- Gene. 18.
orauit, quia in trinitate vnitatẽ credidit. Ibi ergo personam Christi intellexit, & tunc diem eius vidit, & gauisus est. Vnde ipsa scriptura statim subiunxit, dicens: Credidit Abraam deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et quia sæpe præfati, perfidi Iudæi profundum diuinitatis mysterium penetrare nequibant, in ęstate humanitatis cæcis mentibus oberrabant dicentes:

Quinquaginta annos nõdum habes & Abraam uidisti?

Quia viderunt Iudæi dñm Iesum Christũ hominẽ, non considerabant deum esse coniũctũ, ad humanitatẽ tantum respicientes, ideo dicebant nondũ eũ quinquaginta annos habere. Et quoniã dominus Iesus Christus verus deus, sine initio & sine fine vbiq; pręsens est, ante quinquaginta annos Abraam viderat, & videbat. Sed ille qui minus quàm quinquaginta annos per humanitatem habebant vt ostenderet se ante omnia secula per diuinitatem esse, adiunxit:

Amen amen dico uobis, antequam Abraam fieret, ego sum.

Vbi notandum, vt ostenderet se verũ deũ esse, nõ dixit: ego fui, sed anteq̃ Abraã fieret, ego sum, Sum quippe præsentis temporis verbũ, nec præteritum, nec futurum sonat, sed semper præsens. Et ideo illi soli cõgruit, cui nec præterita trãseunt, nec futura succedũt, sed semper illi est eẽ, æternũ & incõmutabilẽ permanere. Vñ quærenti Mo- Exod. 3.
ysi, Si dixerint mihi filij Israel, quod est nomen tuũ, quid dicã eis? rñdit: hęc dices filijs Israel: Ego sum qui sum, qui est, misit me ad vos. Nec solũ añ Abraã est, sed etiã ante omne initium, sicut ipse ait: Ego principium, qui & loquor vobis, cui in laude sapientiæ dicit: Dominus possedit me initio viarum suarum. Et iterum: Ego ex ore altissimi prodiui. Postquam autẽ à domino se superatos esse viderunt, ita vt verba verbis opponere nõ possent, felle inuidiæ cõ

mori, lapidibus eum necare conati sunt. Vnde & subditur:

Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum.

Recte ad lapides cucurrerunt, qui lapideum cor habebant, qbus bene congruit, quod eorum patribus per prophetam dictum fuerat: Neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea. Non enim erant de illis, quibus domin' per prophetam ait: Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, sed in saxorum soliditate duri erant, quoniam dominum Iesum Christum dei filium, qui per eorum prophetas eis fuerat promissus, miracula facientem, prædicãtem, & operantem, sicut scriptum habebant, præsentialiter videbãt & non recognoscebant, sed lapidare volebãt Et quia non venerat potestate, sed humilitate hostes suos vincere, iure subditur:

Isa. 48

Ieze. 11.

Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

Væ Iudæis à quibus se abscondit. Abscondit enim se ab aspectibus eorum corpore, q non merebantur eum videre mente. Non enim dominus ante manus persequentium se se abscondit, vt mori timeret, qui pro nobis mori venerat, sed humilitatis gratia, vt congruo tempore congruam mortem susciperet, videlicet crucis. Dignum nanq; erat, vt quia primus homo per lignum vetitum ceciderat, per lignum sanctæ crucis restauraretur, quod in sequẽtibus manifestius habetur. Sed pulchre vtraq; domini natura in fine huius lectionis, diuina scilicet & humana, nobis demonstratur, si hãc cum altera conferamus. Legimus enim quia cum ducerent eum vsq; ad supercilium mõtis, super quem ciuitas eorum ædificata erat, & inde eum præcipitarẽt, ipse transiens per medium illorum ibat. Et in eodem Iohãne, quia cum misissent principes & sacerdotes milites, qui eum comprehenderent, Iesus processit obuiam illis, & interrogauit eos: Quem quæritis? At illi responderunt: Iesum Nazarenum. Ait illis: Ego sum. Statim vt dixit, ego sum, abierunt retrorsum & ceciderũt in terram. Quasi ergo homo ab ab oculis lapidantium se abscondit, sed quasi deus per medium persequentium trãsiuit, & inimicos prostrauit suos. Qui enim solo verbo inimicos prostrauit, deus est. Qui autem corporaliter, vt homo inter alios homies se abscondit, homo verus erat.

Ioh. 18

FERIA SECVNDA POST Iudica. Iohannis. VII.

In illo tempore: Miserunt principes & pharisæi ministros, ut apprehenderent Iesum.



Iserunt ministros, vt eũ comprehenderent, quẽ apprehẽdere non potuerunt, adhuc nolẽtem vt comprehẽderetur, sed audierunt docentem, qui venerant appprehendere innocentem.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicũ tempus uobiscum sum.

Quod modo vultis facere, facturi estis, sed non mõ, quia modo nolo. Quare adhuc mõ nolo? ⌊Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum, & tũc vado ad eum qui misit me.⌋ Implere debeo dispensationem meam, & sic peruenire ad passionem meam.

Quæretis me, & non inuenietis me, & ubi sum ego, uos non potestis uenire.

Hic iam resurrectionem suam prædixit. Noluerunt enim agnoscere præsentem, & postea quæsierunt eum, cum viderent multitudinem iam credentem. Magna enim signa facta sunt, etiam cum dominus resurrexit: & cum in cælum ascendit, tunc p discipulos facta sunt magna, sed ille per illos, qui & per ipsum. Ille quippe illis dixerat: Sine me nihil potestis facere. Quare nõ potuerunt venire? Quia non voluerunt credere, quia nullus sine fide saluari potest. Ioh. 15.

Dixerunt ergo Iudæi, nõ ad ipsum, sed ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunqd in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?

Non enim sciebant quid dixerũt, sed quia ille voluit prophetauerunt. Iturus enim erat dominus ad gentes, non præsentia corporis sui, sed potestate diuina in discipulis suis, de quibus dixit per prophetam: Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem, euangelizãtium bona. In his pedibus Christus iturus erat ad gentes, & per eos docturus gentes, vt fidem acciperent gẽtes, quam Iudæi spreuerunt. Qui verum nescientes prophetauerunt qui ignorauerunt Christum dicentem: ⌊Et vbi sum ego vos non potestis venire.⌋ Quare vos non potestis venire? Quia non vultis credere. Quid est quod dixit ⌊vbi sum ego⌋ nisi in sinu patris, cõsempiternus patri? In terra loquebatur, sed in patris sinu se esse monstrabat. Ante cæteras dispensationes domini nostri, & doctrinas salutis nostræ, & dubitationes Iudæorum de domino Iesu Christo, q dixit, quibus alij confunderentur, alij docerentur, nouissimo festiuitatis illius die (Tunc enim ista agebantur, quæ appellabant scenopegia, i. tabernaculorum constructio, quæ festiuitate iam ante meminit charitas vestra fu

Isaie. 25

isse dissertū) vocat dominus Christus, & hoc
non vtcunq; loquendo, sed clamando, vt qui
sitit, veniat ad eum. Sitimus, veniamus: & nō
pedibus, sed affectibus, nec migrando, sed a-
mando veniamus. Quanquam etiam secun-
dum interiorem hominem, & qui amat mi-
grat. Et aliud est migrare corpore, aliud cor-
de. Migrat corpore, qui motu corporis mu-
tat locum. Migrat corde, qui motu cordis af
fectū mutat. Si aliud amas, aliud amabas, non
ibi eras. Clamat ergo nobis dominus, stabat
enim & clamabat:

2.Par.10 Si quis sitit, ueniat ad me & bibat.
Qui credit in me, sicut dicit scriptu-
ra, flumina de uentre eius fluent a-
quæ uiuæ.

Quid hoc esset quando Euangelista expo
suit, immorari non debemus. Vnde enim di-
xerit dominus: Si quis sitit veniat ad me,
& bibat. Et qui credit in me, flumina de ven-
tre eius fluent aquæ viuæ, consequenter ex-
posuit euangelista, dicens:

Hoc autem dixit de spiritu, quem ac
cepturi erant credentes in eum.

Hoc tantum sciamus, quod de charitate hoc
clamabat dominus Iesus. Clamabat ergo &
dicit, vt veniamus & bibamus, si intus sit ani
mus. Et dicit, quia cum biberimus, flumina a-
quæ viuæ fluent de ventre nostro. Vēter in-
terioris hominis, est conscientia cordis eius.
Bibito ergo isto liquore, reuiuiscit purgata
conscientia, & hauriens fontem habebit, etiā
ipsa fons erit. Quid est fons, vel quid est flu-
uius, qui manet de vētre interioris hominis?
Beneuolentia, qua vult consulere proximo.
Bibunt ergo, qui credunt in domino. Si enim
putat, quia quod bibit, soli ipsi debeat sufficere,
nō fluit aq̄ viua de ventre eius. Si aūt proximo
festinat consulere, ideo non siccatur, quia ma
nat. Videbimus quid nūc sit, quod bibūt, qui
credūt in deum, quia vtiq; Christiani sumus,
& si credidimus, bibimus. Et vnusquiq; in se
debet cognoscere quod bibit, si bibit ex eo quod
bibit. Non enim nos deseret fons, si non dese
ramus fontem. Exposuit euangelista, & dixit
vnde dn̄s clamasset ad qualem potum inuitas
set, quid bibentibus propinasset, dicens: Hoc
autem dicebat de spiritu, quē accepturi erant
credentes in eum.

Nōdum enim erat spiritus datus, quia
Iesus nondum fuerat glorificatus.

Quem dicit spiritum, nisi sanctum spiritū?
Nam vnusquisq; homo habet in se propri-
um spiritum, id est, animum. Animus enim
cuiuscunq; eius est spiritus, de quo dicit Pau
1.Cor.2. lus apostolus: Quis enim scit hominum, quę
sunt hominis, nisi spiritus qui in ipso est? Sed
quid est quod ait, Nondum enim erat spiri
tus datus, quia Iesus nondum erat glorifica-
tus? Nunquid nō spiritus sanctus fuit in san
ctis dei & prophetis, patriarchis, qui multa per
spiritumsanctum futura prędixerunt? Igitur
& de Elizabet legitur, spūsancto repletā esse,
& de Zacharia similiter dicente euangelista: Luc.1.
Et Zacharias repletus est spiritu sancto, & pro
phetauit. Quid est quod dicit, spiritus sanct9
nōdum fuerat datus? Multa ergo indicia præ
cedentis spiritus sancti habemus, antequam
dominus glorificaretur resurrectiōe carnis.
Non enim alium spiritum etiā prophetæ ha-
buerunt, qui Christum venturum prænunci
auerunt, sed modus quidam futurus erat do-
nationis huius, qui omnino antea congrega
tos homines accepto spū sancto, linguis oim
gentium fecit locutos fuisse. Post resurrectio
nem autem suam, primum quando apparuit
discipulis suis, dixit illis: Accipite spiritūsan- Iohā.20.
ctum. De hoc ergo dictū est: Non erat spūs
datus, quia Iesus nōdum fuerat glorificatus,
& insufflauit in faciem eorum. Quo flatu pri-
mum hominem quem fecit, viuificauit & de
limo erexit. Quo flatu animam membris ei9
dedit, significās eundem esse spiritum, quem
insufflauit in faciem eorum, vt à luto exurge-
rent, & luteis operibus renunciarent. Tunc
primum post resurrectionem suam, quam di
cit euangelista glorificationem, dedit discipu
lis suis spiritum sanctum. Deinde commora
tus cum eis quadraginta dieb9, vt liber Actu
um apostolorum demonstrat, ipsis videnti-
bus, & videndo deducentibus, ascendit in cæ
lum. Ibi peractis decem diebus pentecostes,
misit illis desuper spiritumsanctum, qui (sicut
dixi) fuerant vno in loco congregati. Acce-
pto autem spiritu sancto, omniū gentium lin
guis locuti sunt. Quærit aliquis forsitan, ba-
ptizati in Christo, & in charitate præceptorū
eius viuentes, quare omnium gētium linguis
non loquantur, dum certum est spiritum san
ctum eos accepisse? Quia ipsa ecclesia, quæ ē
corpus Christi, omnium gentium linguis lo
quitur. Quod tunc in primitiua ecclesia præ-
figuratum est, quæ in Iudæa tantummodo gē
te initiata ē, nunc vero ex omnibus gentibus
congregata. Quomodo vero vnus tunc ho-
mo loquebatur linguis, ita modo vnitas san-
ctæ ecclesiæ omnibus loquitur linguis. Ac-
cepim9 ergo & nos spiritum sanctum, si ama
mus ecclesiam, si charitate compaginamur, si
catholico nomine & fide gaudemus. Igitur
quantum quisq; amat ecclesiam Christi, tan-
tum habet spiritum sanctum. Habemus ergo
spiritumsanctum, si amamus ecclesiam. Ama
mus autem, si in eius compage & charitate
consistimus, quam Apostolus omnibus vir-
tutibus fiducialiter pręposuit. Quicūq; ipsam
habet cūcta habebit bona: quia sine illa nihil
proderit, quicquid habere potuerit hō, de qua

Iacob.2. beatus Iacobus apostolus ait: Qui autem offenderit in vno, factus est omnium reus. De
Ioh.13. hac etiam & ipsa veritas ait: In hoc enim cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.

FERIA TERTIA POST Iudica. Iohannis. VII.

In illo tempore: Ambulabat Iesus in Galilæam, Non enim uolebat in Iudæam ambulare, quia quærebāt eum Iudæi interficere. Et reliqua.



HOc infirmitati nostræ præbebat exemplum, non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum erat (vt dixi) vt aliquis fidelis eius absc ōderet se, ne à persecutoribus inueniretur. Et ne illi pro crimine obijceretur latibulum, præcessit in capite, quod in mēbris cōfirmaretur. Potuit enim Christus ambulare inter Iudæos & non occidi, qui ait: Po
Ioh.10 testatem habeo ponendi animam meā, & potestatem habeo iterum sumendi eā. Hanc potestatem ostēdit dum voluit, dum ad vocem illius retro ceciderunt, qui eum cū armis venerunt apprehendere.

Erat autē in proximo dies festus Iudæorum scenopegia.

Scenopegia dies festus erat tabernaculorū quo Iudæi mense septimo in tabernaculis sub ramis arborum habitare diebus septem iubebantur, ad memoriam habitatiōis illorum in eremo. Iste erat dies festus, quem Iudæi magna solēnitate celebrabant, vt reminiscerentur beneficiorum dñi, qui eos eduxit de terra Aegypti. Dies fest⁹ more Iudæorum, dicitur non vnus dies, sed quotquot illius festiuitatis fuerunt, quasi vnum diem festum, propter vnius festiuitatis consuetudinem nominare solebant.

Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Transi huc, & uade in Iudæam.

Fratres enim domini vsitatissimo sanctæ scripturæ more, cōsanguinei sanctæ Mariæ semper virginis dicebantur. Nam Abraā & Loth fratres sunt dicti, cum Abraam patruus esset Loth. Et Laban & Iacob fratres sunt dicti, cum esset Laban auunculus Iacob. Cū ergo audieritis fratres domini, Mariæ cogitate consanguinitatem, nō iterum parientis vllam propaginem. Diximus fratres qui fuerint, audiamus quid dixerint: Transi hinc, & vade in Iudæam, ut discipuli tui uideāt opera tua quę facis.

Opera domini discipulos non latebāt, sed istos latebant. Isti enim fratres. i. consanguinei Christum consanguineum habere potuerunt. Credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt, ideo continuo Euangelista secutus est.

Neque enim fratres eius credebant in eum.

Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant, dicentes ad eum: ⌊ Transi hinc & vade in Iudæam, vt discipuli tui videant opera tua quæ facis. ⌋

Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palā esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.

Nam his verbis ostenditur, gloriam illius carnaliter quærere eos. Quasi dixissent: Facis mirabilia, sed abscondite. Transi in Iudæam, vt principatus gentis, & ciuitas caput regni, videant mirabilia tua. Innotescere, appare omnibus, vt laudari possis ab oibus. Quid ergo ad hæc dominus Iesus dicit, audiamus:

Meum tempus nondum aduenit, tēpus aūt uestrum semper est paratū.

Apostolus dicit: Postquam venit plenitudo temporis, misit deus filium suum. Temp⁹ Gala.4. vero gloriæ Christus necdum venit, cū hæc locutus est, quod illi videntur quærere, qui ei suadebant ire in Iudæā, miracula facere mundo, innotescere, ne latens ignobilis putaref. Sed ille voluit altitudinem humiltate procedere, & ad ipsam celsitudinē per hūilitatis viam peruenire. ⌊ Tempus autem vestrum ⌋ .i. mundi gloria, ⌊ semper est paratum. ⌋ Est enim tempus gloriæ, vt qui venit in humilitate, veniat in altitudine: qui venit iudicandus, veniat iudicaturus: qui venit occidi à mortuis, veniat iudicare de viuis & mortuis.

Vos ascendite ad diem festum hūc.

Quid est hunc? Vbi gloriam humanam q̄ritis. Quid est hunc? Vbi extēdere vultis carnalia gaudia, non æterna cogitate.

Ego enim non ascendam ad diem festum hunc, quia tempus nondum impletum est.

In die festo gloriam vos humanam quæritis ⌊ meum vero tempus ⌋ id est, gloria mea, ⌊ nondum venit. ⌋ Ipse enim dies festus me us, non diebus istis percurrens & transiens, sed permanens in æternum, ipse erit festiuitas gaudium sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube.

Hæc cum dixisset ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem fe-

stū, nō manifeste, sed q̄si in occulto.

Ideo non ad diem festum hunc, quia non gloriari temporaliter, sed aliqd salubriter docere, corrigere homines, de die festo æterno admonere, ab amore seculi auertere, & ad deum conuertere. Quid est autem quod quasi latenter ascendit ad diem festum? Non vacat & hoc domini opus. Nam omes dies festi Iudæorum, in figura fuerunt. Ideo Christus latenter ascendebat in eis, quia Christus latuit in illis: populo vero priori occultus, mō vero meliori populo manifestus. Quia quod ille populus in vmbra agebat, nos vero manifesta luce facimus. Licet quidā intelligere velint, hāc domini responsionem, qua ait: Ego non ascendo ad diem festum hunc, ad passionem illius pertinere: quia Christus non in festiuitate scenopegiæ, sed in festiuitate paschali, q̄ agnus occidi solebat, cruce ascendit.

Iohan. 7

Iudæi autem quærebant eum in die festo, antequam ascenderet. Priores enim fratres ascenderunt, & non tunc ascendit ille quando illi putabant & volebant vt iam hoc impleretur quod ait: Non ad hunc, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem. Ascendit autem postea, vt euāgelium loquitur, mediato die festo, id est, cum iam illius diei festi tot dies præteriissent, quod remanserent. Ipsam enim festiuitatem, quantum intelligendum est, diebus plurimis celebrant.

Dicebant ergo: Vbi est ille? Et murmur multum erat de eo in turba.

Vnde murmur? De contentione. Quæ fuit contentio?

Quidam enim dicebant: quia bonus est, alii autem dicebant: non, sed seducit turbas.

De omnibus eius seruis hoc dicitur modo, quicunq; eminent in aliqua gratia. Alij dicunt, bonus est: alij, non, sed seducit turbas. Vnde hoc? quia vita nostra abscondita est cū Christo in deo. Hoc patitur corpus Christi vsq; in finē seculi à mundi amatoribus, quod tunc passus est à Iudæorum murmuratoribus. Necdum frumentum à paleis segregatum est, vt grana frumenti congregentur in horreum, & paleæ comburantur igne æterno: Quod dictum est ergo de domino, valet ad consolationem, de quocunq; hoc dictum fuerit Christiano.

Matt. 3.

Nemo tamē palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

Quidam dicebant, bonus est: alij aūt dicebāt, non, sed seducit turbas. Sonitus eorū apparebit tanquam aridorum fluuiorum: seducit turbas, clarius sonabant: bonus est, pressius susurrabāt. Modo autem fratres, quamuis nondum venerit illa gloria Christi, quæ nos æternos factura est, modo tamē ita crescit, ecclesia eius, ita enim dignatus est per cūcta diffundere, vt etiam susurretur, seducit turbas, sed clarius personat, bonus est. Nā noua hæresis in angulis occulte susurrat. Christus est adoptiuus: sed clarius vniuersalis sanctæ ecclesiæ vox resonat. Christ' est filius dei. Propitius sibilant quoq; serpētino ore, Christus nuncupatus ē deus: sed expressius firmiusq; fidelium omnium vnanimitas clamat: Christus deus est, bonus est, verus deus est, teste egregio prædicatore qui ait: Quorum patres ex quibus Christus, qui est super omnia deus benedictus.

FERIA QVARTA POST Iudica. Iohannis X.

In illo tempore: Facta sunt encænia Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in tēplo in porticu Salomonis. Et reliqua.



Ncænia autem vocabatur solēnitas dedicatiōis tēpli, quā populus dei ex antiqua patrum traditiōe, per annos singulos celebrare consueuerat. Sed notandū est, quod hæc encænia, q̄ hic leguntur, non ad primā templi dedicationem, sed ad vltimā pertinent: quod ex eo facile colligit, q̄a hyeme facta refertur. Prima siquidem templi dedicatio à Salomone tempore autumni, secunda aūt à Zorobabel & Iesu sacerdote tēpore verno. Tertie à Iuda Machabęo tempore hyemis est facta, quando specialiter cōstitutū esse legitur, vt eadē dedicatio p omes annos in memoriā solēnibus reuocaret officijs: quā etiam ad tps vsq; dñicę incarnatiōis obseruatam fuisse, sicut mō, cū legeret euāgeliū audiuimus. Quæ etiā dedicatio, salubri cōsuetudine, in ecclesiis Christi reseruari moderno tpe dinoscit. Considerandū nobis est, qre euangelista dixisset, hæc encęnia hyemis tpe facta esse. Omino propter duritiam Iudæorū & infidelitatē, q̄ frigoris noīe sæpe designari legit. Et ambulabat Iesus in templo & porticu Salomonis. Si ergo dei filius ambulare voluit in tēplo, in q̄ caro & sanguinis bruto rū aīalium offerebat, multo magis nr̄æ orationis domū, vbi carnis ipsius ac sanguinis sacramēta celebramus, visitare gaudebit. Si porticū ambulare nō despexit porticū, in q̄ rex quondā mortalis ac terrenus quāuis potētissimus ad orandū stare solebat, quāto magis penetralia cordia cordiū nostrorū inuisere, atq; illustrare desiderat, si nō ea porticū esse Salomonis, hoc est, si ea timorē suū, qui est initiū sapi

entiæ, habere perspexerit. Neq; enim putandū est, quia domus solummō sit, in q ad orandū vel ad mysteria celebranda conuenimus: multo magis templum eius appellamur & sumus, cum manifeste dicat apostolus: Vos estis templum dei viui, sicut dixit deus: Inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo. Ostendit vero euangelista cur dixisset hyemis tempore, dum inquit:
1.Cori.6

Circundederunt eum Iudæi.

Circundederunt itaq; eum tentationis gratia, non veritatis agnoscendæ voluntate.

Et dicebant: Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

Hæc vero non voluntate fidei inquirendo sed illi quem interrogabant insidiando, & calumniā instruendo dicebāt, vt inuenirent quomodo accusarent eum, nolentes eum credere deum, sed hominem pur: trimō futurū, & regem cæteris omnibus excelsiorem esse venturum. Qua etiam demētia posteri eorū vsq; in præsens, & donec antichristum pro Christo suscipiant, errare non cessant. Et si Christum esse responderet, cogitabant eum tradere potestati præsidis puniendum, quasi contra Augustū repugnans, illicitum sibi vsurparet imperium. Sed ipse nostræ saluti cōsulens propter quos hæc scribenda erāt, ita responsum temperauit suum, vt ad calumniantium ora concluderet, & quia Christus est, fidelibus aperta voce panderet. Illi enim de homine Christo quærebant, ipse autem diuinitatis suæ, qua æqualis est patri, palā mysteria narrat. Quid ergo Iudæi circundantes dominū dixerunt, videamus. [Quousq; (inquiunt) animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.] Non venit Christus in se credētibus animam tollere, sed animam viuificare. Sed ipsi sibi Iudæi animam per infidelitatē tulerunt, qui tentare Chistum, nō in Christum credere congregati sunt.

Respondit eis Iesus: Loquor uobis, & non creditis.

Proprie ostēdit, quis esset dum dixit: [Loquor vobis] .i. verbum dei, coæternum patri [quia opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me.] quia est filius dei, qui gloriam suam non quæsiuit, sed eius qui misit illum, quia vna ē gloria patris & filij. Sed hāc fidem corda infidelium accipere nequiuerunt, de quibus ait.

Sed uos non creditis, Causamq; reddit, cur non crederent:

Quia non estis ex ouibus meis.

Oues sunt credendo, oues sunt pastorem sequendo, oues sunt redemptorem non contemnēdo, oues sunt per ostiū intrando, oues sunt exeundo, & pascua inueniendo. Quō ergo istis dixit: [non estis ex ouibus meis?] Quia videbat eos ad sempiternū futuros perditionem, non ad vitam æternam sui sanguinis precio comparatos.

Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis.

Dicit enim cognosco eas. Cōsuetudo sanctæ scripturæ est dicere, deum nosse quicqd eligit. Apostolo dicēte: Nouit dominus qui sunt eius: & illud nescire, quod non approbat dignum vitæ æternæ. Vnde ad impios dicturus erit: Non noui vos. Sequitur de ouibus: [Et ego vitam æternā do eis.] Hæc sunt pascua quæ superius promisit ouibus suis, vbi nulla herba arescit, totū viret, totū viget, totum integrum permanet: & quicqd semel accipitur, semper habetur. 2.Tim.2 Matt.7.

Et non peribunt inæternum.

Hic subaudiendum est, quomodo vos peribitis qui non estis ex ouibus meis.

Et non rapiet eas quisquam de manu mea, id est, de potestate mea.

Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.

Quod dedit pater filio, maius omnibus est vt ipse illi esset vnigenitus filius, æqualis & consubstantialis. Quid est quod dedit? Vtiq; gignendo dedit, quia non minorem sibi genuit, non tempore posteriorem, sed coæternum, sine initio temporis semper deum. Nō est dicendum, non erat antequam natus erat: nunquam enim non natus erat, qui patri coæternus erat. Qui sapit, capiat: qui non capit, credat. Nutriatur fide, vt possit capere verbū dei, quia verbum filius, semper ergo filius & semper æqualis. Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus de patre filius, de deo deus, de æterno coæternus. Pater autem non de filio deus, filius de patre deus. Ideo deus pater, ideo gignēdo dedit vt deus esset, gignendo dedit vt æqualis esset: hoc est, quod maius est omnibus. Ideo transcendit iste Iohannes omnes altitudines creaturarum, & millia exercitus angelorum, & magna omnia, peruenit ad illud, quod maius est omnibus, & dixit: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc est quod maius omnibus est, id ē, vt sim verbum eius, vt sim vnigenitus filius eius, vt sim splendor lucis eius. Ideo nemo rapit oues de manu mea, & nemo potest rapere de manu patris mei. Manus patris & manus filij, vna manus, id est, vna potestas, vna diuinitas, vna maiestas, vna æternitas, vna æqualitas. Quam videlicet æqualitatem ipse dñs in diuinitate habuit, priusquam mundus esset

apud patrem, ipſe in humilitate ex tēpore incarnationis accepit.

Et nemo poteſt rapere de manu patris mei.

Aperte dat intelligi, vnam atq; indiſſimilem eſſe manum, hoc eſt, virtutem ſuā & patris, atq; ideo ſe Chriſtum eſſe credendum, qui non ſicut cęteri ſancti factus per gratiam ex tempore, ſed verus ſemper extiterit filius dei, quod etiam ſequenti ſententia luce clarius aperit, dicens:

Iohā. 10. Ego & pater unum ſumus.

Vnum (inquit) ſumus, vna nobis ſubſtantia, vna eſt diuinitas, vna eſt æternitas, perfecta æqualitas, diſſimilitudo nulla. Quibus ꝑfecto verbis non præſentem ſolummodo Iudæorum quæſtionem, quā, an ipſe eſſet Chriſtus, interrogabant, explicauit, ſed etiā hæreticorum perfidiam, quam futuram præuidit, quantum ſit execranda, monſtrauit. Conticeſcat Sabellius: Audiēs: Ego & pater, qui vnā perſonam patris & filij praua doctrina diſſeruit. Nam, & ego & pater, duæ perſonæ. Itē erubeſcat Arrius, audiens: vnum ſumus, qui duas naturas in patre & filio aſtruit, dū vnū, vnam naturam ſignificat, ſicut ſumus, duas ꝑſonas. Sequamur apoſtolicam fidem, quā beatus Petrus princeps apoſtolorum cōfeſſus

Matt. 16 eſt: Tu es Chriſtus filius dei viui. Iudæi videlicet verba domini audientes, hucuſq; feſtinauerunt. Dum vero ait: ⌊Ego & pater vnum ſumus,⌋ non pertulerunt, ſed more ſuo duri ad lapides cucurrerūt, ſicut euāgeliſta dicit:

Tulerunt lapides ut lapidarēt eum.

Dominus non patiebatur, quod nolebat pati: & non eſt paſſus, niſi quod voluit pati. Adhuc eos lapidare cupientes alloquit: ⌊Suſtulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum.⌋

Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi uobis a patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? At illi reſponderunt: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis teipſum deum.

Ad illud reſponderunt qđ dixerat: ⌊Ego & pater vnum ſumus.⌋ Ecce Iudæi intellexerunt, quod Arriani non intelligunt. Ideo eñ nati ſunt, quoniam ſenſerunt non poſſe dici: Ego & pater vnum ſumus, niſi vbi æqualitas eſt patris & filij. Deus autem, videte, quid reſponderit prauis. Videt eos non ferre ſplēdorem veritatis, & eos tentauit in verbis.

Nonne ſcriptum eſt in lege ueſtra, .i. vobis data, quia ego dixi: dii eſtis.

Deus dicit per Prophetā in Pſalmo omnibus: Ego dixi dij eſtis. Et legē appellauit dñs gñaliter oēs illas ſcripturas, quāuis alibi ſpecialiter dicat legē, à prophetis eā diſtinguēs, ſicuti eſt: Lex & prophetæ vſq; ad Iohannē. Et iterū: In his duobus præceptis tota lex pēdet & prophetæ. Aliqñ aūt in tria diſtribuit eaſdē ſcripturas, vbi ait: Oportebat impleri omnia quę ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me. Nunc vero etiam pſalmos legis nomine nuncupauit, vbi ſcriptum eſt: Ego dixi dij eſtis. Luc. 16. Matt. 22 Luc. ult.

Si illos dixit deos, ad q̊s ſermo dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura, quem pater ſanctificauit, & miſit in mundū: uos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, filius dei ſum?

Si ſermo dei factus eſt ad hoīes, vt dicerent dij, ipſum verbū dei quidē apud deū, quō nō eſt deus? Si per ſermonē dei fiūt hoīes dij, vnde participāt nō eſt deus? Si lumina illuminata dij ſunt, lumen qđ illuminat quō nō eſt deus? Si calefacti quodāmō igni ſalutari dij efficiunt, vñ calefiūt nō eſt deus? Accedis ad lumē, illuminaris, & inter filios dei numeraris: ſi recedis à lumine, obſcuraris & in tñbris cōputaris. Illud tñ lumē nō accedit ad ſe, qa nō recedit à ſe. Si ergo vos deos fecit ſermo dei, quō nō eſt verbū dei pris? Ergo ſanctificauit filiū ſuū, & miſit in mundū. Forte aliqs dicat: Si pr̄ eum ſanctificauit, aliqñ nō ſanctus fuit. Ad quod dicendum: Sanctificauit quomodo genuit eū, vt ſanctus eſſet. Gignēdo ei dedit, quia ſanctum genuit eum. Nam ſi quod ſanctificatur, ante nō erat ſanctum, quomō dicimus deo patri, ſanctificetur nomen tuum?

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, qa in me eſt pater, & ego in patre.

Nō eñ filius ſic dicit, ⌊in me eſt pr̄, & ego in illo,⌋ quō poſſunt dicere hoīes. Si eñ bene cogitemus, in deo ſumus, & ſi bñ viuam⁹ deus in nobis eſt. Fideles enim participantes eius gratiā, & illuminati ab ipſo, in illo ſumus & ipſe in nobis: ſed non ſicut vnigenitus filius ille in patre, & pater in illo, tanquam æq̄lis in eo, cui eſt ęqualis. Deniq; nos aliqñ poſſumus dicere. In deo ſumus, & deus in nobis: nō autem poſſumus dicere: Ego & deus vnū ſumus. Nōne poſſumus dicere: In deo es, qa deus te cōtinet? Deus ē in te, quia templū dei factus es? Sic. Sed nunquid quia in deo es, deus es? vel quia in te deus eſt, potes dicere, qui me videt deum videt, quomodo vnigenitus dixit: Qui me videt, videt & patrem? Et iterū: Ioh 14.
Ego & pater vnū ſumus? Non. Agnoſce pro Iohā. 10.

prium domini,& munus serui. Proprium domini est,æqualitas patris: munus serui ē, participatio saluatoris.

FERIA QVINTA POST Iudica. Iohannis VII.

In illo tempore: Cum audissent quidā de turba sermones Iesu, dicebant: Hic est uere propheta. Et reliqua.



Vm ergo loquebatur Chrs in die nouissimo festiuitatis, ea q̄ supra huius textu euãgeln posita sunt, nata est de illo in turba dissensio, aliis putãtibus, q̄ ipse esset Christus: aliis dicentibus, qa de Galilæa nō exurget Christus. Qui vero missi fu erant, vt eum tenerent, redierunt immunes à crimine,& pleni signo admirationis. Nam& testimonium perhibuerunt diuinæ doctrinę eius, cum dicerent à quibus missi erant:

Quare non adduxistis eum? Respōderunt eis: nunquã se audisse hominem sic locutum.

Non enim vsquam sic loquitur homo. Ille autem sic locutus est, quia de' erat & homo. Tamen pharisæi testimonium eorum repellentes, dixerunt eis:

Nunquid & uos seducti estis?

Videmus enim delectatos vos esse sermonibus illius.

Nunquid aliqs de principibus credidit in eū, aut ex pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Qui non nouerant legem, ipsi credebant in eum qui miserat legem. Et eum q̄ miserat legem, contemnebant illi, qui docebãt legē, vt impleretur quod dixerat ipse dñs: Ego veni, vt non videntes videant,& videntes cæci fiant. Cæci enim facti sunt pharisęi doctores illuminati sunt populi legem nesciētes,& in autorem legis credentes. Nicodemus tamen vnus ex pharisæis, qui ad dominū nocte venerat,& ipse quidem non credulus, sed timidus (Nam ideo & nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat, & sciri timebat) respondit Iudæis:

Nunquid lex uestra iudicat hominē nisi audierit ab ipso prius,& cognouerit quid faciat?

Volebant em̄ illi peruersi ante esse dãnatores, quã cognitores. Sciebat em̄ Nicodemus, vel pon' credebat, qa si tm̄mō eū patiēter vellent audire, forte similes fierēt illis, qui missi sunt tenere eū,& maluerunt credere illi q̄ tenere illū. Rñdersit ex p̄iudicio cordis sui.

Nunquid & tu Galilæus es? i. quasi à Galilæo seductus. Dñs enim Galilæus dicebatur, qm̄ de Nazareth ciuitate erãt parētes eius: secundū Mariã dixi parentes, non secundum virile semen. Non em̄ quæsiuit in terra nisi matrē, quia iã habebat desuper patrē. Nã vtraq; eius natiuitas mirabilis fuit: diuina: sine mre: humana, sine homine patre. Inquiūt ergo illi quasi legis doctores ad Nicodemū:

Scrutare & uide, quia propheta a Galilæa non surgit.

Sed dominus prophetarum, secundum ordinem prophetarum inde surrexit.

Et reuersi sunt (inquit euangelista) unusquisque in domum suam.

FERIA SEXTA POST IVdica. Iohannis XI.

In illo tempore: Collegerunt pontifices & pharisæi concilium aduersus Iesum,& dicebant: Quid facimus, quia hic hō multa signa facit? Et reliqua.



Ec tamen dicebãt, credamus in eum. Plus em̄ perditi homines cogitabant, quō nocerēt & perderent, quàm quō sibi consulerent ne perirent,& tamen timebant,& q̄si consulebãt. Dicebant em̄: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

Si dimittamus eum sic, omnes credēt in eum. Et uenient Romani,& tollēt nostrum locum & gentem.

Temporalia perdere noluerunt, etiam vitam æternam non cognouerunt, ac si vtrūq; amiserunt. Nam & Romani propter domini passionem & glorificationem tulerunt ab eis locum & gentem,& pugnando & transferēdo. Et illud eos sequitur, quod alibi dictū est: Filii autem regni ibunt in tenebras. Hoc aūt timuerunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret, qui aduersus Romanos ciuitatem dei templumq; tutaret: quoniam contra ipsum templum,& contra suas paternas leges doctrinam Chri esse sentiebãt. Matt. 8.

Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquã, nec cogitatis quia expedit uobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semet ipso non dixit, sed cum esset pōtifex anni illius, prophetauit.

Hic docuit etiam q̃ homines malos prophetiæ spiritum futura prædicere, quod tamẽ euangelista diuino attribuit sacramento, quia pontifex fuit. i. summus sacerdos. Potest autem vos mouere, quomodo dicatur põtifex anni illius, cum dominus statuerit vnũ summum sacerdotem, cui mortuo vnus succederet. Sed intelligendum quod per ambitiones & contentiones inter Iudæos postea constitutum est, vt plures essent, qui per annos singulos suis vicibus ministrarent.
Luce. i. Nam de Zacharia hoc dr̃: Factum est autẽ, vt cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante deum, secundum constitutionem sacerdotij sorte exijt vt incẽsum poneret, ingressus autem in templum domini, &cæ. Hinc apparet plures eos fuisse, & vices suas habuisse. Nam incensum non licebat ponere, nisi summo sacerdoti, & forte etiam vnum annum administrabãt, quibus alio anno alij succedebant, ex quibus sorte exiebat, qui incensum poneret. Quid ẽ ergo quod prophetauit Caiphas, qa Iesus moriturus erat pro gente, & non tantũ pro gente, sed vt filios dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum? Hoc euangelista addidit. Nam Caiphas de sola Iudæorũ gente prophetauit, in qua erant oues, de quibus ipse dominus ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Sed nouerat euangelista alias oues, quæ non erant de hoc ouili, quas oportebat adduci, vt essent vnum ouile & vnus pastor. Hęc autem secundum prædestinationem dicta sunt, quia neq; oues eius, nec filij dei adhuc erant, quia nondum crediderant.

Ab illo ergo die cogitauerunt ut interficerent eum. Iesus autem iam nõ in palã ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertũ, in ciuitatem quæ dicitur Ephraim, & ibi morabatur cum discipulis suis.

Non quia potentia eius defecerat, in qua vtiq; si vellet, & palam cum Iudæis conuersaretur, & nihil ei facerent: sed in hominis infirmitate viuendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo apparet non esse peccatum, si fideles eius qui sunt membra eius, oculis persequentium sese subtraherent, & furorem sceleratorum latendo potius deuitarent, quàm se ostendendo magis accenderent.

SABBATO POST IVDICA in vigilijs Palmarum. Iohannis VI.

In illo tempore, dixit Iesus turbis Iudæorum. Amen amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et reliqua.



Vomodo quidem detur, & q̃s nã modus sit manducandi istũ panem, ignoratis. Veruntamẽ [nisi manducaueritis carnem filij hominis, & nisi manducaueris, nõ habebitis vitam in vobis.] Hæc nõ vtiq; cadaueribus, sed viuẽtibus loquebatur. vnde ne istam vitam intelligentes de hac re litigarent, secutus adiunxit:

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam.

Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo vtcunque homines in hoc seculo, qui non sunt per fidẽ in corpore eius, habere possunt: æternam autem nunquam, quæ sanctis promittitur. Ne autem putarẽt, sic in isto cibo & potu (quem carnaliter sumunt, & non spiritaliter intelligunt in fide) promitti vitam ęternam, vt qui eam sumerent, iam nec corpore morerẽtur, huic cogitationi est dignat⁹ occurrere. Nam cum dixisset: [qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,] continuo subiecit, & dixit:

Ego resuscitabo eũ in nouissimo die.

Vt scilicet habeat interim secundum spiritum vitam æternam in requie, quæ sanctorũ spiritus suscipit: quod autem ad corpus attinet, nec id vita æterna fraudetur in resurrectione mortuorum in nouissimo die.

Caro enim mea (inquit) uere est cibus, & sanguis meus uere est potus.

Cum enim cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant neq; sitiãt, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit. i. societas ipsa sanctorum, vbi pax erit & vnitas plena atq; perfecta. Propterea quippe, sicut etiam hoc ante nos intellexerũt homines dei, dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Nanq; aliud, scilicet panis, in vnũ ex multis granis conficitur. Aliud, scilicet vinum, in vnum ex multis acinis cõficitur. Deniq; iam exponit, quomodo id fiat loquitur, & quid sit manducare corpus eius, & sanguinem bibere.

Et qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Hoc est ergo manducare illam escam & illū bibere potum, in Christo manere, & illū manentem in se bibere. At per hoc qui non manet in Christo, & in quo nō manet Christus proculdubio nec manducat spiritualiter eius carnem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramētum ad iudicium sibi mãducat & bibit, qui immūdus præsumpsit ad Christi accedere sacramēta, quæ alius nemo digne sumit, nisi qui mun-
Matt. 5. dus est, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt.

Sicut me misit (inquit) uiuēs pater, & ego uiuo propter patrem. Et q manducat me, & ipse uiuet propter me.

Non enī filius participatione patris fit melior, qui natus est æqualis: sicut participatione filij, per vnitatem corporis eius & sanguinis, quod illa manducatio potatioq; significat, efficit nos meliores. Viuimus ergo nos, propter ipsum manducantes eum, id est, per ipsum accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis. Viuit autem ipse propter patrē missus ab eo, quia semetipsum exinaniuit, factus obediēs vsq; ad lignū crucis. Sicut me misit viuens pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipse viuit propter me. Acsi diceret: Vt viuam propter patrem, id est, ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Vt autem quisquam viuat propter me, participatio facit, quia mãducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter patrem, ille rectus viuit propter me. Nō de ea natura dixit, qua semper est æqualis patri, sed de ea, in qua minor factus est patre:
Iohan. 5. de qua etiam superius dixit: Sicut pater habet vitam in semetipso, ita dedit filio vitā habere in semetipso. i. genuit filium vitam habentem in semetipso.

Hic est panis qui de cælo descendit, vt illum manducando viuamus, quia æternã vitam ex nobis habere possumus.

Non sicut manducauerunt (inquit) patres uestri manna & mortui sunt.

Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum.

Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, vt non viuant inæternum. Nam temporaliter profecto & hi morientur, qui Christū manducant: sed viuunt inæternum, qa Christus est vitæ æternæ signum. Qui manducat & bibit, hoc est, si manet & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret vt non deseratur. Hoc ergo nos docuit & admonuit mysticis verbis, vt simus in eius corpore sub ipso capite membris eius, edētes carnem eius, nō relinquentes vnitatem eius. Sed q aderant plures, non intelligendo scandalizati sunt. Non enim cogitabant hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, & verum dicit: Sapere secundū carnem, mors est. Rom. 8.
carnem suam, dicit nobis dn̄s manducare, & sapere tamen secundum carnem mors est. Cum de carne sua dicat, quia cibus est vitæ æternæ, ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem, sicut in his verbis.

Multi itaque audientes, non ex discipulis, sed ex eius discipulis dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire?

Si discipuli habuerunt istum sermonem quid inimici? Et tamen sic oportebat vt diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum dei intentos debet facere, non aduersos. Isti autem cito defecerūt, talia loquente domino Iesu Christo, non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperantem: sed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum, quasi qui apud eos erat Iesus, hoc disponeret carnem, qua indutum erat verbum, veluti cōcisam distribuere credentibus in se. Durus ē, inquiunt, sermo, quis potest eum audire?

Sciēs aūt Iesus apud semetipsum, qa murmurabant discipuli eius de eo.

Sic enim apud se ista dixerunt, vt ab illo non audirentur: sed ille qui eos nouerat in seipsis, audiens apud semetipsum, respondit, & ait: **Hoc uos scandalizat?**

Quia dixi, carnem meam do vobis manducare, & sanguinem meum bibere, hoc vos nempe scandalizat.

Si ergo uideritis filium hominis ascēdentem, ubi erat prius.

Quid est hoc? Hic soluit quod illos mouerat, hinc eruet vnde fuerant scãdalizati, hinc plane videbitur quod non intelligerent. Illi enī putauerunt illum erogiturum corpus suum, ille autem se dixit ascensurum in cælum, vtiq; integrum. [Cum videritis filium hominis ascendentē, vbi erat prius,] certe vel tūc videbitis, quia nō eo modo quo putatis, erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis, quia gratia eius non cōsumitur morsibus. In his verbis perspicue intelligit, Christum esse vnam personam, dum dixit filium hominis esse prius in cælo. In terra loquebatur, in cælo se esse dicebat. Quo pertinet, nisi vt intelligamus vnam personam esse Christum deum & hominem, nō duas? ne fides nostra sit quaternitas, non trinitas. Christus ergo vnus ē, verbum, anima, caro: vnus Christus, filius dei, & filius hominis. Vnus Chr̄s fili-

us dei ſemper, filius hominis ex tempore. Tñ vnus Chriſtus ſecundum vnitatem perſonæ in cælo erat, qñ in terra loquebatur. Sic erat fili⁹ hominis in cælo, quomodo filius dei erat in terra: filius dei in terra, in ſuſcepta carne: filius hominis in cælo, in vnitate perſonæ. Quod mox latius exponit, quid interſit inter ſpiritum & carnem, & quid inter carnaliter Chriſtum manducare velle, vel ſpiritaliter accipere. Ait enim:

Spiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam.

Paulo ante dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis: & modo dicit: ⌊Caro non prodeſt quicquam.⌋ i. ſi carnaliter vultis intelligere quæ dico. ⌊Caro non prodeſt quicq̃,⌋ ſi ſic carnem intelligitis mãducãdam, ſicut alium cibum, ſicut carnes quæ emuntur in macellis. ⌊Spiritus ergo eſt qui viuificat,⌋ per ſpiritum prodeſt caro, quæ ꝑ ſeipſam non prodeſt: quia litera occidit, ſpũs autem viuificat. Nam per carnem ſpiritus aliquid pro ſalute noſtra egit. Caro vas fuit, q̃d habebat, per quam ſpiritus ſaluauit nos, vtẽs organo carnis ad ſalutem humani generis: quia diabolus vtebatur ſerpente quaſi organo, ad ſubuerſionem primi parentis noſtri. Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nõ prodeſt quicquam, ſicut illi intellexerũt carnem, non ſicut ego do ad manducandum meã carnem. Proinde:

Verba (inquit) quæ ego locutus ſum uobis, ſpiritus & uita ſunt.

Diximus enim hoc dñm cõmẽdaſſe in mãducatione carnis ſuæ, & potatione ſanguinis ſui, vt in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autem in illo, cum ſumus mẽbra eius: manet aũt ipſe in nobis, cum ſumus templum eius. Vt autẽ ſimus membra eius, vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quid facit, niſi charitas dei? Vnde Apoſtolus. Charitas, inquit, dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ergo ſpiritus eſt, qui viuificat: ſpiritus enim facit viua membra. Nec viua membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore, quod vegetat ipſe ſpiritus, inuenit. Nam ſpiritus qui eſt in te o homo, quo conſtas vt homo ſis, nũquid viuificat membrum, quod ſeparatum inuenerit à carne tua? ſpiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non viuificat, niſi membra q̃ ſunt in carne tua: vnum ſi tollis, iam ex anima tua non viuificatur, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius: ſi

Rom. 5.

eſt membrũ eius, non vegetatur ſpiritu eius. Quiſquis autem (inquit Apoſtolus) ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. ⌊Spiritus ergo eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.⌋ Quid eſt ſpiritus & vita ſunt? Spiritaliter intelligẽda ſunt. Si ergo intellexiſti ſpiritaliter, ſpirit⁹ & vita tibi ſunt: ſi intellexiſti carnaliter, etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt o homo, qui ſpiritaliter ea non intelligis, nec fide ea numerari noſti.

Sed ſunt quidam in uobis qui non credunt.

Et ideo non intelligunt, quia nõ credunt. Propheta enim dixit: Niſi credideritis, nõ intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum viuificamur. Prius hæreamus per fidẽ, vt ſic poſt viuificemur per intellectum.

Iſai. 7. ſecũdum ſeptuaginta.

Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent credẽtes, & q̃s traditurus eẽt eũ.

Nam ibi Iudas erat inter eos qui ſcandalizati ſunt, quem Chriſtus non ſiluit, nec aperte oſtendit: vt omnes timerẽt, quamuis vnus periret. Sed poſteaquam dixit, & diſtinxit credentes à non credentibus, expreſſit cauſam q̃re non credant.

Propterea dixi uobis (inquit) quia nemo poteſt uenire ad me, niſi fuerit ei datum a patre meo.

Dabitur enim à patre credentibus fides, vt nemo glorietur in fide ſua, quæ à ſe non eſt, quaſi propria, ſed à deo data, quaſi grata.

Ex hoc multi diſcipulorũ eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.

Abierunt retro, non poſt Chriſtum, ſed poſt ſathanam. Iſti autem ſic redierunt retro, quomodo præciſi à corpore Chriſti, nec vltra redeũtes ad eum, quia fixa fideliter in corpore eius non fuerunt: & hi nõ pauci, ſed multi. Audiamus ergo quod ad paucos dixerit, q remanſerunt.

Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Nũquid & uos uultis abire?

Non diſceſſit tunc Iudas, ſed quia remanebat cum domino, iam non apparebat, poſtea manifeſtatus ẽ. Reſpondit Petrus pro omnibus, vnus pro multis, vnitas pro vniuerſis. Ait enim euangeliſta:

Reſpõdit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus?

Quaſi dicat: Repellis nos à te? da nobis alterum ſimilem te, ad quem ibimus, ſi te relinquimus? Si a te recedimus, ad quem ibimus?

Verba uitæ æternæ habes.

Videte quemadmodum Petrus dante domino, recreante spiritusancto intellexit, Vide, nisi quia credidit verba vitæ æternæ? Vitam enim æternã habes in ministratione cor poris & sanguinis tui.

Et nos credimus quia cognouimus.

Non dixit: Nos cognouimus & credimus, sed credimus & cognouimus. Credimus eñi vt cognosceremus. Nam si prius cognoscere, & deinde credere vellemus, nec cognosce re nec credere valeremus. Quid credimus, vel quid cognouimus?

Quia tu es Christus filius dei. Id est, quia ipsa vita vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es.

Respondit Iesus: Nonne ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est? Dicebat autẽ de Iuda Simonis Scariothis. Hic enim erat eũ traditurus, cum esset unus ex duodecim.

Vnus ex duodecim erat, non fide, sed numero: nõ veritate, sed simulatione. Sed quomodo intelligendum est, Nonne ego vos duodecim elegi, dum ille vnus. i. filius diaboli di citur esse, nisi quia aliter electi sunt illi vndecim, aliter & ille vnus? Electi sunt illi vt manerent in Christo, & vt solus illorum exiret per orbem terrarum: electus est ille vnus, vt dispensatio diuinæ misericordiæ in salute humani generis impleretur per eum: Vnde bonitas dei bene vtitur malitia eius. Sicut in vẽditione Ioseph bene vsus est deus malitia fratrum, vt ex opere malo illorum, bonitas dei ostenderetur in salutem multorum: Sic malũ Iudæ in bonum versum est nostrum. Quod facit malus, male vtẽdo bonis dei, sibi nocet, non bonitatem dei destruere poterit. Quare duodecim elegit Christus? Duodenarius numerus sacratus est. Non enim, quia periit inde vnus, ideo illius numeri honor ademptus est, nam in loco pereuntis alius subrogatus ẽ. Mansit numerus consecratus, numerus duodenarius: quia per vniuersum orbem, hoc ẽ, per quatuor cardines mundi trinitatem fuerant annunciaturi. Ideo quaterni electi sunt, vt sancta trinitas per quatuor partes orbis prædicaretur. Nam & annus duodenario numero currit, & ordo signorum in cælis, per quæ sol & luna currere noscuntur, duodenario numero distinguitur. Ideo hoc numero primos prædicatores dominus Christus direxit in mundum. Nec numerus Iudæ pereunte violatus est, sed alius eo loco subrogatus, de cuius nũeri sacratissima significatione ipse Christus in euangelio ait, de excellentissima sanctorum gloria: Cum autẽ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Mat. 19.

DOMINICA PALMARVM
Matthæi XXI.

In illo tempore: Cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage. Et reliqua.



Vm appropinquassent, dominus videlicet & apostoli illius Hierosolymis, tendebat Iesus ad passionem, quia iam instabat tẽpus passionis suæ. Quinque siquidem dies ante paschalem festiuitatẽ, venit cum turba multa in Ierusalem. Post hanc autem vicem nõ recessit inde, donec ibi pateretur & ibi resurgeret.

Ad montem olíueti.

Mons olíueti nõ longe ab Ierusalem erat, sed distat (sicut in libro antiquorum inuenimus) spatium mille passuum. Bethphage vicu lus est, viculus dico, quia in terra repromissionis omnes villæ maxime muratæ erant, vnde & vici & villæ vna appellatiõe censentur. Bethphage enim interpretatur domus buccę vel maxillarum, ea de causa, quoniam sacerdotes in templo domini per octonos dies vicem suæ administrationis explentes, completo diuino mysterio, nocte ad eundẽ viculum succedebant: & hostias & sacrificia, quę in die à populo accipiebant, nocte ibi consumebãt & comedebant. Vel certe ideo domus buccæ vel maxillarum interpretatur, quia sacerdotes ibidem iugiter legem domini corde medi tabantur, & ore ruminabant. Cum ergo dominus ad hũc montem olíueti venisset, & ad hunc uiculum Bethphage, misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellũ quod contra uos est.

Castellum despectiue appellauit Ierusalẽ. Quæ enim antea ciuitas magni regis appellabatur, & vrbs sancta, postmodum imminẽte tempore dominicæ passionis, quia dominũ erat interfectura, non iam ciuitas, sed castellum despectiue nuncupatur. De quo bene dicitur, Quod est contra vos, quia & doctrinæ Christi, & doctrinæ apostolorum cõtraria existebat. Spiritualiter Bethphage, significat ecclesiam primitiuam. Et bene Bethphage vicus in monte positus dicitur, quia omnis ecclesia Christi in monte consistit, hoc est, in Christo. Vnde per prophetã dicitur: Venite, ascendamus ad montem domini &c. Et bene etiam in latere montis positus esse dicitur, quia omnis ecclesia Christi in monte consi-

stit, hoc est, in Christo. Unde per prophetam dicitur: Venite, ascendamus ad montem dñi &c. Et bene etiam in latere mõtis positus esse dicitur, quia videlicet ex domini latere pręcessit consecratio & redemptio primitiæ ecclesiæ. Legimus enim cum dominus in cruce positus esset, & iam spiritum emisisset, vnus ex militibus lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Quo sanguine sancta ecclesia redimitur, aqua vero quotidie à peccatis abluitur. Cum ergo venisset dominus per incarnationis mysterium ad populum Iudæorum saluandũ, misit duos discipulos Ierusalem, hoc est, in hunc mũdum vt sua prædicatione rebellium corda gentilium, fidei Christi subiugarent, & vniuersas gentes fidei suæ subijcerent. Et bene dicitur, ⌊quod est contra vos, ⌊ quia totus mundus iugum fidei recipere nolebat, misit duos discipulos, hoc est, duos ordines prædicatorum, scilicet Iudæorum & gentium. Vel duos misit propter geminæ dilectionis præceptũ, quo præcipimur, vt diligamus deum ex toto corde, & proximum nostrum tanquã nosipsos. Vel ideo binos misit, propter doctrinam & operationẽ, quia doctor & in doctrina & in opere perfectus debet esse.

Ite, & inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.

Iuxta literam quidem humilitas magni saluatoris commendatur, qui Ierusalem tendẽs, non equo superbo neq; phalerato inuehi voluit, sed potius asinam & pullum eius, vilia scilicet animalia, ad sedendum quæsiuit. Iuxta spiritalem intelligentiam, per hæc duo animalia, onus duorum populorum aperte declaratur. Asina enim, quæ oneribus ferendis assueta est, populum Iudæorum significat, q longo tempore sarcinam legis traxerat. Pullus ergo, qui lasciuus & liber est, significat gẽtilium plebem, quę ante aduentũ domini sine legis doctrina & prophetarum quasi libera & vaga incessit. Et bene vtriq; alligati dicuntur fuisse, quia veniens redemptor in mundum, vtrunq; populum vinculis peccatorum suorum alligati inuenit. Vnde & apostolus Pau-
Rom. 10. lus dicit: Quia non est distinctio, omnes enĩ peccauerunt, & egent gloria dei.

Soluite. Soluite gẽtes à vinculis pctõrum. Et adducite mihi, vestra prædicatione & miraculis. Licet enim omnipotens deus gentes ad tempus dereliquerit, vt saluaret: non tamen in æternum cõtempsit, vt perderet. Necesse est enim vt fiat hoc quod per Psalmistã
Psal. 35. dixit: Homines & iumenta saluabis domine.

Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite, quia dominus his opus habet.

Præcepit dominus apostolis suis, vt tempore suæ prædicationis non cederent principibus & regibus gentium prohibentibus eos à doctrina & salute populorũ. Legimus enĩ secundum alios euangelistas, quia cum discipuli venissent ad domum soluentes pullum, dixerunt domini domus: Quid facitis soluentes pullum? At illi dixerũt, quia operam eius desiderat. Mox enim vt sancti apostoli accepto diuinitus præcepto, mundo prædicauerunt, statim reges gentium & principes eius obsistere cœperunt, ne pullum soluerent. i. ne populum gentilem à cultura idolorum auerterent: sed discipuli illis constanter insinuauerunt, quod dominus operam illorum considerasset. Quo in loco quæri potest, cur discipuli de animalibus dicunt, ⌊dominus his opus habet, ⌋ cum ecclesia ei decantet, Bonorum meorum non indiges? Gentibus (vt de numerositate illarum cõstruat sibi ecclesiam, non habentẽ maculam neq; rugam) ideo dominus opus habet, vt damna patriæ cælestis, quæ labentibus prauis angelis contraxerat, multitudine gentium repararentur.

Et confestim dimittet eos.

Completo ministerio illorum animalium, animalia quidem ad pristinum dominum reducta sunt, sed figura illorum animalium penes dominum remansit. Non ergo debemus putare, quod postquam animalia, hoc est, populus credentium ad dominum adducuntur, iterum ad pristinos dominos. i. ad seruitiũ dęmonum dimittantur: sed ita potius intelligẽdum est, quod dicit: ⌊ Et confestim dimittet eos: ⌋ quia cum homines ad fidem Christi adducuntur, mox remittuntur, non in dæmoniacum seruitium, sed in liberum arbitrium rediguntur.

Hoc autem totum factum est.

Quid totũ? Vt dominus propter animalia adducẽda discipulos in ciuitatem mitteret, vt vilibus animalibus in ciuitatem regiam portaretur. Consuetudo est beati Matthæi euangelistæ, vt cuncta quæ de domino nostro Iesu Christo narrat esse completa, dicat etiam testimonijs propheticis ante fuisse prædicta.

Dicite filiæ Sion.

Hoc exemplũ de Zacharia propheta sumptum est. Sciens enim sanctus propheta pspiritumsanctum incredulitatem animi Iudæorum, præuoscens etiam spiritusancto reuelante, quod veniente domino Ierusalem, essent eum contradicturi, & blasphemijs & contumelijs affecturi, præsumptionem cordis eorum antea curauit reprimere, & aduẽtum redemptoris studuit prædicere, quibus indicijs possent eum agnoscere. Et est vox prophetæ conuersa ad apostolos, & cæteros qui dominum comitabantur, alloquentis: ⌊ Dicite

filiæ Sion.⌋ Vos apostoli & cæteri, qui dñm comitamini Ierusalem tendentem, ⌊dicite filię Sion⌋.i.populo Ierusalem ad festiuitatem congregato. Historialiter filiam Sion appellat Ierusalem. Sion enim arx erat eminens in medio ciuitatis, & principatum tenens super ædificia ciuitatis.

Ecce rex tuus, non alienigena, non extraneus vt Herodes, de te carnis originẽ sumẽs.

Venit tibi. Non vacat quod dixit ⌊tibi.⌋ Hoc est, si intellexeris aduentum eius, & eum deuote receperis, ⌊venit tibi⌋ .i. vt saluet te. Si autem non intellexeris aduentum illius, repelleris, veniet cõtra te, hoc est, vt perdat te.

Mansuetus. Ista sunt indicia regis tui. Mãsuetus, non ferox, non crudelis, sicut alij reges, qui antea dominabantur tui, sed mitis, sicut ipse dixit: Discite à me quia mitis sum

Mat. 11. & humilis corde.

Sedens super asinam & pullum, id est, non venit ad te sedens super equum amatorẽ litis & discordiæ: sed sedens super asinam pacis & tranquillitatis amicam. Allegorice Sion illam partem sanctæ ecclesię debemus intelligere, quæ est in illis sanctis, qui iam cum Christo regnant, & claritatem illius contemplantur. Filiam vero Sion debemus intelligere præsentem ecclesiam, quæ adhuc à Christo peregrinatur in terra. Quæ merito filia supnæ ciuitatis dicitur, quia illi qui nos ad cælestem patriam præcesserunt, fidem & bona opera nos docuerunt, illi etiam sacro baptismate nos regenerauerunt. Est igitur vox prophetæ ad prędicatores dicẽtis: Dicite vos sancti prædicatores, qui adhuc peregrinamini in terris à Christo, dicite sanctæ ecclesiæ: ⌊Ecce rex tuus.⌋ Rex sanctæ ecclesiæ in primo aduentu venit mansuetus, vt eam redimeret: in secundo etiam aduentu veniet mansuetus, vt eam ab hoc seculo subtrahat, & in numerum cælestium ciuium transferat. Iuxta literam non facile est credendum, vt dominus in tam paruo itinere vtriq; animali insederit. Ferunt enim doctores, à monte olíueti vsq; Ierusalem mille tantum spatium pedum interesse, sed aut asinæ insedit, & pullus liber incessit: aut quod potius credendum est, pullo insedit, & asina absq; sessore fuit. Sed vbicunq; historia deficit, aut aliqd turpitudinis habet, ad spiritualem intellectum est recurrendum. Nam & si dominus vtriq; animali insidere nõ potuit, iuxta mysterium tñ vtriq; populo, Iudæorum videlicet & gentiũ præsidet, & præsidendo ducit eos Ierusalem, hoc est, ad visionem patriæ cælestis.

Euntes autem discipuli.

Accepto prædicandi præcepto, apostoli vniuersum orbem peragrauerunt, & seminarium diuinæ fidei vbiq; disperserunt.

Et imposuerunt super eos uestimenta sua.

Vestimenta apostolorum, quæ nudis tergis animalium imposuerunt, significant doctrinam & præcepta eorũ, quibus corda gentium calefecerunt, vt dominũ potuissent habere sessorem. Nisi eñ illi, qui in Christo crediderunt, vestimentis apostolorum adornati fuissent, nequaq̃ dominum sessorem habere meruissent.

Plurima autem turba.

Plurima turba quæ vestimenta sua strauit sub pedibus animalium dominum portantiũ, multitudinem martyrum significat, qui vestimenta sua.i. corpora sua in via istius vitæ strauerunt, vt animalibus portantibus dominũ.i. simplicibus, iter gradiendi ad patriam cælestem facerent: & vt nos quoq; inoffenso gradu possimus peruenire ad Ierusalem.i. ad cælestem patriam. Potest & aliter intelligi, quod animalia dominũ portantia, super se quidem vestimenta apostolorum ferebant, quasi maioris dignitatis: turbæ vero confusæ & vulgares vestimenta sub pedibus cõculcabãt. Turbarum enim vestimenta, ceremonias veteris legis significant: vestimenta apostolorũ, doctrinam & præcepta noui testamenti demonstrant. Animalia ergo dominum portantia, vestimenta apostolorum super se habent, vestimenta turbarum sub pedibus suis conculcãt: quia omnes in Christum credentes, præcepta apostolorum super se attendunt, mandata vero & neomenias atq; institutiones testamenti veteris pro nihilo deputant. Quotiescunq; enim circuncisionem spernimus, sabbatum violamus, neomenias abijcimus, quid aliud, quàm vestimenta turbarũ pedibus nostris conculcamus?

Alij cædebant ramos de arboribus.

Per arbores debemus intelligere diuinas scripturas. Ramos ergo de arboribus cædũt, qui de scripturis diuersis vtilia quædam excerpunt, ad vtilitatem illorum, qui ad cælestem patriam tendunt. Potest & aliter intelligi. Per arbores possumus intelligere paganos: per ramos arborum, paganorum filios. Ramos ergo de arboribus abscidit, quisquis filios paganorum à ritu & superstitione patrum suorum abstrahit.

Turba aũt quæ præcedebat, & quæ sequebatur.

Memores turbæ mirabilium, quæ dominus inter eos fecerat, mortuos suscitando, leprosos curando, super mare non infusis vestigijs ambulando, & cætera talia mirabilia faciendo, appropinquante illo ad passionem, laudes & gratias ei deuota mente referre stude-

bant de miraculis & bonis operibus, quæ inter eos fecererat, dicentes:

Osanna filio Dauid &c.

Sed spiritualiter, quod turba, quæ dominũ præcedebat, & quæ sequebatur, consona voce laudis dominum collaudabant, hoc significat, quod populus Iudæorum, qui in fide p̄cessit, & gentes quæ eos secutæ sunt, pari & æquali fide & concordi deum omnipotentem collaudant. Eadem enim fides quæ fuit in patriarchis & prophetis ante aduentum saluatoris, eadem est in omnibus gentibus post resurrectionem illius. [Osanna filio Dauid.] Osanna compositum est ex duobus sermonibus Hebræis. Osia enim, apud illos saluifica vel saluum fac, sonat, & na interiectio obsecrantis est, sed composito nomine fit osanna per elisionem i vocalis, & per geminationẽ, n, consonantis, cum rectius diceretur Osiana: interpretatur autem salua, siue saluifica, vt subaudiatur, populum tuum Israel, vel totum mundum, vel (vt alij volunt) interpretatur salus, vt sit sensus: Osanna filio Dauid, id est, salus filio Dauid.

Benedictus q̄ uenit in nomine dñi.

Quod dicit, [benedictus qui venit in nomine dñi,] intelligitur, quia filius à patre venit in mundum. Quia quicquid secũdum carnem in hoc mũdo egit, totum ad gloriam & nomen patris sui retulit, dicens: Pater in me manens, ipse facit opera. Quod addunt:

Osanna in excelsis, est sensus, quod incarnatio & passio domini saluatoris non solum hominibus salus fuit, sed etiam salus & gaudium angelorum in cælo. Dum enim multitudo credẽtium ad cælos transfertur, numerus angelorum, qui habẽtibus prauis angelis, imminutus fuerat, multitudine gentiũ restauraẽ.

PASSIO DOMINI NOstri Iesu Christi secundum Matthæũ. In die sancto palmarum. Matthæi XXVI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet. Et reliqua.



Legimus dominum ante sex dies paschę venisse Hierosolymã, cum frequentia turbarũ, & cum ramis palmarum. Ab illo ergo die quo Hierosolymam vect⁹ asino intrauit, vsq; ad hunc diem, q̃ hæc prædicebat apostolis suis, intelligim⁹ præcessisse quatriduum & superesse biduum vsq; ad pascha. Allegorice vero, biduum significat duo testamenta, vetus & nouum, quæ sectatores & obseruatores suos ad claritatem vitæ æternæ perducunt. Post biduum vero, id est, post manifestationem duorum testamentorũ, verũ pascha in mundo celebratum est. Pascha aũt non est græcum, vt quidam autumãt, sed hebræum. Hebraice enim pesach interpretatur transitus. Primo ideo trãsitus, quia in hac die transit dominus super Aegyptum, Aegyptios vastans, & Israeliticum populum liberãs. Deinde, quia ipsa die transiens exterminator per regnum Aegyptiorum, primogenita eorum interfecit. Tertio, qm̃ in hac celebritate festiuitatis, redemptor noster de hoc mundo transiuit ad patrem, sicut Iohãnes plenius manifestat, dicens: Ante diem festum paschæ sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mũdo ad patrem. Iohan. 13 Quarto modo, vt nos mystice informaremur, quia per Christi passionem transitum ab hac mortalitate ad verã immortalitatem transire habuimus.

Et filius hominis tradetur, ut crucifigatur.

Errant qui putant dominum horruisse vel timuisse passionem, cum nõ solum ante biduum passionem suam prædixit, verum multo ante eandem passionẽ prædixerat. Et instante eadem passione, noluit declinare insidias, sed cæteris ire nolentibus, sponte se ad passionem obtulit. Multis modis traditus est dñs: Primũ tradidit eum deus pater, sicut Paulus apostolus dicit: Proprio filio suo non pepercit deus, sed pro omnibus tradidit illum. Rom. 8. Deinde tradidit ipse filius semetipsum, sicut idẽ Paulus dicit: Qui tradidit semetipsum pro nobis. Tertio tradidit eum Iudas Iudæis, Iudæi tradiderunt eum pilato ad iudicandum, Pilatus militibus ad crucifigendum.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicitur Caiphas.

Reprehẽditur in hoc loco iniquitas & maleuolentia Iudæorum. Qui eñ vicino pascha debuerant se præparare, parietes templi leuigare, pauimentum verrere, & hostias & sacrificia, q̃ offerenda erant in solennitate paschæ, præparare, & semetipsos ad festũ paschæ celebrandum præparare, congregantur, ineuntes consilium, quomodo dñm morti tradãt.

Dicebant autẽ: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

Sic videtur simplex sermo sonare, quasi ob seditionem cauerint Iudæi dominũ in die festo comprehendere, timentes seditionem turbarum. Quod non procedit, sed potius ita intelligendum est, quia timebant, ne auxilio populi de manibus illorum tolleretur, quia oẽs sicut prophetã eum habebãt. Ne forte tu

multus, id est, ne motio fieret in populo.

Cum autem esset Iesus in Bethania, in domo Simonis leprosi.

Recte exequendum putabat euangelista, quid dominus egerit in Bethania ante sex dies paschæ, pridie antequã iret Ierusalem sedens asino. Quod autem dicit, in domo Simonis leprosi, Simonem hunc nõ debemus putare eo tempore fuisse leprosum, sed quidem leprosus fuerat, & mirabiliter à domino curatus, pristino s. nomine permanente, ad memoriã curationis illius: sicut Matthæus publicanus dicitur, non quia adhuc publicanus esset, sed quia olim publicanus extiterit. Et pulchre dominus ante passionem in Bethania fuisse legitur. Bethania quippe interpretatur domus obedientiæ, vt aperte ostenderet, quia per summam obedientiam ad passionem veniret.

Accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti preciosi.

Hæc mulier ipsa est Maria Magdalena, de qua dominus septem dæmonia eiecit. Quæ primum quidem ad dñm accedens in domo pharisæi, lachrymis pedes eius abluit, & capillis tersit. Postmodum vero familiaris domino effecta, ad ipsum caput vngendũ accessit. Et quia multum dilexit, multorum peccatorum veniam promeruit. Alabastrum gen' est marmoris preciosi, varijs coloribus intertinctũ, quod ferũt medici optimum esse ad vnguenta incorrupta seruanda. ⌊Preciosi.⌋ Alius euãgelista dicit, quomodo hoc vnguẽtum fuerit preciosum, narrans illud ex nardo pistica factum. Nardus autem frutex est aromatica, pingui & tenui radice, principatũ tenens inter omnes species, de quibus conficiũtur vnguenta. Pistica. i. fidelis, non corrupta, sicut solent medici quibusdam herbis veritatem vnguentorum corrũpere. Alius euangelista vt ostenderet hoc vnguentum preciosissimum fuisse, narrat quia ex spicis nardi fuerit confectum. Fit quidem ex radice optimũ, sed preciosius est, quod fit ex spicis. Mystice, deuotio Mariæ, fidem ecclesiæ significat, quę domini quidem caput vngit, cum potentiam diuinitatis illius prædicat, dicens eum Iohanne apostolo: In principio erat verbum. Pedes vngit, cum infirmitatẽ humanitatis eius prædicat, dicens cum eodem Iohãne: Et verbum caro factum est.

Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hęc?

Hic videntur dissonare Matthæus & Iohannes, cum Iohannes solummodo hanc indignationem Iudæ designauerit, reddẽs causam quare indignatus fit in effusione vnguenti, s. quia fur erat, & loculos habẽs, ea quæ mittebantur portabat. Sed tropus quidam est, qui appellatur synecdoche, plerunq; singularem pro plurali, frequẽter vero pluralem pro singulari nũero ponens. Hoc ergo genere locutionis possumus dicere hic a Matthæo positũ esse plurale pro singulari, discipulos videlicet dicens indignatos fuisse. Dicẽdum est autem, quia si alij discipuli indignati sunt: Iudas aũt non causa pauperum, sed causa inuidiæ, dolẽs sacculis suis subtrahi, quod in domini capite fundebatur.

Potuit enim istud uenundari multo, subaudiatur precio, & dari pauperibus.

Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonũ operata est in me.

Mitis & benignus magister non arguit discipulos de mulieris indignatione, non addit ad vltimum, ipsum suum proditorem & traditorem inuidia erga se laborantem, sed dixit: ⌊Opus bonum operata est in me.⌋

Nam semper pauperes habebitis uobiscum, me aũt semper nõ habebitis. Mat. 28.

Et hoc contrarium esse videtur illi sermoni quo dicit dominus: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Sed illud de diuinitate accipiendũ est, istud vero de humanitate: nam secundum humanitatem non semper cum eis est moraturus. ⌊Nam, inquit, semper habebitis pauperes,⌋ & misericordiam eis poteritis impendere, ⌊me autem non semper habebitis.⌋

Mittens enim hæc unguentũ hoc in corpus meũ, ad sepeliendũ me fecit.

Et ẽ sensus istorum verborum: Vnguentum quod vos putaris esse causam perditionis, officium ẽ meæ sepulturæ. ⌊Mittens enĩ hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.⌋ Id est, corpus meũ preuenit vngere, dum adhuc viuo, quod factura ẽ mortuo, si licuerit ei. Legimus nanq;, quia Maria, posito dño in monumento, cum alijs sanctis mulieribus emit aromata & alia vnguenta preciosa, vt venientes vngerent corpus domini. Quod tamen minime implere potuit, quia præuenta fuit resurrectione dñi. Hoc illo pertinet quod dominus ait: ⌊ad sepeliendum me fecit⌋. i. quod mortuo factura est, si licuerit ei, viuo mihi exhiberi studuit.

Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hoc fecit in memoriam eius.

Notandum est, quia dñs post biduum passurus, & crucifigendus a Iudæis, euangelium suũ prædicit per vniuersum orbem esse prædicandum. Prædicatur ergo inter alia mira-

cula saluatoris, etiam Mariæ beneuolentia, & eius deuotio ab omnibus laudatur, scilicet quod caput domini vnxerit, quod pedes illius lachrymis infuderit, quod capillis terserit. Et non tam deuotio Mariæ prædicatur, quàm fides & deuotio sanctæ ecclesiæ. ⌞Dicetur & quod hoc⌟ subaudiatur opus, ⌞fecit in memoriam eius.⌟

Tunc abijt unus de duodecim, qui dicitur Iudas Scarioth, ad principes sacerdotum.

Dicendo ⌞tunc abijt,⌟ ostendit hunc non inuitum dominum saluatorem prodidisse, sed sponte ad perditionem accessisse, & cupiditate ductum, eius perditionem promisisse.

Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam?

Non constituit eis precium, sed in illorum arbitrio posuit, quid ei dare vellent, vt non dominum, sed quasi vile mancipium vendere putaretur.

At illi constituerunt ei triginta argenteos.

Impletum est hoc, quod omnipotens de-
Zach. 11. us per Zachariam questus fuerat, dicens: Si bonum est in oculis vestris, afferte mihi mercedem: sin autem, quiescite, & appenderunt mercedem meam triginta argenteos, decorum precium, quo appreciatus sum ab eis. Pro vniuersis beneficijs quæ dominus operatus fuerat in eis, triginta argenteorum precio appreciauerunt eum. Sciendum vero est, quod Ioseph non viginti aureis venditus est (vt quidam putant, secundum quod editio Septuaginta declarat) sed potius viginti argenteis, ne seruus precio cariori domino venderetur.

Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. Id est, opportunum locum, quo eum tradere posset, quærebat. Quam opportunitatem quærebat, alius euangelista manifestat, videlicet, vt traderet eum sine turbis, id est, sine suffragio populi: quia timebat eum de manibus suis adiutorio populi liberari.

Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum.

Primam azymorum appellat quartamdecimam diem primi mensis, quando ad vesperam agnus immolabatur. Azyma autem dicebantur reliqui dies septem sequentes, eo quod sine zyma. i. sine fermento essent. Non enim licebat in illis diedus fermentatum aliquid comedere. Ponitur tamen & azyma pro pascha, & pascha pro azyma, sicut hic, vbi ipsam festiuitatem paschalem azyma appellat.

Vbi uis paremus tibi comedere pascha.

Intelligimus in hoc loco, quod Iudas simul cum alijs discipulis accesserit ad eum. Pauper (inquiunt) es, & pauperem te nos pauperes sumus secuti, causa tui amoris, quicquid habere potuimus, dereliquimus, ⌞vbi vis ergo paremus tibi comedere pascha?⌟

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.

Idioma Hebraicæ linguæ est, sine denominatione certarum personarum loqui, quod in hac ratione seruatum est. Et pulchre dominus non exprimit nomen illius, apud quem celebraturus sit pascha, ostendens quia nemo excipitur à celebritate paschali, quicunque cum domino voluerit ea celebrare. ⌞Et dicite ei magister dicit, tempus meum,⌟ id est, tempus passionis meæ ⌞prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.⌟

Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.

Alius euangelista dicit, quia euntes discipuli inuenerunt cœnaculum magnum stratum, & ibi parauerunt. Non enim vacat à magno mysterio, quod dominus in cœnaculo pascha celebrauerit. Significat enim cœnaculum, altitudinem spiritualis intelligentiæ. Transcensis ergo carnalis literæ instrumentis, in cœnaculo celebrauit pascha, hoc est, in altitudine noui testamenti, dans nobis exemplum, vt si pascha cum domino volumus celebrare, ima & infima transcendamus, & in cœnaculo, hoc est, in diuinæ contemplationis altitudine pascha cum domino celebremus.

Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

Vesper significat vltimam ætatem, in qua verus sol occubuit patiendo crucem, quam pro salute generis humani sustinuit. Hoc ergo vespere discubuit cum duodecim discipulis suis, hoc est, quietem æternam per sanguinis sui effusionem eis præparauit.

Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est.

Poterat quidem dominus traditorem nominatim exprimere, sed noluit, ne impudentia victus, in barathrum negationis incideret. Admonet ergo illum generaliter ad salutem, vt admonitione correctus, pœnitentiam ageret.

Et contristati ualde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum domine.

Et vere valde sunt contristati, quia non solum poterant mortem domini meditari, sed etiam nec audire. Vnde Petrus apostolus audiens dominum de passione sua loquentem di-

xit: Absit hoc à te, non morieris. Sciebant quidem omnes apostoli, quod nil tale in dominũ cogitauerunt, sed conscij suę fragilitatis, plus magistro quam suæ fragilitati credentes, dicebant: ⌊Nunquid ego sum domine?⌋

Mat. 16.

At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Iam superius dixerat: ⌊Vnus vestrum me traditurus ẽ,⌋ sed quia ille admonitus nõ egerat pœnitẽtiam, iam apertius illum designat, dicens: ⌊Qui intigit mecum manum in paropside, hic me tradet.⌋ Paropsis vas ẽ quadratum, dictum ꝙ sit paribus absidibus, id ẽ, æquis lateribus. Est autem vas escarũ, quod Marcus euangelista catinum appellat, quod est vas fictile. Intelligitur ergo in mensa domini fuisse aliquod vas escarum, quod contineret liquamen, in quo Iudas manũ cum magistro intinxit, vt bonã conscientiã mentiref.

Filius quidem hominis uadit, subaudiatur ad passionem, **sicut scriptum est de illo. Vę autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.**

Sed vsq; hodie væ homini illi, qui corpus sui redemptoris nõ Iudæis, sed membris suis peccatoribus tradit, integritatem fidei corrumpentibus. Multi sunt qui scelus Iudæ detestãtur, quod impie egerit, quod magistrum suum tradiderit: illum autem reprehẽdentes, ipsi reprehensionem minime in semetipsis cauent. Dum enim veritatem pro pecunia subuertunt, quid aliud quàm Christum tradunt? Ipse enim dixit: Ego sum veritas. Dum fraternam charitatem aliqua fractione violant, quid aliud quàm Christũ tradunt? Vnde scriptum est: Deus charitas est.

Bonum erat ei, si natus nõ fuisset homo ille.

Non ita est intelligendum, quod Iudas antea fuisset, vel esse posset, quam nasceretur, q nec bene nec male agere posset: sed simpliciter accipiendum est, quia melius est non subsistere, q̃ male subsistere.

Respondens autem Iudas, qui tradidit eũ, dixit: Nunqd ego sum rabbi?

Quod dicit rabbi, signum est infidelitatis, vel etiam argumẽtum est excusationis, quod non dñm, sed magistrum eũ vocat: quasi aliquam excusationem habeat, vt non dominũ, sed magistrum saltem tradiderit.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit &c.

Expleris solennijs veteris paschæ, transit dominus ad sacramenta noui paschæ demõstrãda. Postq̃ cœnauit, dedit eis panẽ & vinũ, in mysterio videlicet corporis & sanguis sui. Quia enĩ panis confirmat cor hois, & vinum auget sanguinẽ in hoie, merito idem panis in carnem dñi mutatur, & idem vinũ in sanguinem dñi transfertur: non per figuram neq; p vmbrã, sed per veritatẽ. Credimus enĩ, quia in veritate caro ẽ Christi, similiter & sanguis. Sed quia humana fragilitas non cõsueuit carnibus crudis vesci, & sanguinẽ potare, trãslata est eadem caro in panẽ, & idem sanguis in vinum. Sed merito quæritur, cur nos ieiuni tantum sacramẽtum quotidie sumimus, cum dominus finito cõuiuio, panem corporis sui & calicem sanguinis sui, in mysterio discipulis suis propinauerit. Ad quod dicendum est, quia primum decebat significatiuũ pascha cõsummari, ac deinceps pascha verum induci. Postmodum vero patres noui testamenti, videlicet apostoli & sequaces illorũ, statuerunt vt in veneratione tanti sacramẽti à ieiunis q̃tidie sumeretur. Illud vero perpendendũ est, quod à nullis panis solus, neq; vinũ sine aquæ permixtione offertur. Quia enim dicente Iohãne, aquæ populi sunt, miscetur aquæ vino, vt videlicet nos intelligamus, qa passio Christi pro nobis perpetrata est. Neq; passio Christi absq; vtilitate generis humani celebrata est, & nos sine Christi passione saluare nõ poteramus. Si enim solum vinum sine aquæ permixtiõe offerretur, posset talis esse intelligentia, quod nos absq; adiutorio Christi & passione saluari possemus. Sed igitur aqua vino, & panis conficitur cum aqua, vt aperte detur intelligi, quod neque passio Christi sine salute nostra posit fieri, neq; nostra salus sine illius adiutorio consistere valeat. ⌊Accepit panem,⌋ quod erat corpus suum, ⌊benedixit & fregit,⌋ vt ostenderet corpus suum omni benedictiõe esse repletum, & ita per passionem esse frangendum, vt tamen diuinitatis plenitudine esset repletum.

Deđicꝗ discipulis suis, & ait: Accipite & comedite.

Hoc valet contra eos, qui mortuis hominibus eucharistiam largiuntur. Cum enĩ dominus dicit, ⌊accipite⌋ statim subiunxit, ⌊& comedite:⌋ quia non sufficit accipere, nisi quisquis comedat ad salutem suam, quia quod in vita sua accipere non potuerũt, post mortem accipere non poterunt.

Similiter accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.

Vt sciamus, qa qcunq; accipit, bibere debet.

Hic est enim sanguis meus noui testamenti.

Quod enim dicit, ⌊hic est noui testamenti sanguis,⌋ ad differẽtiã veteris testamẽti di

cit. In veteri testamento sanguis hircorum & vitulorum effundebatur, & inde aspergebantur, qui mundandi erant.

Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Pro omnibus effusus est Christi sanguis, sed non omnibus prodest, sed illis solummodo, qui credunt in passionem suam: & illis, qui eodem spiritusancto regenerantur, quo Christus in vtero Mariæ est conceptus.

Dico autem uobis, non bibam amodo de hoc genimine uitis, usque in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei.

Iuxta literam promittit se nequaquam esse bibiturum de genimine vitis, donec resurgeret à mortuis. Postquam autē resurrexit, non solum comedit, sed etiam bibit cum discipulis suis, sicut Petrus apostolus declarat, dicēs:
Act. 10. Nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Sed qui altius intelligunt, spirituale mysterium ibi requirūt. Vitis enim nomine significatur plebs
Psal. 79. Israelitica, vt in Psalmo: Vineā de Aegypto
Isai. 5. transtulisti. Et iterum in Isaia, Vinea enim domini Sabaoth, domus Israel est. Dicit ergo, [Non bibam de hoc genimine] i. de generatione huius vitis, [donec bibam illud nouum in regno patris mei.] Regnū patris sui appellat hic, fidem credentium. Ait ergo: Nō recipiam ab hac hora meæ passionis carnales victimas ac ceremonias, donec vinum dulcissimum bibam. i. fidem illorum vobiscum in regno patris mei. Nam post resurrectionem illud vinum bibit. Bibit enim dulcissimum vinum de genimine istius vitis, in illis videlicet, qui post resurrectionē crediderunt prædicantibus apostolis, sicut in Actibus apostolorum legimus, prædicāte Petro vna die credidisse quinque millia, alia die tria millia, & deinceps multa millia: in illis bibit vinum dulcissimum post suam resurrectionem.

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.

Psal. 21. Hoc est, quod Psalmista ait: Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt dn̄m, qui requirunt eum. Hinc etenim consuetudo exorta est, vt qn̄ cælesti pane pascimur, siue terreno cibo reficimur, hymnum deo dicamus. Vel etiam hymnum possumus intelligere illam orationem, per quam patri discipulos cōmendauit, quam Iohannes ad plenum execu
Ioha. 17. tus est, quæ ita inchoatur: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: in qua non solum pro apostolis orauit, sed etiam pro omnibus qui credituri erant per verbum illorum in ipsum. Quod autem dominus post cœnam in mōtem Oliueti exijt, aperte dedit nobis exemplum, vt postquam diuino pabulo pascimur, ad culmen virtutum quantocyus properemus.

Tunc dixit illis Iesus: Omes uos scādalum patiemini in me in ista nocte.

σκάνδαλον enim græce, latine dicitur offensio, siue impactio pedum. Prædicit enim dominus quod scandalum passuri essent in eum, vt veniente hora scandali nō desperarent propter scādalum, sed potius ad pœnitentiam couerterentur. Et pulchre ait, [in ista nocte,] qm̄ sicut qui inebriantur, nocte inebriantur, ita qui scandalum patiuntur, in nocte, hoc est, in tenebris incredulitatis & ignorantiæ patiunt.

Scriptum est enim: Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.

Hoc in Zacharia propheta scriptū est, alijs quidē verbis, & ex alterius psona. Ibi enī prophetæ persona loquitur ad dominum: Percute pastorem, id est, Christum, qui dicit: Ego sum pastor bonus, & dispergentur oues gregis, id est, apostoli, qui relicto eo omnes fugerunt. Zach. 13. Iohā. 10.

Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam.

Impletum est hoc, quando duodecim apostoli post resurrectionem abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt.

Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scādalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

Non temeritatis quidem hæc sunt verba, sed potius ardoris magni, quem in dominum Petrus habebat. Eodem autem ardore, quo & cætera loquebatur, & faciebat, etiam hæc loquebatur. Sed Petrus, qui infirmus erat, de infirmitate sua præsumebat, dominus autem omnium conscius, quod futurum erat prædicebat.

Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quæ dicitur Gethsemani.

Gethsemani vallis est iuxta Ierusalem, in qua monstratur vsque hodie locus vbi dominus orauit, cum ecclesia superextructa. Interpretatur autē Gethsemani vallis pinguium, vel pinguedinum. Non autem frustra in mōte aliquando orabat, & aliquando in valle. In monte etenim orat, vt tempore orationis nostræ humilitatem, & cōtritionem cordis nos habere doceat. Et hoc in valle pinguium siue pinguedinum, vt scilicet oratio nostra condita sit pinguedine charitatis. Vel aliter, in mōte vnusquisque orat, qui cælestis patriæ præmia poscit. In valle autem nihilominus orat, qui

carnalia à deo petit, mortem videlicet inimicorum, vltionem hostium, abundantiam temporalium facultatum.

Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.

Contristabatur, non timore vicinæ passionis, propter quam sufferendam venerat, sed propter perditionem Iudæ, & propter dispersionem populi Iudæorum, & scandalum discipulorum, & euersionem miseræ Ierusalem, his causis contristatur dominus.

Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Errant qui putant dominum non verã animam haberere: si enim non habuit veram animam, quare dicit. ⌊Tristis est anima mea vsque ad mortem?⌋ Et notandum est, quia non dicit propter mortem, sed vsq; ad mortẽ, hoc est, donec apostolos meos & omnes credentes effusione sanguinis mei redimam.

Sustinete hic, & uigilate mecum.

Non admonet ergo dominus vigiliam corporis, quæ tunc temporis non erat, sed potius spiritualem vigiliam mentis, ne videlicet mens apostolorum siue fidelium sopore infidelitatis torperet.

Et progressus pusillum, procidit in faciem suam.

Procidit aũt dñs in faciem suã, vt humilitate corporis, humilitatẽ mentis demonstraret.

Mi pater, Blandientis affectu loquitur,

Si possibile ẽ, transeat a me calix iste.

Orat, vt si fieri possit, q̃tenus genus humanum saluetur sine passione sua, transeat ab eo calix passionis, non timens eandem passionẽ sufferre, sed dolens Iudæos tãtum scelus admittere in passione sua. Vel potest aliter intelligi, ⌊Si possibile est, trãseat à me calix iste,⌋ id est, si possibile ẽ, vt Niniue saluetur, nisi cucurbita aruerit, hoc est, si fieri potest, vt gentilitas per vniuersum mundum liberetur sine Iudæorum perditione & interitu, transeat à me calix passionis. Sed quia ex infirmitate carnis patri hæc dixerat, redit ad semetipsum: & quod per infirmitatem abnegauerat, ex diuinitatis persona confirmat, dicens:

Veruntamen nõ sicut ego uolo, sed sicut tu, id est, vt non hoc fiat, quod ego ex parte humanitatis loquor, sed propter quod ad terram tua voluntate descendi.

Et uenit ad discipulos & inuenit eos dormientes.

Quia videlicet grauati erat tam tristitia, quam domini passione.

Et dicit Petro: Sic non potuisti una una hora uigilare mecum?

Ac si diceret: Quomõ pro me mori poteritis, q pro me vna hora vigilare nõ potuistis.

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem

Impossibile est hominem, quandiu in hac vita fuerit, non tentari: vnde omnes tam iniusti quam peccatores, quotidie in oratione dicunt. Ne nos inducas in tẽtationem. Non ergo præcipit dominus orandum, vt non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Aliud est enim tentari, & aliud in tentationẽ induci. Tentatur quilibet, quãdo vel animo vel corpore in delectatione alicuius vitij titillat: inducitur vero in tentationem, si suæ delectationi cœperit consentire. Verbi gratia, tẽtatus est autem quidam martyr, cum cogeretur dominum negare, sed nõ inductus est in tentationem. Si enim negasset dominum, vtique in tentationẽ induceretur. Hoc ergo præcepit dñs, vt orent, ne intrent in tentationẽ. i. ne metu persecutorum recedant à fide Christi, vt cogantur illum negare.

Spiritus quidem promptus est ad passionem sufferẽdam, caro autem infirma.

Exponit quare superius dixerit, ⌊tristis est anima mea vsque ad mortem,⌋ quod s. spiritus illius promptus erat ad passionem sufferẽdã, ⌊caro aũt infirma⌋ ad supplicia tolerãda.

Iterũ secundo abijt, & orauit, dicẽs: Mi pater, si non põt hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uolũtas tua.

Id est, si non potest genus humanum sine passione mea saluari, vel si non potest vniuersus orbis salutem consequi, nisi populus Iudæorum in perditionem ruat, fiat voluntas tua. Non secundum hoc fiat quod ex parte humanitatis loquor, sed propter quod ad terrã tua voluntate descendi.

Et relictis illis iterum abiit, & orauit tertio eundem sermonem dicens.

Orauit tertio, vt in ore duorum vel trium testiũ stet omne verbũ. Orauit autẽ non pro se, sed pro nobis, s. vt illa oratio esset discipulorum confirmatio.

Tunc uenit ad discipulos suos.

Postquam orauit ad patrem, & impetrauit salutem discipulorum suorum, venit ad eos & dixit:

Dormite iam & requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce appropinquabit qui me tradet.

Intelligimus, quia cum dixisset, vt dormirent discipuli & requiescerent, aliquantulum tacuisse, vt impleretur quod dixit, & inde diceret: Surgite, eamus.

Adhuc ipso loquente, ecce Iudas unus de duodecim.

Vnus non merito, sed numero, sicut superius dominus dixit: Nōne vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est. Iohan. 6.

Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

Infelix Iudas æstimans dominū signa magicis artibus patrasse, recolens eum trāsfiguratum fuisse in mōte coram tribus discipulis, æstimans etiam eum in hora passionis suæ similitudinem in aliam mutare, ideo dat signū persecutoribus suis, & quemcunq; oscularetur, ipsum comprehenderent, æstimans dominum persecutores suos eludere, & in aliā formam se transfigurare.

Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue rabbi. Et osculatus est eum.

Summa demētia infelicis Iudæ. Nam osculum pacis porrigit ei, quem vult tradere persecutoribus suis. Adimpletum est hoc loco quod per Psalmistam dicitur. Qui edebat panem meum, ampliauit aduersum me supplantationem.

Amice, ad quod uenisti?

Duobus modis est intelligendum & distinguendum est. Sed ita distinguēdum est, vt dicamus: [Amice, ad quod venisti?] vt interrogantis modo legatur, vox domini est miserum increpantis, & dolentis quod à summo gradu apostolatus ad apostasiam deuolutus erat, vt sit sensus: Amice, ad quod venisti? id est, ad quantum malum deiectus es, vt de apostolo fieres apostata, & de doctore veritatis, fieres magister erroris? Si vero plenam distinctionē ibi fecerimus, vt dicamus: Amice ad quod venisti, vt subaudiatur, perfice, acsi diceret: Relinque osculum pacis, & imple traditoris officium.

Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.

Hoc Petrus apostolus fecisse legitur secundum Iohannem eo ardore mentis, quo & cætera faciebat. Nam seruus principis sacerdotū, cuius auricula amputata est, Malchus vocabatur, qui interpretatur rex. In quo seruo nihil aliud q̃ Iudæorum populus designatur, cuius dextera auricula amputata est, quia ablata spirituali intelligentia, sola in eis ariditas literæ remansit, tanquam videlicet sinistra auricula. Sed dominus restaurauit tactu manus suæ auriculam dexteram illius, quia in illis, qui credituri sunt circa diem iudicij, spiritualē intelligentiam reparabit. Vnde idem, rex & seruus principis sacerdotum dicitur. Quomodo enim rex & seruus? Si rex, quomodo seruus? Sed rex in illis, qui fidē Christi accepturi sunt, seruus in illis, qui in seruitute peccati remansuri sunt.

Tunc ait illi Iesus: Cōuerte gladium tuum in locū suum. Omēs enim qui acceperint gladium, gladio peribūt.

Iuxta literam non omnes accipientes gladium, gladio pereunt. Nam & multi homicidijs intereunt, & tamen gladio non cæduntur. Sed altius ostendit esse intelligendum, acsi diceret: Ea temeritate, qua alium punis vel iudicas, necesse est, vt eadem temeritate à domino puniaris.

An putas, quia non possum rogare patrem meū, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorū.

Acsi diceret: Non indigeo auxilio duodecim apostolorum, quoniam si voluero patrē meum rogare, possum ab eo impetrare duodecim legiones angelorū. Legio enim apud veteres sex millibus constabat. Duodecim autem legiones, septuagintaduo millia efficiūt. Tot autem gentes leguntur ad turrim Babel in diuersitatem linguarum diuisæ esse. Et est sensus: Non egeo auxilio & defensione duodecim apostolorum, quoniam si totus mundus in necem meam cōspirauerit, possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi contra vnamquanq; gentem mille angelos.

Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus, & tumultu, ad me comprehēdendum, & in nocte, qui manifeste uobis in die apparui, & in tēplo quotidie docui.

Stultum ergo cum gladijs me quærere, qui sponte me vestræ potestati trado.

Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ prophetarum.

Id est, vt implerentur vaticinia prophetarū, quæ de Christi passione prædicta erant, quæ longum est enumerare. E quibus vnum est: Foderunt manus meas & pedes meos &c. Psalm. 21
Et: Sicut ouis ad occisionem ducetur. Isai. 53. Et iterum, Ab iniquitatib⁹ populi mei ductus sum ad mortem.

At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi

scribæ & pharisæi conuenerant.

Præceperat omnipotens deus p Moysen, vt legitima successio sacerdotum in perpetuo pmaneret. Instante autem tempore dominicæ passionis, destructa erat sacerdotalis dignitas. Adeo erat præuaricata, vt quicunq; sacerdotium pecunia redimere posset, sacerdos efficeretur. Non enim seruabatur ibi iam successio generis, sed potius intuitus cupiditatis. Iste ergo Caiphas (sicut Iosephus narrat) redemerat sibi vnius anni pontificatum à Romanis. Mirum autem nō est, si iniustus sacerdos, iniustam sententiam de domino proferat.

Petrus autem sequebatur a longe, usque in atrium principis sacerdotum.

Diuina verba sic aliud dicunt, vt tamen aliud intelligendum significent. Iuxta literam, Petrus à longe eum sequebatur, quia timebat ne pariter cum illo teneretur. Allegorice, longe eum sequebaẗ, quia videlicet in proximo erat eum negaturus.

Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut finem uideret.

Vel amore domini ingressus est post illū in atrium principis sacerdotum, vel etiam cu riositate humanitatis, vt videret finem illius, an si ei parcerent, & castigatum eum dimitterent, an etiam morti adiudicarent.

Nouissime autem uenerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum dei, & post triduum reædificare illud.

Mirum valde est, cur dicantur esse falsi testes, cum illa dicant, quæ dominum alibi legimus dixisse. Sed falsus testis est, qui verba alio sensu interpretatur, quam ille qui dixerat sicut isti, qui non solum sensum, sed etiam verba permutauerant. Quod enim ille dixerat de templo corporis sui, hoc isti interpretati sunt de templo materiali, quod erat in Ierusalem. Sed in his verbis quandam calumniam struunt contra dominum. Illi dixerunt, Possum destruere templum dei: Ipse autem dixerat, Soluite templum hoc, Id est, vos soluite, non ego: qui illicitū est, vt nobismetipsis manus inferamus. Illi dixerunt, ⌊ Et post triduū reædificabo illud, ⌋ vt de templo materiali dicere videretur: ille autem dixerat despiranti & animanti corpore: Et in triduo excitabo illud, quasi dormientem à somno.

Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur?

Prouocat princeps sacerdotum ad respondendum falsis testibus, vt quem falsi testes damnare non poterant, ex responsione sua eum arguerent. Sed dominus præuidens, quia quicquid diceret, ad calumniam diceret, principi quidem sacerdotum nulla respondit, Pilato vero pauca.

Dicit illi Iesus. Tu dixisti; subauditur, quia ego sum. Et Pilato & principi sacerdotum iisdem verbis dñs respondit, vt vtrunq; propria sententia condemnaret.

Veruntamen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedētem a dextris uirtutis dei, & uenientem in nubibus cæli.

Illis Iudæis dicit, quos post suam resurrectionem crediturus esse sciebat. ⌊ Veruntamē dico vobis, amodo ⌋ .i. ab hac hora siue tempore meæ passionis, ⌊ videbitis ⌋ .i. intelligetis & credetis: ⌊ filium hominis sedentem in dextris virtutis dei, & venientem in nubibus cæli, ⌋ ad iudicandum uidelicet.

Tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus?

Ipse furor, qui eum superius de solio suo excusserat, ipse etiam furor prouocat eum ad vestimenta scindenda. Erat autē consuetudo in populo Iudæorum, vt quotiescunq; aliquid durum vel blasphemiæ contra dominum audirent, vestimenta sua scinderent, vt ex scissione vestimentorum dolorem cordis ostenderent. Quod legimus Paulum & Barnabam fecisse in quadam ciuitate, cum populus eis vellet immolare victimas & sacrificia, quasi deos adorantes. Spiritualiter, scissio vestimentorum principis sacerdotum, significabat scindendam esse dignitatem sacerdotij in populo Iudæorum. In excussione sacerdotis de solio suo, significabatur vacuam esse remansuram sedem pontificis in populo Iudæorum.

At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.

Impletum est quod olim Psalmista ex psona domini dixerat: Circundederunt me canes multi.

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.

Vt impleretur quod prædictum erat per prophetam: Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Isa. 50.

Alij autem palmas in faciem ei dederunt, dicētes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?

Vt impleret illud propheticū: Dedi genas meas vellētibus, & maxillas meas pcutiētib⁹. Ibidem

Et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras.

Quid sibi vult q in domini passione, non vir, sed fœmina Petrum ad negandum compulit? Diuinitus hoc actum est, ne videlicet iste sexus in domini passiõe videretur esse immunis, sed sic vterque sexus videretur peccasse in domini passione. Et congrua similitudine. Sicut enim mulier primum parẽtem ad peccatum allexit, ita etiam mulier ostiaria Petrum ad negãdum compellebat. ⌊Et iterum negauit eum cum iuramento, quia non noui hominem.⌋ Excusant quidam Petrum Apostolum, quod nõ negauerit Christum dominum, sed potius hominem, quasi diceret: Deum scio, homiem nescio, quasi minoris culpę sit, hominem negare quàm deum, cum constat esse verum deum & homiuem. Sed q Petrum volunt defendere, Christum coguntur mendacij arguere, qui dixit: Antequam gallus cantet, ter me negabis. ⌊Nam & loquela tua manifestum te facit.⌋ Vna quidẽ erat loquela & illorum qui arguebant, & illorum q arguebantur, vt nec dissimilis erat locutio, q a omnes Hebræi erant. Sed quia vnaquæq; prouincia vel ciuitas vernaculum locutionis sonum habet, quem non potest vitare, ideo dicunt: ⌊Nam & loquela tua manifestum te facit.⌋ Sicut legimus in libro Iudicum, quod Ephratei transeuntes vada Iordanis, cum cogerentur ab hostibus vt dicerent theboleth quod interpretatur spica, cum non poterant exprimere, dicebant seboleth.

Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, quod dixerat: Priusquam gallus cãtet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amare.

Sicut alius euangelista dicit, respexit dominus Petrũ. Respectus domini misericordiam illius designat, qua Petrum dubitãtem respexit, & in fide confirmabat: quia peccatores etiam quosq; respicit, & corda illorum ad pœnitentiam conuertit. Et hoc notandũ est, quia gallo cantaute Petrus ad pœnitentiam redit, q a videlicet qñ per negligentiã corporis delinquimus, per prædicatorum admonitionem ad pniam redire debemus. Sæpe em gallorũ noie prædicatores solent significari.

Mane autem facto, cõsilium inierũt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent.

Notanda est solicitudo Iudæorum, qui tota nocte in malum laborauerunt, vt effunderent sanguinem innocentem, & mane facto consilium inierunt, & tradiderunt Iesum Pilato. Et non solũ Pilato traditus est, sed (sicut Iohannes clarius manifestat) primum deductus est ad Annam, deinde ad Caipham, qui principatum inter pontifices gerebant eo tẽpore: tertio ductus est ad Pilatum, nouissime ad Herodem. Et (sicut Lucas euangelista dicit) spreuit illum Herodes cum omni exercitu suo, & indutum veste alba, remisit illum ad Pilatum. Ad omnes missus est, vt omnes eũ illuderent, & nemo immunis esset à passione Christi.

Et uinctum duxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

Consuetudo autem erat, vt quẽcunq; morti traderent, vinctum illũ præsidi adducerẽt.

Tunc uidens Iudas, qui eũ tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotũ, & senioribus, dicẽs: Peccaui, tradẽs sanguinẽ iustũ.

Videns Iudas dominum morti adiudicatum, & se quoq; morti æternæ in proximo esse damnãdum, propterea quod tradiderit dominum & magistrum, pœnitentia ductus, retulit triginta argẽteos, quos acceperat à principibus sacerdotũ: quasi in eius potestate esset persecutorum sententiam permutare. Sed licet mutauerit voluntatem suam, tunc nihil profuit, quia priorem exitum nõ immutauit. Sed si Iudas peccauit, sicut ipse dixit: ⌊Peccaui tradens sanguinem iustum,⌋ quid meruerunt, qui discipulum ad traditionem sanguinis magistri prouocauerunt?

Quid ad nos? subaudis pertinet. **Tu uideris.** Tu (inquiunt) illud probasti cum accepisti, tu videris quid acturus sis.

Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.

Auaritiæ magnitudinem impietatis pondus excludit. Nihil profuit Iudæ quod pœnitentiam egit de domini proditione, qñ culpam quam contraxerat, soluere non potuit. Sic quicunq; in fratrem suum peccat, vt hoc quod in eo offendit, emẽdare valeat, ei dimitti potest: qui autem ita peccat, vt hoc q̃d peccauerit, non valeat emendare, non dimittetur ei. Quia frustra assumitur in voce pœnitẽtia, quandiu manet culpa. De Iuda autem & de similibus eius per Psalmistã dicit: Et oratio eius fiet in peccatum. In peccatũ ergo oratio Iudę reputata est, quia non solũ prius peccatum soluere non potuit, sed etiam homicidium proditioni domini copulauit.

Non licet eos mittere in corbanam, quia precium sanguinis est.

Corbana Hebraice, latine interpretat donum. Quo noie gazophylaciũ appellatur, locus scilicet vbi thesaurus à populo oblatus seruabatur. Et impletum est hic, quod dominus improperat scribis & pharisæis ante passio-

Matt. 23 nem suam, dicens: Culicem excolantes, & camelum glutientes. Si enim in corbanam precium sanguinis mittere nō licuit, multo magis ipsum sanguinem innocentem effundere non licuit.

Et consilio inito, emerunt ex illis agrū figuli in sepulturā peregrinorū.

Illi quidem hoc alia mente fecerunt, tamē etiam facientes nostræ saluti prouiderunt. Ager nanq; domino interpretāte, hic mūdus intelligitur, figulus vero ipse dominus est, q finxit mare & mundum, & omnia quæ in eis sunt. De precio ergo sanguinis Christi emptus est ager, quia nos qui peregrini eramus à testamento dei, requiem animæ & corporis in sanguine Christi habere cœpimus.

Tunc impletum ē, quod dictum est per prophetam Ieremiam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos.

Et reliqua. Hoc exemplum non inuenitur scriptum in Ieremia, simile autem aliquid in Zacharia inuenimus. Proinde non curauit Matthæus euangelista vel primū ponere Zachariam, vel etiam postea emendare, quia videlicet vniuersa quæ spiritussanctus per ora prophetarum locutus est, & communia sunt omnium, & propria singulorum. Quicquid enim dixit Ieremias, reputandum est Zachariæ, & qđ Ieremias dixit, & cæteri ꝓphetæ locuti sunt, vtiq; fuerunt Zachariæ. Quia (sicut dixi) vniuersa quæ ſpūſſanctus per ora ꝓphetarum locutus est, & communia fuerūt oīm, & propria singulorum.

Et interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis.

Subauditur, quia ego sum. Notandum est quia hoc quod ei obiectum fuerat à scribis & pharisæis, hoc etiam Pilatus interrogat, vtrū videlicet se regem Iudæorū esse diceret, sicut scribæ & pharisæi eum accusauerunt. Sed dominus ita suum temperauit responsum, vt veritatem diceret, & tamen sermo illius calumniæ non pateret.

Et cum accusaretur a principibus sacerdotum & senioribus nihil rñdit.

Intuendum est, quod dominus Pilato interroganti, pauca respondit: ideo, quia nō suo arbitrio, sed populi accusatiōe eū morti adiudicabat. Principibus aūt interrogantibus, nihil rñdit, quos sua rñsione indignos esse iudicabat. Vel certe ideo non respōdit, ne si semetipsum digna responsione purgaret, vtilitas passionis differretur, & genus humanum sine passione sua saluari non poterat.

Per diem autem solennem consueuerat preses unum dimittere ex uinctis quem uoluissent.

Memoriam enim Iudæi liberationis suæ de Aegypto, hāc habebant consuetudinem, vt in die festo vnum vinctum à morte eriperent, in memoriam suæ liberationis, quando de Aegypto liberati sunt.

Habebant autem tunc unum uinctū insignem, qui dicebatur Barrabbas.

Barrabas autem propter seditiōem & homicidium (sicut Lucas testatur) conclusus tenebatur in carcere.

Sedente autem illo pro tribunali.

Tribunal est sedes iudicis, sicut solium sedes regis, cathedra autem sedes magistri.

Misit ad eum uxor eius dicens: Nihil tibi & iusto illi.

Tunc primum intellexit diabolus per passiōem domini se potestate, quam habebat in mundo, priuandum, & spoliis, quæ apud inferos & super eos habebat, esse spoliandum; & ideo satagere conatus est, vt saltē per passionem vxoris Pilati dominum à morte retraheret.

Multa enim passa sum hodie per uisum propter eum.

Notandum est, quia gentilibus sæpe somnia reuelantur à deo, non ob eorum merita, sed aut pro futurorum, vel etiam pro cautela aliorum, sicut legimus Nabuchodonosor distributionem omnium regnorum terræ vidisse: & sic legimus Pharaonem somnium vidisse, quod Ioseph cum prudenter disseruisset, dn̄s cōstitutus est in terra Aegypti.

Principes autem sacerdotum & seniores populi persuaserūt populis, ut peterēt Barrabbam, Iesum uero perderent.

Non est mirū Iudæi gēte & pace carēt, qui principem seditionis elegerunt, & autorem pacis. i. dominum morti tradiderunt.

At illi dixerunt: Barrabbam.

Barrabas qui interpretatur filius magistri, vel patris eorū, typum antichristi tenet, quē Iudæi in fine seculi pro dn̄o suscepturi sunt, sicut dominus eis dicit: Ego in nomine patris mei veni, & non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis. Bn̄ filius patris eorum. i. filius diaboli, qui est pater eorū, sicut dominus eis improperat, dicens: Vos ex patre diabolo estis, quoniam cuius opera quis agit, eius filius est. Barrabbas, si legitur per duo rr, interpretatur filius magistri, quia rabbi dicitur magister. Si autem legatur per vnum r, & ꝑ duo bb, erit interpretatio, filius pr̄is eoꝝ, qa abba hebraice, latine dr̄ pater. Iohan. 5. Iohan. 8

Videns autem Pilatus qa nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, manus lauit coram populo, dicens: Innocēs ego sum a sanguine iusti huius, uos uideritis.

Legerat fortassis Pilatus scriptum in Psalmo: Lauabo inter innocentes manus meas. Et ideo abluit man⁹, vt exors videatur esse à scelere dominicæ passionis, acsi diceret: Ego (inquit) volui eū liberare & innocentē ostendere, sed quia rebellionis crimen mihi cōtra Cæsarem impingitur, vos videritis. Ego legum minister sum, vox ipsa vestra sanguinem fudit.

Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros.

Hæc maledictio perseuerat in Iudæis vsq; hodie, & vsq; in diem iudicij pseuerabit. Nō enim sufficit eis vt semetipsos, qui tunc temporis erant, damnarent, sed etiam omnem ꝓgeniem, quæ necdum nata erat, sub hac maledictionis noxa constringerēt. Manet enim sanguis domini .i. vindicta domini super Iudæos, & super omnem progeniem eorum vsque in finem seculi.

Iesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

Inconsequens esse videtur, vt ille qui superi⁹ dominum voluerat liberare, modo enim flagellauerit, & flagellatum potestati eorum tradiderit. Quod duobus modis soluendum est: ideo flagellasse, vt satisfaceret legib⁹ Romanorum, quorum cōsuetudo erat, vt is qui morti eēt addictus, primum flagellaretur, & postmodum occideretur. Siue ideo flagellauit eū, vt videlicet illi satiati pœnis illius, cessarēt vltra mortē eius petere, vt crucifigeret.

Cohortē uniuersam cōgregauerūt.

Cohors erat apud Romanos milites trigita.

Et exuentes eū uestimentis propriis chlamydē coccineā circūdederunt ei

Opprobrij causa domino chlamydē coccineam circundederunt pro purpura regali: & pro corona aurea, coronam de spinis imposuerunt capiti illius, & pro sceptro imperiali, arundinem in manu dextra illi dederunt. In his autem omnibus nostræ salutis celebratur sacramentum. Quod enim dominus coccinea veste .i. rubro vestimento induitur, significatur nroꝝ peccatorum susceptio: quoniam cum sine peccato esset, nostra peccata in semetipso suscepit. Quod autem spineā coronam in capite accepit, hoc significabatur, quod peccata nostra quæ ꝑ spinas intelliguntur, ipse esset ablaturus à nobis: & maledictū quod primo homini dictum ē: Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi, per suam passiōem solueret. Quod aūt arundinē in dextra manu ferebat, designabat se sacrilegiū Iudæorum scribere. Siue etiam hoc significabatur, quod in sua passione vaticinia propherarum implebantur. Solemus enim calamo plerūq; scribere. Et ī calamo venenata aialia occidit.

Aue rex Iudæorum. quasi dicerent, q te dixisti regem esse Iudæorum.

Et expuentes in eum, acceperunt arūdinem, & percutiebant caput eius.

Semel hoc factum est domino corporaliter, quotidie hæretici hoc faciunt, qui spiritaliter caput eius percutiunt, & in faciem illius spuunt. Caput enim Christi deus est, teste Paulo apostolo. Caput ergo Christi percutit quisquis in illo diuinitatem illius abnegat esse, sicut Arrius, qui dicit filium minorem esse patre. In faciē spuit, quisquis pñtem illū in carne venientē denegauerit, sicut Manichæus, qui dicit verā in Christo nō fuisse carnē. 1. Cor. 11

Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum chlamide, & induerunt eū uestimentis suis.

Quandiu dñs illusionem passus est, & sputa sustinuit, & coronā spineā in capite habuit, nō propria vestimenta habuit induta, sed aliena. Mox autem vt hora despectionis transiit, propria vestimēta resumpsit. Quia ꝙ passus est, & ꝙ flagellatus est, nō fuit propriū diuinitatis illi⁹. Quod aūt die tertia resurrexit, quasi proprium vestimentum resumpsit, per quod significabatur, ꝙ horam mortem erat gustaturus, & itꝫ ad tempus peracta passione de sepulchro resurrecturus. Impleta est in eo prophetia quę dicit: Vt faciat opus suū, alienū est opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Vt eni ope raretur opus suum .i. salutē generis humani, opus illius alienum fuit, quia passionē quam pertulit, eius diuinitati aliena fuit. Isa. 28.

Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, hunc angariauerunt ut tolleret crucem eius.

Non est cōtrarius Matthęus Iohāni euangelistę, q scripsit dñm crucē sibi baiulasse, sed intelligendū quod primū exiens de prętorio crucē sibi portauerit: deinde vero obuiātē Simone, angariauerūt eū vt tolleret crucē dñi vsque ad locum quo figenda erat, quod à magno mysterio non vacat. Siquidem Simon q interpretatur obediens, gentilem populum designat. Vnde bene Cyrenæus fuisse dicitur, qui hæres interpretatur. Nam de gentili

populo à deo parte filio repromittitur. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

In locum qui dicitur golgatha, quod est caluariæ locus.

Quidam locum caluariæ dictum autumāt à sepultura primi parentis, eo qđ caput, hoc est, caluaria ipsius, eodem loco sit tumulata. Quod perspicue falsum ē, quia videlicet (sicut liber Iesu Naue refert) non iuxta Ierusalē, sed inter Hebron & Cariatharbe tumulatus est. Verior ergo sensus ē, quod caluariam dicimus locum illum ex cōsuetudine antiqua: siquidem extra omnes ciuitates locus deputatur, vbi reorum capita detruncabantur. In caluaria ergo ibi truncabantur capita eorum & recte idem locus caluariæ nūcupabatur. i. à capitibus damnatorū. Et merito ibi dominus crucifixus ē, vt vbi prius erigebant areæ damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij. Vel vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.

Et dederunt ei bibere uinū cum felle mixtum.

Impletum est hic quod per Prophetam dicitur: Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quod erāt, hoc ei dederunt. Ipsi enim erant acetum, degenerantes à vino patriarcharum & prophetarū, & nequaquam aliud ei poterant dare, quàm quod erant. Quod autem dicitur: Psal. 68.

Et cum gustasset noluit bibere.

Et non accepit: vinum fellitū quidem gustauit, sed non bibit, aperte designans qđ passionem & mortem ad tempus suscepit, sed in æternum eadem morte teneri noluit.

Postquam autem crucifixerunt eum diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes.

Vestimenta quidem domini diuiserunt, super tunicam vero quæ inconsutilis erat, & diuidi non poterat, sortem miserunt. Vestimēta etenim domini, significant electos illius. Quadripartita enim vestis illius, ecclesiā designat per quadripartitum orbem diuisam. Tunica autem illius inconsutilis desuper texta, vnitatem ipsius ecclesiæ designat, qa oīs vnitas regni in corpore sanctæ ecclesię consistit. Quæ vnitas non humano arbitrio, sed diuina dispensatiōe regitur, per charitatem dei omipotentis, de qua Paulus apostolus dicit: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Ideo iure eadem tunica desuper contexta perhibetur. 1. Cor. 12

Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam.

Causam videlicet mortis capiti illius superscripserunt:

Hic est rex Iudæorum.

Et scripserunt hoc Hebraicis literis, Græcis & Latinis, vt Iohannes euangelista dicit, quia tunc temporis hæ tres linguæ principatum tenebant inter reliquas linguas. Hebraica propter Iudæos gloriantes in lege, Græca autem propter gentilium Philosophos, Latina autem propter Romanos, qui tunc temporis omnibus gentibus imperabant. Velint nolint Iudæi, omnis lingua & omnis natio confitetur quod Iesus est rex Iudæorum, hoc est, omnium in se credentium & se confitentium.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a sinistris.

Iuxta literam impletum est illud, q̄ per prophetam dicitur: Et cum iniquis deputatus est. Allegorice autem duo latrones, qui cum domino crucifixi sunt, significāt duo genera hominum, qui sub confessione nominis Christi, vel agonem martyrij, vel arctioris vitæ instituta subeunt. Illi enim qui solo intuitu remunerationis super se talia assumunt, laude & merito dextro latroni coæquantur. Illi autem qui qualibet alia causa, vel agonē martyrij, vel arctioris vitæ instituta ducunt, sinistri latronis perfidia designantur, qui sub confessione nominis Christi, sed non amore illius arctioris vitæ instituta subeunt. Isaia. 53.

Prætereuntes autem blasphemaue-runt eum.

Prætereuntes dicuntur, quia præterierūt vitam. i. Christum, mouentes capita sua contra dominum, qui prius mouerant pedes à rectitudine viæ iustitiæ.

Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluum facere.

Velint nolint Iudæi confitentur, quod dominus Iesus alios saluos fecit. Sed qa alios fecit saluos, consequēs est, vt etiam semetipm saluum faciat si vult. Sed si dominus tūc temporis in illorum insultatione de cruce descenderet, etiam illorum insultationibus cedens, virtutem patientiæ nobis non monstraret. Sed sustinuit dominus probra, & irrisiones pertulit. Plus enī fecit, qui de cruce noluit viuus descendere, de sepulchro surrexit mortuus, & non crediderunt ei. Plus enim fuit de morte resurgere, q̄ de cruce viuēs descēdere.

Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabāt ei.

Hoc synecdochicos intelligendū est. Non enim vterq; latro domino insultauit, sed sicut Lucas distinctius loquēs manifestat, vno in blasphemia perseuerāte, alter de cruce in-

crepauit eum,dicēs: Nunquid & tu times deum,quod in eadem damnatione es? Nos qui dem digna factis recepimus,hic autem quid fecit? Et conuersus ad Iesum,dixit: Memento mei domine,dum veneris in regnum tuū. Possumus autem dicere, quod primum quidem vterq; latro dominū blasphemauerat,sed visa magnitudine signorum obscuratione videlicet solis & commotione terræ,& apertione sepulchrorum, vnus cōfestim pœnitentiam egerit, alter vero in blasphemia pseuerarit.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam.

Sexta hora dominus crucifixus est,secundum tres euangelistas.Nam cum Marcus confirmat eum tertia hora eē crucifixū,ad voces Iudæorum debemus respicere,quorū vocibus tertia hora crucifixus est.Bñ aūt dñs sexta hora crucifixus legit,qm̄ eadē hora legimus primū hoiem in paradiso peccasse:& dignū erat vt per passiōem filij dei eadem hora redimeretur.Quidam autem contraria veritati sancti euangelij intelligentes,dicunt naturale solis deliquium contigisse , quod non intelligētes apostoli,super dñi passionem interpretati sunt.Quibus respondendum est,quod deliquium solis nunquam nisi prima luna fieri potest.Constat autem festiuitate paschali,qn̄ crucifixus est dominus , plenilunium fuisse. Ne autem ista solis obscuritas repente & subita fuisse dicatur,non solū vna hora, sed etiam tribus horis protelata est .i. à sexta hora vsq; ad nonam horam.Credendum vero est quod sicut sol super terras obscuritatem passus est,ita etiā luna sub terris radios lucis suæ abstraxit.Impleta est hic prophetia Ioelis di-

Ioel.2. centis:Sol cōuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.Subtraxit autem radios suos , ne vel morientem dominum suum in cruce videret: siue etiam,vt Iudæi ministri iniquitatis lumine illius non fruerentur.

Et circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna,dicens:Eli,Eli,lammasabachtani?

Sicut sitire,& lassari, & dormire non ē proprium diuinitatis,sed humanitatis : ita etiam hæc vox ex parte humanitatis processit, non ex parte diuinitatis. Nam secundum diuinitatem nunquam relinquitur à patre,secundum vero humanitatem ad tempus visus est derelinqui à patre, quando permissus est crucifigi.Eli enim dicitur deus:i,meus: lamma, vt quid? sabachtani,dereliquisti me.

Eliam uocat iste. Hoc nō Iudæos, sed Romanos intelleximus dixisse milites,quia non intelligebant Hebraicam proprietatem. Sed si quis contentiosus extiterit, & dixerit non à Romanis, sed potius à Iudæis dictum fuisse, non aberrat à fide: qm̄ more solito quicquid diceret dñs,ad infamiam detorquebant.

Et continuo currens unus ex eis,acceptam spongiā impleuit aceto,& imposuit arundini,& dabat ei bibere.

Quod erant,hoc ei propinabant,quia iam à vino degnauerant.i. à bonis operibus patriarcharum & prophetarum. Spōgia cauernosa significat cor Iudæorum malitiosis fraudibus plenum. Hyssopus autem herba humilis & pectus purgans,humilitatem Christi designat. Hyssopo circundederunt spongiam, quoniam humilitatem Christi circundederunt: & circunuenisse putauerunt, quam varijs fraudibus circundederunt. Calamus aūt in quo posita est spongia, significat scripturā quæ hoc facto implebatur.

Iesus autem iterū clamans uoce magna,emisit spiritum.

Diuinæ potestatis indicium,spiritum emisisse . Nemo enim potest spiritum emittere nisi creator omnium spirituum.Spiritum autem pro anima posuit, quia anima vtriq; spiritualis natura est,sicut in Psalmo legimus: Auferes spiritum eorum,& deficient.

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes,a summo usq; deorsum.

Duo erāt vela tēpli, vnū interius añ arcā,& aliud exterius añ altare. Videt ergo B. Hieronymo illud exterius velū scissum eē, vt paterent nobis sacramenta cælestia,quæ in veteri testamento tenebantur occulta.Et non solum velum templi scissum est,sed etiam virtutes angelicarū potestatū ibi auditæ sunt,dicentiū: Transeamus ab his locis,vel sedibus.

Et terra mota ē , & petræ scissæ sunt.

Iuxta literam commotio terræ & petrarū scissio,terrorem creaturarum significat,non sustinentium mortem domini sui.Sed si altiorem intelligentiam ibi requiramus, per cōmotionem terræ & scissiōem petrarum,significātur terrenorum corda hominum ad pœnitentiam commouenda.

Et multa corpora sanctorū, quę dormierant,surrexerunt.

Sicut Lazarus suscitatus est,ita & isti suscitati sunt, vt dño resurgenti testimonia perhiberent. Licet enim domino pendente in cruce monumenta aperta sunt, tunc nemo illorum sanctorum surrexit , vsq;quo dominus resurgeret , vt ipse esset primogenitus ex mortuis.

Venerunt in sanctam ciuitatem.

Sanctam ciuitatem appellat Ierusalem, nō quod tunc sancta esset, sed quia olim sancta fuisset propter cultum vnius dei, nomine scilicet pristino permanente.

Et apparuerunt multis.

Non omnibus, sed illis dūtaxat, qui digni fuerunt eorum visione.

Centurio autem, & qui cum ipso erant, custodientes Iesum, uiso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt ualde, dicentes: Vere filius dei erat iste. In fide centurionis, qui gentilis erat, fides omnium gentium designatur. Credente autem centurione, Iudæi non solum non crediderunt, sed etiam timuerunt: quia gentibus Christum suscipientibus, Iudæi in sua perfidia remanserunt.

Erant autē ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erāt Iesum a Galilæa ministrantes ei.

Consuetudo erat apud Iudæos, nec reputabatur ad culpam, si mulieres religiosæ ministrarent præceptoribus suis de substantia sua. Quod Paulus apostolus, ne scandalū gētibus faceret, vitauit, dicendo: Nunquid potestatem non habemus circunducendi sorores nostras? Hæ ergo mulieres, quæ viuenti domino ministrauerant, etiam ad passionem procedentem sequebantur, vt cui viuenti seruierant, etiam mortuo obsequerentur.

Inter quas erat Maria Magdalene.

Maria Magdalene ipsa est, de qua dominus septem dæmonia eiecerat. Dicta autem Magdalene à Magdalo castello, & Maria Iacobi.

Mater videlicet Iacobi & Ioseph, qui in euangelio fratres domini appellantur. Hæc Maria fuit domini matertera.

Cum sero autem factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatū, & petiit corpus Iesu.

Arimathia ipsa est Ramathaim, ciuitas videlicet Elcanæ & Annæ. Diues autem Ioseph dicitur, non ob iactantiam scriptoris, vt dominus diuitem discipulum habere videretur, sed vt ostendatur, quia aliter à præfecto corpus domini non poterat impetrare, nisi diues esset. Tunc enim temporis nemini licebat, nisi potenti & diuiti ad præsidem intrare. Diues etenim, & non minus iustus dicitur. Si enim diues non esset, corpus domini impetrare non potuisset. Si autem iustus non esset, nequaquam dignus dominica sepultura fuisset. Iungitur autem iustitia cum potentia, vt impetret corpus Christi.

Et accepto corpore Christi, Ioseph inuoluit illud in sindone munda.

Ex simplici sepultura domini, condemnatur ambitio diuitum, qui neq; in tumulis quidem possunt carere diuitiis. Et ex hoc possumus simpliciter intelligere, quod sicut corpus domini linteo puro inuolutum fuit in monumento, ita mysterium sancti altaris non licet in pannis de auro textis celebrari, sed in munda sindone. Per significationē enim ille Iesum in munda sindone inuoluit, qui sacramētum illius pura mente suscipit.

Et posuit in monumento suo nouo quod exciderat in petra.

Bene in monumento nouo dominus ponitur, & non in veteri, ne scilicet aliis remanentibus, domino resurgente, alios surrexisse fingant. De monumento ferunt, qui illud viderunt, quod sit domus rotunda, excisa de subiacente rupe: & tantæ altitudinis, vt q intus fuerit, extenta manu cacumen illius tangere possit. Habens introitū ab orientali parte, cui lapis ille magnus appositus est. In cuius aquilonari parte corpus domini iacuit, habens septem vel octo pedum longitudinem trium palmarum eminens à cætero pauimento. Erat autem rubri & candidi coloris huiusmodi lapis, quod personæ saluatoris aptissime conuenit, cui ecclesia in Cantico amoris dicit: Dilectus meus candidus & rubicūdus. Candidus scilicet, quia peccatum non fecit: rubicundus, quia propriæ passiōis cruore respersus est. *Sepulchri dominici forma.* *Cant. 5.*

Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.

Diuina prouidentia actum est, vt magnū saxum aduoluerint ad ostium monumēti, ne si modicum aduolueretur, calumniam struerēt scribæ & pharisæi, quod furto mulierum vel discipulorum sublatum fuisset corpus Iesu.

Erat aūt ibi Maria Magdalene, &c.

Sanctæ mulieres qui dominum arctius amauerant, etiam morientem vsq; funus subsecutæ sunt.

Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum.

Altera autem die, id est, die sabbati. Siquidem sexta feria dominus crucifixus est, sabbato quieuit in sepulchro, octauo, qui est primus, resurrexit. Et pulchro ordine, quia homo sexta die factus est, & deus septimo requieuit die ab omnibus operibus suis, pulchra ratione dominus sexta feria genus humanum sua passione redemit, sabbato in sepulchro

quieuit, octouo die resurrexit. Qđ etiam pro nostra salute constat esse actū. Siquidem per sex seculi ætates cum domino patimuur, septima autem, quæ nunc est, post domini aduentum in anima cum domino requiescimus expectātes diem octauum, & resurrectionē gnālē, vt receptis corporibꝰ simus immortales in corpore, & incorruptibiles in mente.

Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc uiuēs: post tres dies resurgam.

Et nomine seductoris & furis, licet nolentes, veritatem loquuntur Iudæi. Seductor autem est dominus, non à veritate ad falsitatē, à bono ad malum: sed econtrario ab iniquitate ad iustitiam. Fures autem apostoli fuerūt, quia fidem Christi, quam Iudæi respuerunt, à Iudæis auferre, & ad populos gentium trāsducere studuerunt.

Illi autem abeuntes, munierut sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Non autem sufficit scribis & pharisæis, vt dominum interficerēt cruce, sed etiam ad sepulchrum ipsius custodes adhibuerunt. Et q̄ to illis fuit, resurgenti manus opposuerunt. Sed quanto maiori diligentia sepulchro custodes adhibuerunt, tanto nos certiores de fide illius reddiderunt.

FERIA SECVNDA PALmarum, Iohannis XII.

In illo tēpore: Ante sex dies paschæ uenit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus erat mortuus, quē suscitauit. Et reli.



Ciens autem dominus conspirasse de se occidendo Iudæos non fugit insidiātium manus, sed certus de gloria resurrectionis, primo venit Bethaniam proximam Hierosolymis ciuitatem, vbi Lazarum suscicauerat à mortuis: deinde etiā Hierosolymam, vbi ipse pateretur, & resurgeret à mortuis. Hierosolymam quidem, vt ipse ibi moreretur. Bethaniam vero, vt resuscitatio Lazari cunctorum memoriæ arctius imprimeretur, & magis magisq; confunderentur, atq; inexcusabiles conuincerentur impij principes, q̄ occidere non timerent eū, qui suscitare posset à mortuis. Et nec beneficijs suscitationis prouocati, nec diuina suscitātis virtute perterriti, animos ab iniusta cæde retraherent. Nec transitoriæ legendū est, quare ante sex dies paschæ venisset Iesus Bethaniā. Magna vero dignitas senarij numeri est in sacris scripturis, & multa opa domini dei nostri in senario numero perfecta esse demōstrantur. Quia senarius numerus in seipso p̄ suas proprias partes diuisus, vel coniunctus, perfectus esse cōstat. Habet enim partes tres in seipso denominatas, i. vnum, duo & tres. Nam sexta eius pars vnū est, tertia vero duo dimidia itaq; tres. Vnū vero, & duo, & tres, sex esse dinoscuntur. Nec aliud ex his tribus partibus coniunctis confici potest, nisi sex tā tum, nec in alias partes senarius numerus diuidi pōt, nisi in has tres. i. vnū, duo, & tres. Nam ipse dominus creator oim, huius mundi creaturas sex diebꝰ perfecisse notissimum est, & sexta die hominem fecisse constat, quē serpentina fraude perditum, ante sex dies paschæ venit ipse filius dei, per quem creatus ē. Bethaniam ad liberandum: vt q̄ sexta die creatus est, sexta feria liberaretur. Nam sexta feria Christum esse passum, nemini ignotum esse reor. Igitur & mense sexto annunciante archangelo, virgo sacra inspiratione spiritus sancti eundem redemptorem nostrū concepisse legitur. Qui etiam sexta hora perfecta ætate super puteum sedens, mulieri Samaritanæ diuini fontis fluenta aperire dignatus est. Sexta quoq; ætate mundi ipse creator redemptor mundi iuxta fidem sacræ historiæ, venisse iam legitur. Habent quoq; tres partes. i. vnum, duo, & tres, ex quibus (vt diximus) senarius constat, aliquid mystero in dispēsatione salutis humanæ. Primo itaq; tempore sub lege naturæ, veluti in quadam vnitate, sancti patres deo seruiebant. Secundo vero tempore, lex addita est ad naturā, vt quod mala cōsuetudo viriauit in natura, lex reformaret in litera. Et fuerunt duo, natura & lex. Tertio itaq; tempore venit gratia cælestis per Iesum Christum, & sunt tria, natura, lex & gratia. Sicut nec lex naturæ bonū destruit, nec gratia legē soluit, sed adimpleuit, naturāq; pristinæ reddidit nobilitati. Natura tñ & lex, sine gratia impleri non potuerunt. Nec sic hoi liberum arbitrium datum est, vel legis præceptum, vt gratiæ non indigeret, sicut Pelagiana hæresis affirmat. Et ne dicerent machinatores calumniarum phantastice suscitatū fuisse Lazarum, facta ibi domino cœna, & ipse vnus ex discumbētibus cum eo erat: vt dum viuentem, loquentem, epulantē, cum suis familiariter conuersantem viderent, siue audirent, vel sic suscitantis potentiam agnoscerēt, & gratiam acciperent. Mystice autem, cœna hęc dominica, vbi Martha ministrabat, & Lazarus inter alios discumbebat, fides est ecclesiæ, quæ per dilectionē operatur, in qua cœna Martha ministrat, aīa quæq; fidelis operā domino suæ dilectionis impendit.

Lazarus uero unus erat ex discumbentibus cum eo.

t

Cum etiam hi, qui post peccatorum mor-
tem resuscitati ad iustitiam sunt, vna cum eis
qui in sua iustitia permãsere, de præsentia ve
ritatis exultant, pœnitentes simul cum inno
centibus cælestis gratiæ muneribus aluntur.
Et bene eadem cœna in Bethania celebratur
quæ est ciuitas in latere montis Oliueti, & in
terpretatur domus obedientiæ. Domus nan
que obedientiæ, ecclesia est, quæ fideliter iuf
sis domini obtemperat. Et ipsa ẽ ciuitas, quæ
super montem misericordiæ constituta, nun
quam potest abscondi: ipsa, quæ de sui latere
constructa redemptoris .i. aqua ablutionis,
& sanguine sanctificationis, quæ de ipsius la
tere pro se morientis exiere imbuta est. Vbi
etiam altera soror Lazari Maria, magnæ in-
dicium dilectionis ostendit, sicut in sequenti
bus monstrat euangelica lectio.

Accepit libram unguenti nardi pi-sticæ præciosi, & unxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius.

Quo non solum suæ dat indicium deuoti-
onis, sed & aliarum fidelium deo animarum
signat pietatis obsequium. L Maria autem ac
cepit librã vnguenti nardi pisticę preciosi. I
Quid nanq; per libram vnguenti, nisi perfe
ctio iustitiæ exprimitur, quod vnguẽtum ex
nardo pistica dicitur esse confectum? Quid
enim per vnguentum, nisi bonus odor opini
onis insinuat? Et hoc vnguentum ex nardo
pistica. i. nardo fideli. Nam πίστις græce, latine
fides dicitur. Sine fide enim deo placere im-
possibile est: nec bona fama, sine fide catholi-
Heb. 11. ca fieri poterit. O homo vnge pedes Iesu be
ne viuendo, dominica sectare vestigia, & ca-
pillis exterge, ac si habeas superflua, pauperi
bus eroga, hoc est, capillis pedes Iesu terge-
re, quæ tibi superflua sunt, pedibus domini
necessaria sunt. i. minimis quibusq; in ecclesia
de quibus in fine dictur⁹ erit dominus: Quã-
diu fecistis vni ex minimis his, mihi fecistis.
Domus autem pietatis ẽ odor. i. ecclesia, vitę
religiosæ fama bona. Nam odor bonus, ẽ bo
1. Cor. 2. na vita. Audi Apostolum: Christi bonus o-
dor sumus (inquit) in omni loco. Et in Canti
co canticorum: Vnguentum effusum nomẽ
Cant. 1. tuum. Item: Dũ esset rex in accubitu suo, nar
dus mea dedit odorẽ suum. Vbi aperte, quid
Maria semel fecerit, typice autem quid om̃is
ecclesia, quid anima quæq; perfecta semper
faciat, ostenditur.

Dixit ergo unus ex discipulis eius Iudas Scariothis, qui erat eum tradi turus: Quare hoc unguentum nõ ue niit trecentis denariis, & datum est egenis?

Væ impio traditori, væ complicibus eius
nequitiæ, etiam nunc membra Christi perse-
quentibus, qui famam virtutis, quam ipsi nõ
merentur habere, proximis qui habent, inui-
dere non cessant. Et quidem putare possum⁹
Iudam cura pauperum hæc fuisse locutũ, sed
prodit mentem illius testis verax, qui ait: Di
xit autem hoc, nõ quia de egenis pertinẽret
ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens
ea quæ mittebantur, portabat. Non ergo tũc
Iudas perijt, quando pecunia corruptus do-
minum prodidit, sed iam perditus dominum
sequebatur, qui loculos habens dominicos;
ea quæ mittebãtur, portabat in ministerium
pauperum, quæ etiam infideli mente furari
solebat. Videns ergo dominus cor illius cu-
piditatis iam sorde pollutum, præuidens pei
ori proditionis sorde polluendum, commisit
eius fidei quicquid habebant in sacculis, eiũq;
de his quæ vellet facere permisit, velut colla-
ti honoris vel habitæ memoria pecuniæ mẽ
tem ab ipsius venditione reuocaret. Verum
quia auarus semper eget, neq; vnquam bene
ficiorum per fidem meminit impius, à furto
pecuniæ, quam portabat, peruenit ad traditi-
onem domini, qui pecuniam sibi seruandam
commendabat.

Dixit ergo Iesus: Sine illã, ut in die sepulturæ meæ seruet illud.

Quasi innocenter interrogãti Iudæ domi
nus simpliciter & mansuete, quo ministeri-
um Mariæ pertineret exposuit: quia ipse vi-
delicet moriturus, & ad sepeliendum aroma-
tibus esset vngendus: ideoq; Mariæ, cui ad
vnctionem mortui corporis eius, q̃uis mul-
tum desideranti peruenire non liceret, dona-
tum sit adhuc viuenti impẽdere obsequium,
quod post mortem celeri præuenta resurre-
ctione nequiret. Vnde bene Marcus domi- Mar. 14.
num de illa dixisse testatur: Quo habuit hęc
fecit, pręuenit vngere corpus meum in sepul
turã. Quod est aperte dicere: quia corpus me
um iam defuncti tangere non potuit, solum
quod potuit fecit, præuenit viuum adhuc fu
nerandi officio donare.

Pauperes enim semper habetis uobi scum, me autem non semp habebitis.

Et hic magnæ moderamine patientiæ, do
minus non Iudam arguit auaritiæ, & nõ pau
perum gratia de pecunia loqui: sed ex ratio-
ne demonstrat, non esse culpandos eos, qui
ei inter hoĩes cõuersanti de facultatibus suis
ministrarent, cũ tã paruo tpe ipse apud eccle
siã corpaliter mãsurus, paupes aũt quib⁹ ele-
emosyna fieri posset, in ea sp̃ essent habendi.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæ is, quia illic est & uenerunt non pro pter Iesum tãtum, sed ut Lazarum ui derent, quem suscitauit a mortuis.

Curiositas hos, & nõ charitas duxit ad Iesum. Sed nos versa vice fratres charissimi, si cognoscimus vbi Iesus ẽ, vbi mansionem facit, vbi Bethaniam. i. domum animæ obedientis, in qua habitet inuenit, veniamus illuc cõtemplatione, non propter hominem tãtum, quem à morte animæ suscitatum spiritaliter viuere donauit, sed vt bonam hominis vitam imitando per hoc ad visionem Iesu pertingere mereamur. Quia pro certo cognouimus vbi Iesus ẽ, resurrexit enim post mortem, & ascendit in cælum, ibi habet mansionem perpetuam, ipsa ẽ ciuitas vera, Bethania s. cælestis, quã nullus valet, nisi obediens intrare.

Cogitauerũt principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, qa multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

O cæca cæcorum versutia, occidere velle suscitatum, quasi nõ possit suscitare occisum, qui poterat defunctum. Et quidem vtrunq; posse docuit, & qui Lazarum defunctum, & semetipsum suscitauit occisum. Post quã dominus quatriduanum mortuũ suscitauit, stupentibus Iudæis, & alijs eorum videndo credentibus, alijs in vidẽdo pereũtibus: & postquam discubuit in domo Iesus, recumbente quoq; Lazaro, q fuerat à mortuis suscitatus, post vnguentum effusum sup pedes eius, vnde domus odore completa est, de quibus in superioribus, quantum potuimus tractauimus, nunc vidẽdum est, quid ante dñi passionem gestũ esse constat. Dicit enĩ euãgelista:

In crastinum autem turba multa, quę conuenerat ad diem festum, cum audisset quia Iesus uenit Hierosolymã acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Osanna, benedictus qui uenit in nomine domini, rex Israel.

Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis diabolũ mortis principem triumphaturus. ⌊Osanna benedictus qui venit in nomine dñi.⌋ Notãdum sane, quod osia verbum Hebraicum, cõpositum est ex duobus corruptis & integro: salua nanq;, siue saluiuifica apud Iudæos dicitur. Na vero interiectio deprecãtis, quomodo apud latinos interiectio est dolentis heu, & interiectio admirãtis papæ. Deniq; in Psalmo, vbi septuaginta interpretes trãstulerũt: O domine saluum me fac, in hebræo scriptũ est: Anna adonai osiana, quod interpres nr̃ Hieronymus diligentius elucidans, ita transtulit: Obsecro dñe, salua obsecro. Idẽ nanq; significant ò per interiectionem obsecrantis, quod obsecro domine, per ipsum verbũ obsecrationis. Osanna itaq;, salua obsecro, significat, consumpta litera vel vocali, quæ verbũ prius interminat, cũ perfecte dicitur osi, per virtutẽ literæ vocalis aleph, à qua verbũ sequens incipit anna, qd metrici in verbis scandendis synalœphen vocant, quamuis illi scriptam literam scandentes transiliant. In hoc autem verbo osanna, iot litera nec saltẽ scribatur, sed sensu loquẽtium saluo, funditus intermittatur. ⌊Benedictus qui venit in nomine domini, rex Israel.⌋ Sic accipiendum est, vt in nomine domini, in nomine patris intelligatur, quamuis possit habere intelligẽtiam, in nomine suo. Quia & ipse dominus est, vnde alibi scriptum est: Pluit dominus à domino. Verba eius melius nostrum dirigant intellectum, qui ait: Ego veni in nomie patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis. Iohan. 5. Humilitatis enim magister est Christus, qui humiliauit semetipsum, factus obediẽs vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Non itaq; amittit diuinitatem, quando nos docet humilitatẽ. In illa patri est æqualis, in hac nobis similis. Per hoc quod patri æqualis est, nos vt essemus creauit, per qđ nobis est similis, ne periremus redemit. Has enĩ laudes turba dicebat: ⌊Osanna, benedictus qui venit in nomine domini rex Israel.⌋ Quam vocem mẽtis inuidentia principes Iudæorum perpeti non poterant, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat. Sed quid fuit domino, regẽ esse Israel? quid magnum fuit, regem seculorum regem fieri hominum? Nõ enĩ rex Israel Christus, ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armando, hostesq; debellãdo: sed rex Israel, qui mentem regat, qui in æternum consulat, qui in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesq; perducat. Dei ergo filius, æqualis patri, verbum per quod facta sunt oĩa, quod rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio: miserationis indicium est, non potestatis augmẽtum. Qui enĩ appellatus est rex Iudæorum, in cælis est dominus angelorum.

Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum. Hic breuiter dictum est. Nam quemadmodum sit factum, apud alios euangelistas plenissime legit. Adhibetur aũt huic facto propheticum testimonium, vt appareret, quod maligni principes Iudæorum eum non intelligebant, in quo implebãtur, quæ legebant. Inuenit ergo Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: **Noli timere filia Siõ, ecce rex tuus uenit tibi, sedens super pullum asinæ.**

Hæc filia Sion, cui diuinitus ista dicunt, in illis erat ouibus, quæ vocem pastoris audiebant: in illa erat multitudine, quæ dñm venientē tāta deuotione laudabat, tāto agmine deducebat. Dictum est, ⌊Noli timere.⌋ Illum agnosce, qui à te laudatur, & noli trepidare cum loquitur, quia ille sanguis funditur, per quem tuum delictum deleatur, & vita redimatur. Sedet super pullum asinæ, in quo nemo sederat (hoc enim apud alios euāgelistas inuenitur) intelligitur populus gentium, qui legem domini non acceperat. Super asinā vero sedet, quia vtrunq; iumentū domino adductum est, plebem eam significans, quæ veniebat ex populo Israel, non indomitam esse, sed quæ præsepe domini agnouit.

Hæc non cognouerūt discipuli eius primum, sed qñ glorificatus ē Iesus.

Id est, quando virtute suæ resurrectionis ostendit, tūc recordati sunt, q͂a hæc sunt scripta de eo. Recolentes quippe secundum scripturam, quæ ante passionem siue in passione domini completa sunt, ibi & hoc inuenerūt, vt secundum eloquia prophetarum in pullo asinæ sederet.

Testimoniū ergo ꝑhibebat turba q̄ erat cū eo qñ Lazarū uocauit de monumento, & suscitauit eū a mortuis.

Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum hoc signum fecisse. Pharisæi ergo dixerūt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mūdus totus post eum abijt. Turba turbauit turbam. Quid autē inuides cæca turba, quia post eum vadit mundus, per quem factus est mundus?

Erant autem gentiles quidam ex ijs qui ascenderant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, uolumus Iesum uidere. Venit Philippus & dicit Andreæ. Andreas rursum, & Philippus dicebant Iesu.

Videamus quid dominus ad ista responderit. Ecce voluerūt eum Iudæi occidere, gētiles videre. Sed etiam illi ex Iudæis erant, q clamabant: Benedictus qui venit in nomine domini, rex Israel. Ecce, illi ex circuncisione, illi ex præputio, velut parietes de diuerso venientes, & in vnam fidem Christi pacis osculo concurrentes. Audiamus igitur vocē lapidis angularis.

Iesus autem (inquit) respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis.

Hic quisquam forsitan putat, ideo se dixisse glorificatum, quia gentiles eum volebāt videre. Non ita est, sed videbat ipsos gentiles post passiōem & resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros. Quia sicut dicit Apostolus: Cæcitas ex ꝑte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret. Ex occasione igitur istorum gentilium, qui eum videre cupiebant, annunciat futuram plenitudinē gētium. Et promittit iamiamq; adesse horam glorificationis suæ, qua facta in cælis, in cum gentes fuerant credituræ. Vnde prædictum est: Exaltare super cælos deus, & super omnem terram gloria tua. Hæc est gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus: Cæcitas ex parte in Israel facta ē, donec plenitudo gētium intraret. Sed altitudinem glorificationis oportuit vt præcederet humilitas passionis, ideo secutus adiunxit:

Psal. 56.
Rom. 11.

Amen amē dico uobis, nisi granum frumenti cadēs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multū fructū affert.

Se autem dicebat ipsum granum esse mortificandum, & multiplicandū. Mortificandū, infidelitate Iudæorum, multiplicandum, fide omnium populorum. Iam vero exhortans discipulos suos ad passionis suæ sectandum vestigia, ait:

Qui amat (inquit) animam suam, perdet eam.

Quod duob⁹ modis intelligi potest: Qui amat, perdet .i. si amas, perdes. Si vitā cupis tenere in Christo, noli timere mori ꝓ Christo. Item alio modo: ⌊Qui amat animam suā ꝑdet eā.⌋ Noli amare in hac vita, ne ꝑdas in æterna vita. Hoc aūt ꝙ posterius dixi, magis habere videtur euāgelicus sensus. Sequitur:

Et qui odit animam suam in hoc mūdo, in uitam æternam custodit eam.

Ergo ꝙ supra dictū est, ⌊q amat⌋ subintelligit, in hoc mūdo, ipse vtiq; ꝑdet. Qui aūt odit, vtiq; in hoc mundo, in vitā æternā ipse custodit eā. Magna & mira sententia, quēadmodū homini sit in aīam suā amor vt pereat, odiū ne pereat. Si male amaueris, tunc odisti: si bñ oderis, tūc amasti. Felices q oderūt custodiēdo, ne ꝑdāt amādo. Hic aīæ noīe, vita pñs designat, vel etiā huius vitæ delectatio, q̄ ꝑdenda ē, vt feliciter inuenias volūtatē tuā in regno dei, quā fortiter vicisti in hoc seculo Nā sancti martyres odio habuerunt hanc præsentem vitam pro Christi nomine, dum magis voluerunt hanc præsentem vitam perdere, quàm Christum negare, implentes q͂d sequitur:

Si quis mihi ministrat, me sequatur.

Quid est, me sequaf, nisi me imitet? Chrs em pro nobis passus est, ait apostolus Petrus relinquens nobis exemplũ, vt sequamur vestigia eius. Ecce quod dictum est, si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu? qua mercede? quo præmio?

Et ubi ego sum, illic & minister meus erit.

Merces est amoris, & operis precium quo ministratur, esse cum illo cui ministrat. Vbi enim bene erit sine illo? aut quomodo male esse poterit cum illo? Audi euidentius:

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus.

Quo honore, nisi vt sit cũ filio eius? Quod enim superius ait: ⌊Vbi ego sum, illic & minister meus erit,⌋ hoc intelligitur exposuisse cum dicit: ⌊Honorificabit eum pater me⁹.⌋ Nunquam maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quã vt sit vbi est vnicus, non æqualis factus diuinitati, sed consciua æternitati. Quid sit ministrare, cui operi tanta merces promittitur, considerandum est. Si qs mihi mistrat, me sequatur, hoc intelligi voluit, acsi diceret: Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrat ergo Iesu Christo, qui non sua quærit, sed quæ Iesu Christi. Hoc est enim, me sequatur, vias meas ambulet, nõ suas, sicut alibi scriptum ẽ: Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Etiamsi porrigit esurienti panem, de misericordia facere debet, non de iactantia: non aliud ibi quærere, nisi opus bonũ, ne sciente sinistra quid faciat dextra. i. vt alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Illi dicitur: Cum vni ex minimis meis fecisti mihi fecisti. Nec ea tantum quæ pertinent ad misericordiam temporalẽ, sed omnia opera propter Christum faciens, tunc erunt bona, quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Credẽs, minister est Christi, vsq; ad illud opus magnę charitatis, quod est aĩam suã ponere pro fratribus. Hoc est enim & pro Christo ponere, quia & hoc propter sua membra dicturus est: Cum pro istis fecistis, ꝑ me fecistis. De tali quippe hora dominus etiam se ministrum facere & appellare dignatus est, vbi ait: Sicut nõ venit ministrari filius hominis, sed ministrare, & aĩmã ponere ꝑ multis. Hinc ergo ẽ vnusquisq; minister Chri, vnde est & minister Chrs. Sic ministrantẽ Chro, honorificat pr ei⁹ honore illo magno, vt sit cũ filio eius, nec vnq̃ deficiat fides eius. Cõiter vero de oĩbus ait: Si qs mihi ministrat. Oĩs enim quicũq; hic bene in Christo ministrat, cum Christo mercedẽ accipiet. Vnde vnusquisq; pro modulo suo ministrare debet Christo, bene viuẽdo, eleemosynas faciẽdo, nomẽ doctrinamq; eius, quibus potuerit, prædicando. Qui vero bene viuentes exhortatur, vt permaneant in bene viuendo, ministrat Christo. Qui vero humiliter admonẽti se obedit, ministrat Christo. Et qui feliciter in hoc seculo ministrat Christo, feliciter i futuro seculo regnabit cũ Christo. Cum dominus Iesus prędixisset in grano sinapis passionẽ suam, & suos exhortaret ministros, vt sequerentur eum, ad nostram rursum infirmitatẽ suũ tẽperauit affectũ, & ait:

Nunc anima mea turbata est.

Vnde domine Iesu anima tua turbata est? Nunquid non ideo animam concepisti & hominem perfectum, vt in eo patereris? video domine nostram infirmitatem in te transferre, & in te causam suscipere nostrã. Ideo turbatus es, quia voluisti, sicut natus fuisti. Nam paulo ante de eo dictum est, vbi Lazarum suscitauit, turbauit semetipsum. Nam his verbis, ab infirmitate nostra rapuit nos ad infirmitatem suã. Vox est eñ fortitudinis domini, vbi ait: Venit hora, vt clarificet filius hominis. Vox est infirmitatis nostæ, dum ait: ⌊Nunc anima mea turbata est.⌋ O domine mediator, dc⁹ supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam. Nam quod tu tantus, tuæ charitatis volũtate turbaris, multos in tuo corpore, q̃ suæ infirmitatis necessitate turbãtur, ne desperando pereant, consolaris. Audi ergo ó miles Christi, quid deinde subiungat, cum dixisset: Nũc anima mea turbata est.

Et quid dicam? (inquit) Pater saluifica me in hac hora. Sed propterea ueni ad horam hanc. Pater clarifica tuum nomen.

Docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quẽ inuoces, in q̃ speres, cuius voluntatẽ certam atq; diuinam tuæ voluntati humanæ infirmęq; proponas. Non ideo tibi uideatur ex alto diffidere, quia te vult ab initio proficere Nam & tentari dignatus est à diabolo, à quo vtiq; si nollet, non tentaretur: & ea respõdit diabolo, quæ tu in tẽtationibus debeas respõdere. Et ille quidem tentatus est, sed nõ periclitatus, vt doceret te in tentatione periclitantem tentatori rñdere, & post tentatorẽ non ire, sed periculo tẽtationis exire. Sicut autem hic dicit: Nunc anima mea turbata est, ita etiã ibi dixit. Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Et iterũ: Pater si fieri potest, trãseat à me calix iste. Hominis suscepit infirmitatẽ, vt doceat sic cõturbatũ & contristatũ, q̃ sequit dicere: Veruntñ non q̃ ego volo, sed q̃ tu vis pater. Sic enim hõ ab humanis in diuina erigitur, cũ volũtati humanę voluntas diuina ꝑponit. Quid est aũt, clarifica nomẽ tuũ, nisi in sua passione & resurrectione? Quid est ergo aliud, nisi vt pr clarificet filiũ suũ, qui clarifi-

cat nomen suum etiam in similibus passionibus seruorum suorum?

Venit ergo uox de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo.

Et clarificaui antequam facerem mũdum, & iterum clarificabo resurgentem à mortuis, & ascendentem in cælum. Et aliter intelligi potest. Et clarificauit, cum de virgine natus est, cum de cęlo indice stella à magis adoratus est, cum à sanctis sancto spiritu plenis agnitus est, cũ descẽdente spũ in specie colũbę declaratus, cũ voce de cælo mõstratus, cũ in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum multos sanauit atq; mundauit, cũ de paucis panibus tantam multitudinem pauit, cum ventis & fluctibus imperauit, cum mortuos suscitauit. Et iterum clarificatus est, cum resurgeret à mortuis, cum mors ei vltra non dominabitur, cum exaltabitur super cælos deus, & super oẽm terram gloria eius.

Turba autẽ quæ stabat & audiebat, dicebat tonitruum factum esse. Alii aũt dicebant, angelus ei locutus est. Respõdit Iesus & dixit: Nõ propter me uox hęc uenit, sed propter uos.

Hic ostendit ille voce non sibi indicatum, quod idem iam sciebat, sed eis quibus indicari oportebat. Sicut autem illa vox, non propter eum, propter illos sed in diuinitate facta est, sic aĩa eius, non propter eum, sed propter alios voluntate turbata est.

Nunc iudicium est mundi.

Non enim de futuro iudicio hoc dictũ esse putamus, quod in fine mũdi futurum est: vbi boni & mali separabuntur ęterna diuisione, sed de iudicio quod quotidie ĩ sancta dei ecclesia solet esse. Possidebat ergo diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum, dominabatur in cordibus infidelium ad creaturam colendã, deserto creatore, deceptos captiuosq; trahebat. Per Christi autem fidem, quæ morte eius & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissione fusus est peccatorum, millia credentiũ à dominatu diaboli liberantur, Christi corpore copulantur, & sub tanto capite vno eius spiritu fidelia membra eius vegetabantur. Hoc vocabat iudicium, hanc discretionem, & à suis redemptis diaboli expulsionem. Denique attende quid dicat, quasi quæreremus quid esset quod ait. Nunc iudicium est mũdi, secutus exposuit, ait em̃:

Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

Audiuimus quale dixerit esse iudicium. Non ergo illud quod in fine venturum est, vbi viui & mortui iudicandi sunt, alijs ad sinistram, alijs ad dexteram separatis: sed iudicium, quo princeps huius mundi eijcietur foras. Quomodo ergo intus erat, quod eum dixit eijciendum foras? ⌊Nunc, inquit, princeps mundi eijcietur foras.⌋ Hoc intelligendum quod nunc fit, nõ tantum quod post futurum esset in nouissimo die. Præuidebat ergo dñs, quod sciebat post passionem & glorificationem suam per vniuersum mundũ multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, cui qñ ex fide renunciãt, eijcietur foras. Sed dicet aliquis: Nunquid de cordibus patriarcharum & prophetarum veterumq; iustorum non est eiectus foras? Plane, ergo quomodo dictum est nũc, eijcietur foras? quomodo putamus, nisi quia nũc quod in hominibus paucissimis factum est, nũc in multis magnisq; populis iam mox futurum esse prædictum est? Spiritus autem nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, potest similem habere quæstionem, & similem solutionem. Non enim sine spiritusancto futura prænunciauerunt prophetæ, aut non etiam dominum infantem in spiritusancto Simeon senex, & Anna vidua cognouerunt, & Zacharias, & Elizabeth, qui de illo nondum nato, sed iam cõcepto tanta per spiritum sanctum prædixerunt: sed spiritus nõdum erat datus. i. illa abundantia gratiæ spiritalis, qua congregati linguis omnium loquerentur, ac sic in linguis omnium gentium futura prænunciaretur ecclesia, qua gratia spiritalis populi congregarentur, qua lõge lateq; peccata dimitterentur, & millia millium deo recõciliarentur. Quid est ergo, ait quispiam, quia diabolus de credentium cordibus eijcitur foras? iam fidelium neminem tẽtat? Imo vero tentare nõ cessat, sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare, aliud est vulnerare, aliud occidere. Sed si vulnerat, est qui sanet. Quia sicut pugnantibus dictum est, Hæc scribo vobis, vt non peccetis, ita qui vulnerantur, quod sequitur audiunt: Et si peccaueritis, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. Quid enim oramus cum dicimus: Debita nostra nobis dimitte, nisi vt vulnera nostra sanentur? Et quid aliud petimus, cum dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, nisi vt ille qui insidiatur, vel certe extrinsecus nulla erumpat ex parte, nulla nos fraude decipiat, nullis nos subuertat machinis, quando non tenet locum cordis, vnde fide eiectus ẽ foras? Sed nisi dominus custodierit ciuitatẽ, in vanum vigilat qui custodit eam. Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras eiectum diabolum intro iterum reuocare. Absit autem vt diabolum mundi prin-

cipem ita dictum existimemus, vt eum cælo & terræ dominari posse credamus. Sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto terrarū orbe diffusi sunt, sicut appellatur domus ab his, à quibus habitatur. Secundum q̄d dicimus, bona domus est, vel mala domus ē, non qn̄ reprehendimus siue laudamus ædificium parietum atq; tectorum, sed quādo mores vel bonorum hoim vel malorum: sic ergo dictum ē, princeps huius mundi, id ē, princeps malorum hominum, qui habitant in mūdo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter toto orbe terrarum diffusi sunt. Inde dicit Apostolus, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: hi sunt, ex quorū cordibus princeps mundi eijcitur foras. Cum ergo dixisset: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, adiunxit continuo:

Et ego si exaltatus fuero a terra, omia traham post me.

Quę omnia trahit, nisi ex quibus diabolus eijcitur foras? Non autem dixit omnes, sed omnia. Non enim omnium est fides. Non itaq; hoc ad vniuersitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est, spiritum & animam & corpus: ad illud scilicet, quod intelligimus, & illud quod viuimus, & illud q̄d visibiles & corruptibiles sumus. Quod enim dixit, capillus capitis vestri nō peribit, omīa trahit post se. Aut, si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutē possumus dicere, ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, eum supra de suis ouibus loqueretur: aut certe, omnia hominum genera, siue in linguis omnibus, siue in ætatibus omnibus, siue in gradibus honorum omniū, siue in diuersitatibus ingeniorum omnibus, siue in artium licitarum omnium, & vtilium professionibus omnibus: & q̄cquid aliud dici potest, secundum innumerabiles differentias, quibus inter se per sola peccata homines distant, ab excelsissimis vsq; ad humilimos, à rege vsq; ad mēdicum. Omnia, inquit, trahā post me, vt sim caput eorum, & illi membra mea. Sed si exaltatus, inquit, fuero à terra, hoc est, cum exaltatus fuero. Non eī dubitat futurum esse quod venit implere. Hoc refertur ad illud quod superius ait: Si autem mortuū fuerit granum frumenti, multum fructum affert. Nam exaltationem suam quid aliud dixit, quam in cruce passionem? Quod & ipse euangelista non tacuit, subiunxit enim & ait:

Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Quō tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis?

Memoriter tenuerunt quod dominus dicebat assidue filium hominis se esse. Nam hoc loco nō ait, si exaltatus fuerit à terra filius hominis, sed sicut superius dixerat, quando nūciati sunt gentiles illi qui eum videre cupiebant: Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Hoc itaq; isti animo retinentes, & quod nūc ait: Cum exaltatus fuero à terra, mortem crucis intelligentes, quæsierūt ab illo, & dixerunt: Nos audiuimus ex lege, q̄a Christus manet in æternū. Quō tu dicis, oportet exaltari filiū hois? Si eī Christ9 ē, inquit, manet in æternum: si manet in æternum, quō exaltabitur a terra. i. quomodo crucis passione morietur? Hoc enim eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorū obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicū lumen in uobis est.

Hinc est quod intelligitis, quod Christus manet in æternum.

Ergo ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ uos comprehendāt.

Ambulate, accedite, totū intelligite, & moriturum Christum, & victurum in æternum, & sanguinem fusurum, quo redimat, & ascensurum in sublimia, quo perducat. Tenebrę autem non comprehendant, si eo modo credideritis Christi æternitatem, vt non negetis in eo mortis humilitatem.

Et qui ambulat in tenebris, nescit q̄ uadat, sed pōt offendere in lapidem offensionis & petram scandali, quæ fuit dominus cæcis Iudæis, sicut credentibus lapis, quem reprobauerunt ædificantes, factus est in caput anguli. Hinc dedignati sunt credere in Christum, quia eorum impietas contempsit mortuum, irrisit occisum, & ipse erat mors grani multiplicandi, & exaltatio trahentis post se omnia.

Dum lucem habetis, credite in lucē, ut filij lucis sitis.

Cum aliquid veri auditum habetis, credite in ueritatem, vt renascamini in veritate.

Hæc locutus est Iesus, & abijt & abscondit se ab eis.

PASSIO DOMINI NOstri Iesu Christi secundū Marcū.

Feria tertia Palmarum.
Marci XIIII.

In illo tēpore: Erat pascha & azyma post biduum. Et reliqua.

Ascha autem, quod hebraice dicitur phase, nō à passione, vt pleriq; arbitrantur, sed à transitu nominatur, eo quod exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec percusserit eos. Vel ipse dñs præbens auxiliū populo suo, desuper ambulauerit, cui° sacramentum vocabuli sublimius exponens euangelista Iohannes ait: Ante diem festū paschæ sciens Iesus q̃a venit hora eius, vt trāseat ex hoc mundo ad patrē. Vbi manifeste declarat, ideo solēnitatis huius diem per legem mystice transitum esse vocatum, quod agnus dei, qui peccata mundi tolleret, in eo de hoc mundo, siue ipse transiturus, siue nos salubri transitu quasi de Aegyptia esset seruitute ducturus. Hoc sane (iuxta veteris testamenti scripturā) inter pascha & azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur, in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est, quartadecima luna primi mensis. Quintadecima autem luna, qñ egressus est de Agypto, succedebat festiuitas azymorum, quæ septem diebus. i. vsq; ad vigesimum diem eiusdem mensis ad vesperam est statuta solemnitas. Verum euangelistæ indifferenter, & diem azymorum pro pascha, & pro diebus azymorum pascha ponere solēt. Dicit enim Marcus: ⌊Erat autem pascha & azyma post biduū.⌋ Dicit Lucas: Dies festus azymorum, qui dicitur pascha. Item Iohannes, cum proximo die. i. quintadecima luna res ageretur, ait: Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non cōtaminarentur, sed vt manducarent pascha. Quod ideo fecere, quia & paschæ dies in azymis panibus est celebrari præceptus, & nos quasi pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mūdo transire præcipimur. Vno quippe die agno immolato ad vesperam, septem ex ordine dies sequuntur azymorū, quia Christus Iesus semel pro nobis in plenitudine temporum passus in carne, per totū nobis huius seculi tempus, quod septem diebus agitur, in azymis synceritatis & veritatis præcepit esse viuendum, omniq; semper nisu nos desideria terrena, quasi Aegypti retinacula fugere, & velut à mundana conuersatione secreta solitudine iter admonet subire virtutum.

Et quærebant summi sacerdotes & scribæ quomō Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, neforte tumultus fieret in populo.

Qui debuerant pascha vicino parare victimas, leuigare templi parietes, pauimenta verrere, vasa mundare, & secundum ritum legis purificari, vt esu agni digni fierent, congregātur, ineuntes consiliū quomodo occidant dominum, non timentes seditionem, vt simplex sermo domōstrat, sed cauentes ne auxilio populi de suis manibus tolleretur.

Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet.

Passurus pro omni populo, & vniuersas natiōes suo sanguine redempturus, moratur in Bethania domo obedientiæ, quæ quondā fuit Simonis leprosi, non quod leprosus illo tempore pmaneret, sed quia antea leprosus, postea à saluatore mundatus est, nomine pristino permanente, vt virtus curātis appareat. Nam in catalogo apostolorum cum pristino vitio & officio Matthæus publicanus appellatur, q̃ certe publicanus esse desierat. Quidam Simonem leprosum volunt intelligere partem populi, q̃ crediderat domino, & ab eo curata sit. Simon quoq; ipse obediens dicitur.

Venit mulier habens alabastrum vnguēti nardi spicati preciosi, & fracto alabastro, effudit super caput eius.

Mulier ista Maria erat Magdalene, soror Lazari, quem suscitauit Iesus à mortuis, vt Iohannes aperte commemorat, qui etiam hoc factum ante sex dies paschæ testatur, pridie q̃ asino sedens cum palmis & laude turbarum Hierosolymam veniret. Ipsa est autē, nō alia, quæ quondam (vt Lucas scribit) peccatrix, ad hoc veniens pedes dñi lachrymis pœnitentiæ rigauit, & vnguento confessionis liniuit. Et quia multum dilexit, multorum veniam peccatorum à pio iudice promeruit. Nunc vero iustificata, & familiaris effecta dño, non tm̄ pedes eius, vt idem Iohānes narrat, verum eius caput (vt Matthæus Marcusq; phibent) oleo sancto perfudit. Est autem alabastrum genus marmoris candidi, varijs coloribus intertincti, quod ad vasa vnguentaria cauare solent, eo quod optime seruari ea incorrupta dicantur. Nascitur circa Thebas Aegyprias & Damascum Syriæ cæteris candidius, probatissimum vero in India. Nardus vero est frutex aromatica, graui (vt aiunt) & crassa radice, sed breui ac nigra fragiliq;, quāuis pingui, sic redolente, vt cypressus, aspero sapore, folio paruo densoq;, cuius cacumina in aristas se spargunt; ideoq; gemina dote pigmentarij nardi spicas ac folia celebrāt. Et hoc est quod Marcus ait, vnguenti nardi spicati preciosi. Quia videlicet vnguentum illud, quod attulit Maria domino, non solum de radice confectum nardi, verumetiam quo preciosius esset, spicarum quoq; & foliorum eius adiectione, odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia. Ferunt autem de nardo physiologi, quia principalis sit in vnguentis, vnde merito vnctioni capitis & pedum dñi oblata est. Sunt quidem multa eius genera, sed in oīnibus herbæ pr-

bent indicium, quod preciosus est. Mystice autem deuotio hæc Mariæ dño ministrantis, fidem ac pietatem designat ecclesiæ sanctæ, q̃
Cant. 1. loquitur in cantico amoris, dicens. Dum eēt rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorē suum. Quæ nimirum verba & semel iuxta literam Mariæ manibus compleuit, & quotidie in omnibus suis membris spiritaliter implere non desinit, quæ toto diffusa orbe gloriantur & dicunt: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorē notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco, quia Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Quicunque potentiam diuinæ virtutis eius, quæ illi vna cum patre est, digna reuerētia confitetur, laudat & prædicat, caput profecto illius vnguēto perfundit precioso. Cum vero assumptæ mysteria humanitatis eque digna reuerentia suscipit, in pedes vtiq; dñi vnguentum nardi pisticum, id est, fidele verbū perfundit, quia illam eius naturam, qua terrā contingere, hoc est, inter homines conuersari dignatus est, pia prædicatione comendat, ac deuotis veneratur obsequijs.

Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista ungueti facta est? Poterat eñ istud uenundari unguentum plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus.

Marcus hæc quō & Matthæus synecdochicos loquitur, pluralem videlicet numerū pro singulari ponens. Nam Iohannes distinctius loquens, Iudam hæc locutum esse testatur, & hoc gratia cupiditatis, eo quod fur esset, & loculos habens, ea quæ mittebantur portaret. Potest autem intelligi quod & alij discipuli, aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Iuda dicente persuasum sit, atq; omnium volūtatem Matthæus, Marcus etiam verbis expresserint, sed Iudas propterea dixerit, quia fur erat, cæteri vero propter pauperum curam. Iohannē autem de solo illo ideo commemorasse voluisse, cuius ex hac occasione furandi cōsuetudinē crediderit intimādā. Quod vero subdit: Et fremebant in eam, nequaquam de bonis ac diligentibus Christum apostolis dictū crediderim, sed de illo poti⁹ sub numero plurali, qui ne domino & discipulis eius fideliter adhæsisse, neque paupeᵽ curam habere probatus est.

Iesus autem dixit: Sinite eam. Quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habebitis uobiscum, & cum uolueritis, potestis illis benefacere: Me autem non semper habebitis.

Alia hic oritur quæstio, quare Iesus post resurrectionē dixerit ad discipulos: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi, & nunc loquitur: Me autem non semper habebitis. Sed mihi videtur de præsentia corporali in hoc loco dicere, quia nequaquā cum eis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni cōuictu & familiaritate. Cuius rei Apostolus memor, ait: Et si nouerimus Iesum Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus eum.

Quod habuit hæc, fecit: præuenit ungere corpus meum in sepulturam.

Quod vos putatis perditionem vnguenti, officium sepulturæ est. Nec mirum, si mihi bonum odorem suæ fidei dederit, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum.

Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit istud euangelium in uniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.

Attende notitiam futurorum, quod passurus post dies paucos, sciat euangelium suū toto orbe celebrandum. Notādum autem, quia sicut Maria gloriam adepta est toto orbe, q̃cunq; ecclesia sancta diffusa est, de obsequio quod dño piæ deuotionis exhibuit: ita econtrario, ille qui obsequio eius detrahere temeraria lingua non timuit, perfidiæ nota longe lateq; infamatus, & deo simul atq; hominib⁹ merito factus est exosus. Sed dñs bonū laude digna remunerans, futuras impij contumelias tacendo præterijt.

Et Iudas Scariothis unus ex duodecim, abijt ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

Infelix Iudas, quod ex effusione unguenti se fecisse crederet, vult magistri precio compensare. Nec certe iam postulat summam, vt saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate eminētium posuit, quantum vellent dare. Quod autem dixit: Abijt ad summos sacerdotes, vt proderet eum illis, ostendit eū non à principib⁹ inuitatū, nō vlla necessitate cōstrictū, sponte propria sceleratæ mētis inijsse cōsiliū.

Qui audientes, gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et q̃rebat quō illum opportune traderet.

Multi hodie de scelere, quo dominum ac magistrum deumq; suum pecunia vēdiderit, velut immane & nefarium scelus exhorrent, nec tñ cauent. Nam cū pro muneribus falsum

contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, de-
Iohā.14. um pecunia vendunt. Ipse enī dixit: Ego sum veritas. Cum societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, dominū produnt, quia deus charitas est. Qui ergo veritatis & charitatis iura spernunt, deum vtiq; qui est charitas & veritas, produnt, maxime cum non infirmitate vel ignorantia peccant, sed in similitudine Iudæ quærunt opportunitatem, qualiter arbitris absentibus mendacio veritatem, virtutem crimine mutent.

Et primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo uis eamus & paremus tibi cōedere pascha?

Primum diem azymorum quartumdecimum primi mensis appellat, quando fermento abiecto immolare. i. agnum occidere solebant ad vesperam. Quod exponens Aposto-
1.Cori.5 lus, ait: Etenim pascha nostrum immolatus ē Christus. Qui licet die sequenti, hoc est, quintadecima sit luna crucifixus, hac tamen nocte qua agn⁹ immolabatur, & carnis sanguinisq; suis discipulis tradidit mysteria celebrāda, & à Iudæis tentus ac ligatus, ipsius immolationis, hoc est, passionis suæ sacrauit exordium.

Et mittit duos ex discipulis suis & dicit eis: Ite in ciuitatē, & occurret uobis homo lagenam aquæ baiulans.

Indicium quidem præsciæ diuinitatis est, quod cum discipulis loquens, quod alibi futurum sit, nouit. Pulchre autē paraturis pascha discipulis, lagenam homo, siue (iuxta aliū euangelistam) amphoram aquæ baiulans occurrit, vt ostendatur huius paschale mysterium pro oblatione perfecta mundi totius esse celebrandum. Aqua quippe lauacrum gratiæ, lagena fragilitatem eorum designat, per quos eadem erat gratia mundo ministranda. Vnde aiunt: Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus. Parant ergo pascha discipuli, vbi aqua infertur lagena, vt adesse tempus insinuent, quo cultoribus veris paschæ typicus de limine ac postibus cruor offeratur, & ad tollenda mundi crimina viuifici fontis baptisma compleretur.

Sequimini eum, & quocunq; introierit, dicite domino domus, quia magister dicit. Vbi est diuersoriū, ubi est refectio mea, ubi pascha cū discipulis meis manducem?

Consulte siue aquæ baiuli, seu domini domus sunt prætermissa vocabula, vt omnibus verum pascha celebrare volentibus, hoc est, Christi sacramentis imbui, eumq; suæ mentis hospitio suscipere quærentibus facultas danda signetur.

Et ipse uobis demonstrabit cœnaculū grāde stratū, & ibi parate nobis.

Cœnaculum magnum lex spiritualis est, quæ de angustijs literæ egrediens, in sublimi loco recipit saluatorem. Nam qui adhuc occidentem literam seruauerit, quid aliud magnū quàm pecus intellexerit? Iste nimirum minus pascha facit, quia maiestatem spiritus in verbis dei comprehendere necdū didicit. At qui aquæ baiulum, hoc est, gratiæ præconem in domum fuerit ecclesiæ consecutus, hic per Christū illustrantē super faciem literæ trāscendendo in alto mentis Christo refectionem parat: quia cūcta vel paschæ sacramenta, vel cætera legis decreta, eius esse sacramenta cognoscit.

Vespere autem facto, uenit cum duodecim. Et discumbentibus eis & mā ducantibus, ait Iesus: Amen dico uobis, quia unus ex uobis me tradet, q manducat mecum.

Qui de passione sua prædixerat, & de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, vt cum intellexisset sciri cogitationes suas, & occulta consilia, pœniteret eū facti sui: & tamen non designat specialiter, ne manifeste coargutus, impudentior fieret. Mittit crimen in numerum, vt agat conscius pœnitentiam.

At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Nunquid ego?

Et certe nouerant vndecim discipuli, quia nil tale contra dominum cogitarent, sed plus credunt magistro, q̄ sibi: & timentes fragilitatem suā, tristes interrogāt de peccato, cuius conscientiam non habebant.

Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

O mira domini patientia. Prius dixerat, vnus ex vobis me tradet, perseuerat traditor in malo, manifestius arguit, & tamen nomen proprie non designat Iudas, cæteris contristans, & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo, temeritate & impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in catinum, vt audacia bonā conscientiam mentiretur.

Et filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem filius hois tradetur.

Nec primo nec secundo correptus, à proditione retrahit pedem, sed patientia domini nutrit impudentiam suam, & thesaurizat sibi iram in die iræ. Pœnā prædicit, vt quem

pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia. Sed & hodie & quoque in sempiternum, væ illi homini, qui ad mensam domini malignus accedit, qui præcordiis aliquo scelere pollutus, mysteriorum Christi oblationibus sacrosanctis participare nõ metuit. Et ille enim in exemplum Iudæ filium hominis tradit, nõ quidem Iudæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris, videlicet suis, quibus illud inæstimabile & inuiolabile domini corporis ac sanguinis sacramentum temerare p̄sumit. Ille dominum vendit, qui eius timore atque amore neglecto, terrena pro illo & caduca, imo etiã criminosa diligere & curare conuincitur.

Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

Non ideo putãdus est ante fuisse quàm nasceretur, quia nulli posset esse bene, nisi ei qui fuerit. Sed simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, q̃ male subsistere.

Et manducãtibus illis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.

Finitis paschæ veteris solenniis, quæ in cõmemoratione antiquæ de Aegypto liberationis populi dei agebant, transiit ad nouum, quod in suæ redemptionis memoriam ecclesiam frequẽtare volebat, vt videlicet pro carne agni, sui corporis sanguinisque sacramentũ substitueret, ipsumque sese esse monstraret, cui iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedec. Frangit autem ipse panem quem discipulis porrigit, vt ostendat corporis sui fractionem, non absque sua sponte ac procuratione venturam, sed sicut alibi dicit, potestatem
Iob. 10. se habere ponendi animam suam & potestatem se habere iterum sumendi eam. Quem videlicet panem certi quoque gratia sacramenti, priusquam frangeret, benedixit: quia naturã humanam, quam passurus assumpsit, ipse vnà cum patre & spiritusancto gratia diuinæ virtutis impleuit. Benedixit panem ac fregit, q̃a hominem assumptum ita morti subdere dignatus est, vt ei diuinæ immortalitatis veraciter inesse potentiam demonstraret, ideoque velocius eũ à morte resuscitãdũ esse doceret.

Et accepto calice, gratias agẽs, dedit eis. Et biberunt ex illo omnes.

Cum appropinquaret passiõi, etiam accepto pane gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit, qui flagella alienæ iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in passione benedicit: vt hinc videlicet ostendat, quid vnusquisque in flagello culpæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ portat alienę. Vt hinc etiam ostendat, quid in correptione faciat subditus, si in flagello positus, patri gratias agit æqualis.

Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, q pro multis effundetur.

Quia panis corpus confirmat, vinum vero sanguinem operatur in carne, hic ad corpus Christi mystice, illud refertur ad sanguinẽ. Verũ quia & nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, vinum dominici sanguinis aqua miscetur. Attestante enim Iohanne, aquæ populi sunt. Et neque aquam solam, neque solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixtione & confectione in panem cuiquam licet offerre: ne talis videlicet oblatio, quasi caput à membris secernendum esse significet, & vel Christum sine nostrę redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione saluari ac patri offerri posse contingat. Quod autem dicit: ⌞Hic est sanguis meus noui testamenti,⌟ ad distinctionem respicit veteris testamenti, quod hircorum & vitulorum est sanguine est dedicatũ, dicente inter aspergendũ legislatore: Hic sanguis testamenti, quod mãdauit ad vos deus. Necesse est enim exemplaria quidem eorum his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm istis, iuxta quod Apostolus p totam ad Hebræos epistolam, inter legem distinguens & euangelium, pulcherrima expositione & plenaria ratione demonstrat.

Amen amen dico uobis, quia iam nõ bibam de genimine uitis usque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno dei.

Vitem siue vineã dñi appellatã esse synagogam & omnis scriptura passim, apertius tñ testatur Isaias in cãtico de illa cãtato: Vinea, inquiens, domini sabaoth, domus Israel est. De qua nimirum vinea dominus multo tempore fructum habebat, quamuis pluribus ramis in amaritudinem vitis alienæ conuersis. Quidam tamen, & si multis de illa plebe exorbitantibus, à recto fidei itinere non defuere: plurimi toto legis tẽpore fuere, quorum piis cogitationibus, summisque virtutibus delectaretur deus. Verum passo in carne domino, ac resurgente à mortuis, tempus fuit, vt illa legalis ac figuralis obseruatio cessaret, atque ea quæ secundum literam gerebantur, in spiritualem translata sensum, melius in nouo testamento iuuante sancti spiritus gratia tenerentur. Iturus ergo ad passionem dominus, ait: ⌞Iam non bibam de genimine vitis vsque ad diem illum, cum illud bibam nouum in regno dei.⌟ Ac si aperte dicat: Nõ

vltra carnalibus synagogæ ceremonijs delectabor, in quibus etiam ista paschalis agni sacra locum tenuere primum. Aderit enim tempus meæ resurrectionis, aderit dies ille, cum ipse in regno dei positus. i. gloria vitę immortalis sublimatus, de salute eiusdem populi fonte gratiæ spiritualis generati, nouo vobiscum gaudio perfundar.

Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum.

Hoc est quod in psalmo legimus. Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt dn̄m, qui requirunt eum. Potest etiam hymnus ille intelligi, quem dominus secundum Iohannem patri gratias agens decātabat, in quo & pro seipso, & pro discipulis, & pro eis qui per verbum eorum credituri erant, & eleuatis sursum oculis precabatur. Et pulchre discipulos sacramentis sui corporis ac sanguinis imbutos, & hymno piæ intercessionis patri cumulatos, in montem educit oliuarum, vt typice designetur, nos per acceptionem sacramentorum suorum, perq́; opem suæ intercessionis, ad altiora virtutum dona, charismata sancti spiritus, quibus in corde perungamur, cōscēdere debere.

Et ait illis Iesus: Omnes scandalizabimini in me in ista nocte

Prædicit quæ passuri sunt, vt cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Et signanter addidit, in nocte ista scandalizabimini, quia quomodo q inebriantur, nocte inebriantur, sic & qui scādalum patiuntur, in tenebris & in nocte sustinent. Nos vero dicamus, Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

Quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues.

Hoc alijs in Zacharia propheta verbis scriptum est: & (nisi fallor) ex persona prophetæ ad deum dicitur: Percute pastorem, & dispergentur oues, sexagesimo quoq; octauo psalmo, qui totus à domino canitur, huic sensui congruente: Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt. Percutitur autem pastor bonus, vt ponat animam suam pro ouibus suis, & de multis gregibus efrotum fiat vnus grex & vnus pastor.

Petrus autem ait ei: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego.

Non est temeritas neq; mendacium, sed fides apostoli Petri est, & ardens affectus erga dominum saluatorem.

Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusq́ bis gallus uocē dederit, ter me es negaturus.

Et Petrus de ardore fidei promittebat, & saluator quasi deus futura nouerat. Et nota, quia Petrus in nocte negat, & negat tertio. Postquam autem gallus cecinit, & decrescentibus tenebris vicina lux nunciata est, conuersus fleuit amare, negatiōis sordes lachrymis lauans. Non est sane arbitrandum, esse cōtrarium, quod Marco dicente, Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. cæteri euangelistæ simpliciter dixerunt, Priusquā gallus cantet, ter me negabis. Tota enim Petri negatio, trina negatio est. In eadem nanq; permansit negatione animi, propositoq́; mendacij, donec admonitus quid ei prædictū sit, amaro fletu & cordis dolore sanaretur. Hæc autem tota, id est, trina negatio, si post primū gallicantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres, qui dixerunt, quod antequam gallus cantaret, ter eum Petrus esset negaturus. Rursus, si totam trinam negationem ante peregisset, q̄ gallus cantare inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur de persona domini: ⌊Amē dico tibi, quia tu in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.⌋ Sed quia ante primum gallicantum tota possit intelligi, attenderunt. Quamuis enim verbis ante primum cœpta, ante secundum autem gallicantum peracta sit tota illa trina negatio, tamen affectione animi & timore Petri primum tota concepta est. Nec in interest quantis moratū sit interuallis, priusquam trina voce enunciata sit, cum cor eius etiam ante primum gallicantum tota possideret, tunc magna s. formidine inhabita, vt posset semel non solum dominum, sed iterum & tertio interrogatus negare, vt rectius diligētiusq́; attendentibus, quomodo iam mœchatus est mulierem in corde suo, qui eam viderit ad concupiscendum: sic Petrus quandocunq; verbis ediceret timorem, quem vehementer animo conceperat, vt perdurare posset vsq; ad tertiam domini negationem, tota trina negatio ei tempori deputāda est, quādo eum trinę negationis sufficiens timor inuasit.

Et ueniunt in prædium cui nomen Gethsemani.

Monstratur vsq; hodie locus Gethsemani, in quo dominus orauit, ad radices montis olmeti tunc, nunc ecclesia desuper ædificata. Interpretatur autem Gethsemani vallis pinguium, siue pinguedinum. Quia vero non solum dicta vel opera saluatoris, verūetiam loca vel tempora, in quibus operatur & loquitur, mysticis (vt sæpe dictum est) sunt plena figuris, cum in monte orat dominus, quasi tacite nos admonet sublimia tantum orando inquiri, & pro cælestibus bonis supplicari debere. Et cū in valle orat, & hoc in valle pinguium, siue pinguedinis ipsius, æque insinuat no

bis humilitatem in orationibus, & in æternæ pinguedinem dilectionis esse seruandam. Neq; videlicet orãs dominum, iactare suam merita in exemplum pharisæi superbiẽtis audeat, quin potius humili uoce ac mente proclamet: Deus, propitius esto mihi peccatori: ne aridum a dilectione proximi cor gestans, ad placandam sibi conditoris gratiam genuflectat: iuxta eum, qui centum denarios fratri, quos sibi debebat, dimittere nolens, decẽ millia talenta sibi a domino frustra precabatur remitti: ne ieiunium ab amore conditoris pectus habens, temporalia quælibet potius in oratione, quam eius visionem requirat, adnumerãdus in eis, de quibus ait ipse: Quia receperunt mercedem suam. Imo quippe cogitationem in rebus terrenis ponere, quid ẽ aliud, quam quædam ariditas mentis? Qui autem intellectu cælestium iam per sancta desideria in supernis delectationibus intime pascuntur, quasi largiori alimento pinguescũt. Hac enim pinguedine saginari Psalmista concupierat, cum diceba: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Quãtum vero ad ipsam dominicæ passionis dispensationem p̄tinet, apte appropians morti dominus in valle pinguedinis orauit, quia per vallem humilitatis, & pinguedinem charitatis pro nobis mortem subijt. Humiliauit eñi semetipsum, factus obediẽs patri vsq; ad mortẽ, mortem aũt crucis. Et maiorem hac dilectione nemo habet, q̃ vt aĩam suã ponat qs pro amicis suis.

Et assumit Petrum & Iacobum & Io hannem secum, & cœpit pauere & tædere. Et ait illis: Tristis ẽ anima mea usq; ad mortem.

Timet Christus, cum Petrus non timeat. Christus timet, Petrus dicit, Animam meam pono pro te. Christus dicit, Anima mea turbatur. V trunq; verum est, & plenum vtriũq; ratione: quod & ille q est inferior, non timet: & ille, qui est superior, gerit timẽtes affectũ. Ille enim quasi homo, vim mortis ignorat: iste autem quasi deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit, vt eorum qui sacramentum abiurant incarnationis, excluderetur impietas. Deniq; & hæc dixit, & Manichæus nõ credidit, Valentinus negauit, Marcion phantasma iudicauit. Eo autem vsq; hominem, quem in veritate corporis demõstrabat, æquabat affectu vt diceret: Sed tamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu vis. Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter nomino tristitiam, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit: quia vt homo suscepit tristitiam meam, vt homo locutus est, & ideo: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret: & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficicitur. ⌊Tristis est (inquit) anima vsq; ad mortem.⌋ Non propter mortem tristis est dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam quia corpus suscepit, omnia debuit quæ corporis sunt, vt esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur, diuinitas autem commutari per hos nescit affectus.

Sustinete hic, & uigilate. Et cũ processisset paululũ, procidit sup terrã.

Quia p̄cepit, ⌊Sustinete hic & vigilate,⌋ non a somno prohibet, cuius tempus nõ erat imminente discrimine, sed a somno infidelitatis & corporis & mentis. Dato autem eis præcepto, vt sustinerent vigilarentq; secum, paululum procidens ruit in faciem suam, & humilitatem mentis habitu carnis ostendit.

Et orabat, ut si fieri posset, trãsiret ab eo hora, & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me.

Quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? Multi adhuc infirmi contristantur futura morte, sed habeant rectum cor, vitent mortem quãtum possunt, sed si non possunt, dicant quod ipse dominus, nõ propter se, sed propter nos dixit. Quid eñ dixit? ⌊Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.⌋ Ecce habet volũtatem humanam Christus, vide iam rectum cor:

Sed non quod ego uolo, sed q̃d tu.

Non veni facere (inquit) voluntatem meã, sed voluntatem eius qui me misit. Suam volũtatem dixit, quam tẽporaliter sumpsit ex virgine: voluntatem vero eius, qui cum misit, eã videlicet signans, quam intemporaliter æternus habuit cum patre cõmunem. Orat trãsire calicem, vt ostendat vere, quia & homo erat: reminiscens autem propter quod missus est, perficit dispensationem ad quam missus est, & clamat: ⌊Sed non quod ego volo, sed q̃d tu.⌋ Si moritur mors me non moriente, secundum carnem videlicet, transeat (ait) calix. Verum quia nõ aliter hoc fiet, ait, non quod ego uolo, sed quod tu. Quod autem patrem inuocans, duplici nomine dicit, abba pater, vtriusq; populi, & Iudæorum scilicet illum & gentilium deum esse ac saluatorem ostendit. Idem nanq; abba, quod & pater significat, sed abba hebræum, pater grecum est & latinum. vt ergo vtrũq; populum in eum crediturum ab vtroque eum inuocandum esse doceret, vtraq; lingua eum primus ipse inuocat. Ipse est enim bonus pastor, qui animam suam dat

u

pro ouibus suis, vnum de duobus gregibus ouile perficit. Ideo vtriusq; voce gregis auxilium patris flagitat, vt nos vtroq; exemplo illius informati, vbi aduersa imminere senserimus, nos patrem deum, Hebræi abba inuocantes, vna fidei & charitatis deuotione præsidiũ cælestis quæramus. Vnde doctor egregius formam docendi à domino sumens, ita Rom. 8. suos auditores alloquitur: Accepistis spiritũ adoptionis filiorũ, in quo clamamus abba pater. Abba nimirũ illi, qui de Israelitico populo: nos pater, qui de gentibus ad fidem Christi venimus.

Et uenit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? Non potuisti una hora uigilare?

Ille qui supra dixerat, Et si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor, nunc tristitiæ magnitudine somnum vincere non potest.

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.

Impossibile est humanam animã non tentari. Vñ & in oratione dñica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possumus, tentationem pœnitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecãtes. Ergo & in præsentiarum nõ ait: Vigilate & orate ne tentemini, sed ne intretis in tentationem, hoc est, ne tentatio vos superet vltima & intra suos casus teneat. Verbi gratia, martyr, qui pro confessione domini sanguinẽ fudit, tentatus quidem est, sed tentationis retibus non ligatus. Qui autem negat, in plagas tentationis incurrit.

Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.

Hoc aduersum temerarios dictum est, qui quicquid crediderint, putant se posse consequi. Itaq; quantum de ardore mentis confidimus, tñ de carnis fragilitate timeamus. Sed tñ iuxta Apostolum, spiritu carnis opera mortificantur. Facit hic locus aduersum Euticianos, qui dicunt vnam in mediatore dei & hominum domino & saluatore nostro operationẽ & vnam fuisse voluntatem. Cum enim dicit, ⌊Spiritus quidem prõptus est, caro vero infirma,⌋ duas voluntates ostendit: humanam videlicet, quæ est carnis: & diuinam, quæ est deitatis. Vbi humana quidem propter infirmitatem carnis, recusat passionem, diuina aũt eius est promptissima: quoniam formidare quidem in passione humanæ fragilitatis est, suscipere autem dispensationem passionis, diuinæ voluntatis atq; virtutis est.

Et iterum abijt, & orauit, eundem sermonem dicens.

Solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro vniuersis. Languebant aũt & opprimebantur apostolorum oculi, negatione vicina.

Et uenit tertio, & ait illis: Dormite iam, & requiescite. Sufficit. Venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Cum dixisset, ⌊Dormite iam & requiescite,⌋ & adiungeret, ⌊Sufficit,⌋ ac deinde inferret. ⌊Venit hora, ecce tradet filꝰ hominis,⌋ vtrũq; intelligitur post illud quod eis dictum est: ⌊Dormite & requiescite,⌋ siluisse dominum aliquantum, vt hoc fieret quod præmiserat, & tunc intulisse: ⌊Ecce appropinquabit hora, siue venit hora,⌋ ideo post illa verba positum est: ⌊Sufficit,⌋ id est, quia requieuistis, iam sufficit. Sed quia commemorata ipsa non est interpositio silentij domini, propterea coartat intellectũ, vt in illis verbis alia pronunciatio requiratur.

Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est.

Postquam tertio orauerat, & apostolorum sequentem timorẽ pœnitentia impetrauerat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, & vltro se interficiẽdum pbet, dixitq; discipulis: ⌊Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est.⌋ Non vos inueniat quasi timentes & retractantes, vltro pergamus ad mortem, vt confidentiam, & gaudiũ passuri videant.

Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute. Et cum uenisset, statim accedens ad eũ, ait: Rabbi. Et osculatus est eũ.

Impudens quidem & scelerata confidentia, magistrũ inuocare, & osculum ingerere ei, quem tradebat: tamen adhuc aliquid habet verecundiæ discipuli, cum non eum palã tradidit persecutoribus, sed per signum osculi. Suscipit autem dominus osculum traditoris, non quo simulare nos doceat, sed ne proditionem fugere videatur, simul & illud Dauid implens: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

Vnus quidẽ de circunstantibus educens gladium, percussit seruũ summi sacerdotis, & amputauit illi auriculã.

Petrus hoc fecit, vt Iohannes euangelista declarat, eodẽ nimirũ mentis amore, quo antea multa fecerat. Sciebat enĩ quõ Phinees puniendo sacrilegos mercedẽ iustitię & sacerdotij perennis acceperit. Lucas autem addit, qd dñs tangens auriculam serui, sanauerit eum,

Nunquid ergo pietatis suæ obliuiscitur dominus, qui & hostes suos non patitur vulnerari? Illi iusto mors infertur, ipse persecutorum vulnera sanat, mystice docens etiam eos, qui in suæ mortis consensione vulnus animæ cõtraxerant, si fructum pœnitentiæ dignum fecerint, salutem mereri.

Et respõdens Iesus, ait illis: Tanquã ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me? Quotidie eram apud uos in templo docẽs, & non me tenuistis.

Stultum est (inquit) eum cum gladijs & fustibus quærere, qui vltro se tradidit vestris manibus: & in nocte quasi latitantem, & vestros oculos declinãtem per proditorem inuestigare, qui quotidie in tẽplo doceat. Sed ideo aduersum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est.

Tunc discipuli eius relinquẽtes eũ, omnes fugerunt.

Impletur sermo domini, quo dixerat, quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. Nam & si turba permittente ad petitionem domini fugerunt, vt Iohannes scribit, pauorem tamen ac timiditatem suæ mentis ostendebant, quod ad fugæ præsidiũ prõptiores, q̃ ad fiduciam patiendi extiterant.

Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis.

Quia ait, amictus sindone super nudo, subauditur corpore, id est, corpore super nudo, qui non aliud indumentum, quàm solam habebat sindonem. Quis autem fuerit iste adolescens, euangelista non dicit. Quisquis verò fuerit, maiorem in se, quàm in cæteris amorem domini permansisse comprobat: quia illis iam fugientibus, ipse donec ab hostibus comprehenderetur, vinculo charitatis attractus, eum prosequi non omisit, quamuis necdum habuit perfectam charitatem, qui à comitatu saluatoris vel tentus profugere potuit. Quia sicut perfecta charitas foras mittit timorem, ita timor mentem obsidens, imperfectam arguit charitatem. Sed notandum solertius, quod de hoc adolescente scribens euangelista, non ait, qui fugit à comitatu domini, vel à sequendo dominum, sed reiecta (inquit) sindone, nudus profugit ab eis. Fugit enim ab hostibus, quorum præsentiam detestabatur & facta. Non enim fugit à domino saluatore, à magistro suo, cuius amorem etiã corpore absens fixum in corde seruauit. Neq; aliquis vetat intelligi Iohannem hunc fuisse adolescẽtem, dilectum præ cæteris magistro discipulum. Nam & illum eo tempore fuisse adolescentem, longa post hæc in carne vita eius indicio est. Potuit enim fieri, vt ad horã tenentium manibus elapsus, mox resumpto indumento redierit: & sub dubia luce noctis sese turbis ducẽtiũ Iesum, quasi vnus de ipsis immiscuerit, donec ad atrium pontificis, cui notus erat, perueniret, iuxta quod in suo euangelio ipse commemorat. Sicut autem Petrus, qui culpam negationis pœnitentiæ lachrymis abluit, & confessione dominici amoris funditus extirpauit, recuperationem eorũ ostendit, qui in martyrio labuntur: ita cæteri discipuli, qui ad articulum comprehensionis fugiendo peruenerant, cautelam fugiendi docent eos, qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt, quibus tutius est multo, præsidia latebrarum petere, quam se discrimini certaminum exponere. Ita etiam iste adolescẽs, qui reiecta sindone nudus profugit ab impijs, illorum & opus designat & animum, qui vt securiores ab incursibus hostium fiãt, quicquid in hoc mundo possidere videntur, abijciunt, ac nudi potius domino famulari, q̃ adhærendo mũdi rebus, materiam tentandi, atque à deo reuocandi aduersarijs dare didicerunt, iuxta exemplum beati Ioseph, qui relicto in manibus adulteræ pallio, foras exiliuit, malens deo nudus, quàm indutus cupiditatibus mundi, meretrici seruire.

Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem.

Summum sacerdotem Caipham significat, sicut Iohannes euangelista scribit, erat pontifex anni illius, de quo cõsentanea testatur Iosephus, q̃ pontificatum sibi absq; merito dignitatis emerit a principe Romano. Non est mirum, si iniquus pontifex, inique iudicat.

Petrus autem a longe secutus est eũ usq; intro in atriũ summi sacerdotis.

Merito a longe sequebatur, quem proximus erat negaturus. Nusquam enim negare posset, si Christo proximus adhæsisset. Verũ in hoc màxima nobis est admiratione venerandus, quòd Iesum non reliquit, etiam cum timeret. Quod enim timet, naturæ est: quod sequitur, deuotiõis, quod negat, obreptionis: quod pœnitet, fidei. Aliter, quod ad passionẽ euntem dominũ sequebatur a longe Petrus, significabat ecclesiam secuturã quidem, hoc est, imitaturum vestigia passionis domini, sed longe differenter. Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro ecclesia.

Et sedebat cum ministris, & calefaciebat se ad ignem.

Est dilectionis ignis, est cupiditatis: de hoc

dicitur, Ignem veni mittere in terram, & qd
Mat. 10. volo, nisi vt ardeat? de illo, Omnes adultera-
tores velut clibanus corda eorum: iste, super
credentes in cœnaculo Sion descendens, va
rijs linguis eos deum laudare docuit: ille, in
atrio Caiphæ instinctu maligni spiritus accē
sus, ad negandum ab blasphemandum domi
nū noxias perfidorū linguas armabat. Quod
enim intus in domo principis sacerdotum sy
nodus maligna gerebat, hoc ignis in atrio fo
ris inter frigora noctis materialiter accensus
typice præmonstrabat. Quicunq; ergo vitio
obnoxius potest dicere cum propheta domi
no: Quia factus sicut vter in pruina, iustifica-
tiones tuas non sum oblitus. In quibuscunq;
autem flammam charitatis turbida vitiorum
flumina obruunt, à domino audiunt: Quoni-
am abundauit iniquitas, refrigescet charitas
Mat. 24. multorū. Quo frigore torpens ad horā apo-
stolus Petrus, quasi prunis ministrorum Ca-
iphæ calefieri cupiebat, quia temporalis com
modi solatium perfidorum societate quære-
bat. Sed nō mora, respectus à domino, cum
ignem prauorum corpore, tunc infidelitatē
corde reliquit, ac post resurrectionem domi-
ni sancto igne recreatus, funditus excessum
trinæ negationis, trina dilectionis cōfessione
purgauit. Tunc etenim, completa illa memo
rabili piscium captura, cum veniret ad domi-
num, vidit cū discipulis suis prunas positas,
& piscem superpositum & panem: moxq; vi
deus, sui cordis arcana prunis inflammauit
amoris.

Et quidam surgentes, falsum testimo
nium ferebant aduersus eum, dicen-
tes: Quoniam nos audiuimus eum di
centem: Ego dissoluam templum hoc
manufactum, & post triduum aliud
non manufactum, ædificabo.

Quomodo falsi testes sunt, si ea dicūt, quæ
dominum dixisse legimus? Sed falsus testis ē,
qui non eodem sensu dicta intelligit, quo di-
cuntur. Dominus eīn dixerat de templo cor
poris sui, sed in ipsis verbis calumniabantur,
& paucis additis vel mutatis, quasi iustam ca-
lumniam faciunt. Saluator enim dixerat: Sol
uite templum hoc, isti commutant & aiunt:
⌊Ego dissoluā templum hoc manufactum.⌋
Vos, inquit, soluite, non ego: quia illicitū est,
vt nosipsi nobis inferamus mortem. Deinde
illi vertunt: ⌊Et per triduum aliud non ma-
nufactū ædificabo,⌋ vt proprie de templo Iu
daico dixisse videatur. Dominus autem, vt
ostenderet animal viuum & spirans templū,
dixerat: Et ego in triduo suscitabo illud. Ali-
ud est ædificare, aliud suscitare.

Et exurgens summus sacerdos in me
dium, interrogauit Iesum, dicens: Nō
respondes quicquam ad ea quæ tibi
obijciūtur ab his? Ille autem tacebat,
& nihil respondit.

Ira præceps & impatiens, nō inueniens ca
lumniæ locum, excutit de solio pōtificem, vt
insaniam mentis motu corporis demonstra-
ret. Quanto Iesus tacebat ad indignos respō-
sione sua, falsos testes & sacerdotes impios,
tanto magis pontifex furore superatus, eum
ad respondendum prouocat, vt ex qualibet
occasione sermonis locum inueniat accusan
di, nihilominus Iesus tacet. Sciebat enim q̄si
deus, quicquid respondisset, torquendum ad
calumniam. Rursum summus sacerdos inter
rogabat eum, & dicit ei:

Tu es Christus filius dei benedicti?
Iesus autem dixit illi: Ego sum:

In Matthæo scriptum est, q̄ interroganti
& iuranti se pontifici, si esset Christus, respon
derit: Tu dixisti, pro q̄ marcus posuit, ⌊Ego
sum,⌋ vt videlicet ostenderet tantum valere
quod dixit Iesus, Tu dixisti: quantum si dice-
ret, Ego sum.

Et uidebitis filium hominis a dextris
sedentem uirtutis dei, & uenientem
in nubibus cæli.

Si ergo tibi in Christi ô Iudæe, pagane &
hæretice contemptus, infirmitas & crux con
tumelia est, vide quia per hæc filius hominis
ad dexterā dei patris sessurus, & ex partu vir
ginis homo natus, in sua cum cæli nubibus
est maiestate venturus. Vnde & Apostolus,
cum crucis obiecta descripsisset, dicens: Qui
humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; Phil. 2.
ad mortem, mortem autem crucis, adiunxit
atq; ait: Propter quod & deus illum exalta-
uit, & donauit illi nomē, quod est super om̄e
nomen, vt in nomine Iesu omne genu flecta
tur, cælestium, terrestrium & infernorum: &
omnis lingua cōfiteatur, quia dominus Iesus
Christus in gloria est dei patris.

Summus autē sacerdos scindens ue
stimenta sua, ait: Quid adhuc deside
ramus testes? Audistis blasphemiā.

Quem de solio sacerdotali furor excusse-
rat, eūdem rabies ad scindendas vestes pro-
uocat. Scindit vestimenta sua, vt ostendat Iu
dæos sacerdotalem vestem vel gloriam per-
didisse, & vacuā sedem habere pontificis. Sed
& consuetudinis Iudaicæ est, cū aliquid blas-
phemiæ & quasi contra deum audierint, scin
dere vestimenta sua, quod Paulum quoque
& Barnabam, quando in Lycaonia deorū cul Act. 14.
tu venerabātur, fecisse legimus. Herodes aūt,
quia nō dedit honorem deo, sed acquieuit im
moderato fauori populi, statim ab angelo

percussus est. Altiori autem mysterio factũ est, vt in passione domini põtifex Iudæorum sua ipse vestimenta disciderit, cum tunica domini nec ab his, qui eum crucifixere, militib⁹ scindi potuerit. Figurabat enim, quod sacerdotium Iudæorum pro sceleribus ipsorũ põtificum esset scindendum, & à suæ statu integritatis omnimodis soluendum. Soliditas vero sanctæ vniuersalis ecclesiæ, quæ vestis sui redemptoris solet appellari, nunquam valeat discumpi, quin potius, & si Iudæi, si gentiles, si hæretici, mali catholici humilitatem domini saluatoris contemnant, eius tamen vsq; ad cõsummationem seculi, in illis, quos sors electionis inuenerit, inuiolata sit mansura castitas.

Et cœperunt quidam conspuere eũ, & uelare faciem eius, & colaphis eũ cædere, & dicere ei: Propheтiza. Et ministri alapis eum cædebant.

Impleta est hoc loco prophetia, quæ ait:
Esa 50. Dedi maxillas meas alapis, & faciem meam non auerti à confusione sputorum. Sed qui tũc cæsus est colaphis, siue alapis Iudæorum, cæditur etiam nunc blasphemiis falsorũ Christianorum. Qui tunc consputus est saliuis infidelium, nũc vsq; vesaniis nominetenus infidelium exhonoratur, atq; irritatur opprobriis. Velauerunt autem faciem eius, nõ vt eorum ipse scelera nõ videat, sed vt à seipsis, sicut quõdam Moysi fecerãt, gratiam cognitionis eius abscondant. Si enim crederent Moysi, crederent forsitan & domino. Quod velamentum vsq; hodie manet super cor eorum non reuelatum, nobis autem in Christum credẽtibus ablatum est. Neq; enim frustra eo moriente velum templi scissum est medium, & ea quæ toto legis tẽpore latuerant, & abscondita carnali Israeli fuerant, noui testamẽti cultoribus sunt patefacta sancta sanctorũ arcana. Quod vero dicunt ei. ⌊Prophetiza,⌋ & iuxta alios euangelistas: Quis est qui te percussit, quasi in contumeliam faciunt eius, qui se à populis prophetam voluerit haberi. Sed ipso dispensante, qui patitur, o[m]ñia pro nobis fiunt, sicut Petrus hortatur: Christo in carne passo, nos eadẽ cogitatione armemur, atq; ad tolerãda pro nomine eius irrisionem opprobria præparemur.

Et cũ esset Petrus in atrio deorsum, uenit una ex ancillis summi sacerdotis. Et cum uidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum ait: Et tu cũ Iesu Nazareno eras. At ille negauit, dicẽs: Neq; scio, neq; noui q̃d dicas.

Quid sibi vult, q̃d prima eũ prodit ancilla, cũ viri vtiq; magis magis eum potuerunt recognoscere, nisi vt & iste sexus peccasse in necem domini videretur, & iste sexus redimeretur per domini passionẽ? Et ideo mulier resurrectionis accipit prima mysteria, & mandata custodit, vt veterẽ præuaricationis aboleret errorem.

Et exiit foras ante atrium, & gallus cantauit.

De hoc gallicãtu cæteri euangelistæ tacent, nõ tamen factũ esse negant, sicut & multa alia alii silentio prætererunt, quæ alii narrant.

Rursum autem cum uidisset alia eũ ancilla, cœpit dicere circũstantibus, quia hic ex illis est. At ille iterum negauit.

Non hæc eadem quæ prius accusabat, ancilla esse credenda est. Dicit nanq; Matthæus apertissime: Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi. In hac autem negatione Petri discimus, non solum abnegare Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam, qui cum sit negat se esse Christianum. Dominus aut nõ ait Petro: Discipulum meum te negabis, sed me negabis. Negauit ergo ipsum, cum se negauit eius esse discipulum.

Et post pusillum rursus qui astabãt, dicebãt Petro: Vere ex illis es. Nam & Galilæus es.

Non q̃ alia lingua Galilæi q̃ Hierosolymitæ loquerentur, qui vtriq; fuerũt Hebræi, sed quia vnaquæq; prouincia & regio suas habeat proprietates, ac vernaculum loquendi sonum vitare non possit. Vnde in Actibus apostolorum cum hi, quibus spiritussanctus insederat, omnium gẽtium linguis loquerentur, inter alios qui è diuersis mundi plagis aduenerant, etiam illi qui habitabant Iudæam, dixisse referuntur: Nonne ecce om̃es isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo audiuimus vnusquisq; linguam nostram in qua nati sumus? Et Petrus fratribus loquens in Ierusalem: Et notum, inquit, factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita vt appellaretur ager ille aceldema. Quare lingua eorũ, nisi quod idem nomen aliter illi, hoc est, Hierosolymitæ, aliter sonabant Galilæi?

Ille autem cœpit anathematizare & iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim iterum gallus cantauit.

Solet scriptura sacra meritum causarum, p statum designare temporum. Vnde Petrus, qui media nocte negauit, ad gallicantum pœnituit: qui etiam post resurrectionem domini diurna sub luce illum, quẽ tertio negauerat, tertio æque se amare professus est. Quia nimi

rum, qui in tenebris obliuionis errauit, & speratæ iam lucis rememoratione correxit, & eiusdem veræ lucis adepta præsentia, plene totum quicquid mutauerat erexit. Hunc opinor gallum aliquem doctorem intelligendũ, q nos iacentes excitãs, & somnolentos increpans, dicat: Euigilate iusti, & nolite peccare.

Et recordatus est Petrus uerbi, q̃d dixerat ei Iesus: Priusq̃ gallus cãtet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

Quam nociua prauorum colloquia? Petrus ipse inter infideles vel hominem se nosse negauit, quem inter cõdiscipulos iam dei filium fuerat confessus. Sed nec in atrio Caiphæ retentus poterat agere pœnitentiam, egreditur foras, vt alij narrant euangelistæ, quatenus ab impiorum concilio secretus, sordes pauidæ negationis liberis fletibus absoluat.

Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis, & uniuerso concilio, uincientes Iesum, duxerunt, & tradiderũt Pilato.

Non solum ad Pilatum, sed etiã ad Herodẽ ductus est, vt vterq; dño illuderet. Et cerne solicitudinem sacerdotũ in malo: tota nocte vigilauerunt, vt homicidium facerent.

Et uinctum tradiderunt Pilato.

Habebant enim hunc morem, vt quẽ adiudicassent morti, ligatũ iudici traderent. Attamen notandum, quod non tunc primum ligauerunt eum, sed mox comprehensum nocte in horto (vt Iohannes declarat) ligauerũt, & sic adduxerunt eum ad Annam primum.

Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudæorum?

Pilato nihil aliud criminis interrogante, nisi vtrum rex Iudæorum sit, arguuntur impietatis Iudæi, quod ne falso quidem inuenire potuerint, quod obijcerent saluatori.

At ille respondens, ait illi: Tu dicis.

Sic respondit, vt & verũ diceret, & sermo eius calumniæ non pateret. Et attende quod Pilato, qui in vitijs sententiam ferebat, aliqua in parte responderit, sacerdotibus autem & principibus noluerit, indignosq́; suo sermone iudicauerit.

Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens: Non respondes quicquam? Vide in quãtis te accusant. Iesus autem amplius nihil respondit.

Ethnicus quidẽ est qui condemnat Iesum, sed causam refert in populum Iudæorum. Vide in quantis te accusant. Iesus autem nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a præside, & crucis vtilitas differret.

Pontifices autem concitauerunt turbã, ut magis Barrabã dimitteret eis.

Vsq; hodie hæret Iudæis sua petitio, quam tanto labore impetrarunt. Qui enim data sibi optione pro Iesu latronem, pro saluatore interfectorem, pro datore vitę elegerunt ademptorem, merito salutem perdiderunt & vitã, & latrociniis sese ac seditionis intantum subdiderunt, vt & patriam regnumq; suũ quod plus Christo amauere, perdiderint, & hactenus, quam vendidere, siue animæ, seu corporis libertatem recipere non meruerint.

Pilatus autem iterum respõdens, ait illis: Quid ergo uultis faciã regi Iudæorum? At illi iterum clamauerũt: Crucifige eum. Pilatus uero dicebat eis: Quid enim mali fecit?

Multas liberandi saluatorem Pilatus occasiones dedit. Primum latronem iusto conferens, deinde inferens: ⌞Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum?⌟ Cumq; responderẽt, ⌞Crucifigatur,⌟ statim non acquieuit, sed iuxta suggestionem vxoris, quæ mandauerat ei, vt Matthæus scribit: Nihil tibi & iusto illi, ipse quoq; respõdens ait: ⌞Quid enim mali fecit?⌟ hoc dicendo Pilatus absoluit Iesum.

At illi magis clamabant, dicentes: Crucifige eum.

Vt impleretur quod in vicesimoprimo psalmo dixerat: Circumdederunt me canes multi, congregatio malignantium obsedit me. Isaias quoque in hac sententia congruenter: Expectaui vt faceret iudicium. Et illud Ieremiæ: Facta est mihi hęreditas mea sicut leo in sylua, dederunt super me vocem suam. Fecerunt autem iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem.

Pilatus autem uolens populo satisfacere, dimisit eis Barrabam, & tradidit Iesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

Iesus autem flagellatus non ab alio, quàm ab ipso Pilato intelligẽdus est. Scribit nanq; aperte Iohannes: Clamauerunt rursum dicẽtes omnes: Non hũc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. ⌞Tunc ergo Pilatus apprehendit Iesum & flagellauit.⌟ Ac deinde subiungit:

Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius.

Quod quidem ideo fecisse, atq; ideo credẽdum est militibus eum illudendum tradidisse, vt satiati pœnis & opprobrijs eius Iudæi,

mortem eius vltra sitire desisterent. Hoc autem factum est, vt quia scriptum erat: Multa flagella peccatorũ, illo flagellato, nos à verberibus liberaremur, dicente scriptura: Flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo.

Milites autem duxerunt eum in atrium prętorii, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eũ: Aue rex Iudæorum.

Milites quidem, quia rex Iudæorum fuerat appellatus, & hoc ei scribæ & sacerdotes crimen obiecerant, quia sibi in populo Israel vsurparet imperium, illudentes hoc faciunt, vt nudatum pristinis vestibus, induant purpura, qua reges veteres vtebantur. Et pro diademate imponũt ei spineam coronam, pro sceptro regali dant calamum, vt Matthæus scribit, & adorant quasi regem. Nos autem omnia hæc intelligamus mystice. Quomodo enim Caiphas dixit: Oportet vnum hominem mori pro populo, nesciẽs quod diceret: sic & isti quicquid fecerunt, licet alia mẽte fecerunt, tamen nobis qui credimus, sacramenta tribuebant. Notãdum autem, quia pro eo quod Marcus ait, ⌊& induunt eũ purpura,⌋ Matthæus ita posuit: Et exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei.⌋ Pro regia enim purpura, chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat, & est rubra q̄dam purpura cocco simillima. Potest enim fieri, vt purpuram etiam Marcus commemorauerit, quam chlamys habebat, quamuis coccinea esset. Mystice enim purpura, qua indutus est dominus, ipsa eius caro, quam passionibus obiecit, insinuat, de qua præmissa dixe-
Isaie.63 rat prophetia: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? In corona vero, quam portabat spinea, nostrorum susceptio peccatorum, pro qua mortalis fieri ostenditur, iuxta quod præcursor istius testimonium eius per-
Iohã.1. hibens, ait: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nanq; spinas in significatiõe peccatorum poni soluere, testatur ipse dominus, qui protoplasto in peccatum prolapso dicebat: Terra tua spinas & tribolos germinabit tibi. Quod est aperte dicere: Conscientia tua punctiones tibi & aculeos vitiorum procreare non desistet. Quod vero (iuxta euangelium Lucæ) dominus ad Herodem alba veste induitur, in cæteris vero euangelistis à militibus Pilati sub purpureo siue coccineo habitu illusus esse perhibet, collata vtraq; ratione, in vno innocentia & castitas assumptæ humanitatis, in altero autem veritas passionis, per quam ad gloriam regni immortalis esset peruenturus, exprimitur. Sicut enĩ purpura colorem sanguinis, qui pro nobis effusus est imitatur, ita & habitum regni, quod post passionem dominus intrauit, nobisq; intrandum patefecit, insinuat. Verum quia dixit Apostolus: Quotquot enĩ in Christo ba-
ptizati estis, Christum induistis, & Isaias do- Gala.3.
mino de electis. Omnibus his velut ornamẽ-
to vestieris: potest in hoc vtroq; domini ha- Isai.49.
bitu, non inimicorum quidem sententia probrosa, sed ipsius domini electione gloriosissima, omnis electorum eius multitudo, quę in martyres venerandos, & cætera fidelium plebe distinguitur, aptissime designari. Alba etenim veste induitur, cum munda iustorum cõfessione circundatur. Purpura siue cocco vestitur, cum in triumpho victoriosorũ martyrum gloriatur.

Et percutiebant caput eius arũdine, & conspuebant eum, & ponẽtes genua adorabant eum.

Hæc tunc fecere milites Pilati, hæc vsque hodie faciunt hæretici & pagani, milites vtique diaboli. Quia enim caput Christi deus, caput eius percutiunt, qui eum verum deum esse denegant. Et quia scriptura per arundinẽ solet confici, quasi arundine caput Christi feriunt, qui diuinitati illius contradicentes, errorem suum cõfirmare autoritate sacræ scripturæ conantur. Spuunt in faciem Christi, q̄ prę̨sentiam gratiæ eius verbis execrandis ex interna cæcæ mentis insania conceptis respuunt, & Iesum Christum in carne venisse denegant. Et quidem milites eum quasi qui deum seipsum falsum dixisset, illudentes adorabant. Sed sunt hodie qui sunt grauiores vesaniæ, qui eum certa fide vt deum verum adorant, sed peruersis actibus mox verba eius q̄si fabulosa despiciunt, ac promissa regni illius tpalibus illecebris post longe ponunt.

Et educunt illũ, ut crucifigerent eũ. Et angariauerunt prætereuntem quẽpiam Simonem Cyreneum, uenientẽ de uilla, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius.

Magnæ tunc opinionis Simon iste videtur fuisse, cum filij quoque eius, quasi iam noti omnibus, designentur ex nomine.
Sed cauendum, ne cui videatur contrarium, quod Iohannes scribit, ipsum dominum sibi crucẽ portasse, cæteri vero euangelistæ hunc Simonem Cyrenæum eam baiulasse referũt. Primo nanque à domino portata, ac deinde Simoni, quem exeuntes forte obuium habuerant, portanda imposita est. Et hoc con-

gruo satis ordine mysterij, qa nimirum ipse passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Et quia Simon iste non Hierosolymita, sed Cyrenæus esse perhibetur (Cyrenæ enim ciuitas Libyæ est, vt in Actibus apostolorum legimus) recte per eum populi gentium designatur, qui quondam peregrini & hospites testamentorum, nunc obediendo ciues sunt & domestici dei, & (sicut alibi dicitur) hæredes quidem
Rom. 8. dei, cohæredes autem Christi. Vnde apte Simon, obediens: Cyrenæ, hæres interpretat. Nec prætereundum, quia idem Simon de villa venisse refertur. Villa enim pagus dicitur, vnde paganos appellamus eos, quos à ciuitate dei alienos, & quasi vrbanæ couersationis videmus esse expertes. Sed de pago Simon egrediens, crucem portat post Iesum, cũ populus nationum paganis ritibus derelictis, vestigia dominicæ passionis obedienter amplectitur.

Et perducunt illum in Golgatha locum, quod est interpretatum, caluariæ locus.

Extra vrbem & foris portam loca sunt, in quibus truncãtur capita bellatorum, & caluariæ. i. decollatorum sumpsere nomen. Propterea autẽ ibi crucifixus est dominus, vt vbi prius erat area damnatorum, erigerentur vexilla martyrij. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus, & crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur.

Et dabant ei bibere myrrhatum uinum, & non accepit.

Deus loquitur ad Ierusalem: Ego te plantaui vineam meam veram, quomodo conuersa
Ierem. 2. es in amaritudinem vitis alienę? Amara vitis amarum vinum facit, & propinat domino Iesu, vt impleatur quod scriptum est: Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quod autem dicitur, L& non accepit, ⅃ vel secundum Matthæum, L cũ gustasset, noluit bibere, ⅃ hoc indicat, quod gustauerit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit. Quod enĩ ait Marcus, L non accepit, ⅃ intelligitur, non accepit vt biberet: gustauit autem, sicut Matthæus testis est. Et quod idem Matthęus ait: L noluit bibere, ⅃ hoc Marcus dixerat: L nõ accepit. Sed & hoc quod ait Marcus L myrrhatum vinum, intelligendum est Matthæũ dixisse L cum felle mixtum. ⅃ Fel quippe pro amaritudine posuit, & myrrhatum vinum, amarissimum est: quãquam fieri possit, vt & felle & myrrha vinũ amarissimũ redderent.

Et crucifigentes eum, diuiserunt uestimenta eius, mittẽtes sortem super eis, quis quid tolleret.

Hæc Iohannes euangelista plenius exponit, qa milites cætera in quatuor partes iuxta suum numerum diuidentes, de tunica quæ inconsutilis erat, desuper contexta per totum, sortem miserunt. Quadripartita autẽ vestis domini, quadripartitam eius figurauit ecclesiã, toto scilicet (quæ quatuor partibus constat) terrarum orbe diffusam, & omnibus eisdem partibus æqualiter (. i. concorditer) distributam. Tunica vero illa sortita, omnium partium significat vnitatẽ, quæ charitatis vinculo connectitur. Si enim charitas (iuxta Apostolum) & supereminentiorem habet viam, & supereminat scientiæ, & super omnia præcepta est, merito vestis, qua significata est, desuper contexta perhibetur. In sorte aũt quid, nisi dei gratia commẽdata est? Sic quippe in vno ad omnes peruenit, cum sors omnibus placuit: qa & dei gratia in vno ad omnes peruenit, & cum sors mittitur, nõ personæ cuiusq; vel meritis, sed occulto dei iudicio ceditur. Et qa (sicut ait apostolus) verus homo noster simul crucifixus est cum illo, vt euacuet corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato, Rom. 6.
quãdiu id agunt opera nostra, vt euacuet corpus peccati, quandiu exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diem, tẽpus est crucis. Hæc sunt & bona opera quidẽ tamen adhuc laboriosa, quorum merces requies est. Sed ideo dicitur, spe gaudentes, vt requiem futuram cum hilaritate in laboribus operemur. Hanc enim hilaritatem significat crucis altitudo in transuerso ligno, vbi figuntur manus. Per manus enim, opera intelligimus: per latitudinem, hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias. per altitudinẽ autem, cui caput adiungitur, expectationem retributionis de sublimi iustitia dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera sua, his quidem secundum tolerãtiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, Rom. 2.
vitam æternam. Itaq; iam longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat. Vnde longanimes dicunt, qui tolerant. Profundum, quod terræ infixum est, secretum sacramẽti præfigurat: quæ verba apostoli instar de significatiõe crucis expediam, vbi ait: In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo & profundum.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.

Sunt qui arbitrantur hora quidem tertia dominum crucifixum, à sexta autem hora tenebras factas vsq; ad nonam, vt consumptæ intelligantur tres horæ, ex quo crucifixus est vsq; ad tenebras factas. Et posset quidẽ hoc rectissime intelligi, nisi Iohannes diceret, ho

ra quasi sexta Pilatum sedisse pro tribunali, in loco qui dicitur lithostrotos, hebraice autem gabatha. Sequitur enim: Erat autem parasceue paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex vester. Si igitur quasi sexta Pilato sedente pro tribunali, traditus est crucifigendus à Iudæis, quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putauerũt? Iã certe dixerat Marcus: Et crucifigentes eũ diuiserunt vestimenta eius. Si ergo eius rei gestæ tempus voluit commemorare, sufficeret dicere: Erat autem hora tertia. Vt quid adiunxit, & crucifixerũt eum, nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quæstum inueniret, cum scriptura ipsa illius temporibus legeretur, quib⁹ vniuersæ ecclesiæ notum erat, qua hora dominus ligno suspensus ē, vnde posset huius vel error corrigi, vel mēdacium refutari? Sed quia sciebat á militibus dominum crucifixũ, non à Iudæis, occulte ostendere voluit, eos magis crucifixisse, qui clamauerunt vt crucifigeretur, quam illos, qui ministerium principi suo secundum officium suũ prębuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia, cum clamauerunt Iudæi, vt dominus crucifigeretur: & veracissime demonstratur, tunc eos crucifixisse, quando clamarerunt, maxime quia volebant non videri se hoc fecisse. Et propterea eum Pilato tradiderunt, quod per eorum verba satis indicant secundum Iohãnem. Quod ergo maxime videri fecisse nolebãt, hoc eos hora tertia fecisse Marcus ostendit, verissime indicãs, magis fuisse dominum necatum lingua Iudæorum, quam militum manu.

Et erat titulus causę eius inscriptus, Rex Iudæorum.

Titulus positus supra crucem eius, in quo scriptum erat, rex Iudæorum, illud ostendit, quod nec occidendo efficere potuerunt, vt eum regem non haberent: quia eius manifestissima potestate secundum sua opera redditurus est. Vnde in Psalmo canit: Ego autem Psalm. 2.
constitutus sum rex ab eo super Sion montē sanctum eius. Qui apte etiam, quoniam rex & pontifex est, cum eximiam patri suæ carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque, qui rex prædictus erat, dignitatem titulo prætentendit, vt cunctis legere, hoc est, audire & credere volentibus insinuaret, quia per crucis patibulum non perdiderit suum, sed confirmauerit potius & corroborauerit imperium.

Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, & alium a sinistris.

Latrones, qui cum domino crucifixi sunt, significant eos, q sub fide & cõfessione Christi, vel agone martyrij, vel quælibet continẽtiæ arctioris instituta subeunt. Sed quicunque hæc pro æterna solum cælestique gloria egerunt, hi profecto dextri latronis merito ac fide designantur. At qui, siue humanę laudis intuitu, sed q̄libet minus digna intentione mũdo abrenuntiant, non immerito blasphematoris ac sinistri latronis mentem imitãtur & actus, de qualibus dicit Apostolus: Si tradidero corpus meum vt ardeat, si dedero oẽs 1. Cor. 13.
facultates meas in cibos pauperũ, si alia plura pietatis opera facerem, vt dona gratiæ spiritalis accepisse videar, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodest. Beati autem, qui sua propter dominum & propter euangelium relinquunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum Matt. 5.
est regnum cœlorum.

Similiter & sacerdotes summi illudẽtes, ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere.

Etiam noletes confitentur scribæ & pontifices, quia alios saluos fecerit. Itaque vos vestra condemnat sententia. Qui enim alios saluos fecit, vtique si vellet, seipsum saluare poterat.

Christus rex Israel descendat nũc de cruce, ut uideamus & credamus.

Fraudulenta promissio. Quid est plus, de cruce adhuc viuentem descendere, an de sepulchro mortuum surgere? Surrexit, & non creditis: ergo etiam si de cruce descenderit, similiter non credetis.

Et qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei.

Quomodo hoc verum est, quãdoquidem vnus eorum conuiciatus est, secundum Lucæ testimonium, alter & compescuit eum, & in deum credidit, nisi intelligamus Matthæum & Marcum breuiter perstringentes, hoc loco pluralem numerum pro singulari posuisse, sicut in epistola ad Hebræos legimus pluraliter dictum, clauserunt ora leonum, cũ Heb. 11.
solus Daniel significari intelligatur: & pluraliter dictum, secti sunt, cùm de solo Isaia intelligatur? Quid enim vsitatius, verbi gratia, quam vt dicat aliquis: Et rustici mihi insultant, etiam si vnus insultet. Tunc enim esset contrarium, quia Lucas de vno manifestauit, si illi dixissent ambos latrones cõuiciatos domino, tamē posset sub numero plurali vnus intelligi. Cum vero dictum est, latrones, vel qui cum eo crucifixi erãt, nec additum est, ambo, non solum si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam quia vnus hoc fecit, potuit vsitato locutionis modo per pluralem nu-

merum significari. Quia vero Luca testante, vnus latro dominum blasphemat, dicens:

Saluum fac temetipsum & nos, alter vero & illum digna inuectione redarguit, & dominũ fideli supplicatione precatur, dicẽs:

Domine memento mei, cum ueneris in regnum tuum, vsq; hodie idem geri in ecclesia videmus, cum mundanis tactu afflictionibus, veri simul & falsi Christiani: illi quidem, qui ficta mente dominicæ passionis sacramenta gestant, ad præsentis vitæ gaudia, cupiunt liberari à domino, atq; simplici intentione cum Apostolo non gloriãtur in sola cruce dñi nostri Iesu Chrĩi, ita potius à pręsentibus ærumnis optant erui, & spiritum suum commendem in autoris manus, vitaq; cũ ipso regni cælestis desiderent esse participes. Vnde bene ille, qui fide dubia dominum precabatur, funditus est contemptus à domino, neq; vlla responsione dignus habitus. At vero preces illius, qui æternam à se salutem q̃rebat, pia mox dominus exauditione suscipere dignatus est. Quia nimirum, quicunq; in tribulationibus positi, temporalia tantum à domino solatia requirũt, à temporalibus separãtur, & æternis gaudijs priuantur. Qui enim veraciter bona patriæ cælestis suspirant, ad hæc absque vlla dubietate Christo miserante perueniunt.

Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, usque in horam nonam.

Clarissimum mundi lumẽ retraxit radios suos, ne aut pendentem videret dominũ, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur. Et notandum, quia dominus sexta hora, hoc est, oriente iam sole, resurrectionis suæ mysteria celebrauit. Statutum enĩ temporis signauit, quo effectu temporis exhibuit. Qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Nam & Adam peccante scriptum est, quia audierit vocem domini dei, deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. Post meridiem nanq; inclinata luce fidei: ad auram vero, refrigescente feruore charitatis: deambulãs autem audiebant, quia ab homine peccante recesserat. Rationis igitur, imo diuitiæ pietatis ordo poscebat, vt eodem temporis articulo, quo tunc Adæ pręuaricanti occluserat, nunc latroni dominus pœnitenti ianuam reserarei paradisi. Et qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo inuexit, eadem hora secundus Adam mortem moriẽdo destrueret.

Et hora nona exclamauit Iesus uocẽ magna, dicens: Eloi, Eloi, lamasabachtani? Quod est interpretatum: Deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me?

Vt quid, &c. Principio vicesimiprimi psalmi vsus est. Illud vero quod ẽ in medio versiculi: Respice in me, superfluum est. Legitur enim in Hebræo: Deus meus, deus meus, q̃re me dereliquisti? Ne mireris verborum humilitatem, querimonias derelicti, cum formam serui sciens, scandalum crucis videas. Sicut enim esurire & sitire & fatigari non erant propria diuinitatis, sed corporalis passionis, ita, & quod dicitur: [Vt quid me dereliquisti,] corporalis vocis erat propriũ: quia solet secundum naturam corpus nullatenus velle à sibi coniuncta vita fraudari. Licet enĩ & ipse dicebat hoc, sed ꝓprie ostendebat corporis fragilitatem, manens virtus & sapientia dei. Vt ergo homo loquitur, meos circũferens motus, quod in periculis positi, à deo deseri nos putamus, vel vt homo turbatur, vt homo flet, vt homo crucifigitur.

Et quidam de circunstantibus audiẽtes, dicebant: Ecce Eliam uocat.

Non oĩes, sed quidam, quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligẽtes sermonis Hebræi proprietatem, sed ex eo quod dixit: Eli, eli, putantes ab eo vocatum. Sin autem Iudæos, qui hoc dixerunt, volueris intelligere, & hoc more sibi solito faciunt, vt dominum imbecillitate infament, quod Eliæ auxilium deprecetur.

Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensq; calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, uideamus si ueniat Elias ad deponẽdum eum.

Quam ob causam domino acetum sit potui datum, Iohannes ostendit plenius, dicẽs:

Postea sciens Iesus, quia iam cõsummata sunt omnia, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autẽ spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

Vidit ergo quoniam consummata sunt omnia quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetum, & traderet spiritum, atq; vt hoc etiam consummaretur, quo ait: Et in siti mea potauerunt me aceto. Siti, inquit, tan- Psal. 68.
quam hoc diceret: Hoc minus fecistis, date

quod estis. Iudæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes à vino patriarcharum & prophetarum, tanquam de pleno uase, de iniquitate mundi huius impletum cor habentes, velut spongiam cauernosis quodammodo atq; tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum quo circumposuerunt spongiam aceto plenam, qm̃ herba est humilis, & pect⁹ purgat, ipsius Chr̃i humilitatẽ congrueter accipim⁹, quam circumdederunt, & se circumuenisse putauerunt. Vnde est illud in Psalmo: Asperges me domine hyssopo, & mundabor. Christi namq; humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, non vtique sanguis eius in remissionem peccatorũ, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus. Per arundinem vero, cui imposita est spongia, scriptura significatur, quæ implebatur in facto. Sicut lingua dicitur vel græca, vel latina, vel alia quęlibet, sonum significãs qui lingua promitur, sic arundo dici potest litera, quæ arundine scribitur. Sed significantius sonos vocis humanæ vsitatissime dicimus linguas, scripturam vero arundinem dici, quo minus vsitatum, eo magis est mystice figuratum.

Iesus autem emissa uoce magna, expirauit.

Quid hac voce magna dixerit dominus, Lucas aperte designat: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hęc (inquit) dicens expirauit. Quod vero scribit Iohãnes, quia cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum, inter illud quod ait: Consumatum est & illud, inclinato capite tradidit spiritum, emissa est illa vox magna, quam tacuit Iohannes, cæteri autem tres commemorauerunt.

Et uelum templi scissum est in duo, a summo usq; deorsum.

Scinditur velum templi, vt arca testamenti & omnia legis sacramenta, quæ tegebãtur appareant, atq; ad populum transeant natio-
Psal.75. onum. Ante etenim dictum fuerat, Notus in
Psal.56. Iudæa deus, in Israel magnum nomen eius: nunc autem. Exaltare super cælos deus, & super omnem terram gloria tua. Et in euange-
Mat.10. lio prius dixit: In viam gentium ne abieritis: post passionem vero suam: Euntes in mun-
Mat.28. dum vniuersum, docete omnes gentes.

Videns autem cẽturio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans, expirasset, ait: Vere hic homo, filius dei erat.

Manifesta causa miraculi centurionis exponitur, quod videns dominum sic expirasse, hoc est, spiritum emisisse dixerit: [Vere homo hic filius dei erat.] Nullus enim habet potestatem emittendi spiritum, nisi qui animarum conditor est. Et hoc considerandum, quod cẽturio ante crucem in ipso scandalo passionis veri dei filium confiteatur, & Arrius in ecclesia prædicat creaturam. Vnde merito per centurionem fides ecclesiæ designatur, quæ vel mysteriorum cælestium p̃ mortem domini reserata, continuo Iesum & vere iustum hominem, & vere dei filium, synagoga tacente, confirmat.

Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome. Et cum esset in Galilæa, sequebãtur eum & ministrabant ei.

Iacobum minorẽ dicit, Iacobum Alphæi, qui & frater domini dicebatur, eo quod esset filius Mariæ matertera domini, cuius in euangelio suo meminit Iohannes, dicens: Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ.

Mariam autem Cleophæ eam videtur dicere à patre, siue à cognatiõe. Vocabat vero minorem Iacobum, ad distinctionem maioris Iacobi, videlicet filij Zebedæi, qui inter primos apostolos vocatus ẽ à domino & electus. Consuetudinis autem Iudaicæ est, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquæ, vt mulieres de substantia sua victum & vestimentum pręceptoribus ministrarent. Hoc quia scãdalum facere poterat in nationibus. Paulus abiecisse se memorat: Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres circũcidendi, sicut cæteri apostoli faciunt? Ministrabant autem domino de substantia sua, vt meteret earum carnalia, cuius illæ metebant spiritalia. Non quo indigeret cibis dominus creaturarum, sed vt typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit, Mariam Magdalenam, à qua septem dæmonia eiecerat, & Mariam Iacobi & Ioseph materteram suam, & alias quas in cæteris euangelijs legimus,

Et cum iam sero esset factum, quia erat parasceue, quod est ante sabbatum, uenit Ioseph ab Arimathæa, nobilis decurio.

Decurio vocatur, qui sit de ordine curiæ, & officium curiæ administret, qui etiam curialis à procurando munera ciuilia solet

appellari. Arimathæa autem ipsa est Ramathaim, ciuitas Elcanæ & Samuelis, in regione Chananitica iuxta Diospolim, παρασκευή vero græce, latine præparatio dicitur, quo nomine Iudæi, qui inter græcos morabantur, sextã sabbati appellabant, eo quod in illo ea, quæ requiei sabbati necessaria essent, præparare solerent, iuxta hoc quod de mãna olim præceptum est. Sexta autẽ die colligetis duplum, &c. Quia ergo homo sexta die factus, & tota est mundi creatura perfecta, septima autem conditor ab opere suo requieuit, vnde & hoc sabbatum, hoc est, requiem voluit intelligi, recte saluator eadem sexta die crucifixus, humanæ restaurationis impleuit arcanum. ideoq; cum accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est, hoc est, sexta die, q̃d pro mundi refectione suscepit, iam totum est expletum. Sabbato autem in sepulchro requiescens, resurrectionis quæ octaua die ventura erat, expectabat euentum. Vbi nostræ simul deuotionis ac beatæ retributionis prælucet exemplum, quos in hac quidem seculi ætate pro domino pati, & velut mundo necesse est crucifigi. In septima vero ætate. i. cũ lœti quis debitum soluit, corpora quidẽ in tumulis, animas autem secreta in pace cũ domino manere, & post bona oportet opera quiescere, donec octaua tandem veniente ætate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata, cum animabus simul incorruptiõnem æternæ hæreditatis accipiant. Venit (inquit) Ioseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Magnæ quidem Ioseph iste dignitatis ad seculum, sed maioris apud deum meriti fuisse laudatur. Talem nanq; existere decebat, qui corpus domini sepeliret, qui & per iustitiam meritorum tali ministerio dignus fuisset, & per nobilitatem potẽtiæ secularis, facultatem possit obtinere ministrandi. Non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad præsidem accedere, & crucifixi corp⁹ poterat impetrare.

Ioseph autem mercatus sindonem, et deponẽs eum, inuoluit in syndone.

Et ex simplici sepultura domini ambitio diuitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem possunt carere diuitijs. Possumus autem iuxta intelligentiam spiritalem hoc sentire, quod corpus domini nõ auro, neq; gemmis & serico, sed linteamine puro obuolutum sit, quanquam & hoc significet, quod ille in sindone munda inuoluit Iesum, qui pura mente cum susceperit. Hinc ecclesiæ mos obtinuit, vt sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus domini est in sindone munda sepultum, iuxta quod in gestis pontificalibus à beato papa Siluestro legimus eẽ statutum. De monumento domini ferunt, qui nostra ætate Hierosolymis Britanniam venere, q̃d domus fuerit rotunda, de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis, vt intro consistens homo, vix manu extenta culmen possit attingere, qua habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus aduolutus atq; appositus est. In cuius monumẽti parte aquilonari sepulchrũ ipsum, hoc est, locus dominici corporis, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura, cætero pauimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed à latere meridiano per totum patulus est, vnde corpus inferebat: color autem eiusdem monumenti ac loculi, rubicundo & albo dicitur esse permixtus.

FERIA QVINTA PALmarum, in cœna domini. Iohannis XIII.

In illo tempore: Ante diem festũ Paschæ, sciens Iesus q̃a uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrẽ. Et reliqua.

PAscha non (sicut quidam existimant) græcum nomen est, sed hebræum. Pascha transitus dicitur in sua lingua, propterea quia tũc primum pascha celebrauit populus domini, quando ex Aegypto fugientes, rubrum mare transierunt. Quæ figura in Christo secundum veritatem impleta est, cum per passionẽ suam transiret ex hoc mundo ad patrem. Ita nobis quoq; transeundum est ex hoc mundo ad patrem, à temporalibus ad æterna, ab iniquitate ad iustitiam, à deceptore diabolo ad saluatorem Christum.

Cum dilexisset suos, qui erant in mũdo, usque in finem dilexit eos.

Vtique vt ipsi de hoc, vbi erant, ad suum caput, q̃ hinc transisset, eius dilectione transissent. In finem, id ẽ, in æternum dilexit eos. Vel in finem, in Christo, quia finis legis est Christus.

Et cœna iam facta.

Non ita debemus intelligere cœnam factam, veluti iam consumptam & transactam. Adhuc enim cœnabatur, cum dominus surrexit, & pedes lauit discipulis suis: nam postea iterum recubuit, & buccellam suo traditori dedit. Cœna dicta est iã parata conuiuantibus discipulis cum magistro.

Cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Scariothis.

Si quæris quid missum sit in cor Iudæ, hoc vtique vt traderet eum. Missio ista, spiritalis suggestio est: nō in aures corporales, sed in cor consentiens iniqua. Sicut enim bonas cogitationes benigns spiritus immitit, sic malas cogitatiões malignus suggerit. Sed interest, quibusnam eorum mens humana cōsentiat, diuino auxilio, vel deserta per meritum, vel adiuta per gratiam. Sine fide dei proditor ad conuiuiō non credens deum esse, quē tradere non cogitabat, videbatur & tolerabatur in eo, quem falli putabat, fallebatur, cuius malitia bonitas dei vtebatur ad salutē aliorū.

Sciens quia omnia dedit ei pater in manus, ergo & ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non vtiq; illo vteretur vt vellet. Sciebat enim dominus qd faceret pro amicis, qui patiēter vtebatur inimicis. Sciēs etiam quia a deo exiit, & ad deum uadit.

Nec deum, cum inde exiret, nec nos deserens, cum rediret.

Surgit a cœna, & ponit uestimēta sua.

Locuturus euangelista de tāta domini humilitate, prius eius celsitudinem, voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait: [Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.] Nō dei domini, sed hominis serui impleuit officium. Tanta est quippe humanæ humilitatis vtilitas, vt eam commēdaret suo exemplo etiam diuina sublimitas. [Surgit à cœna,] descēdit de cælestibus. [Posuit vestimenta sua,] id est, semetipsum exinaniuit.

Cum accepisset linteum, præcinxit se, formam serui induens.

Mittit aquam in peluim, id est, fudit sanguinē suū in terrā: vt mundaret in se credentiū vestigia q̄ terrenis peccatis sordida fuerant: & extergeret linteo, quo erat, id est, corporis sui linteo quo erat præcinctus, purgaret, quia tota eius passio est purgatio. Dū formam serui accepit, non quod habebat dimisit, sed quod non habebat assumpsit.

Venit ergo ad Simonem Petrum.

Non ita intelligendum est, quasi aliorum pedibus lauatis venisset ad primum apostolum: sed quia unde primum cœpit, ideo expauescit Petrus, vt dei filius ei pedes lauaret, dominus seruo, deus homini. Quando ergo pedes discipulorum lauare cœpit, venit ad eū, à quo cœpit, id est, ad Petrum. Et tūc Petrus (quod etiam quilibet eorum expauisset) expauit, atque ait:

Domine, tu mihi lauas pedes?

Tu deus, ego homo: tu dominus, ego seruus: tu redemptor, ego peccator.

Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Huius facti mysterium necdum intelligis sed postea intelliges.

Quia si te non lauero, non habebis partem mecum. Dixit Petrus: Non lauabis mihi pedes inæternum.

Aeternum, pro nunquam posuit: sed territus responsione domini, dixit:

Domine, non tantū pedes, sed & manus & caput.

Quandoquidem sic minaris lauanda tibi mea membra, non solum ima non subtraho, verumetiam prima substerno. Ne mihi neges capiendam tecum partem, nullā tibi nego abluendam mei corporis partem.

Respōdit ei Iesus: Qui lotus est, nō habet opus nisi pedes lauare, sed est mundus totus.

Quomodo totus est mundus, & vtique tamen pedes ei lauandi sunt, nisi quia mundus est in lauacro sancti baptismatis? In baptismo nanque donantur nobis omnia delicta. Sed sicut pes, qui terram calcat, non potest absq; sordibus eē, sic nemo potest viuere sine peccatis, pro quibus quotidie oramus. Dimitte nobis debita nostra. Iterum puluere terreng habitationis homo sordidatus, necesse habet iterum lauari per gratiam diuinæ pietatis, licet prius eadem gratia esset totus mundatus, apostolo Iohanne attestante: Si dixerimus qa peccatum nō habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis: & quotidie nos habere opus, vt pedes lauemus, in ipsa oratione dominica confitemur, cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Et uos mundi estis, sed non omnes.

Quod euangelista sequentibus verbis exponit, ideo transeamus ad cætera.

Postquam ergo lauit pedes eorum.

Id est, impleta redemptionis nostræ purgatione, per sanguinis sui effusionem, accepit vestimenta sua, tertio die de sepulchro resurgens, & eodem corpore, quo moriebatur in cruce, immortalis factus & vestitus.

Et cum recubuisset, hoc est, iterū ascen

dit in cælum, in dexterā dei sedens, & in maiestate paternæ diuinitatis recumbens, vnde iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Sequitur enim:

Dixit eis: Scitis quid fecerim uobis?

Hoc ait, quod ante promiserat, dum Petro apostolo respōdit: ⌊Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.⌋ Nunc ē illud ante promissum.

Vos uocatis me, magister & domine, & bene dicitis.

Vtique, quia verum dicitis.

Sum etenim. Non arrogantiæ typo, sed veritatis obsequio dixit.

Si ergo ego laui uestros pedes dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes.

Si ego deus & dominus dimisi vobis peccata vestra, & vos debetis alter alterius peccata dimittere. Et hoc est quod apostolus ait: Donātes vobismetipsis, si qs aduersus aliquē habet querelam, sicut dn̄s donauit nobis, ita & vos inuicem. Itaque nobis delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus atq; ita quodammodo inuicē pedes nostros lauem⁹. Licet hoc corporaliter charitatis officio & humilitatis exemplo aliquibus vtiliter facere placeat, tamen spiritaliter in corde omnibus agendum est, vt debita nostra inuicem dimittamus nobis, sicut à deo nobis debita nostra dimitti deprecamur. Sequitur:

Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, neq; apostolus maior eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

Hoc ideo dixit, quia lauerat pedes discipulorum magister humilitatis, vt verbo & exēplo eos instrueret in charitatis officio.

Non de omnibus uobis, id est, non oēs vos beatos dico.

Ego scio quos elegerim, ad hanc beatitudinem, vt meoꝝ sequaces præceptorum.

Psal. 40 Sed ut impleatur scriptura: Qui mā ducat panem mecum, leuabit contra me calcaneum suum.

Id est, calcabit me. Manducat panem non ad salutem sibi, sed ad pœnam: quia manducauit, vt lateret proditor, non vt proficeret

Iohan. 6. amator. Quid est quod alio loco dixit: Nonne vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? & hic dicit: ⌊Ego scio quos elegerim?⌋ Electus est enim ille Iudas, non ad beatitudinem, sed ad perditionis perfidiam: ob salutem mūdi, non suam, quia dictum est de eo: Melius esset homini illi, si non fuisset natus. Isti vero, de quibus modo dixit: ⌊Ego scio quos elegerim,⌋ ad beatitudinem æternæ gloriæ electi sunt.

Amodo dico uobis (inquit) priusquā fiat, ut credatis cum factum fuerit, quia ego sum.

Id est, ego sum de quo illa scriptura præcessit, vbi dictum est: ⌊Qui manducat mecū Psal. 40 panem, leuabit super me calcaneum.

Qui accipit si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, accipit eū qui me misit.

Cum hæc dicebat, non vnitatem naturæ diuisit, sed mittētis autoritatem ostendit. Sic vtique vnusquisq; eum, qui est missus accipiat, vt in illo, eum qui misit accipiat, vel attendat. Si ergo attēdas Christum in patre, inuenies discipuli præceptorem: si autem attendas patrem in filio, inuenies vnigeniti genitorem: ac sic in eo, qui missus est, sine vllo accipit errore mittentem.

Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me.

Turbauit eum imminens passio, & periculum proximum, & traditoris impendens manus, cuius fuerat præcognitus animus. Turbatus est itaq; spiritu, tāto scelere traditoris. Turbata est in eo nostra infirmitas, non sua potestas. Sicut pro nobis passus est, ita ꝑ nobis turbatus ē. Qui ergo ꝑtāte mortuus est, ꝑtāte turbatus ē, ne nr̄a ꝑturbatio in desperationē cadat, sed in miseratiōe proximoꝝ vna pœnitētia peccatoꝝ vel uroꝝ auertat: qa illius perturbatio, nr̄a est cōsolatio. ⌊Amē amē dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.⌋ Vn⁹ nūero, nō merito: specie, nō virtute: cōmixtiōe corꝑali, nō vinculo spiritali: carnis adiūctiōe, nō cordis socius vnitate. Quid est ex vobis, nisi ex vobis iturus est q tradet me?

Aspiciebant ergo adinuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

Sic quippe in eis erat erga magistrum suū pia charitas, vt tn̄ eos humana alterum de altero stimularet infirmitas. Nota fuit vnicuique sua conscientia, sed alterius incognita.

Erat autem recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.

Quod dixerat in sinu, paulopost dicit super pectus Iesu: ipse est Iohānes, cuius est hoc euangelium, sicut postea manifestatur. Erat eīm hæc eorum cōsuetudo, qui sacras nobis literas ministrarunt, vt qn̄ ab aliquo eorum di-

uina narrabatur historia, cum ad seipsum ve niret,tanquam de alio loqueretur:& sic se insereret ordinationi narrationis suæ tanquam rerum gestarum scriptor, non tanquam ipsius sui prædicator. Hoc fecit & beatus Moyses,ita de seipso,tanquam de alio cuncta narrauit. Diligebat nõ præ omnibus vnum, sed quiddam in eo dilexit, quod in alijs non dilexit.i. vt pace transiret ex hac vita, non p passionem finiret hanc vitam. In sinu Iesu .i. in secreto, de quo illud mirabile,& in omnibus seculis inauditum eructauit sacramẽtum: In principio erat verbum,& verbum erat apud deum,& deus erat verbum.

Innuit autem huic Simon Petrus, & dicit ei.

Innuendo dicit, non loquendo: significando, non sonando. Quid dicit innuendo? Quod sequitur:

Quis est de quo dicit?

Hæc verba Petrus innuit, nõ sono vocis, sed motu corporis dixit.

Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu.

Hic est vtiq; pectoris sinus sapiẽtiæ secretũ.

Dicit ei: Domine, quis est? Respondit ei Iesus: Cui ego intinctum panẽ porrexero. Et cum intinxisset panẽ, dedit Iudæ Simonis Scariothis. Et post panem, tunc introiuit in illum satanas.

Expressus ẽ traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum. Bonum ẽ quod accepit, sed malo suo accepit: quia male bonum malus accepit. Hic enim docetur quàm diligenter nobis cauendum sit male accipere bonum. Multum quippe interest, nõ quid accipiat, sed qs accipiat: nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Intrauit ergo post hunc panem satanas in domini traditorem, vt sibi iã traditum plenius possideret, in quẽ prius intrauerat, vt deciperet. Auxit enim peccatum traditionis, præsumptio sacramenti: cum homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem. Forsitan ergo panis intincti illius significans fictionem, qui fictis ad cœnam venit amicus, & falsus ad magistrum vadit discipulus.

Quod facis, fac citius.

Non præcepit facinus, sed prædixit Iudæ malum, nobis bonum. Quid enim Iudæ peius,& quid nobis melius, quàm traditus est Christus ab illo vtilis? Hoc est, plus paratus ad passionem, quàm iratus ad vindictã. Non tam ad perniciem perfidi sæuiendo dixit, q̃ ad salutem fidelium festinando. Quod facis, fac citius. Non quia in tua potestate est quem tradas, sed quia hoc vult qui omnia potest.

Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quia dixit ei Iesus: Eme ea quę opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.

Habebat ergo dominus loculos, etiam fidelibus oblata conseruans,& suorum necessitatibus,&alijs indigentibus tribuebat. Tũc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, vt intelligeremus, quod præcepit nõ cogitandum esse de crastino, nec ad hoc fuisse præceptum, ne quid pecuniæ seruet à sanctis, sed ne deo pro ista seruiatur.

Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox.

Erat enim nox, quia exijt filius tenebrarũ. Exiuit ergo ad suæ perditionis ministerium & ad nostræ salutis dispensationem: non nostræ salutis consideratione, sed suæ negotiationis intentione. Hinc impletur quod Psalmista ait: Dies diei eructat verbum .i. Christus discipulis promebat verbum salutis. Et nox nocti indicat scientiam .i. Iudas Iudæis proditoris malitiam ostendit. Nunc maiori intentione verba domini consideranda sunt, q̃ ipsa nocte ante traditionis horam discipulis singulariter loquebatur, profundissima sunt in mysterijs. Ideo vbi multum laboratur, est disputator, non remissus debet esse auditor. Altius consideranda sunt altissimi dicta, qui occultat, vt quæramus: & manifestat, vt inueniamus. Ipse est qui claudit, & aperit: claudit vt quæramus: aperit, vt inueniamus: vt inquisitor fructum accipiat sudoris sui, & largitor laudem & gratiam bonitatis suæ habeat. *Psal. 18*

Et dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & deus clarificatus est in eo.

Hic aliquid magnum significat in hac clarificatione. Exiuit Iudas,& clarificatus est Iesus: exiuit filius perditionis,& clarificatus est filius hominis. Exeunte itaq; in mũdo oẽs mundi remanserunt,& cum suo mundatore remanserunt. Tale aliquid erit, cum victus à Christo transeat hic mundus cum zizanijs à tritico separatis, iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. De hac clarificatiõe futura sanctorum locuturus, verbo præteriti temporis vsus est. Quod enim futurum in sanctis est, hoc in prædestinatione dei factum esse dicitur.

Nunc clarificatus est filius hominis.

Tanquam diceret: Ecce in illa mea clarificatione quid erit, vbi malorum nullus erit, vbi bonorum nullus perit? Sic autem non est dictum, nunc significatus est filius hominis significatione, quemadmodum non est dictum: petra significabat Christum, sed petra erat Christus. Cum autem dixisset: Nunc clarificatus est filius hominis, adiunxit: Et deus clarificatus est in eo. Est enim clarificatio filij hominis, vt deus clarificetur in eo. Non enim ipse in seipso, sed deus in illo clarificatur, tunc & illum deus in se clarificat. Deniq; tanquam ista exponens adiungit, & dicit:

Si deus clarificatus est in eo, & deus clarificauit eum in semetipso.

Hoc est, si deus clarificatus est in eo, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit eum, & deus clarificauit eum in semetipso. Vt natura humana, in qua est filius hominis, quę à verbo æterno suscepta est, etiã immortali ęternitate donet.

Et continuo (inquit) clarificabit eum.

Resurrectione scilicet sua, nõ sicut nostra in fine seculi, sed continuo futura.

PASSIO DOMINI nostri Iesu Christi secundum Iohannem.

¶ Feria sexta Parasceues. Iohannis XVIII.

In illo tempore: Egressus Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron. Et reliqua.



Kedron genitiuus pluralis est in græco, quod potest latine cedrorum dici. Tunc appropinquauit tempus, de quo Psalmi sta legitur: De torrente in via bibet, id est, in via huius vitæ de torrente passionis bibit, propterea exaltabit caput, quod Apostolus ita exposuit: Christus obediens
philp. 2. patri vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & deus exaltauit illum.

Vbi erat hortus, in quẽ introiuit ipse & discipuli eius.

Bene in horto miseriæ nostræ comprehẽsus est, vt nos in hortum beatitudinis suæ induceret. Igitur in horto deliciarum, id est, in paradiso primus pater humani generis peccauit. & inde eiectus est in hanc vallẽ lachrymarum. Ideo Christus secundus Adam se in horto comprehendi voluit, vt peccatum quod in horto paradisi, qui hortus delitiarum interpretatur, primus homo commisit, deleretur.

Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

Hoc quod narrat ingressum dominum cũ discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum eius illa finita esset oratio, de cuius verbis ait: Hæc cum dixisset Iesus, sed alia quædã sunt interposita, quæ ab isto pter missa apud alios euãgelistas legunt, sicut hic inueniunt multa, q̃ illi similiter in sua narratiõe tacuerũt. Adhoc vero valet, q dictũ est: Hæc cum dixisset Iesus, vt non eum añ opinemur venire in hortum, quàm illa verba finiret & illam orationẽ, quæ leguntur. Et Iudas qui tradebat eum, sciebat locum. Ordo verborum est: Sciebat locum, q tradebat eũ, quod frequenter Iesus, inquit, conuenerat illuc cum discipulis suis. Ibi ergo lupus ouina pelle contectus, & inter oues alto patrisfamilias consilio toleratus, didicit, vt ad tẽpus exiguum dispergeret gregem, insidijs appetendo pastorem.

Iudas ergo (inquit) cum accepisset cohortẽ, & a pontificibus & pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis & facibus & armis.

Cohors non Iudæorũ, sed militum fuit. A præside itaq; intelligatur accepta tanquã ad tenendum reum, seruato ordine legitimæ potestatis, vt nullus tenentibus auderet obsistere. Ideo tanta manus inimicorũ congregata est, vt nullus apprehendentibus, vel contradicere, vel defendere Iesum auderet. Ita quippe eius abscondebatur potestas, & obtendebatur infirmitas, vt hęc inimicis necessaria viderentur aduersus eum. Bene vtens bonus malis, & faciens bona de malis.

Iesus autem sicut euãgelista secutus adiunxit, sciens omnia quæ uentura erant super eum.

Sciebat & voluit vt comprehẽderetur, quia ad hoc venit in mundum, vt hoc fieret quod voluit, processit & dixit: Quẽ q̃ritis?

Processit paratus ad passionem, & interrogans quem quærerent, non quasi ignarus eorum voluntatis, sed vt scirent ipsum esse quẽ quærerent.

Responderunt: Iesum Nazarenum.

Iesus Nazarenus dicebatur, quia in Nazaret nutritus est, vt impleret prophetia: Quoniam Nazaræus vocabitur.

Dicit eis: Ego sum.

Non abſcondit ſe,ſed oſtendit,quia volũtate ſua poſuit animam ſuam pro mundo.

Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum,cum ipſis, Vt ergo dixit eis: Ego ſum,abierunt retrorſum,& ceciderunt in terram.

Vbi tunc militũ cohors,& miniſtri principum ac phariſæorum? vbi terror & munimen armorum? Nempe vna vox dicentis: Ego ſum,tantam turbam odijs ferocem, armisq; terribilem, ſiue vllo telo percuſſit,repulit,& ſtrauit. De⁹ enim latebat in carne,& ſempiternus dies,ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris.Ego ſum,dicit,& impios deiecit.Quid iudicaturus faciet,qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?Et nunc vbiq; per euangelium, Ego ſum, dicit Chriſtus,& à Iudæis expectatur antichriſtus,vt retro redeant,& in terram cadant.Quare qui venerunt ad comprehendendum non tenuerũt, à quo audierunt:Ego ſum.Illi quærebant eum cõprehendere & occidere,ille quærebat eos redimere & viuificare, propter quod venit ad nos.Oſtendit quærentibus poteſtatem,quia habuit in poteſtate aĩam ſuam ponere,qñ poſuit,hora paſſionis oſtendit,vt noſtræ redemptionis impleretur myſterium.

Iterum ergo eos interrogauit:Quem quæritis?

Si quæritis, quare non apprehenditis, niſi quia non eſt in veſtra poteſtate apprehẽdendi hora,ſed in eius qui venit vt apprehẽdat?

Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpõdit Ieſus. Dixi uobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis,ſinite hos abire.

Inimicos videte,& hoc faciunt quod iubet:ſinite hos abire,quos non vult perire. Nunqd autẽ non erãt poſtea morituri? Cur ergo ſi tunc morerentur, perderet eos, niſi quia nondum in eum ſic credebant, quomodo credunt quicunq; nõ pereunt?

Simõ ergo Petrus habens gladium, eduxit eum,& percuſſit põtificis ſeruum, & abſcidit eius auriculam dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus.

Solus hic euangeliſta etiam nomen ſerui huius expreſſit, ſicut Lucas ſolus, quod eius auriculam dominus tetigerit,& ſanauerit eum. Malchus autem interpretatur regnaturus.Quid ergo auris pro domino amputata & à domino ſanata ſignificat, niſi auditum amputata vetuſtate renouatum,vt ſit in nouitate ſpiritus,& non in vetuſtate literæ? Quod cui præſtitum à Chriſto fuerit, quis dubitet regnaturum tunc eſſe cum Chriſto? Seruus dictus eſt propter ſeruitutem legalem:ſanatus autem dicitur,propter euangelicam libertatem.Factum tamen Petri dominus improbauit,& progredi vltra prohibuit, dicens:

Mitte gladium tuum in uaginã. Calicem quem dedit mihi pater,non bibam illum.

Non bibam illum,interrogatiue, vel increpatiue legendum eſt,quaſi dixiſſet:nonne bibam illum calicem, quem pater mihi bibere præcepit?Quare teſiſtere voluntati vis omnipotẽtis patris,imo & ſalutis tuę calici?In ſuo quippe facto illo diſcipulus magiſtrum defendere voluit, neſcius adhuc diſpẽſationem paternæ voluntatis,quod ex hoc ſie i ventu rum voluiſſet. Quod autem à patre ſibi dicit datum calicem paſſionis, profecto illud eſt, quod ait Apoſtolus:Si deus pro nobis, quis contra nos?Qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Verũ autor huius calicis eſt,etiam ipſe qui bibit,vnde idem Apoſtolus ait:Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblatiõem & hoſtiam deo,in odorem ſuauitatis. Rom.8. Iſaie.5.

Cohors ergo & tribunus,& miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum & ligauerunt eum.

Comprehenderunt,ad quem acceſſerunt: quoniam dies ille,illi vero tenebræ permanſerunt, nec audierunt. Accedite ad eum, & illuminamini. Tunc autem, quando illo modo, eum comprehenderunt,tunc ab eo longius diſceſſerunt.Et ligauerunt eum, à quo ſolui potius velle debuerunt.Poſtquam perſecutores tradente Iuda comprehenſum dominum ligauerunt, qui nos dilexit & tradidit ſemetipſum pro nobis,& cui pater nõ pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit eum,

adduxerunt ad Annam primum.

Nec enim Iohannes iſtam tacet cauſam, quare hoc feciſſent,dicens:

Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat põtifex anni illius. Erat autem Caiphas qui conſilium dedit Iudæis, quia expedit unum hominem mori pro populo.

Ductus est ad Annam primum, & postea ad Caipham, vt cognatio sanguinis: sceleris eos facere consortes. Moyse iubente præceptum erat, vt pontifices patribus succederēt, vt generationis in sacerdotibus series cōseruaretur. Refert Iosephus istum Caipham vnius tantum anni ab Herode precio redemisse sacerdotium. Nō est ergo mirum, si iniquus pontifex, iniquum iudicaret. Sæpe qui p auaritiā ad sacerdotiū accedit, per iniustitiā versatur in eo, vt sceleratum initium funesto fine consummetur.

Sequebatur autem (inquit) Iesum Simon Petrus, & alius discipulus.

Quisnam sit iste discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem idē Iohannes ita se significare, & addere, quem diligebat Iesus. Fortassis ergo & hic ipse est, qui iuxta crucem Iesu stabat, cui ille matris commendauit custodiam. Dicit & Matthæus de Petro: Petrus sequebatur eum à longe. Sequebatur dominum à longe, qui erat eum negaturus: vt videret finem. Vel amore magistri, vel humana curiositate scire cupiens, quid pontifex iudicaret de Iesu, vtrum eum neci addiceret, an flagellis cęsum dimitteret.

Discipulus autem (inquit) ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foras.

Foras autem stabat, q negaturus erat dominum: nec erat in Christo, qui Christū cōfiteri non fuit ausus.

Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dixit ille: Non sum.

Hic agnoscitur quam verum sit, quod veritas pauloante ait: Quia sine me nihil potestis facere. Ecce columna fortissima ad vnius auræ impulsum tota contremuit. Vbi illa pmittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? Vbi sunt verba illa quando ait: Quare non possum sequi te modo? Animam meam pro te ponam? Hoc non est sequi magistrum, se negare discipulum esse. Sic ne pro domino anima ponit, vt hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sane hoc loco considerandum est, quàm periculosum sit Christiano, Christianum se esse negare. Non enim Petrus in hoc loco dixit se Christū negare, sed discipulum Christi, tamen Ipse Christus ante prædixit: Ter me negaturus es. Qui enim discipulum se Christi negauit esse, Christum negauit. Similiter, qui se Christianum negat esse propter aliquem timorem, etiam Christum negat.

Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se.

Frigus erat infidelitatis in cordibus illorū intantum etiam, vt ille princeps apostolorū in eo frigore torpescat, quia necdum calore sancti spiritus inflammatus fuit: in quo non solum ipse iterum post acceptum sancti spiritus donum non timuit Christum corā imperatore & populo Romano confiteri, sed etiam pueri imberbes, & puellæ sancti spiritus calore inflammati, Christum publice vsq; ad mortem confitebantur, & pro eo mori non metuebant, quem clauiger cæli confiteri ad vnius ancillæ vocem formidauit.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius.

Non cognoscendæ veritatis amore interrogauit, sed vt causam inueniret, qua etiā accusari posset, & tradi Romano præsidi ad damnandum.

Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mūdo, ego semper docui in synahoga & in templo, quo omnes Iudæi conuenerant, & in occulto locutus sum nihil.

Quid est quod palam se dicit loqui in occulto nihil loqui, dum alias apostolis dixit, cum per parabolas turbis loqueretur: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis? Intelligendum est ita eum dixisse [palam locutus sum mundo] ac si dixisset: Multi me palam audierunt loquētem, & rursum non erant palam, ipsum etenim palam, quodammodo erat palam, & quodāmodo non erat palam. Palā quippe erat quia multi audiebant, & rursus nō erat palam, qa non intelligebant. Et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto vtiq; loquebatur. Quis namq; in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, cum scriptum sit: In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, pręsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos vellet innotescere multis? Ergo & hoc ipsum, quod ab eo dictum videbatur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto. Quia non ità dicebatur, vt ab his quibus dictum fuerat taceretur, sed ita potius vt vsquequaq; prædicatur.

Quid me interrogas. Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego.

Quasi dixisset, Quid me interrogas, à quo veritatem audire non desideras, sed quem damnare cupis? Interroga magis eos, de quorũ dictis non habeas inuidiam. Ita tẽperauit dominus suam responsionem, vt nec veritatem tacere, nec se defendere videretur.

Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici?

Hic impleretur quod prophetatum est de eo: Dedi maxillas meas percutientibus. Per-
Isa. 50. cussit eum quasi reum respõsionis, sed ille iniuste percussus mansuete respondit:

Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo.

Omnis itaq; qui contra veritatem loquitur, male loquitur: si ego autem veritatem nõ dixi, da testimonium contra me, in quo mendacium dixissem.

Si aũt bene, id est, vere, **quid me cędis.**

Quid in ista responsione verius, mansuetius, iustius? Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eũ qui percussit aut cælesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dęmonio volutari? Quid enim horum per potentiam non potuisset, p quem factus est mũdus, nisi patientiam nos docere maluisset, à quo vincitur mundus? Forte aliquis hic dicit, quare alteram maxillam percuti non daret. Secũdum præceptum suum itaque non solum alteram dedit maxillam percutienti, sed etiam totum corpus suum ad crucifigendum tradidit. Et magis vult præcepta sua dominus in cordis tranquillitate seruare, quàm in corporis ostentatione demonstrare.

Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

Hi duo Annas & Caiphas principes fuerũt sacerdotum, & per vices annuas sacerdotium administrabant: & erat tunc annus Caiphæ, cum passus est Christus. Et credendum est, secundum voluntatem Caiphæ factum esse, vt prius duceretur ad Annã, vt minoris culpæ videretur, si alterius quoq; consacerdotis sui damnaretur sententia. Sed cum dixisset euangelista, quod eum ligatum miserit Annas ad Caipham, reuersus est ad locum narrationis, vbi reliquerat Petrum, vt explicaret quod in domo Annæ de trina eius negatione contigerat.

Erat autem, inquit, **Simõ Petrus stans, & calefaciens se.**

Hoc recapitulat, quod ante iam dixerat, deinde quæ secuta sunt, iungit.

Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum.

Iam semel negauerat ad ancillæ vocem, ecce iterum eodem timore perterritus dixit, vel negauit. Deinde vt tertia quoq; negatio perficeretur, & in eo verbum dei prædicentis impleretur.

Dicit ei unus ex seruis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Iterum ergo, sicut antea, negauit Petrus, & statum gallus cãtauit.

Ecce medici est completa prædictio, ægroti cõuicta præsumptio. Non enim factum est quod iste dixerat: Animam meam pro te ponam, sed factum est quod ille prædixerat: Ter me negabis. Sed hæc trina negatio timoris, trina cõfessiõe amoris diluitur. Necdum fuit amor, qui foras mitteret timorem: sed adhuc timor seruilis valuit in corde eius: sed necdum respexit eum, qui hæc prædixit ei: sed hoc magna dei dispensatione gestum esse credere debemus, quatenus ille, cui oues suas ad patrem rediens Christus cõmendaturus erat, per suam disceret fragilitatem alij misereri, & fratrum culpas ignoscere, dum suum recordaretur peccatum: & aliorum compati possit fragilitati, qui sui casus ignarus nõ esset. Peracta itaq; trina hac negatione Petri, reuersus est euangelista ad ordinem narrationis suæ, vbi eam reliquerat.

Adducunt ergo Iesum ad Caipham in prætorium.

Ad Caipham quippe ab Anna collega & socero ei⁹ dixerat missum. Sed si ad Caiphã, cur in prætorium? quod nihil aliud vult intelligi, quàm vbi præses Pilatus habitabat, aut damnationis Christi causa Caiphas perrexit in prætorium ad Pilatum, aut Pilatus in domo Caiphæ prætorium habebat. Et tanta fuit amplitudo, vt vtrosque capere potuisset, & seorsum habitantem dominum suum, & seorsum iudicem ferret. Ecce quãta est solicitudo sacerdotum in malo, tota nocte vigilauerũt, vt homicidium facerent.

Erat autem mane. Et ipsi, id est, qui ducebãt Iesum: **nõ introierũt in prætoriũ,** hoc est, in eam partẽ domus, quam Pilatus tenebat. Si ipsa domus erat Caiphæ, cur autem non introierũt in prętoriũ? Exponẽs causam, **ut non contaminarentur, inquit, sed ut manducarent pascha.**

Dies enim agi cœperat azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienum habitaculum intrare. O impia & stulta cæcitas,

habitaculo videlicet alieno se violari putaue runt, & non proprio scelere inquinari se videbant. Alienigenæ iudicis domo contaminari timebant, & fratris innocentis sanguine non timebant. Sciendum est, quid sit inter pascha & dies azymorũ. Pascha dicebatur proprie dies illa, in qua agnus ad vesperam quartadecima luna occidebatur, septẽ dies sequentes, dies azymorum dicebantur. Dies azymorum fuerunt, in quibus nihil fermentatum in domibus illorum debuit inueniri: sed tamen dies paschalis inuenitur inter dies azymorũ nominari, vt in alio euangelio legitur: Prima autem die azymorum accesserũt discipuli ad Iesum, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Sequitur.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationẽ affertis aduersus hunc hominem? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, nõ tibi tradidissemus eũ.

Hunc enim morẽ habebãt Iudæi, vt quem morte dignũ iudicarẽt, vinctum eum præsidi traderent. Interrogentur, atq; respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, vtrum sit malefactor Iesus. Sed ista dicebant, de quibus per prophetã ipse prædixerat: Retribuebant mihi mala pro bonis.

Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum.

Iustior fuit illis iudex gentilis. Quasi diceceret: Legem habetis, & secundum legem vestram iudicate eũ: vos melius nostis quid de talibus vestra lex iudicet: secundum quod iustum sciatis, iudicate.

Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam.

Quid est quod loquitur insana crudelitas? an non interficiebant, quem interficiendum offerebant? An non forte interficiebant, dum clamabant, Crucifige, crucifige? Quid est qđ dixerũt: Nobis non licet interficere quenq̃, dum lex mandat homicidas, adulteros, & talium reos scelerum occidere vel lapidare, nisi forte hoc ideo dixissent propter sanctitatẽ diei festi, vt non liceret eis secundum legem in die festo occidere vel lapidare, nisi forte hoc ideo dixissent propter sanctitatem diei festi, vt non liceret eis secũdum legem in die festo occidere hominẽ, ob cuius diei festi venerationem etiam prætorium iudicis intrare noluerunt? Quomodo o Iudæi, o falsi Israelitæ nõ occidistis eum, quem apprehendistis, quem duxistis, quem præsidi tradidistis, quẽ crucifigi poposcistis? Audite quod cõtra vos est, & iam propheta clamabat: Filij hominũ, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorũ machæra acuta. Ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machæra iustum interfecistis. Deinde sequitur euangelista: Psal. 56.

Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua esset morte moriturus.

Itaq; intelligendum est dominum hoc significare non aliam mortem crucis, sed illam mortem, qua Iudæi eum gentibus tradebãt ad occidendum, minore tamẽ scelere, quàm Iudæi, qui se isto modo ab eius interfectione velut alienos facere voluerunt, nõ vt eorum innocentia, sed vt dementia monstraretur. Sequitur:

Introiuit iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum?

In his verbis ostendit Pilatus hoc Iudæos obiecisse ei criminis, vt diceret se regem esse Iudæorum.

Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?

Sciebat vtiq; dominus, & quod ipse interrogabat, & quod ille responsurus fuit: sed tamen dici voluit, non propter se, qui omnia sciebat, sed propter nos, vt scriberetur, quod nos scire voluit.

Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua, & põtifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti?

Abstulit à se suspicionem, qua posset putari à semetipso dixisse, quod Iesum regem dixerat esse Iudæorũ, id se à Iudæis accepisse demonstrans, dicendo: Quid fecisti? Satis ostendit, illud ei pro crimine obiectum, tanquam diceret: Si regem te negas, quid fecisti, vt traderis mihi? Quasi nimirum non esset, si puniendus iudici traderetur, qui se diceret regem esse. Si autem hoc non diceret, quærẽdum ab illo esset, quid aliud forte fecisset, vnde tradi iudici dignus esset.

Respondit Iesus: Regnum meum nõ est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meũ, ministri mei utiq; decertarent, ut non traderer Iudęis. Nunc aũt regnum meũ nõ est hinc.

Hoc est quod bonus magister scire nos voluit. Sed prius nobis demõstranda fuerat vana hominum de regno eius opinio, siue gentium siue iudæorum, à quibus id Pilatus audierat: quasi fuisset propterea morte plectẽdus, quod illicitum affectauerit regnum, vel quo-

niam solent regnaturis inuidere regnantes. Poterat autem dominus, quod ait: ⌊Regnū meum non est de hoc mundo,⌋ ad primam interrogationem præsidis respondere, vbi dixit. ⌊Tu es rex Iudæorū?⌋ Sed eum vicissim interrogans, vtrum hoc à semetipso diceret, an audisset ab alijs, illo respondente, ostendere voluit, hoc sibi apud illum fuisse à Iudæis velut crimen obiectum, patefaciens nobis cogitationes hominum, quas ipse nouerat quoniam vanæ sunt. Quod vero ait, ⌊Regnum meum de hoc non est mundo,⌋ id est, in hoc mundo. Audite omnes reges terræ: Non venit Christus regnum tollere, sed dare: nō minuere, sed augere. Regem se, nō contra dixit, sed carnaliter in hoc mundo se regnare non dixit. Quid est enim regnum, nisi credentes in eum? Quod tradet regnum deo patri in fine seculi, id est, adducet ad deum patrem, vt sine fine regnet cum illo. Sed vt hoc probaret, vt regnum eius de hoc mundo non esset, adiecit: ⌊Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.⌋ Non ait, Nunc autem regnum meum non est hic: sed, non est hinc. Hic est enim regnum eius vsq; in finem seculi, sed in sanctis suis, de quibus dixit in alio euangelio: Regnum dei intra vos est. Nam regnum dei, sancta ecclesia est: vnde & ad sanctam Mariam angelus ait: Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis: spiritale regnum, quo in cælis regnat, demonstrare volens, non carnale, quod sæpe impij habent in hoc mūdo. De regno quippe suo dicit paulo ante: De mundo non estis, sed ego vos de mundo elegi.

Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego.

Non quia se regem timuit confiteri, sed, Tu dicis ait, vt & verū diceret, & sermo eius calumniæ non pateret. Dictum est, Tu dicis, ac si diceret: Carnalis carnaliter dicis. Deinde subiungit:

Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati.

Non est producenda huius pronominis syllaba, quod ait: In hoc natus sum, tanq̄ dixerit: In hac re natus sum, sed corripiēda, tanq̄ dixerit: Ad hoc natus sum, vel ob hoc natus sum, sicut ait: Ad hoc veni in mundum. In græco nanque euangelio nihil est huius locutionis ambiguum. Vnde manifestum est, eum temporalem natiuitatem suam hic commemorasse, qua incarnatus venit in mūdum: non illam sine initio, qua deus erat, per quam pater condidit mundum: vtique nascēdo de virgine, vt testimonium perhibeat veritati. Sed quia non oīm est fides, adiunxit atq; ait:

Omnis qui est ex ueritate, audit meam uocem.

Audit vtiq; interiorib⁹ auribus, id est, obedit meæ voci, quod tantundem valeret, quasi diceret, Credit mihi. Cum itaq; Christus testimonium perhibet veritati, profecto testimonium perhibet sibi: eius quippe vox est, Ego sum veritas. Hic commendat gratiam, per quam vocati sumus. Ait itaq;: ⌊Omnis q̄ est ex veritate, audit vocem meam.⌋ Non ideo est ex veritate, quia eius audit vocem, sed ideo audit, quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quid est aliud, quàm donante Christo credere in Christum? Sequitur:

Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas?

Nec expectauit audire quid respōderet ei Iesus, quia forte dignus non fuit audire, sed

cum hæc dixisset, iterum exijt ad Iudæos, & dixit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Est consuetudo uestra, ut unum dimittam uobis in pascha. Vultis dimittam uobis regē Iudæorum?

Credo cum dixisset Pilatus, Quid est veritas, in mentem illi venisse continuo consuetudinem Iudæorum, qua solebat eis dimittere vnum in pascha: & ideo nō expectauit, vt audiret ab Iesu, quid esset veritas, ne mora fieret, cum recoluisset morem, quo posset eis p pascha dimitti. Hæc vero consuetudo dimittendi fortassis propter pascha apud Iudæos remansit, & memoriam liberationis illorum ex Aegypto: quia in pascha liberati sunt à seruitute. Sed omnes audientes clamauerūt rursum omnes, dicentes:

Non hunc, sed Barrabam. Erat Barrabas latro.

Barrabas iste filius magistri eorum interpretatur, id est, diaboli, qui magister fuit vel huic latroni in scelere suo, vel Iudæis in pietate perfidiæ suæ. Non reprehendimus o Iudæi, quod per pascha liberatis nocentem, sed quod occidistis innocētem. Quod tamen nisi fieret, verum pascha nō fieret. Sed vmbra veritatis à Iudæis errantibus tenebatur, & mirabili dispensatione diuinæ sapientiæ per homines fallaces eiusdem vmbræ veritas implebatur. Quod vt verū pascha fieret, Christus velut ouis immolabatur.

Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credēdus

est, nisi vt eius iniurijs Iudæi satiati, sufficere sibi existimarent, & vsq; ad eius mortem sæuire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem præses cohortem suam permisit facere, quæ sequuntur:

Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius. Et ueste purpurea circundederunt eum. Et ueniebant ad eũ, & dicebant: Aue rex Iudæorum. Et dabant ei alapas.

Sic implebantur, quæ prædixerat de se Christus: sic martyres ad omnia informabantur, quæ psecutoribus libuisset facere, pferenda: sic paululum occultabatur tremenda potentia, quæ commendabatur prius imitanda patientia: sic regnum, quod de hoc mũdo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate superauit. Sic illud granũ multiplicãdũ seminabatur pœna horribili, vt postea pullularet in gloria.

Exijt iterum Pilatus foras, dixit eis: Ecce adduco eum uobis foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. Exiit ergo Iesus portãs spineam coronam, & purpureum uestimentum, & dicit eis: Ecce homo.

Hinc apparet, non ignorante Pilato hæc à militibus facta, siue iusserit ea, siue permiserit, illa s. causa quam supra diximus, vt hæc eius ludibria inimici libentissime viderent, & vlterius sanguinem non sitirent. Egrediebatur ad eos Iesus, portãs spineam coronam, & purpureum vestimentum: non clarus imperio, sed plenus opprobrio. ⌊Et dicit eis: Ecce homo.⌋ Si regi inuidetis, iam parcite, qa deiectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conuitijs illusus est, alapis cæsus ẽ, feruet ignominia, frigescat inuidia, sed non frigescit, inardescit potius & increscit.

Cum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite. Ego enim nõ inuenio in eo causam. Responderunt Iudæi, Nos legẽ habemus, & secũdum legem debet mori, quia filium dei se fecit.

Ecce altera maior inuidia: parua illa quippe videbatur, velut affectaret regnum illicito ausu regiæ potestatis, & tamen neutrum sibi Iesus mendaciter vsurpauit, sed vtrunque verum est: & vnigenitus dei filius est, & rex à deo constitutus super Sion montem sanctũ eius: & vtrunq; nunc demõstraret, nisi quanto erat potentior, tãto mallet esse patientior.

Cum ergo audisset Pilatus hoc uerbum, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.

Hoc silentium domini nostri Iesu Christi non semel factum, collatis omnium euangelistarũ narrationibus reperitur, & apud principes sacerdotum, & apud Herodem, & apud Pilatum: tamen propter illos, quibus respondere noluit, ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur.

Respondit Iesus: Non haberes aduersum me ullam potestatem, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.

Ecce respondit, & tamen non vbiq; respõdit, nõ sicut reus siue dolosus, sed sicut agnus, hoc est, sicut simplex atq; innocẽs nõ aperuit os suum. Proinde vbi non respondebat, sicut ouis silebat: vbi respondebat, sicut pastor docebat. Dicamus ergo quod dixit, quod & per Apostolum docuit: quia non est potestas nisi à deo. Et quia plus peccat, qui potestati innocentem occidendum liuore tradit, quàm potestas ipsa, si eum cum timore alterius maioris potestatis occidit. Talem quippe dñs Pilato dederat potestatem, vt esset etiam sub Cæsaris potestate, quapropter inquit: Non haberes aduersum me vllam potestatem⌋ .i. quantulamcunq; habes, nisi hoc ipsum, quicquid est, tibi esset datum desuper. Sed quoniã scio quantum sit, (non enim tantum est, vt tibi oĩmodo liberum sit) ⌊propterea q tradidit me tibi, maius peccatum habet.⌋ Ille quippe me tuæ potestati tradidit inuidendo, tu vero eandem potestatem in me exercitaturus es metuendo: nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem nõ debet occidere, sed tamen id zelando facere multo magis malum est, q̃ timendo. Et ideo non ait verax magister: Qui me tradidit tibi, ipse habet peccatum, tanq̃ ille non haberet: sed ait, maius habet peccatum, vt etiam se habere intelligeret. Neq; enim propterea illud nullum est, quia hoc maius est.

Exinde quærebat Pilatus dimittere eum.

Quid est hoc quod dicitur ⌊exinde,⌋ quasi antea non quærebat? Lege superiora, & inuenies iamdudũ eum quærere dimittere Iesum. Exinde itaq; intelligendum est, propter hoc, id est, ex causa, ne haberet peccatum occiden-

do innocentem sibi traditum, quamuis mitius peccans quàm Iudæi, qui illum ei tradiderant occidēdum. Exinde ergo, id est, ideo ne hoc peccatum faceret: non nūc primo, sed ab initio quærebat eum dimittere.

Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.

Maiorem timorem se ingerere putauerūt Pilato, terrēdo de Cæsare, vt occideret Christum, quàm superius vbi dixerant. Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. Eorum legem quippe ille non timuit vt occideret, sed magis filium dei timuit occidere. Nunc vero, non hic potuit contemnere Cæsarem autorem potestatis suæ, quemadmodum legem gentis alienæ. Ait adhuc:

Pilatus autem cum audisset hos sermones, adiunxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostratos, hebraice autem Gabatha. Erat autem parasceue paschæ hora quasi sexta.

Qua hora sit dominus crucifixus, propter euangelistæ alterius testimonium, qui dixit: ⌊Erat autē hora tertia, & crucifixerunt eū, ⌋ quoniam magna disceptatio solet oboriri, cū ad ipsum locum, vbi crucifixus narratur, ventū fuerit, vt potuerimus (si dominus voluerit) disseremus. Cū pro tribunali sedisset Pilatus, **dixit Iudæis: Ecce rex uester. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam?**

Adhuc terrorē, quem de Cæsare ingesserant; superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere, dicēdo: ⌊Regem vestrū crucifigam? ⌋ quos de ignominia Christi mitigare non potuit. Sed timore Pilatus mox vincitur. Vnde subditur:

Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Cęsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.

Apertissime quippe contra Cæsarem venire videretur, si regem se nisi Cæsarem nō habere profitentibus, alium regem vellet ingerere, dimittendo impunitū, quē propter hos ausus ei tradiderunt occidendum. Non autē dictū est: Tradidit eis illum, vt crucifigerent illū, sed vt crucifigeretur, s. iudicio ac potestate præsidis, vt euāgelista dicit: Tradidit ergo illum eis, vt crucifigeretur. Sed nunqd aliud & ante cupiebat, cum dicebat: Accipite eum vos, & crucifigite: vel etiam superius: Accipite eum vos, & secundum legē vestram iudicate eum? Cur autem illi tantopere voluerūt, dicentes: Nobis nō licet interficere quēquam, & omni modo instantes, vt non ab eis, sed à præside occideretur, & ideo eum occidēdum accipere recusantes, si nunc eum accipiunt occidendum? aut si hoc non sit, cur dictum est: Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeret? Sed ideo illis traditū dixit euangelista, vt eos crimine implicatos, à quo alieni esse conabantur, ostenderet. Non enim Pilatus hoc faceret, nisi vt id quod eos cupere cernebat, impleret. Vnde & sequitur:

Susceperunt aūt Iesum, & eduxerūt.

Potest ad milites iam referri, vel apparitores præsidis. Nam postea euidentius dicitur: Milites ergo cum crucifixissent eum: quāuis euangelista etiam si totū Iudæis tradidit, merito facit. Ipsi enim susceperunt, quod audacissime flagitauerunt: & ipsi fecerunt, quicquid vt fieret extorserunt. Iudicante atq; damnante Pilato pro tribunali dominū Iesum Christum, hora quasi sexta susceperunt eum, & eduxerunt.

Et baiulans sibi crucem, exiuit in eū, qui dicitur caluariæ, locum, hebraice aūt golgatha, ubi eū crucifixerūt.

Quid est quod Marcus euāgelista ait, Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum, Iohannes vero dicit, erat autē parasceue paschę hora quasi sexta, quando sedit pro tribunali? Hora tertia crucifixus est dominus linguis Iudæorum, hora sexta manibus militum, vt intelligamus horam quintam iam transactam fuisse, & aliquid de sexta captum, quando sedit pro tribunali Pilatus, quæ dicta est quasi sexta; & cum duceretur, vt in longo cum duobus latronibus crucifigeretur, & iuxta crucem eius gererentur quę gesta narrantur, hora sextā integra compleretur, ex qua hora vsque ad nonam solem obscuratū, & tenebras factas trium euangelistarum, Mathæi, Marci & Lucæ contestatur autoritas. Sed quoniam Iudæi facinus interfecti Christi à se in Romanos, id est, Pilatum & eius milites transferre conati sunt, propterea Marcus suppressa ea hora, qua Christus à militib⁹ crucifixus est, quæ agi sextaiam cœperat, tertiam potius horam recordatus expressit. Qua hora intelliguntur apud Pilatum clamare potuisse, Crucifige crucifige, vt non illi tm̄ reperiātur crucifixisse Iesum. i. milites, q eū ligno sexta hora suspenderunt, verū etiā Iudæi, q vt crucifigeret, tertio clamauerūt. ⌊Baiulās sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur caluariæ, locum, hebraice aūt golgatha, vbi eum crucifixerunt, & cū eo alios duos, hinc & hinc, me-

dium autem Iesum. Isti duo latrones erant, sicut aliorum euangalistarum narratione didicimus, cum quibus crucifixus, & inter quos crucifixus est Christus. De quo præmissa dixerat prophetia: Et cũ iniquis deputatus est.

Scripsit autem titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptũ: Iesus Nazarenus rex Iudæorũ.

Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorũ, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum hebraice, græce & latine. Hæ quippe tres linguæ ibi præ cęteris eminebant, Hebræa propter Iudæos in lege gloriantes, Græca propter gentium sapientes, Latina propter Romanos multis ac pene omnibus iam tunc gẽtibus imperãtes.

Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi

O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignoratium, nonne occulta vox quædam Pilato intus, quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum literis prophetatũ est, Ne corrumpas tituli inscriptionẽ? Nunquid enĩ propterea non erit verum, quia Iesus ait, Rex sum Iudæorũ? Sed quid loquimini insani põtifices? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit? Sed Iudæorum tantum rex est Christus, an etiam gentium? imo & gentium. Cum enim dixisset in prophetia, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptũ eius, ne propter Sion montem solis Iudæis eum regem diceret constitutum, continuo subiecit: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes, &c. Cur ergo magnum volumus intelligere in hoc titulo sacramentum, in quo scriptum erat: Rex Iudæorũ, si rex est Christus & gentium? Quia s. oleaster factus ẽ particeps pinguedinis oliuę, non oliua particeps facta est amaritudinis oleastri. Nam in eo quod de Christo veraciter scriptus est titulus, Rex Iudæorum, q̃ sunt intelligendi Iudæi, nisi semen Abrahæ, filij repromissionis, qui sunt etiam filij dei? Quoniã non qui filij carnis, ait Apostolus, filij dei, sed qui filij repromissionis, deputantur in semine Abrahæ. Et gentes erant quibus dicebat: Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secũdum promissionem hæredes. Rex ergo Iudæorum Christus, sed Iudæorum circuncisione cordis & spiritu, non litera. Quorũ laus non ex hominibus, sed ex deo, pertinentium ad Ierusalem liberam, matrem nostram, æternam in cælis, Saram spiritalem, ancillam & filios eius de domo libertatis ejicientem. Ideo enim Pilatus quod scripsit, scripsit: quia dominus quod dixit, dixit.

Milites ergo cum crucifixissent eũ, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem, & tunicam.

Vnde apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. Manifeste quippe ait: Milites ergo cum crucifixissent eum, &c. subaudiendum est, acceperũt: vt iste sit sensus, Acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partẽ, & tunicam acceperũt. Et sic locutus est, vt de cæteris vestimẽtis missam esse videamus nullam sortem, sed de tunica, quam simul cũ cæteris acceperunt, sed non similiter diuiserũt. De hac enim sequitur exponens:

Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

Cur autem de illa sortem miserunt, narrat, dicens:

Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.

Apparet itaq; in alijs vestibus æquales eos habuisse partes, vt sortiri necesse non fuerit. Quia erat forte aliquid, quod significet in tot partes vestimentorum facta diuisio, & de tunica illa sortitio. Quadripartita enĩ vestis domini nostri Iesu Christi, quadripartitam eius figurauit ecclesiam, toto s. quæ quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, & oĩbus eisdem partibus æqualiter. i. concorditer distributam. Propter quod alibi dicit missurum se angelos suos, vt colligant electos suos à quatuor ventis. Quod quid est, nisi à q̃tuor partibus mundi, oriente, occidente, aquilone & meridie? Tunica vero illa sortita, oĩm partium significat vnitatẽ, quæ charitatis vinculo continetur. De charitate autem locuturus Apostolus, supereminentiorem, inquit, viam vobis demonstro. Et alio loco ait: Cognoscere autem supereminentẽ scientiæ charitatem, quæ est vinculum perfectionis. Si ergo charitas supereminentiorem habet viam, & supereminet scientiæ, & super omnia præcepta est, merito vestis, qua significatur desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquãdo dissuatur. Et ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit, sicut & apostolos. Cum esset enim ipse numerus denarius, id est, q̃dripartitus inter eos, & omnes essent interrogati, solus Petrus rñdit: Tu es Christus filius dei viui. Et ei dicitur: Tibi dabo cla Ephe 3.

Mat. 16. ues regni cælorum, tanq̃ ligandi & soluendi solus acciperet potestatem, cum & illud vnus pro omnibus dixerit, hoc est, cum omnibus, tanq̃ personam gerens ipsius vnitatis. Ideo vnus pro oibus, quia vnitas est in omnibus. Vnde hic cũ dixisset ⌊desuper contexta⌋ addidit ⌊per totum.⌋ Quod si referamus ad id q̃d significat, nemo eius est expers qui pertinere inueniatur ad totum: quo toto, sicut græca indicat lingua, catholica vocatur ecclesia. In sorte aũt quid, nisi dei gratia commendata est? Sic quippe in vno ad omnes peruenit, cum sors omnibus placuit, quia & dei gratia in vno ad omnes peruenit. Et cum sors mittitur, non personæ cuiusq; vel meritis, sed occulto dei iudicio creditur. Et ideo ista non aliquid boni significasse quid dixerit, quia p malos facta sunt, nõ s. per eos, qui Christum secuti, sed qui sunt persecuti. Quid eñ de ipsa cruce dicturi sumus, quę certe similiter ab inimicis atque impijs Christo facta & impacta est: & tamen ea significari recte intelligitur,
Ephesi. 3. quod ait Apostolus, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo & profundum. Lata est quippe, in transuerso ligno, quo extenduntur pendẽtes manus, & significat opera bona in latitudine charitatis. Longa est, à transuerso ligno vsq; ad terram, & significat perseuerantiam in longitudine temporis, vsq; ad finem. Alta est in cacumine, quod à transuerso ligno sursum rursus extẽditur, & significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur: quoniam cuncta quæ latitudine bene ac perseuerãter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda sunt pręmiorum. Profunda est etiam in ea parte, quę in terra figitur: ibi quippe occulta est, nec videri potest: sed cuncta eius apparentia & eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ dei, quæ cõprehendi ac diiudicari non potest, vniuersa procedunt. Sed & si crux Christi hoc solum
Gala. 5. significet, quod ait Apostolus: Qui autẽ sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentijs, quàm magnũ bonũ est? nec tamen hoc facit, nisi concupiscens aduersus carnem spiritus bonus, cum illam crucem Christi fecerit inimicus, id est, malignus spiritus. Postremo q̃d est (quod oẽs nouerunt) signum crucis, nisi crux Christi? Q̃d signum, nisi adhibeatur siue frontibus credẽtium, siue aqua ipsa, ex qua renascuntur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorũ vita perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in cælebratione sacramentorum eius bonum nobis omne signatur? Crucifixo domino, posteaquam diuisio vestimentorum eius etiam missa sorte completa est, quæ deinde narrat Iohannes euangelista, videamus.

Et milites quidem hęc fecerunt: Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum uidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem, quẽ diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus, Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

Hæc nimirum est illa hora, in qua Iesus aquam conuersurus in vinum, dixerat matri: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaq; horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat in qua deberet agnosci à matre moriturus; de qua fuerat mortaliter natus. Tunc diuina facturus, non diuinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam reprehendebat: Nunc autẽ humana iam patiẽs, ex qua fuerat factus homo, affectu cõmendabat humano. Tunc enim, qui Mariam creauerat, innotescebat virtute: nunc vero, quem Maria pepererat, pẽdebat in cruce. Moralis igitur insinuatur locus, ita facit quod faciendum admonet, & exemplo suo instruxit suos præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus, tãquam lignum illud, vbi erat fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

De semetipso dicens sic quippe cõmemorare solet, quod eum diligebat Iesus, qui vtique omnes, seipsum præ cæteris familiarius diligebat, ita vt in conuiuio supra pectus suũ residere faceret. Credo vt istius euangelij, q̃d per eum fuerat prædicaturus, diuinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

Postea dominus sciens quia iam oĩa consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetũ, dixit: Consummatum est, Et inclinato capite, tradidit spiritum.

Quis potest quæ facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste qui passus est? sed homo mediator dei & hominum, hõ de quo prædictũ legitur: Et homo est, & quis agnoscit eum? Quoniam omnes, per quos hæc fiebant, videbant hominem, sed non agnoscebant deum. Homo nanque apparebat, quia dominus latebat. Patiebatur hæc omnia, qui

apparebat: & idem ipse disponebat hæc oĩa, qui latebat. Vidit ergo, quoniam consummata sunt omnia, quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetum, & traderet spiritũ, atque vt hoc etiam consummaretur quod ait: Et in siti mea potauerunt me aceto, sitio inqt, tanquam hoc diceret: hoc minus fecistis, date quod estis. Iudæi quippe ipsi erãt acetum, degenerantes à vino patriarcharum & prophetarum. Tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut spongiam cauernosis quodammodo atq; tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem, cui circũposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circundederunt, & se circumuenisse putauerunt. Vnde illud in psalmo: Asperges me domine hyssopo & mundabor. Christi nanque humilitate mũdamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem crucis, vtiq; sanguis eius in remissionem peccatorum, hoc ẽ, in nostram mundationem nõ fuisset effusus. Nec moueat, quoniam spongiam ori eius potuerunt admouere, qui in cruce fuerat exaltatus à terra. Sicut enim apud alios euãgelistas legitur, quod hic prętermisit, in arundine esse factũ, vt in spongia talis potus ad crucis sublimia leuaretur. Per arundinem vero scriptura significat, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur, vel latina, vel alia qualibet, sonum significãs qui lingua promitur, sic arundo dici potest litera, quæ arũdine scribitur, sed significantius sonos vocis humanæ vsitatissime dicimus linguas. Scripturam vero arundinem dici, quo minus est vsitatum, eo magis est mystice figuratum. ⌊Cum ergo Iesus accepisset acetum, dixit: Cõsummatum est.⌋ Quid, nisi quod pauloante prophetia prędixerat? deinde, qa nihil remanserat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oportebat. Tanquam ille, qui potestatem habebat ponẽdi animam, & iterum sumendi eam, peractis omnibus, quæ vt peragerentur expectabat, inclinato capite tradidit spiritũ. Quis ita dormit quando voluerit, sicut Iesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestẽ deponit quando voluerit, sicut Iesus animam quando voluit? Quis ita cum voluerit obijt, quõ obijt, qñ voluit Iesus? Quanta speranda vel timẽda potestas est indicantis, si apparuerit tanta morientis? Posteaq̃ dominus Iesus peractis omnibus, quæ ante suam mortem peragi oportere præsciebat, quando voluit tradidit spiritum. Quæ deinde secuta sunt, euangelista narrante, videamus.

Iudæi ergo, inquit, quoniam parasceue erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato. (Erat enĩ magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatũ, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebant vt morerent, auferrent ex ligno, ne pendentes in crucibus, magnum diem festũ sui diuturni cruciatur horrore fœdarent.

Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum uenissent, & uiderunt eum iam mortuum, non fregerũt eius crura. Sed unus militũ lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.

Vigilanter verbis euangelista vsus est, nõ vt diceret, latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed aperuit, vt illic quodãmodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, q̃ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hoc lauacrũ præstat & potum. Hoc prænunciabat, quod Noe in latere arcę ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quib⁹ præfigurabatur ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de viri latere dormiẽtis, & appellata virago, mater quoq; viuorum. Magnum quippe significantur bonum, antea & magnum præuaricationis malum, in habitu iacentis atq; dormientis. Et hic secundus Adã inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde formaretur ei coniunx, quæ de latere dormientis defluxit. O mors vnde mortui reuiuiscunt.

Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: Os nõ comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem pupugerunt.

Duo testimonia de scripturis reddidit singulis rebus, quas factas fuisse narrauit. Nam quia dixerat, ⌊Ad Iesum aũt cũ venissent, nõ fregerunt eius crura,⌋ ad hoc ptinet testimoniũ: ⌊Os nõ cõminuetis ex eo.⌋ Quod præceptum est eis, qui celebrare pascha iussi sunt ouis immolatione in veteri lege, q̃ dñicæ passionis vmbra p̃cesserat. Vñ pascha nostrũ immolatus est, de q̃ & Isaias propheta prędixit: Sicut ouis ad immolandũ duct⁹ est. Itẽ subiũxerat, dicẽs: ⌊Sed vnus militũ lãcea latus ei⁹ apuit.⌋ ad hoc ptinet alteq; testimoniũ, hoc ẽ, ⌊Videbũt in quẽ cõpũxerũt.⌋ Vbi promissus ẽ Chrs in ea, q̃ crucifixus ẽ, carne vẽtur⁹.

Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, eo quod eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autẽ propter metum Iudęorum, ut tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad illum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum.

Non ita diſtinguendũ eſt, vt dicamus, primum ferens mixturã myrrhæ, ſed hoc quod dictum eſt ⌊primum⌋ ad ſuperiorem ſenſum pertinet. Venerat eñ Nicodemus ad Ieſum nocte primum, quod idem Iohãnes narrauit in prioribus euangelij ſui partibus. Hic ergo intelligendum eſt, ad Ieſum non tunc ſolum, ſed tunc primum veniſſe Nicodemum: ventitaſſe aũt poſtea, vt fieret audiẽdo diſcipulus. Quod certe mõ in reuelatione corporis beati Stephani fere omnibus gentibus declarat.

Erat autem ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum nouũ, in quo nondũ quiſꝗ̃ poſitus fuerat.

Sicut in Mariæ virginis vtero nemo ante illum vel poſt illum conceptus eſt, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo poſt illum ſepultus eſt.

Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.

Acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adueſperaſceret, qñ iam propter paraſceuen, quam cœnam purã Iudæi vſitatius apud nos vocant, facere aliquid non licebat.

IN VIGILIA PAſchæ. Ad Coloſ. III.

Fratres, Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens. Et reliqua.

Domini noſtri Ieſu Chriſti honorabilem ſolennitatem, ſua fauente clementia, fratres chariſſimi fideliter veneremur, pietatem eius ineffabilẽ admiremur, qui nõ ſolum noſtræ redemptionis cauſa humanam carnem ſuſcepit, verumetiam diuerſa pœnarum genera pro noſtra ſalute ſubire dignatus eſt, vt licet poſt multum inertiæ & pigritiæ noſtræ ſomnum, non inuiti, ſed voluntarij, ſanctæ Chriſtianæ religionis dulcedine prouocante in ſanctiſſimæ ſolennitatis conuentu expergefacti, libenter & deuote cũ omni ſolicitudine reſurgamus, ſecundum illud quod Apoſtolus ait in præſenti lectione: ⌊Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quę ſurſum ſunt q̃rite, vbi Chrs ẽ in dextera dei ſedẽs.⌋

Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.

Acſi diceret: Nos qui ad imaginem ſanctæ trinitatis reformamur, ad eandẽ renouemur imaginem: & qui trino peccato maxime decidimus in conſenſum operum malorum, tertio eleuati de fonte remiſſione omnium peccatorũ percepta, per Chriſti gratiam ſicut ipſe tertia die reſurrexit, nos reſurgamus ad vitã. Nos vero ſi conſurgere cupimus cum Chriſto, prius moriamur mundo & concupiſcentijs carnalibus, & deponentes veterem hominem. i. malum voluntatem, vel vſum prauum & delectationes peſſimas: induamus nos benignitatem, vt proximis noſtris cum omni deuotione faciamus bonum, & poſt dei dilectionem nihil amori proximi præponamus, ſed vt noſmetipſos, illos diligamus. Seq̃tur. ⌊Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.⌋ Tantum ea quæ cæleſtia ſunt, nõ quæ terreſtria quærentes: terræ mori, viuere autẽ deo: cæleſtem ſectari ſapientiam, non terrenam. Nam ſubditur:

Mortui enim eſtis, & uita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in deo.

Cum eñ mortui erimus mundo, & facultatibus eius atq; deſiderijs, vita nr̃a abſcõdita eſt in deo, quia filij dei ſumus. Vnde ſequit̃.

Cum enim Chriſtus apparuerit uita ueſtra, tunc & uos apparebitis cum ipſo in gloria.

Nondum enim apparet quid aut quales facti ſum⁹ ad iudicium. Cum autẽ Chriſtus ad iudicandum viuos & mortuos apparuerit, tunc & nos ſimul cũ illo apparebimus in gloria reſurrecturi. Nobis etenim & pro nobis Chriſtus naſcitur, patitur & reſurgit, vt nos per ipſum in vitam renaſcamur in tribulationibus, & cum eo in virtutibus reſurgamus. Omnia enim per ipſum in hac nocte reſtaurata ſunt. In hac quippe nocte quaſi primitiæ ipſe reſurrexit, vt nos omnes poſtea reſurgamus. In hac ergo nocte captiuitas noſtra ſoluitur, vita in Adam amiſſa reſtauratur. In hac nocte protoplaſtus Adam reſurgit, peregrinus redijt ad patriam paradiſi. Ab hac enim nocte dominicæ reſurrectionis paradiſus omnibus patet, nulli clauditur niſi à ſeipſo, nulli aperitur niſi à Chriſto. Et ideo cum omni ſolicitudine caueamus, ne propter opera diaboli quæ pertrahunt in interitum, apertum nobis iter regni cæleſtis noſipſi claudamus, ſed potius per opera iuſtitiæ & miſericordiæ,

planum nobis iter faciamus ad regnum cælorum. Ergo humilitate nostra, humilitatē pro nobis domini nostri in memoriam reuocemus. Humiliter in ista nocte vigilemus, humiliter oremus ad deum, qui gloria sui luminis illuminauit hanc noctē, cui dicimus. Deus meus illumina tenebras meas, illumq́ rogemus, vt præbeat lucem cordibus nostris, vt quemadmodum gaudentibus oculis istū splendorem luminum cernimus, ita huius noctis præclaram gloriam illuminata mente videamus, ipsumq́ precemur, vt exaudiat nos vigilātes in solemnitate sua, qui dormiuit pro salute nostra. Vigilemus ergo & oremus forinsecus, hanc vigiliam celebremus. Deus nobis loquitur in lectionib⁹ suis, deo loquamur in precibus nostris. Si eloquia eius obedienter audierimus, in nobis habitat quem rogamus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

IN DIE SANCTO PAschæ. Marci XVI.

In illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerūt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Et reliqua.



Commendat nobis hæc sacratissima lectio, sanctarum mulierum deuotionem, commendat & angelorum apparitionem, & quod his maius est, dominicam resurrectionem. Sed cuncta per ordinē videamus. Ait enim euangelista: ⌊Maria Magdalene &c.⌋ Prædictæ nanque mulieres (vt Lucas euangelista commemorat) à Galilæa dominum secutæ fuerant, de suis substantijs ei ministrantes: quia licitum erat apud Iudæos, nec ducebatur in culpam, vt mulieres prædicatoribus de suis facultatibus victum & vestitum ministrarent. Quam consuetudinem tenuerunt apostoli, post domini resurrectionem, vel ascensionem, quod apostolus Paulus probat, sed ipse propter vitandum scandalum inter gentes, hac consuetudine vti noluit, dicens: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circunducendi, sicut & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? Cephas Syriace, latine dicitur Petrus, Acsi diceret, habemus. Et in Actibus apostolorum de ipsis apostolis legitur: Hi oēs erant
Actu. 1. vnanimiter perseuerantes in oratione cū mulieribus & Maria mater Iesu. Sed mulieres quæ dominum secutæ fuerant, videntes eum comprehendi, ligari, flagellari & crucifigi,
Iohā. 11. discipulis qui dicebant prius. Eamus & nos, vt moriamur cum illo, fugientibus, ipse cum eo remanserunt: & sic impletum est tempore dominicæ passionis, quod olim per beatum Iob in eius persona dictum fuerat: Pelli meæ consumptis carnibus adhęsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Iob. 19. Quasi enim consumptis carnibus, pellis ossi adhæserat, quando discipulis fugientibus, mulieres cum domino perseuerabant. Sed quæ arctius eum viuentem dilexerāt, nec à mortuo separari poterant. Nam videntes eum sepeliri, sedentes contra sepulchrum, vt euangelista refert, notauerunt locum, vt abeuntes emerent aromata, & illa nocte, quantū potuerunt, vnguenta pręparauerunt: sabbato autem, secundum mandatum legis siluerunt. Occidente vero sole, quod supererat in præparandis vnguentis desudauerunt. Manē autem prima sabbati, antequam illucesceret, cū præparatis aromatibus ad sepulchrum venerunt, cupientes eius sacratissimum corpus saltem mortuum vngere, quem viuentem nimio dilexerant amore. Et hoc est quod Marcus ait: ⌊Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata &c.⌋ Et pulchre mulieres vno nomine censent, vt quibus vna erat voluntas, parq́ desiderium, vnum esset & vocabulum. Quarum nominum distinctionem euangelica lectio ostendit, per adiectiua nomina, cum ait: Magdalene, Iacobi, & Salome. Maria Magdalene à Magdalo dicta est castello: ipsa quoq; soror fuit Lazari, q̄ quondam (vt Lucas narrat) peccatrix in ciuitate fuit: sed quia dilexit multū, dimissa ei sunt peccata multa. Maria Iacobi à filio suo Iacob dicta est, quæ matertera fuit domini, id est, soror matris, & mater Iacobi & Ioseph. Maria Salome, vel à vico, vel à viro dicta ē. Tradūt enim eam habuisse duos viros, Cleopham scilicet & Salomem: ipsam volunt esse, quæ alibi Maria Cleophæ appellatur. Maria autem Syriace, nobiscum stella maris, siue domina interpretatur: significat vero ecclesiam, quæ in medio nationis prauæ & peruersæ lucet tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ continens. Quæ significatio, quamuis dei genitrici spiritualiter congruat, per cuius partum virgineum sol iustitiæ mundo resplenduit, tñ & istis potest congruere, quæ cū aromatibus venientes ad sepulchrum, primum splendorem dominicę resurrectionis mundo nunciauerunt. Mystice autem, per has deuotissimas mulieres, sancta ecclesia designatur, quarū noīm interpretatio recte illis congruit. Magdalus vero, à quo Maria Magdalena dicta est, vt diximus, turris interpretatur, & significat ecclesiam. Turris quippe nō solū sublimior, sed etiam tutior domus est, non facile hostibus patēs: ac p hoc ecclesiam significat, quæ & terrena deserit, & cęlestia desiderat, pu

gnans inter ſpiritales nequitias, quotidie ſibi auxiliũ à deo de ſupernis poſtulando, vt antiqui hoſtis inſidias ſuperare poſsit, fortitudinemq; ſuam nõ ſibi, ſed domino committit, orans cum propheta: Eſto mihi domine turris fortitudinis, à facie inimici. Hæc enim illa eſt turris fortis & inexpugnabilis, cui voce ſponſi in Canticis canticorum dicitur: Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Et de qua Salomõ ait: Turris fortiſsima nomẽ dñi, ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur. Maria Iacobi interpretatur ſupplantatrix, ſignificat & ipſa eccleſiam: quæ vt virtutes accipere poſsit, vitia ſupplantare nouit. Maria Salome, interpretatur pacifica, congruit & ipſa eccleſiæ, quæ nõ ſolum in proſperis, ſed etiam in aduerſis inuiſibilem pacem ſeruat, dicens cum propheta: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Et iterum: In pace factus eſt locus eius, & in Sion habitatio eius. Veniunt ergo deuotiſsimæ mulieres cum aromatibus ſepulchrũ domini viſitare, quia eccleſia per deuotionis ſtudium, quotidie deo appropinquat, dicẽs cum Pſalmiſta: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Aromata quoq; orationes ſanctorum ſignificant, quæ autem græce aromata, latine dicuntur odoramenta, ac ꝑ hoc deuotæ orationis fragrantiam deſignãt, ſicut Iohannes in Apocalypſi ait: Et habebãt phialas plenas odoramentoꝝ, quæ ſunt orationes ſanctorum. Et iterum: Stetit angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa multa, vt adoleret ea ante altare aureũ, quod eſt ante oculos domini. Cum enim aromata ſemꝑ ſunt odorifera, tamẽ tũc maiorem odoris fragrantiam exhibent, cũ in igne poſita fuerint: quia orationes ſanctoꝝ tanto magis ante deum ſuauius redolent, quanto magis ab igne compunctionis excoctę fuerint: intantum, vt ſuauitate delectatus rex dicat: Quæ eſt iſta q̃ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Cui ſancta anima nihil de ſe præſumens, ait: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorũ. Quaſi enim aromata emimus, quæ ad ſepulchrũ deferamus, quando ingreſſuri eccleſiam ad orationem, noſtras conſcientias à ſordibus cogitationibus emũdamus, dicentes cum propheta: Paratum cor meum deus, paratũ cor meũ: cantabo, & pſalmũ dicam dño: Illæ ergo mulieres angelos vident, quæ cũ aromatibus ad ſepulchrum veniunt: quia illæ animæ ad conſortium angelorum pertinent, q̃ cum opinione boni operis aſsiduitatem habent orationis. Talis erat ille, qui dicebat: Chriſti bonus odor ſumus, deo in omni loco. Imitemur ergo & nos eaſdem ſanctas & deuotiſsimas mulieres, vt ſicut illæ cum aromatibus dominũ toto deſiderio quærebant in ſepulchro, quod eſt proprius mortuorum locus: ita & nos, nõ in ſepulchro, ſed cum aromatibus, i. orationibus, toto affectu mentis quæramus eum in cœlo, quo ipſum aſcendiſſe nouimus.

Et ualde mane una ſabbatorum ueniunt ad monumentum, orto iam ſole.

Hic inquirendum eſt, quare iſte euangeliſta dicat: ⌊Et valde mane vna ſabbatorũ veniunt ad monumẽtum, ⌋ cum Matthæus deſcribat: ⌊Veſpere autem ſabbati, quę luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. ⌋ Ad quod prudens lector facile reſpondere poteſt, quia voluntate & deſiderio mentis veſpere (ſicut Matthæus dicit) venire cœperũt, ſed tenebris noctis impedientibus, ſecundum Marcũ valde mane corporaliter ad dñi ſepulchrum ꝑuenerunt. Vel certe cum Matthæus ait, Veſpere ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venerũt videre ſepulchrum, à parte noctis, qua venerant, totam noctem intelligere voluit: quia vſus ſcripturæ eſt, aliquando à parte totum ſignificare. Sed vt lucidius & apertius intelligatur, ſciẽdum eſt quia ſicut habet dies veſperã, ita & nox. Hoc tamen inter vtrunq; diſtat, quia veſper diei tenebreſcere cõſueuit in noctem, veſper autem noctis luceſcere in diem. Vt ergo Matthęus non veſperam diei, ſed noctis deſcripſiſſe ſe oſtenderet, poſt quã dixit, ⌊veſpere ſabbati, ⌋ adiecit: q̃ luceſcit in prima ſabbati, & ideo vnum idemq; eſt quod Marcus ait ⌊valde mane, ⌋ & quod Matthæus dicit, ⌊veſpere ſabbati. ⌋ In dñi nanq; reſurrectione, etiam ipſe ordo temporis mutatus eſt. Ab initio enim ſeculi vſq; ad dñi reſurrectionem, dies præcedebat, & ſequebatᷣ nox: à domini vero reſurrectione, nox præcedẽs, ad ſequentẽ diem ꝑtinet: quia qui in huiꝰ noctis vltima parte à mortuis reſurrexit, ipſam noctem lucidam atq; coruſcam reddidit, & quoddammodo in diem cõmutauit. De qua ſcriptum eſt: Et nox ſicut dies illuminabitur. Et iterum: Et nox illuminatio mea, in delicijs meis. Et apte quondam dies præcedebat noctem, quia primus hõ à vera luce diſcedens, in tenebras erroris incidit. Apte etiam nunc dies noctem ſequitur, quia per domini reſurrectionem de tenebris erroris liberari, ad veram lucem conuerſi ſumus, ſicut ait Apoſtolus: Nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Iterum autem cõtrarium ſonare videtur, quod Marcus ait: ⌊Veniunt ad monumentum, orto iam ſole. ⌋ Iohãni, qui dicit: ⌊Cum adhuc tenebræ eſſent, venit Maria Magdalene ad monumentum. ⌋ Vbi dicẽdum eſt, q̃a propter magnitudinẽ amoris Maria Magda

lene primum sola, cum adhuc tenebrę essent, ad monumentum venit, sicut Iohannes narrat: postea vero cum duabus eiusdem nominis fœminis iterum orto sole, sicut Marcus commemorat. Est tamē & alia ratio, p quam nihil contrarium inter se euangelistæ sensisse cognoscuntur. Quotidie enim oculis cernimus, quod crepusculo diei appropinquante, cum sol cōcauas terrarum partes relinquēs, radios suæ lucis aperire cœperit, ita fit lux in oriente, vt non desint tenebræ in occidente. Igitur si partes orientis cōsideraverimus, nihil contrarium videtur dixisse Marcus cum ait ⌞orto iam sole:⌟ si partes occidentis, non videtur dissonum quod dicit Iohānes, ⌞cum adhuc tenebræ essent.⌟ Forte quæritur, quare Iohannes vnā tantummodo nominans, angelos vidisse asserat, cū Marcus tres scribat? Ad quod dicendum, quia (vt diximus) vel prius venit Maria Magdalene, & postea iterum cum aliis: vel tres simul venerunt, & Iohānes vnam nominans, alias venisse negauit. Iuxta vero spiritalem intelligentiā, tenebræ in cordibus mulierum erant, qñ deum velut mortuum quærebāt inter mortuos. Ortus est eis sol, quando auditam ab eis resurrectionē crediderunt, solis enim nomine in scripturis, aliquādo dominus Iesus Christus intelligitur, sicut scriptum est: Sol cognouit occasum su-
Psal.103. um. i. Christus passionem. Et iterum: Vobis
Mala. 4. qui timetis dominū, orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Quod autē ait: ⌞Vna sabbatorum⌟ primam sabbati intelligere debemus. i. primum diem post sabbatum, quam ob honorem & reuerentiam dñicæ resurrectionis, dñicam nominamus. Sicut enim nos primam feriam, secundam feriam, tertiam feriā, & cæteros per ordinem dies dicimus, sic Iudæi primam sabbati, secundam sabbati, tertiā sabbati nominabant. Et sicut Cantica canticorum, & sancta sanctorum pro sui magnitudine in scripturis dicuntur, sic iste dies sabbatū sabbatorum propter gloriam resurrectionis dominicæ diei potest. Hæc autem dies & vna est de septem, & extra septem. In hac enī hebdomada exordium sumit, & terminū accipit. Sic enim est prima, vt sit tertia: & sic tertia, vt etiam sit octaua: prima quidem, in conditione: tertia, in resurrectione: octaua, in reuolutione. Qui ergo in hac die resurgere dignatus est, octonarium numerum ad resurrectionem pertinere monstrauit. Resurrexit in ipsa, vt ostenderet humanū genus in octaua ętate seculi resurrecturum. Vnde per Salomonem dicitur: Da partes septem, necnon & octo. Sicut enim septima die deus ab operibus suis requieuit, sic septima ætas dicitur requies sanctorum, cum animæ absque corporibus sunt in requie. Octaua autem ætate accipient ipsæ corpus, & erunt in requie. In cuius typo vel figura, octo aīæ in arca saluæ factæ sunt Noæ. Hæc est enim illa dies, de qua dicitur: Hæc est dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea.

Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumēti.

Matthæus euangelista dicit, quod cum Ioseph sepeliisset dñm in sepulchro suo nouo, aduoluit ad ostium monumenti saxum magnum, & abiit. Iudæis signantibus ipsum cū custodibus. Ergo istæ mulieres venientes sepulchrum dñi visitare, & sexus sui fragilitatē considerantes, & magnitudinem lapidis recolentes, qui tam magnus fuisse fertur, vt vix à viginti hoib⁹ moueri posset, dicebāt: ⌞Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?⌟ Sed q̄uis talia dicerent, non tñ à cœpto itinere cessabāt, credentes diuinitus fieri possibile, quod humanæ fragilitati videbatur impossibile. Quarum mulierum constantia in libris Regum pulchræ præfigurata est, quādo Allophyli arcam domini captam in terram Israel remittentes, iunxerunt duas vaccas fœtas ad plaustrum, vitulosq; earū recluserunt domi. Et sicut scriptum est, Ibant vaccæ in directum, per viam quæ ducit Bethsamis pergentes, & mugientes, nec tamē ad dexteram vel ad sinistram declinantes: ita & hæ mulieres pergentes dominicum sepulchrum inuisere, quasi mugientes & gementes dicebant: ⌞Quis reuoluet nobis lapidem, &c.⌟ nec tamen propter sexus fragilitatem, nec propter magnitudinem lapidis, nec propter metū custodum, à cœpto itinere declinabant. Imitemur igitur & nos harum constantiam mulierum, vt p viam dei ambulantes, nec propter tentationem dæmonum, nec propter metum hominum, nec propter curam parētum à recto itinere deuiemus: quia inchoantibus prę mium promittitur, sed pseuerantibus datur, domino dicente: Qui pseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Et respicientes, uiderunt reuolutum lapidem.

Qualiter vel quomodo reuolutio lapidis facta sit, alius euangelista, Matthæus scilicet, declarat, dicens:

Angelus quippe domini descēdit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Reuoluit ergo angelus lapidem, & non vt egressuro domino viam pāderet, sed vt egressus eius indicium omnibus daret, id est, vt omnes eum à mortuis resurrexisse crederent. Non enim indiguit in resurrexione auxilio angelorum, qui propria virtute claustra dissipauit inferorum.

Erat quippe magnus uald e.

Spiritaliter lapis iste ad ostium monumē-
ti positus, ipsam oblationem designat infero
rum, qua etiam iusti per pręuaricationem pri
mi reatus tenebantur obnoxij. Qui magnus
valde fuisse dicitur, quia obligatio origualis
peccati intantum dura & insolubilis fuit,
vt nullus tam iustus fuisse legatur, qui se ali-
osq; ab ea liberare posset, quoadusq; ille ve-
nit, qui factus est inter mortuos liber. Sed do
minus Iesus Christus, qui est magni consilij
angelus, ab ostio monumenti lapidem reuol
uit, quia hodierna die à mortuis resurgens.
Cherubim & flammeum gladium atque ver
satilem, à via paradisi remouit: Vnde scriptū
est: Tollite portas principes vestras, & eleua
ni portæ æternales, & introibit rex gloriæ.
Nec solus ipse à mortuis resurrexit, sed etiam
omnes animas iustorum de inferni claustris
liberauit, impleta ꝓphetia Oseæ qui ait: Ero
mors tua ò mors, ero morsus tu⁹ inferne. Et
dominus: Si exaltatus fuero à terra, oīa tra
ham ad meipsum, Cuius singularem virtutē
resurrectionis Samson ille fortissimus præfi
gurauit, de quo in libro Iudicum legimus, qa
cum Gazam ciuitatē fuisset ingressus ad me-
retricem, audientes Philistæi eius introitum,
ciuitatem muuierunt custodesq; deportaue-
runt, & quasi iam se eum habere comprehen
sum gauisi sunt. Sed quid fecit Samson audia
mus. Nō solum media nocte exijt, sed etiam
vtrasq; portas ciuitatis cū postibus proprijs
humeris in montem tulit, custodesq; inanes
& illusos reliquit. Quem Samson ille fortissi
mus significauit, nisi dominum Iesum Chri-
stum, de quo scriptum est: Dominus fortis &
potens, dominus potens in prælio? Cum er-
go fuisset in ciuitatē ingressus, adamauit me-
retricem, id est, Christus ecclesiam quæ post
idolorum culturam ad festum Christi voca-
ta ē. Quid Gaza ciuitas, nisi infernum: quid
Philisthæi, nisi Iudæos designant? Samson er
go Gazam ciuitatem ingresso, Philistæi læta
bantur: quia Iudæi sepulto domino, ad infer
ni claustra descendente lætati sunt, putantes
nomen eius se habere extinctum. Sed quid
Samson noster scilicet dominus Iesus Chri-
stus fecit? Non solum liber exijt, sed etiā por
tas tulit: quia non solum ipse ab inferis liber
exijt, sed etiam oēs animas iustorum de in
ferno liberauit, & ad montana, id est, ad cæ-
lestia reuocauit. Cui per prophetam Zacha-
Zach. 9 riam dicitur: Tu quoq; in sanguine testamen
ti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in q̄ non
erat aqua. Et ne aliquis de resurrectione du-
Mat. 27 bitaret, etiam aliquantos corpore resuscita-
uit: quia (sicut scriptū est) multa corpora san-
ctorum, qui dormierant, surrexerunt.

Et introeuntes in monumentum.

Postquam deuotæ mulieres lapidem ab
ostio monumenti reuolutum viderunt, si-
ne vlla tarditate in ipsum introierūt. Sed for
te mouet aliquos, qui tantum cōsueta monu-
menta considerant, quomodo sepulchrū do
mini ædificatū fuerit, quod tot mulieres vna
cum angelis capere posset. Ad quod respon
dendum, quia sicut illi testati sunt, qui hoc vi
derunt, & scriptum ad nostram memoriā re-
liquerunt, tali modo ædificatum fuit. Erat e-
nim lapis magnus in horto, guttulis purpu-
reis intinctus, colore cādido resulgens, in cu
ius latere erat sepulchrum excisum, tātæ ma
gnitudinis, vt octo vel nouem homines ca-
pere posset: & tantæ altitudinis, vt quisque in
eius pauimēto stans, erecta manu culmē per
tingere posset. In cui⁹ aquilonari parte sepul
chrum domini excisum est, septem pedes &
mediū (vt dicunt) habens lōgitudinis, & tres
palmas & mediam latitudinis. Ostium vero
speluncæ, patulum est ad orientem, vnde in-
troeuntibus locum dominici corporis in de-
xtris habetur: quia dominicum corpus ita in
monumento iacuit, vt caput illius ad occidē-
tem, & pedes ad orientem respicerent: dexte
ra quoq; manus ad meridiem, sinistra ad aq-
lonem. Ex quo tempore consuetudo excre-
uit, Christianorum corpora ad hanc similitu
dinem sepeliri. Et recte in tali loco dominus
sepulturam suam elegit, vbi nulla possibilitas
effodiendi esset, quatenus omnem occasionē
calūniandi Iudæis auferret: ne forte, si mace-
ria vel q̄libet pariete circūclusus esset, dicerēt
ipsum discipulos ipsius furatos fuisse. Post ascē
sionem dn̄i & resurrectionē, Christiani ze-
lo diuini amoris ecclesiam in eodem loco ro
tundo miræ magnitudinis ædificauerunt, cu-
ius pauimentum ex marmore albo strauerūt
tectum autem laminis aureis desuper ornaue
runt, interiora autem parietum crustulis au-
reis decorauerunt. Super sepulchrum autem
crucem auream miræ pulchritudinis statue-
runt, appendentes ante eam pharum argen-
teum cum lampadibus. Intantum nāq; sepul
chrum domini mirabile factum est, vt eti-
am prophetia Isaiæ iuxta literam impleretur
dicentis: In die illa radix Iessæ q̄ stat in signū
populorum, ipsum gentes deprecabuntur, &
erit sepulchrum eius gloriosum.

Viderunt iuuenem sedentem in de-xtris coopertum stola candida.

Iohannes euangelista dicit, ꝙ respiciens
Maria Magdalene in monumētum, vidit du
os angelos in albis sedentes, vnū ad caput, &
vnū ad pedes, vbi positum fuerat corpus Ie-
su. In quo loco considerādum est, q̄ pulchre
vtraq; domini natura, diuina pariter & huma
na, nobis commendatur. Per caput nanq; di-
uinitas designatur, sicut Apostol⁹ ait: Caput 1. Cor. 11

Christi deus: per pedes vero humanitas, vn
Deut. 33. de Moses dicit: Et qui appropinquant ad pe-
des eius, accipient de doctrina eius. Quasi er-
go angelus ad caput sedet, cum Iohãnes cla-
mat: In principio erat verbum, & verbum e-
rat apud deum, & deus erat verbum. Quasi
ad pedes, cum idem euangelista ait: Et ver-
bum caro factum est, & habitauit in nobis.
Marcus autem eundem angelum in dextris
sedisse describit, vt dominum de mortalitate
ad immortalitatem transisse insinuet. Sicut
enim per sinistram præsens vita, sic & per de
xtram futuræ vitę immortalitas designatur,
Canti. 2. teste Salomone, qui ait: Læua eius sub capite
meo, & dextera illius amplexabit me. Et re-
cte testis eius resurrectionis angelus in de-
xtris apparuit, vt ostenderet eum de corru-
ptione ad incorruptionem, de mortalitate ad
immortalitatem transisse, quia sicut ait Apo-
Roma. 6. stolus: Christus resurgens à mortuis, iã non
moritur, & mors illi vltra non dominabitur.
Et iterum: Et si nouimus Christum secundũ
2. Cor. 5 carnem, sed iam nũc non nouimus. Et vt ini-
micũ humani generis perfecte à domino su-
peratum declararet, non stans, sed sedens an
gelus apparere voluit. Stare enim pugnantis
est, sedere regnantis, siue iudicantis. Sedet e-
nim rex in throno gloriæ suæ, miles aũt post
victoriam quiescit. Quia ergo dominus ca-
put antiqui serpentis contriuerat, omnesq;
electos dei de eius potestate liberauerat, re-
cte testis resurrectionis eius, non stãs, sed se
dens (vt dictum est) apparuit. Qui etiam be-
ne stola candida coopertus appparuit, vt in-
effabile gaudium dominicæ resurrectiõis in
ipso habitu demonstraret. Cum enim in ve-
teri testamento sæpissime ab hominibus an-
geli visi legantur, non facile reperies quen-
quam stola cãdida indutum apparuisse, quia
hoc priuilegiũ dñicæ resurrectioni seruabat.
Et quia consuetudo est Palæstinis dies festos
celebrantibus, vt alba vestimenta induant, cũ
stola candida indutus apparuit, festiuitatem
dominicæ resurrectionis se celebrare osten-
dit. Vbi si quis quærat, vtrum suam, an no-
stram, intelligere potest, & suam, & nostram.
Domini enim resurrectio festiuitas angelo-
rum fuit, quoniam numerus eorũ, qui retro-
gradiens per apostatam angelum imminu-
tus fuerat, ex animab' fidelium adimpletur.
Nostra festiuitas est, quia de perditione nos
liberãs, ad societatem angelorum reuocauit.
In sua igitur festiuitate & in nostra angelus
in cãdidis vestib' apparuit, vt ineffabile gau-
dium huius festiuitatis oñderet. Si ergo gau-
dium est in cælo coram angelis sup vno pec
catore poenitentiam agente, quale putamus
gaudium fuisse, quando tot millia animarum
sanctarum ad suum consortium transire vi-
derunt? Hæc est nanq; dies quam fecit domi-
nus, exultemus & letemur in ea.

Et obstupuerunt.

Consuetudo mortalium est, vt cum aliqd
super se viderint, infra se pertimescũt. Ex eo
enim tempore, quo primus homo à consor-
tio angelorum peccando discessit, in tantam
dilapsi sumus miseriam, vt supernos ciues si-
ne metu videre non possimus. Et ideo sanctę
mulieres, non solum quia angelum viderũt
coopertum stola candida, obstupuerunt: sed
etiam, quia vacuum monumenti locum con
conspexerunt. Nam idem ipse angelus testis
dominicæ resurrectionis in tali specie appa-
ruit, vt ex ipsa sua visione, & terrorem repro
bis, & blandimentum pijs mentibus exhibe-
ret. Quod Matthæus euangelista manifestat,
dicens: Erat aspectus eius sicut fulgur, vesti
menta eius sicut nix. In fulgore etenĩ timo
ris terror, in niue blandimentum lenitatis oñ
ditur. Quia ergo in fulgureo vultu & in ni-
ueo candore angelus apparuit, ostẽdit, quia
dominus Iesus, qui est angelus magni consi-
lij dictus, in vltima & generali resurrectione
& terribilis reprobis, & blãdus apparebit iu
stis. Quasi enim in fulgoreo vultu apparebit
illis, quibus dicturus est: Discedire à me ma-
ledicti in ignem æternum, qui paratus est dia
bolo & angelis eius. Quasi in niueo candore
illis, quibus dicet: Venite bñdicti patris mei,
percipite regnum quod vobis paratũ est ab
origine mundi. Hanc descriptionem ostẽdit
angelus testis dominicæ resurrectionis, quã
do præ timore illius exterriti sunt custodes,
& facti sunt velut mortui: mulieres autem, ne
timerent, protinus blandam consolationem
acceperunt. Vnde subditur:

Qui dicit illis: Nolite expauescere.

Ac si diceret: Paueant illi, qui supernorum
ciuium aduentum non diligunt: pertimescãt
illi qui sepulchrum domini maligno animo
custodiunt. Vos autem timere non debetis,
quæ conciues vestros conspicitis. Et quarę
mulieres timere non deberent, causam proti
nus demonstrat, cum subiungit:

Iesum quæritis. Iesus Hebræo sermone,
latine saluator, siue salutaris dicitur. Ac si di-
ceret: Quæ saluatorem q̃ritis, saluatoris nun
cium nõ debetis timere, sed magis diligere.
Et ne forte de alio aliquo Iesu dici putare-
tur, subiunxit:

Nazarenum. Nazarenus dictus est domi
nus, eo quod in ciuitate Nazareth sit conce-
ptus, atq; nutritus. Sed quia Nazaræus san-
ctus interpretat, recte hoc nomẽ specialiter
illi cõgruit, qui est sanctus sanctorũ, & rex re
gum, & dominus dominãtium. De quo per Psal. 15.
Prophetam dicitur: Non dabis sanctum tu-
um videre corruptionem. Et ne aliqs in Na-

zareth tali nomine vocaretur, adiunxit.
Crucifixum. Crucifixus eſt pro nobis, vt
per lignum ſanctæ crucis, lignum præuari-
cationis excluderet.
Surrexit. Surrexit per humanitatem, qui
nullum caſum patitur in diuinitate. Et ideo re
ſurgere voluit, qui nunquam cecidit, vt ille eri
geretur, qui ſtare noluit. Quod autem ait:
Non eſt hic. De præſentia corporali di-
xit: quia per diuinitatis potentiam vbiq; ē to
tus, vbiq; eſt præſens, ſicut ipſe ait per pro-
phetam: Cælum & terram ego impleo. Et vt
Iere.23. omnem dubitationem à cordibus eorum ex-
pelleret, adiecit:
Ecce locus, ubi poſuerunt eum.
Ac ſi diceret: Si meis non creditis verbis,
ſaltem vacuo credite ſepulchro, & omnem
dubitationem à cordibus veſtris repellite.
**Sed ite, dicite diſcipulis eius, & Pe-
tro.** Conſideranda eſt in hoc loco ſpecialis
domini miſericordia erga ſexum fœmineū.
Ne enim mulier ſemper in opprobrium ha-
beretur, quia fœmina prima viro propinaue
rat mortem, per fœminas primum viris ſuā
voluit nunciare reſurrectionem. Ac ſi dice-
retur hominibus: De cuius manu ſumpſiſtis
pocula mortis, ab eius ore audite gaudiū re-
ſurrectionis. Sed quærendum eſt, quare diſci
pulis nominatis, Petrus ex nomine deſigne-
tur. Ait enim angelus: ⌊Dicite diſcipulis ei⁹
& Petro.⌋ Ad quod dicendum, quia ſicut eu
angelica narrat hiſtoria, cum pergeret domi
nus ad paſſionem, Petrus Pauore perterrit⁹,
ter eum negauerat: & fortaſſis inter cæteros
diſcipulos ad videndum dominum, poſt do-
mini reſurrectionem accedere non auderet,
niſi eum angelus ex nomine exprimeret. Vo
catur ergo ex nomine, ne deſperaret ex ne-
gatione. Forte etiam mouet aliquem, quare
dominus tam dilectum diſcipulum, in tā gra
ue facinus cadere permiſit, vt dominū ac ma
giſtrum ſuum ad vocem vnius ancillæ nega-
ret. Sciendum autem quia prouidētiſſima di-
ſpenſatione domini hoc factum eſt, vt quem
cunctæ eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ſemet
ipſum negare permitteret, vt ex ſua fragilita
te diſceret, alijs peccantibus qualiter miſere
ri debuiſſet. Primum ergo ſibi eum oſtendit
& tunc cæteris præpoſuit, vt intelligeret, q̄d
diſtrictionem vitijs, compaſſionem deberet
naturæ, ſicut ei alibi à domino dicitur: Ego
Luc.22 pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua,
& tu aliquando conuerſus, confirma fratres
tuos. Quod autem ait:
**Quia præcedet uos in Galilęam, ibi
eum uidebitis, ſicut dixit uobis.**
Idipſum eſt, ꝙ pgens ad paſſionē dixerat:
Matt.26 poſt q̄ aūt ſurrexero, præcedam vos in Gali-
lęā. Et pulchrę dn̄s poſt reſurrectionē à diſci
pulis in Galilęa videndus prædicitur, quia iā
de corruptione ad incorruptionē, de morta-
litate ad immortalitatē tranſierat. Galilęa nā
q; trāſmigratio facta interpretat. Quia ergo
de corruptione ad incorruptionē, de morta-
litate ad immortalitatē tranſijt, recte in Gali-
læa videndus dr. Quia ſicut ait apoſtolus Pe 1.Pet.3.
trus: Chriſtus ſemel pro peccatis nr̄is mor-
tuus ē, iuſtus ꝓ iniuſtis, vt nos offerret deo.
Et item: Si aūt mortuus eſt ex infirmitate, vi- 2.Co.13
uit tamen ex virtute dei. Siue iuxta aliā intel-
ligentiā Galilæa, q̄ volubilitas ſiue rota inter
pretatur, gentilē populū ſignificat. Cū ergo
in Galilæa videndus prædicit, oſtendit Iudæ
os propter pfidiā eſſe relinquēdos, gētes aūt
ꝑ fidē colligēdas, q̄ an̄ dn̄i aduentū neſciētes
deū, in volubilitate ſeculi morabant. Siue ali-
ter, poſt reſurrectionē in Galilæa videndus
nunciat, qa illi ad ſpeciē eius contēplandā p-
uenire merebunt, qui mō tranſmigrant de vi
tijs ad virtutes, de amore mundi ad amorem
dei, declinantes à malo & faciētes bonū. Vn
de bene Galilæa (iuxta aliā interpretatiōem)
reuelatio dr̄, quia ꝙ nūc videmus in ſpe, tūc
reuelata facie videbimus in re. Vnde apoſto
lus ait: Videmus nūc ꝑ ſpeculū in ęnigmate,
tunc aūt facie ad faciē. Et item: Nos aūt frēs, 1.Co.13.
reuelata facie gloriā dn̄i contemplantes, trāſ 2.Cori.3
formamur à claritate in gloriā, & tanquam à
domini ſpū. Ad quā viſionem ille nos perdu
cere dignetur, qui cum patre & ſpūſancto vi
uit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

FERIA SECVNDA PAſchæ. Actuum X.

**In diebus illis ſtans Petrus in medio
plebis, dixit: Viri fratres, uos ſcitis
quod factum eſt uerbū per uniuer-
ſam Iudæam, incipiens enim a Gali-
læa poſt baptiſmum, quod prædica-
uit Iohannes, Ieſum a Nazareth. Et
reliqua.**


Reuiter omnia quæ in ſymbo-
lo continentur, complexus eſt
apoſtolus Petrus in lectiōe prę
ſenti, quam audiſtis fratres cha
riſſimi quod Ieſus ſit Chriſtus
quod omnium ſit dominus. Stās enim in me
dio plebis, dixit:
**Viri fratres, uos ſcitis quod factum
eſt uerbum per uniuerſam Iudęam,
incipiens enim a Galilæa poſt bapti
ſmum quod prædicauit Iohannes, Ie
ſum a Nazareth.**

Totum hic pariter demonstratur ꝙ mundum deo reconciliare missus sit Christus, Iohannes vero est præconatus, quod spiritusancto perunctus, quod deo inhabitante per miracula declaratus, qd crucifixus, & à mortuis suscitatus, quod iudex sit omnium in fine venturus, quod etiam ecclesiam suam per fidem toto sit orbe illuminaturus. Denique subiungitur:

Quomodo unxit eũ deus spiritu sancto & uirtute.

Vnctus est ergo Iesus non oleo visibili, sed dono gratiæ spiritalis, quæ omnia pleniter conniuebat quod visibili significatur vnguẽto. Quod baptizatus vngit ecclesiam, dũ per impositionem manus episcopi, spiritus septiformis inuocatur, in qua similitudine super eum baptizatum spiritus sanctus in specie columbæ descendit, tunc & ecclesiam su-
Iohã. 10 am præfigurare dignatus est, in qua pręcipue baptizati accipiunt spiritum sanctum. Tunc enim intelligendus est vnctus, cum verbum caro factum est. Id est, quando humana natura sine vllis præcedentibus bonorum operũ meritis, deo verbo est in vtero virginis copulata, vt pariter diuina & humana natura vna esset persona, & ob hoc eum cõfitemur natum de spiritu sancto & Maria virgine.

Qui pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam deus erat cum illo.

Id est, pater cum filio semp manebat, melius est intelligere, quam diuinitatem filij cũ
hic uel homine quem assumpsit cohabitantem signi
deest ali- ficaret, vt Christi personam geminaret, & in
quid. uel errorem maximum incideret. Sequitur.
abundat. Et nos testes sumus omnium quę fecit in regione Iudæorum & Ierusalẽ.

Recte autem se esse testes testãtur, qui per vniuersum mundum missi sunt euangelium
Psal. 18. prædicare, vt in Psalmo legimus: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Deus & pater, per duas in Christo operatur naturas, per vnam quæ ei communis est cum deo patre, ex eo quod deus est, per alteram qua ex virgine Maria homo fact⁹ est. Per has duas naturas in vno filio dei, duas pariter facit resurrectiones humani generis. i. animarum & corporum. Habent enim & animæ mortem suam, in impietate atq; peccatis, secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem dominus ait: Si
Luce. 9. ne mortuos sepelire mortuos suos, vt scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. Mors est videlicet animæ, quando deus deserit eam ob peccatorum magnitudinẽ. Corporis mors est, quando ab anima deseritur. Ab his duobus mortis generibus resuscitatos, duas dicimus resurrectiones. Nunc autem animarum in ecclesia per filium dei (hoc est, verbum dei) fit resurrectio, quando ꝑ gratiam dei viuificati resurgunt à morte iniquitatis. Et hæc est prima resurrectio, quam qui habent, in secunda quæ est corporum, fideliter resurgent in vitam æternam. Resurgẽt impij, vnusquisq; in carne sua, vt cũ diabolo & Mat. 25.
angelis eius puniantur. Hoc certissime sciendum est, quia nemo nisi per indebitam misericordiam dei liberabitur, & nisi per debitũ iudicium damnabitur. Tunc sancti scient plenius, qui boni eis contulerit gr͞a dei, vel quid essent consecuti, si diuina eos gratuito munere non elegisset misericordia. Tunc erit ipse deus sanctorum societas, beatorum iucunditas, & omnia quęcunq; ab eis honeste desiderari possunt, & vita & salus & copia, gloria & honor & pax, æterna beatitudo & beata æternitas, cui sit honor & gloria nũc & semper & in secula seculorum, Amen.

FERIA SECVNDA PAschæ. Lucæ XXIIII.

In illo tempore: Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus. Et reliqua.



IN exordio huius lectionis solet mouere nonnullos ad quærendum, quinam isti duo discipuli fuerint, qui ipsa die resurrectionis ab Ierusalem recedẽtes, ad castellum Emaus properauerint. Qd enim ex duodecim apostolis non fuerint, in fine huius lectionis euangelista comprobat, cum dicit eos reuersos in Ierusalem, & inuenisse congregatos vndecim. Vnde apparet eos ex septuaginta fuisse discipulis, nõ ex duodecim apostolis. Et vnius nomẽ quidem infra declaratur, cui nomen Cleophas fuisse dicitur: alterum vero nõnulli putant vocatum fuisse Emaus, sicut & castelum quo ibant, & ideo superfluum visum fuisse euangelistæ, vt vno breui versiculo vnum nomen geminaret. Alij etiam arbitrantur hunc fuisse Lucam euangelistam, qui hoc scripsit euãgelium, & humilitatis causa suum nomen siluisse. Consuetudo enim est sanctorũ, vt cum de se mira & magna loquuntur, propter custodiam humilitatis, sic de sua persona quasi de aliena loquãtur, sicut Moyses fecisse inuenitᷣ, qui sic de se quasi de alio loquebatur, dicens: Et erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Similiter & bea Nume. 12
tus Iob de se, quasi de alio ait: Vir erat in ter-

ra Huz, nomine Iob. Qui enim Lucam vnum ex his duobus discipulis fuisse putant, secundum hoc exemplum suum nomen siluisse dicunt. Sed quilibet horum fuerit, sciẽdum est, quia de domini resurrectione dubij ab Ierusalem recedebant, quod non solũ verbis, sed etiam factis ipsi demonstrant. Qui enim vsque in tertiam diem in Ierusalem expectauerant, æstimantes eum tertia die resurrecturũ, sicut ipse promiserat, quia sponsionem nõ viderant, dubitantes ab Ierusalem recedebant. Sed ignoscendum est eorum fragilitati, quoniam sicut dicit euangelista, nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Vnde bene spacium itineris, quo tendebant, eorum mentibus cõgruere videtur. Sexagita enim stadia ab Ierusalẽ vsq; Emaus numerantur. Stadium enim à stando dictum est, vel statuẽdo, eo quod munus aliquod in certo loco statueretur ad exercitationem currentium. Et cum apud veteres stadiorũ mensura diuersa habeatur, legitimi tamẽ stadij autorem Herculem tradunt, qui sub vno anhelitu cẽtum vigintiquinq; passus cucurrisse dicitur, ac per hoc (si recte cõputetur) sexaginta stadia septimum miliarium & dimidiũ cõplent. Et sex quidẽ ad bona opera pertinent, quia sex dies sunt in quibus licet operari: septem autem ad requiem animarũ, quia septimo die requieuit deus ab omnibus operibus suis: octo ad resurrectiõem, quia octauo die dominus resurrexit. Et per Salomonem dicitur: Da partes septem, necnon & octo. Quasi enim discipuli isti sextum miliarium cum domino cucurrerant, quando eum in præsenti vita in bonis operibus conuersantẽ viderãt. Quasi enim ad septimum miliarium peruenerant, quando illum in sepulchro collocatum didicerant. Verum octauum dimidium perfecerant, quia eum prius resurrecturum crediderant, sed ex eius resurrectione dubij ab Ierusalem recedebant. Sed quamuis de domini resurrectione dubij ab Ierusalem recederẽt, ab eius tamẽ amore funditus non recesserãt. Vnde & bene subditur:

Eccle. 11

Et ipsi loquebantur ad inuicẽ de his omnibus quæ acciderant.

Notandum autem, quia non de superfluis, non de vacuis, neq; ea quæ ad detractionem pertinent, neq; risum mouentia loquebãtur, sed ad inuicem de his omnibus quæ acciderant, s. qualiter conuersatus esset innocẽs, & sine querela in mundo, qualiter signa & miracula operatus sit, quomodo odijs Iudæorum & calumnijs traditus sit ad crucifigendum, qualiter se resurrecturum prædixerat, quod nondum videbant. Quia ergo hæc & huiusmodi de illo loquebantur, contigit vt etiam illum, quem absentem putabãt, corporaliter viderent, & in his etiam ad literam suam promissionem dominus adimpleret, in qua dicit: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Vnde & subditur: Matt. 18

Et factum est dum fabularẽtur & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.

Vbi notandum, quia ixta mentis illorum qualitatem, dominus suam formauit apparitionem. Illi enim in corde dominum amabãt, sed de eius resurrectione dubitabant. Dominus autem eis i corpore apparebat, sed quis esset non demonstrabat. Quia ergo amabãt, videbãt: quia vero de eius resurrectione dubitabant, eum quem videbant, non agnoscebant. Sed quia ipsa dubitatio, in illorum mentibus ex antiqui hostis insidijs nata fuerat, recte subiungitur:

Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

Tenebantur enim illorum oculi, siue ab ipsa dubitatiõe, siue ab antiq hostis tẽtatiõe, ne eũ quẽ videbant cognoscere, possent. Qui enim propria virtute à mortuis resurrexit, in qua specie voluit, discipulis apparuit. Vnde bene alius euangelista dicit:

Post hęc apparuit duobus ex illis in alia effigie. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?

Non ignorans dominus interrogauit qd discipuli loquerentur, sed ex eorum locutione cordis requisiuit confessionem, vt impleretur in illis quod alibi dicit: Aut ex ore tuo iustificaberis, aut ex ore tuo cõdemnaberis. Matt. 12
Merito autem tristes ambulabãt, quos fides resurrectionis nõdum lætificauerat. Nondũ enim erat impletum in illis, quod dominus repromiserat, dicens: Tristitia vestra vertetur in gaudium: sed adhuc in illa sententia tenebantur, quæ ait: Mundus autem gaudebit, vos vero tristabimini. Nam cuius rei gratia tristes incederent, vnus eorũ cui nomen Cleophas, ostendit, cum ait: Iohan. 16

Tu solus peregrinus es in Ierusalẽ, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?

Ac si diceret: Quõ ex oĩbus tu solus remanere potuisti, vt ignorares ea q̃ facta sunt his diebus in Ierusalẽ, maxime aĩt, cũ ꝓpter magnitudinẽ suã nulli eẽ incognita possint? Sed illud prætermittendum non est, quod in peregrini specie dominus post suã resurrectionem discipulis apparere voluit. Peregrinus eñ erat illis, à quorum mortalitate longe di

ftabat. Siue certe in peregrini fpecie apparu-
it, vt eorum mẽtes ad mifericordiam prouo-
cacet, & eum, quem deum nondum cognofce
bant, faltem vt peregrinum amarent. In pe-
regrini fpecie quoque apparuit, vt nos qui
membra eius fumus, in hac vita peregrinos
& aduenas nos effe fentiamus. Peregrinus
enim dictus eft, quafi pergens longius, fiue
peragrans aliena. Quo nomine illi cẽfentur,
qui à proprio folo expulfi, reditum cum ge-
mitu fufpirant. Et nos quoq; qui pacadifi gau
dia amifimus, quandiu in hac vita fumus, in
aliena patria confiftimus. Vnde neceffe eft,
vt quotidie cum gemitu ad propriam patriã
redice feftinemus, dicentes cũ apoftolo: Dũ
2.Cor.5 fumus in corpoce pecegrinamur à domino:
quoniam non habemus hic manentem ciui-
tatem, fed futuram inquirimus. In hac pere-
grinatione fe effe fenticbat Dauid, eum dice
Pfal.38. bat: Quoniam aduenæ & peregrini fumus a-
pud te, ficut omnes patres noftci. Et iterum:
Pfal.119. Heu mihi, quia incolatus meus pcolongatus
eft, habitaui cum habitatibus Cedar, mul-
tum peregrinata eft anima mea. Sed adhuc
caufas mœroris dominus diligentius inqui-
rit, dicens:

Quæ? At illi vnde triftes effent apparue-
runt, dicentes:

De Iefu Nazareno, qui fuit uir, pro-
pheta, potẽs in opere & fermone co
ram deo & omni populo.

Virum & prophetam teftantur, & filiũ dei
tacent: vel quia dubij de eius refurcectiõe ab
Ierufalem recedebant, vel quia infidias Iudæ
orum metuebant. Iam enim confpirauerant
Iudæi, vt fi quis eum confiteretur palam, ex-
Actu. 4. tra fynagogã fieret. Quia ergo Iefus hebręo
fermone, latine faluator dicitur, recte hoc no
mine cenfetuc, cuius refucrectio falutẽ credẽ
tibus cõtulit, ficuti ait apoftolus Petrus: Nõ
enim eft in alio aliquo falus, neq; aliud no-
men fub cælo datum eft hominibus, in quo
oporteat nos faluari. Quia vero Nazaręus in
terpretatur fanctus, hoc nomen illi congruit
qui peccatum non fecit, nec inuentus ẽ dolus
in oce eius. De quo fcriptum eft: Scitote quo
niam mirificauit dominus fanctum fuum. Et
Pfalmi 4. item: Non dabis fanctum tuum videre coc-
Pfal.115. ruptionem. Bene autem à difcipulis, licet
quem videbant ignorantibus, faluator vir ap
pellatur. Vir nanque à viribus dictus eft, &
illi fpecialiter hoc nomen aptatur, qui folus
diaboli vires refurgendo à mortuis potuit
Zach.6. confringere, de quo fcriptum eft: Ecce vir,
oriens nomẽ eius. Difcamus ergo & nos ab
illo confortati viri effe, vt diaboli tentationi-
bus fortiter refiftamus, & cuncta aduerfa vi-
Iob.38. riliter toleremus, ficut fecit ille cui dictum ẽ:
Accinge ficut vir lumbos tuos, & ficut fortis
reftringe luxuriam. Hinc & in laude Iofeph
dictum eft: Mifit ante eos virum. Hinc etiam
Pfalmifta nos admonet, dicens: Viriliter agi Pfalm.30
te, & confortetuc cor veftrum, omnes q fpe-
ratis in domino. Sed licet de eius refurrectio
ne dubij non ex toto difcipuli erant, cum do
minum prophetarum pcophetam vocabant
Nam & ipfe de feipfo ait: Non eft pcophe- Matt 13.
ta fine honore, nifi in patria fua. Et iterum: Luce.13.
Non oportet prophetam occidi extra Ierufa
lem. Et in eius perfona per Moyfen dicitur:
Prophetam vobis fufcitabit deus de fratrib⁹ Deut.18.
veftris, tanquam me, ipfum audietis. Potens
primum in opere, deinde in fermõe dicitur:
quia quod docuit verbis, oftendit exemplis,
ficut fcriptum eft. Quia cœpit Iefus facece & Actuũ.1.
docere. Ordinata enim prædicatio ẽ, vt pri-
mum opere impleas, quod poftea verbis do-
ceas, iuxta exemplum domini, qui ait: Difci- Mat.11.
te à me quia mitis fum & humililis cocde, &
inuenietis requiem animabus veftris. Bene
quidem primum coram deo, deinde coram
omni populo potens effe dicitur, vt in omni
opere ante omnia deo placere ftudeamus.
Non enim primum placendũ eft hominibus
fed primũ placere debemus deo, deinde ho- Matt.5.
minibus: nõ ob noftram gloriam, fed vt ipfi
homines placeant deo, cui nos placere vide-
rint, iuxta quod dominus nos admonet, di-
cens: Luceat lux veftra coram hominib⁹, vt
videant veftra bona opera, & glorificent pa
trem veftrum qui in cælis eft. Et Apoftolus: Roma.12
Prouidentes bona, non tantum coram deo, 1.Cor.10
fed etiam coram omnibus hominibus. Et ite-
rum: Placete omnibus, ficut & ego per om̃ia
omnibus placeo, non quęrens quod mihi eft
vtile, fed quod multis, vt falui fiant.

Et quomodo tradiderunt eum fum
mi facerdotes & principes noftri in
damnationem mortis, & crucifixe-
runt eum.

Hic illud difcipuli commemorãt, quod fu
perius textus euangelij declarat, qualiter fci-
licet à fummis facerdotibus propter inuidiã
traditus fit ad crucifigendum. Sed illud quæ
rendum eft, quare dicant eum à pcincipibus
facerdotum traditum, cum legamus quod eũ
Iudas tradiderit, dicens: Quid vultis mihi da Roma.8
re, & ego vobis eum tradam? Sed ex hac quę
ftione iterum oritur alia quæftio, quomodo
Iudas vel Iudæi eum tradidiffe dicatur, cum
legamus quod pater eum tradidecit, dicente
Apoftolo. Proprio filio fuo non pepercit de
us, fed pro nobis omnibus tradidit illum. Nã
& ipfe filius femetipfum tradidit, ficut idem
Apoftolus alibi ait: Qui dilexit me & tradi-
dit femetipfum pro me. Et iterum: Ambula-
te in dilectione, ficut & Chriftus dilexit nos, Galat.2.
& tradidit femetipfum pro nobis. Si ergo pa Ephef.5.

tur tradidit filium & filius semetipsum, nunquid Iudæi & Iudas inculpabiles sunt, si hoc fecerunt quod pater & filius? Nõ sed vno, traditionis verbo, diuersæ voluntates expressæ sunt. Tradidit enim Iudas ꝑpter auaritiam: tradiderunt eũ Iudæi, sed propter inuidiam: tradidisse eum dicitur Pilatus, cum eum crucifigi permisit, tradidit eũ pater, sed propter nostram liberationem, tradidit semetipsum filius, sed propter nostram dilectionem. Ergo pater & filius non solum sunt amãdi, sed etiam glorificandi. Iudas autem & Iudæi nõ solum detestandi, sed etiam condemnãdi, qa quod pater & filius fecerunt charitate, illi cupiditate fecerunt. Quod autem dubitãtes ab Ierusalem isti discipuli recederẽt, suis verbis apparuerunt, cum dixerunt:

Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel.

Sperabamus quippe, præteriti imperfecti temporis verbum est. Et qui non speramus, sed sperabamus dixerunt, de eius resurrectione dubitare se ostenderũt. Minus enim spiritussancti gratia istructi, sperauere quod resurgens à mortuis saluator, redempturus esset Israel. i. regnum Israel, corporaliter multo nobilius quàm quondam Dauid regeret, reparaturus. Hac suspitione permoti fuerant illi duo, qui suaserunt matri vt peteret ab eo
Mat.20. dicens: Domine, dic vt sedeãt hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & alter ad sinistram tuam, in regno tuo. Hac etiam dubitatiõe tenebantur illi, qui post resurrectionem inter-
Act.1 rogabant eum, dicẽtes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?

Et nunc super hæc omnia tertia dies ẽ hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerũt ad monumentum, & non inuẽto corpore eius, uenerunt dicẽtes, se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. Et abïerũt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuerunt sicut mulieres dixerunt, ipm uero non inuenerunt.

Quod discipuli commemorant breuiter, superior textus euangelij narrat sufficiẽter, scilicet quomodo mulieres quæ secutæ dominum fuerant à Galilæa, cũ præparatis aromatibus ad moumentum venerunt, & respõso ab angelo accepto de eius resurrectiõe, discipulis nunciauerunt. Tunc quoque duo ex illis, Petrus & Iohannes scilicet, cucurrerunt ad monumentum, & ita inuenerũt, sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt.

Et ait ad illos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ.

Merito non solum discipulorum stultitia redarguitur, sed etiam tarditas increpat: quia cum omnia in domini doctrina, in miraculis in passione, sicut de illo ꝓphetæ prędixerant, completa cernerent, de eius resurrectiõe dubitare non debuerant: & maxime, cum omnia quæ in eo ventura erãt, antequam pateretur, ab ipso domino prius prædicta recolerent. Et nõ solum illorum, verumetiam & nostra ignauia atq; tepiditas redarguitur, qui nec ꝑclara discere volentes, nec ea q̃ discimus opere implere satagimus: & ideo ad discendum tardi, & ad opus pigri inuenimur. Quibus recte dicitur:

Nonne hęc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Quod interrogatiue legendum est, vt sub audiatur, oportuit. Oportuit enim Christum pati, nõ pro se, sed pro nobis. Dicitur autem intrare in gloriam suam, à qua nunquam discessit, eo quod nos intrare fecerit, qui longe per peccatum ab illa expulsi fueramus. Sicut enim videre & confiteri dicitur, eo quod nos aliquid videre & confiteri faciat, ita quoq; in gloriam suam dicitur intrare per passionem. Igitur dominus in gloriam suam intrauit, ostendens nos per multas tribulationes intrare debere in regnum dei. Tantum enim caput nostrum, qui ẽ Christus, membra sua diligit, vt frequenter ipse agere dicatur, ad q̃ faciendum nos idoneos efficit. Sed quia ad intelligendum scripturam stulti & tardi erãt post increpationem piam dominus adiungit expositionem. Vnde & subditur:

Incipiens a Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

Interpretabatur in omnibus scripturis, maxime ea quæ ad passionem pertinebant & resurrectionem, vt omnem dubitationem ab eorum mentibus auferret, & ad credendum resurrectionem animos eorum cõfirmaret, quale est illud: Foderunt manus meas & pe- Psalm.21
des meos. Et: Diuiserunt sibi vestimẽta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et: Psal.26.
Insurrexerunt in me testes iniqui, & cætera talia. Sed forte mouet aliquem, quare dominus cum interpretabatur scripturas discipulis, à Moyse cœpisse dicatur, cum plures patres ante Moysen fuisse legamus, qui & verbis & exemplis eius passionem & resurrectionem prophetauerint. Quid enim mors A- Gene.4.
bel, nisi passionem Christi significauit? Sicut

enim ipse à fratre iniuste occisus est, ita quoque & dominus innocenter à Iudæis occisus ē. Quid enim per translationem Enoch, nisi ascensio domini significatur? Quid per Noe, qui arcam in diluuio rexit, nisi dominus intelligitur, qui caput est ecclesiæ? Et quid p Abraam, qui filium immolauit, nisi deus pater accipitur, qui proprio filio suo non pepercit? Sic quoque immolatio Isaac passionis Christi typum tenuit. Nam & Iacob pastor ouium dominum nostrum Iesum Christum significat, qui ait in euangelio: Ego sum pastor bonus. Similiter venditio Ioseph, venditionem præfigurauit Christi. Sed forte mouet aliquem, vt diximus, quare domin⁹ cum interpretabatur scripturas discipulis, à Moyse cœpisse dicatur, cum plures patres añ Moysen fuisse legam⁹, qui & verbis & exemplis eius passionem & resurrectionem prophetauerint. Sed ad hoc dicēdum est, quia licet ante Moysen plures patres fuerint, tamen eorum actionē Moyse scribente cognouimus, quem veracis historiæ scriptorem primum fuisse non dubitamus. A quo libro ergo illorum dominus scripturas interpretari cœpit? A Moyse cœpit, quia illorum actiones (vt diximus) primus Moyses scripsit. Inde eñ scripsit homo, quando non erat homo.

Gene. 5.
Gene. 7.
Gene. 22
Gene. 30
Ioh. 10

Et appropinquauerūt castello quò ibant, & ipse se finxit longius ire.

Cum fingere soleat esse hypocritarũ, quid est quod dominus se finxisse dicitur? Ad qđ rationabilis patet responsio, quia nō semper fingere simulare dicimus, sed aliquando etiā componere. Vnde & compositores luti figulos vocamus, & eos qui carmina dictāt, fictores. i. compositores carminum. Quibus exēplis discimus, quia simplex veritas nihil per duplicitatem egit, sed talem se coram discipulorum oculis cōposuit vel exhibuit, vt manifestum fieret, si discipuli eum, quem deū cognoscebant, saltem vt peregrinum diligerēt. Sed absit vt eos à charitatis visceribus alienos esse credamus, qui cum autore misericordiæ gradiebantur. Nam subditur:

Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies.

Quorum exemplo discimus, quia peregrini & hospites non solum cum adsunt recipiēdi sunt, sed etiam cum desunt vocandi atque cogendi. Nam quantum hospitalitatis virtus valeat, & ipse comprobat, qui se in iudicio fidelibus dicturum repromisit: Hospes fui, & collegistis me. Et quandiu fecistis vni de minimis meis, mihi fecistis. Quod etiam in opere Abrææ & Loth discimus, qui frequenter hospites suscipiendo, aliquando angelos susceperunt. Vnde nos apostolus admonet, dicens: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc eñ placuerunt quidam, angelis hospitio susceptis. Hinc & Petrus apostolus nos hortatur, dicens: Hospitales inuicem sine murmuratione. Hinc etiam beatus Iob de seipso testatur, inquiens: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Mat. 25.
Hebr. 13
Gen. 19.
Iob. 31.

Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cũ eis, accepit panem, benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt illum.

Quia fides sine operibus mortua est, hinc cognoscere possimus, quia deum, quem discipuli nec ex visione, nec ex scripturarum interpretatione cognouerant, mox vt opere, q̃ scripturæ præcipiunt, perfecerunt:

cognouerunt eũ in fractione panis.

Quoniam sicut Apostolus ait: Non auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Et sicut dominus dicit: Beati qui audiunt verbum dei, & custodiunt illud, Nos q̃q; pro modulo nostro in fractiōe panis dñm cognoscimus, si mũdo corde & casto corpore mysterium corporis & sanguinis eius cũ digna reuerentia sumimus.

Luc. 11

Et ipse euanuit ab oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas?

Quia sicut ait apostolus: Deus noster ignis consumens est. Postquam dominus ab oculis discipulorum euanuit, quo ardore in via eius locutione accensi sint, declarant dicentes: L Nonne cor nostrum erat in nobis de Iesu, dum loqueretur in via? &cæt. Illo enim igne succensi fuerant, de quo dominus ait: Ignem enim veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Hoc igne accēsum se noverat, qui dicebat: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Sed quia omnis qui deo docēte bonum discit per charitatis mysterium, aliis annuntiare debet, probant hoc isti discipuli, de quibus subditur:

Hebr. 12
Luc. 12.
Psalm 38

Et surgētes eadem hora, regressi sunt in Ierusalem.

Non enim fatigatione itineris prohibiti sunt, non vespertinæ horę impedimentum timuerunt, sed eadem hora surgentes regressi sunt in Ierusalem nũciare apostolis, quod de domini resurrectione in via compererant. Vnde bene subiungitur:

Et inuenerũt congregatos undecim & eos qui cum ipsis erant, dicentes: quod surrexit dominus uere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quę gesta erãt in uia, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Quod sibi vbi vel quando factum sit, euãgelista non declarat, tamẽ quia factum sit nõ tacet, dicẽs: Quia surrexit dominus vere, & apparuit Simoni, id est Petro, teste apostolo, qui ait: Qui visus est Cephæ, & post hæc vndecim. Primum enim omnium virorum,
1.Cor.15 Petro apparuisse dominus post resurrectionem creditur, non solum vt apostolatus eius ordinem consolidaret, sed etiam vt mentem eius quæ in passione titubauerat, reformaret.

FERIA TERTIA PAschæ, Actuum XIII.

In diebus illis: Surgens Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri fratres, filii generis Abraam, & q in uobis timent deum. Et reliqua.



Mnes quibus iste loquebatur Apostolus, secundum carnem filij Abrææ erãt, sicut & ipsi de seipsis in alio loco dixerunt: Semen Abrææ sumus, & nulli seruiuimus vnquam. Et iterum: Pater noster
Iohan.8. Abraam est. Et dominus illis: Scio quia filij Abrææ estis. Imitatione enim non filij Abrææ erant illi, quibus dominus loquebatur: Vos ex patre diabolo estis. Inde ergo Iudæi filij diaboli, non nascendo, sed imitando. Vos (inquit dominus) ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis. Ecce vnde filij diaboli. Quæ sunt illius desideria? Ille homicida erat ab initio, & vos quæritis me occidere. Ecce quomodo imitatione filij diaboli. Nam & filij erant Abrææ, propter originẽ carnis, quibus ista Apostolus loquebatur, & filij imitationis propter castitatem timoris, q bus specialiter dicebat.

Et qui in uobis timent deum, uobis uerbum salutis huius missum est.

Esa. 9. Illud vtique de quo Isaias ait: Verbum misit dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Id est, misit deus filium suum, de quo Iohannes ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Ad Iacob, id est, ad Iudæos: & venit ad Israel, id ẽ, ad gentilem populum. Deus autem verbum ipse est dei filius. Qua propter cum eum pater verbum misit à patre & verbo eius factũ est vt mitteretur. Ergo à patre & filio missus est idem filius, quia verbum patris est ipse filius, in ipso dei verbo quod erat in principio apud deum, & deus erat verbum. In ipsa scilicet sapientia dei erat, quo tempore verbũ caro fieret, & habitaret in nobis, quæ plenitudo temporis cum venisset, misit deus filium Gal.4. suum factum ex muliere, vt incarnatum verbum hominibus appareret.

Qui enim habitant Ierusalẽ & principes eius, ignorantes Iesum & uoces prophetarum, quæ per omẽ sabbatum leguntur.

Hinc etiam in Actibus apostolorum scriptum est, Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eũ prædicent in synagogis. In his testimonijs manifeste declaratur, quia lectio legis, vel prophetarum à Iudęis sabbato semper in synagogis legebantur.

Cumq; consummassent omnia quæ de eo scripta sunt.

Hæc verba Iohannes hoc modo narrat, dicens: Postea sciens Iesus quia omnia cõsummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Peractis omnibus Iesus quę ante suam mortem peragi oportebat, quando voluit, & sicut voluit, tradidit spiritum.

Deponentes eum de ligno.

A Moyse in eremo æreus serpens ligno suspensus est, vt dominus in serpẽte mortuus, & in ære significaretur æternus, videlicet vt iudicaretur mortuus per humanitatem, & tamen esset quasi æreus per diuinitatem. Quid respondendum est Iudęis obijcientibus testimonium illud: Maledictus omnis qui pepẽdit in ligno? Maledictum esse hominem qui Deut.21. in ligno pendeat, sed noxium, non innocentem. Neque enim innocentiæ potest esse maledictum pœna peccati. Eterũ si Mardochæus præparato ligno appensus sententiam regię crudelitas explesset, nunquid eũ hi nunc dignum ad maledictionem iudicarent? Non omnino. Idcirco dominus noster pepẽdit in ligno, vt nos à delicto, qd in ligno fuerat perditionis admissum, ligno appensus absolueret.

Posuerunt eum in monumento.

In monumento nouo positus est Iesus, in quo nõdum quisquam positus erat. Sicut in virginis vtero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.

Deus uero suscitauit illũ a mortuis.

Radix amara crucis euanuit, flos vitæ cum fructibus surrexit in gloria. Hæc est virga Aaron, quæ post siccitatem floruit. Virga enim post ariditatem virescens. Christus est post mortem resurgens, qui est flos virginum, corona martyrũ, gloria continentium,

qui uisus est per dies multos.

Id est, per dies quadraginta. Non tamen eis per omnes illos quadraginta dies continuo apparuit, sed quoties voluit, quibus voluit, & quemadmodum voluit, apparuit **his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem.**

Salua historia, videamus intelligentiam. Galilæa nanq; transmigratio facta interpretatur, Ierusalem visio pacis. Illi enim cum domino de Galilęa ascendunt in Ierusalem, qui prius hic vitiorum fomitem respuentes, ad virtutum culmina transmigrant. Illi scilicet cum redemptore nostro à passione ad resurrectionem transmigrant, & in Ierusalem cælesti quandoq; dominum læti videbunt, qui hoc modo vitijs derelictis, ad virtutum celsitudinem transierint.

Et nos uobis annunciamus ea quæ ad patres nostros repromissio facta est. Abrahę enim dictum est: In te benedicen-
Gene.22. tur vniuersæ cognationes terræ. Iacob autẽ, & benedicentur in te & in semine tuo cũctæ tribus terræ. Quod apostolus exponẽs, ait:
Galat.3. Non dixit in seminibus, sed in semine tuo, q est Christus. Semen quidem Abrahæ Christus est, in cuius nominis fide omnibus terrę familijs, Iudæis videlicet & gentibus, est benedictio repromissa. i. significata.

Dabo uobis sancta Dauid fidelia.

Id est, quæcunq; Dauid fideli promisi, eadem vobis fidelis sponsor implebo, Christũ scilicet de eius stirpe nasciturum.

FERIA TERTIA PAschæ. Lucæ. XXIIII.

In illo tempore: Stetit Iesus in medio discipulorum suorum. Et reliqua.



HAerent sibi diuinæ lectiones, & frequenter vna pendet ex altera, ita vt nonnunquam exordia subsequentis, facilius intelligantur ex consideratione pręcedentis. Quod in hac lectione facile agnoscimus, si superiora huius euangelij parump attendamus. Postquam enim commemorauit euangelista duobus discipulis dominũ in via apparuisse, postquam eum cognitum ab eis in fractiõe panis narrauit fuisse, adiecit cõtinuo: Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes q surrexit dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant q̃ gesta erant in via, & quõ cognouerunt eum in fractione panis.

Dum hæc autem ad inuicem loquerentur, Iesus stetit in medio eorum.

Vnde apparet, quia hęc apparitio ipso die dominicæ resurrectionis facta est: cuius apparitionis modum Iohannes euangelista apertius declarat, dicens: Cum esset sero die illa vna sabbatorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metũ Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio. Vbi considerandũ, quod de se colloquentibus dominus in medio stetisse dicit, vt intelligamus quia tunc eum nobiscum habitantem habebimus, si quoties in vnum congregamur, ea loquimur & agimus, quæ ad eius laudem & nostram salutem pertinent, iuxta quod ipse ait: Mat. 18.
Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Sed apparens discipulis dñs, quid dixerit audiamus.

Pax uobis. Et pulchre resurgens à mortuis, primo pacem discipulis commendauit, vt per suam passionem, resurrectionem, angelicam & humanam naturam recõciliatam esse ostenderet. Ex eo enim tempore quo primus homo peccando recessit à deo, discordia inter homines & angelos fuit. Sed quia humanam naturã dominus redimens, ad cõsortium angelorũ reuocauit, resurgẽs à mortuis, quasi speciale munus discipulis pacẽ cõtulit. Ipse est enim (ait Apostolus) pax nostra Ephes.2.
qui fecit vtraq; vnum, & medium parietẽ copulauit, dissoluens inimicitias in carne sua, vt duos conderet in semetipso, in vno nouo homine faciens pacem, & reconciliãs ambos in vno corpe deo. Et veniens euangelizauit pacem his qui longe, & pacem his qui prope. Siue resurgẽs à mortuis discipulis pacẽ commendauit, vt illos ad suam visionem perventuros esse demonstraret, qui pacis concordiã corde & corpore seruant, iuxta quod ille ali- Matt. 5.
bi dicit: Beati pacifici, quoniam filij dei voca- Psal.118.
buntur. Pax enim (ait Psalmista) multa diligẽtibus legẽ tuã dñe, & nõ est illis scandalum. Sed ne alium eẽ putarent, cuius corpus post resurrectionem clarificatum videbãt, adiunxit continuo:

Ego sum.

Vbi considerandum, quia non dixit ego fui, sed ego sum. Sum quippe substantiuum verbum, quod nec præteritum, nec futurum sonat, sed semper præsens, illi spe-

cialiter congruit, cui nec futura succedunt, ne præterita transeunt, sed semper habet esse per æternitatem, sicut ipse ait ad Moysen: Exo. 3. Ego sum qui sum. Hæc dices filijs Israel: Qui est, misit me ad vos. Quia vero humani oculi immortale corpus sine timore videre non poterant, confortari à domino indigebant. Ait enim:

Nolite timere. Habet enim fragilitas humanæ naturæ hoc proprium, vt cum aliquid supra se viderit, infra se pertimescat. Vnde & subditur:

Conturbati uero & conterriti, existimabant se spiritum uidere.

Sed ista subitanea conturbatio discipulorum, magnus error factus est Manichæorũ. Et ipsi enim qui negabant deum veram carnem non assumpsisse, hoc in adiutorium sui erroris assumere voluerunt, quod ab apostolis dominus post resurrectionem spiritus sit æstimatus. Sed hunc errorem discipulorum ipse dominus falsum cõprobauit, cũ ab hoc errore discipulorũ aĩos reuocauit, dicens:

Quid turbati estis, & cogitatiões ascendunt in corda uestra?

Vbi notandum, quia non dixit: cogitationes descendunt in corda vr̃a, sed ascendunt. Bonæ enim cogitationes descendũt, quia desuper à domino dantur, teste Iacobo apostolo, qui ait: Iacob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Malæ vero cogitationes ascendunt, quia ab immundis spiritibus ex imo immittuntur. Aliter enim ros desursum descendens terram irrigat, aliter fauilla ventorum impetu in aera rapitur. Et vt omnem dubitationem de sua resurrectione à discipulorum mẽtibus auferret, manus & pedes palpando præbuit, dicens:

Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me uidetis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.

Non solum manus & pedes, sed etiam iuxta Iohannis euangeliũ, latus ꝗ lancea pforatum fuerat præbuit, vt in manibus & pedib⁹ fixuras clauorum, & in latere lanceæ apertionem vidẽtes, resurrexisse cognoscerent, quẽ ante triduum viderant crucifixum. Vbi mouet aliquem, quomodo post resurrectionem corpus domini incorruptibile & palpabile fuerit, cum omne quod est incorruptibile, sit & impalpabile: & omne quod est palpabile, sit corruptibile. Sed miro & ineffabili modo dominus post resurrectionem corpus suum & palpabile ꝓbuit, & in incorruptibile demonstrauit: vt monstrando palpabile, reformaret ad fidem: ostendendo incorruptibile, inuitaret ad præmium. Siue certe & palpabile & incorruptibile post resurrectionem corpus suum exhibuit, vt ostenderet se eiusdem esse naturæ, & alterius gloriæ. Sed quia in domini resurrectione nostra generalis resurrectio est præfigurata, cum dominus post resurrectionem corpus suũ & palpabile præbuit, & incorruptibile demonstrauit, ostendit nostra corpora post resurrectionem ita esse incorruptibilia, vt possint esse & palpabilia. Vnde mentitur & conuincitur Euthices hæreticus, qui dicit corpora nostra post resurrectionem vẽto aerię esse similia futura: & sicut iubar solis videri potest, ita & corpora nostra esse quidem visibilia, sed impalpabilia, hoc in adiutoriũ sui erroris assumere volens, quod ait Apostolus: Caro & sanguis regnum dei non possidebunt. 1. Co. 15. Non intelligens quia caro in scripturis varias habet significationes. Aliquando enim carnis nomine ipsa carnis natura designatur, aliquando eiusdem carnis fragilitas, aliquãdo vero peccata, quæ ex carne oriuntur, nonnunquam genealogia cognationis. Carnis nomine ipsa carnis substantia designat̃, sicut scriptum est: Hoc nunc Gene. 2. os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Aliquando autem carnis nomine, carnis fragilitas designat̃, sicut scriptum ẽ: Et recordatus Psal. 77 est quia caro sunt. i. fragiles. Aliquando genealogia cognationis, nomine carnis exprimit̃, sicut Petro dictum est: Non tibi reuelauit caro & sanguis. Mat. 16. Et sicut ait apostolus Paulus: Galat. 1. Continuo non acquieui carni & sanguini. Carnis quoq; nomie, vitia & peccata quæ ex carne oriunt̃ significantur, sicut dictũ est: Nõ permanebit spiritus meus in homine in Gen. 6 æternum, eo quod sit caro. Ergo in eo quod ait Apostolus: Caro & sanguis regnũ dei nõ possidebunt, non naturam carnis resurrecturam esse negauit, sed vitia q̃ ex carne oriũtur, cum Chr̃o non posse regnare ostendit. Vnde & consequenter adiunxit: Neq; corruptio incorruptelam possidebit. 1. Co. 15 Cæterũ credẽdum est, carnem nr̃am in resurrectione absq; corruptiõe vel fragilitate mortis, in veritate substantiæ esse resurrecturam, iuxta illud ꝗ beatus Iob testat̃, dicens: Scio quod redemptor Iob. 19 meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo deum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Sed solet in hoc loco mendax paganorũ stultitia simplicitatẽ Chr̃ianã irridere, dicens: Qua temeritate putatis vos Chr̃iani, ꝗ deus vester, vr̃a corpora de puluere possit resuscitare, cum sicut dicitis, ipse resurgẽs à mortuis, in sua carne vestigia passionis nõ potuit sanare? Ad quod vera fides

respondet non hoc fuisse impossibilitatis, sed
potius pietatis. Maius est enim carnem susci
tare, quàm in ipsa carne passionis vestigia sa-
nare. Sed qui quod maius ē potuit, quod mi-
nus est vtiq; fecisset, nisi varias ob causas ve-
stigia passionis in ipsa sua carne reliquisset.
Primum, vt fidem discipulorum de sua resur
rectione dubiam, facilius ad credendum re-
formaret. Et si enim tarde crediderunt apo-
stoli, videntes in eius corpore fixuras cla-
uorum, multo tardius credidissent, nisi in ei⁹
corpore signa passionis recognouissent. Vn
de vnus eorum dicentibus alqs, vidimus do
minum, cum quidam attestatione affirmabat
Ioh. 20 dicens: Nisi videro in manibus ei⁹ fixurā cla
uorum, & mittam digitum meum in locū cla
uorum, & mittam manum meā in latus eius,
non credam. Siue certe resurgens à mortuis
dominus, in carne sua vestigia passionis re-
seruare voluit, quia veniens ad iudiciū in ea-
dem forma omnibus apparebit, iustis scilicet
& iniustis: vt iusti videntes quanta & qualia
pro eorum ereptione autor humani generis
sustinuit, in eius laude & gratiarum actione
proficiant: iniusti vero tanto deterius puniā-
tur, quanto largiora dei beneficia indignius
Zach. 12 contempserunt, sicut scriptum est: Videbunt
Apoc. 1. in quem transfixerunt. Et iterum alia scriptu-
ra dicit: Ecce venit cum nubib⁹, & videbit eū
omnis oculus, & qui eū pupugerunt. Et plan
gent se super eum omēs tribus terræ. Et alio
Matt. 24 item loco. Tunc plangent omnes tribus
terræ, & videbunt filium hominis veniētem
in nubibus cæli cum virtute multa & maie-
state. Et adhuc aliter domin⁹ in sua carne ve
stigia passionis reseruauit, vt quid aduocatus
est noster, & patrem interpellat pro nobis in
humanitate, qui cuncta dat cum patre per di
uinitatem, ipsa vulnera, quæ pro nostra redē
ptione sustinuit, patri ostendat, vt eum mise
reri hoibus faciat, pro quibus vnigenitus do
minus tanta ac talia sustinere non recusauit:
& sic eum qui misereri nōn cessat, ad miserā-
dum prouocet. Vel certe post resurrectionē
dominus vestigia passionis in sua carne vo-
luit reseruare, vt ipsa signa passionis victoriā
quam de de antiquo hoste obtinuit, in perpe
tuo prædicent. Sicut enim verbi gratia fortis
simus miles, cum iubente imperatore in præ
lium processerit, si contigerit eum victorem
quidem, sed vulneratum ad propriam patri-
am redire, non ita vult sanari à medicis, vt ve
stigia vulnerum non appareant, sed absq; de
formitate apparentes, eius audaciam cunctis
videntibus indicent: ita & dominus resurgēs
à mortuis, vestigia passionis in sua carne vo-
luit apparere, vt victorem eū diaboli ipsa si-
gna per infinita secula demonstrent. Et quia
discipulorum mentes inter mœrorē & gau-
dium positæ, nondum perfectæ eum resurre
xisse credebant, verum indicium resurrectio
nis adhuc manifestat. Vnde & subditur:

Adhuc autem illis non credentibus, sed præ gaudio mirātibus dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

Manducauit ergo & bibit coram discipu-
lis post resurrectionem, non quod cibo car-
nali sustētari indigeret, sed vt in veritate car-
nis se resurrexisse monstraret, quia proprie
comedere ad corpus pertinet, non ad spiri-
tum. Manducauit & bibit coram discipulis,
vt tanto eius resurrectionem securius prædi
carent, quanto non solum carnem eius mani
bus palpassent, sed etiam oculis corporali-
bus comedere vidissent, & securi postea dice
rent: quia visus est post resurrectionem non
omī populo, sed testibus præordinatis à deo,
nobis qui manducauimus & bibimus cum il
lo postquam resurrexit à mortuis, & præce-
pit nobis prædicare populo & testificari quia
ipse est, qui constitutus est à deo iudex viuo-
rum & mortuorum. Sed nec ipsius cibi qua-
litas, quem post resurrectionem comedit, à
mysterio vacua credenda est.

Obtulerunt (inquit) ei partem piscis assi & fauum mellis.

Quid in pisce asso, nisi mediator dei & ho
minum significatur esse passus? Ipse enim vt
piscis latere dignatus est in aquis generis hu
mani, ipse vt piscis captus est hamo passiōis,
sed melle dulcior extitit in resurrectione. Cu
ius dulcedinem degustauerat ille, q dicebat: Psal. 118.
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua do-
mine, super mel & fauum ori meo. Fauus nā
q; mel in cera est. Mel ergo in cera, dulcedo
diuinitatis est, iuncta forma humanitatis.

Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

Quod dominus reliquias ciborum discipu
lis tradidit, ad hoc pertinet; quia suam passio
nem eis imitādā esse ostēdit, iuxta q ipse alibi
ait: Si quis vult post me venire, abneget se- Luc. 9
metipsum & tollat crucē suā & sequtur me.
Vnde vnus eorum aiebat: Chrs passus est pro 1. Pet. 2
nobis, &c. Dedit ergo eis reliquias piscis assi
& fauum mellis, qui suam passionem amarā
esse ostendit in dolore cordis, sed dulcissimā
in gloriam resurrectionis. Vnde vnus eorum,
qui quasi stigmata passionis eius in suo cor-
pore perferebat, ait: Fratres, existimo enī qd Rom. 8
nō sunt condignæ passiōes huius tpis ad fu-
turam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Et dixit ad illos: Hęc ſunt uerba quę locutus ſum ad uos, cum adhuc eſſem uobiſcum.

Nunquid enim cum eis non erat, quibus viſibiliter loquebatur? Erat vtiq; per præſentiam corporis, ſed longe ab eis diſtabat ꝑ cõmunionem fragilitatis, quia illi erant corruptibiles & mortales, ille incorruptibilis & immortalis. Et ideo cum præſentialiter loqueretur, ait: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum.

Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quę ſcripta ſunt in lege Moyſi & ꝓphetis & pſalmis de me.

Vbi non ſolum legem, ſed etiam ad ſuam paſſionem & reſurrectionem cõfirmandam, prophetarum & pſalmorũ oracula adhibuit,
Deu. 19. vt (quia iuxta quod ipſe ait, In ore duorũ vel trium teſtium ſtet omne verbum) ſi quis legis teſtimonia de eo credere renuit, ſaltẽ multorum teſtimonia in prophetarum & pſalmorũ oraculis diſcredere non pręſumat, ſed credenda iudicet.

Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas.

Et quia per ſe ſcripturas intelligere non poterat, aperuit illis ſenſum, vt intelligerẽt ſcripturas, vt quod carnaliter audiebant, ſpiritualiter intelligerent. Quid autẽ in lege & prophetis & pſalmis de eo ſcriptum ſit, manifeſtat cum adiungit.

Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptũ eſt, & ſic oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere a mortuis die tertia.

Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere, nõ pro ſe, ſed pro nobis, vt per ſuam indebitam paſſionem, à debita pœna nos liberaret, & ꝑ ſuam ſanctam reſurrectionem nos ſecum regnaturos oſtẽderet: quia (ſicut ait Apoſtolus) mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Vnde bene ſuam reſurrectionẽ non longius quàm vſq; in diem tertium differre voluit, ita vt duabus noctibus & vna die in ſepulchro quieſceret. Nox quidem ad peccatum pertinet & natura quidem humana duabus mortibus tenebatur aſtricta: animæ, propter peccatum: carnis vero, propter vindictam peccati. Quia enim mediator dei & hominum ſola carne mortuus eſt, vt nos à morte animæ liberaret, recte duabus noctibus, & vna die in ſepulchro quieſcere voluit, quoniam per ſuã ſimplam mortem noſtram duplam damnauit. Vt quid aũt pro nobis mori vel reſurgere voluerit, manifeſtatur, cũ adhuc ſubditur:

Et prędicari in nomine eius pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum.

Non ergo durum vel aſperum videatur, quod dicitur, ⌊prædicari in nomine eius pœnitentiam:⌋ quia valde dulce eſt quod ſequitur, ⌊in remiſſionem peccatoꝝ.⌋ Et vbi hæc prædicãda eẽnt, manifeſtatur cũ ſubinfertur:

In omnes gentes.

Quo verbo Donatiſtarum hæreſis confunditur, qui localem deum inducere volentes, in ſola Aphrica eius fidem eſſe dixerunt, non attendentes quod ipſe dominus ait: ⌊In oẽs gentes.⌋ In omnibus gentibus per apoſtolorum miniſteriũ pœnitentia & remiſſio peccatorũ prædicata eſt, impleta prophetia quæ dixit: In oẽm terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. Et ne aliquis propter magnitudinem peccatorum de venia deſperaret, ſubiunctum eſt:

Incipientibus ab Hieroſolyma.

Nullus ergo præ magnitudine peccatorũ ſuorum remiſſionem ſe poſſe conſequi deſperet, ſi legitime pœniteat, quando ipſis Hieroſolymitis cognoſcit indultũ, qui cruentis manibus & mendacibus vocibus ipſum ſanguinem ꝑ quem genus humanum redemptũ eſt, effuderunt: quoniam ſicut dominus ait ꝑ prophetam, Nolo mortem peccatoris, ſed vt cõ- Ieze. 18.
uertatur & viuat.

FERIA QVARTA PAſchæ. Actuum III.

In diebus illis: Aperiens Petrus os ſuum, dixit: Viri Iſraelitæ, & qui timetis deum, audite. Et reliqua.



Otandum quod viros de genere Iſrael, & timentes dominum, ad audiendũ dei prouocet verbum. Viri enim dicuntur à viribus, q̃ neſciunt tolerando deficere, aut in proſperis aliqua ſe elatione iactare, ſed animo ſtabili defixi, & cæleſtium rerũ contemplatione firmati, manent ſemper impauidi. ⌊Qui timetis dominum, inquit, audite,⌋ id eſt, qui reuerentiam habetis nominis eius: quia eius verba non meretur audire, niſi qui cognoſcitur & timere. Timor autem domini, quia iuſtus & rectus eſt, auditum renouat, amorem tribuit, ardorẽ charitatis inflammat.

Deus Abraam, & deus Iſaac, & deus Iacob, deus patrum noſtrorum.

Poterat enim dicere, deus Abraam, Iſaac & Iacob, ſed ter nominat deum Abraam, deũ Iſaac, deum Iacob, vt tu intelligas deũ patrẽ, & filium, & ſpiritũſanctum. Et ne tibi ſcandalum terna dei noĩatio generaret, addidit ⌊pa

trum nostrorum. ⌋ Prudenter enim personas distinxit, & naturam vniuit.

Glorificauit filium suum, quando post resurrectionem nimis mirabilem, totius mundi credulitatem deus ei in eo quod homo factus est, habere concessit. Glorificauit eũ gloria resurrectionis, glorificauit gloria ascensionis, & glorificauit suæ dexteræ sessionis.

Quem uos quidem tradidistis,

Hinc enim respõdit Pilatus domino, dicẽs: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tui tradiderũt te mihi, quid fecisti? subaudiat, vt traderem mihi. Tradiderunt enim dominũ sacerdotes per inuidiam tradidit Iudas pro cupiditate, tradidit pater pro nostra liberatione, tradidit semetipsum filius pro nostra dilectione. De patre eñ ait Apostolus: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis oĩbus tradidit illum. De filio autem, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, **& negastis ante faciem Pilati,** dicentes: Crucifige crucifige talem. Nos non habemus regem nisi Cæsarem. Nos legẽ habemus, & secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit, **iudicante illo dimitti.** Quærebat enim (ait euangelium) Pilatus opportunitatẽ, vt dimitteret Iesum, dicens: Ego non inuenio in eo causam, sed neq; Herodes. Pilatus mittit ad Herodẽ, Herodes mittit ad Pilatum. Inter duas impietates discurrit pietas, & tamen impietas pietatem non potest condemnare. Præsens est reus, & non inuenitur reatus. Tradidistis mihi hũc hominem quasi auertentem, inquit, populum, & ecce coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in eo ex his, in quibus eum accusatis. Dicitis q́ præcipiat tributa nõ solui Cæsari, cõprobaui falsum esse quod obijcitis. Docere hunc contra legem dicitis, & probaui eũ non destruere legem, sed adimplere. Omnia quæ obiecistis, in diuersum inuenta sunt.

Et petistis uirum homicidam donari uobis.

Erat autem (ait euangelium) qui dicebatur Barabbas vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Barabbas enim qui filius patris eorum interpretatur, significat diabolum, q̃ multas seditiones in toto concitat orbe, homicidia f. & adultera & oĩa crimina, quia statim vt Iesus crucifixus est, Barabbas iste dimissus, suffocat populum Iudæorum.

Autorem uero uitæ interfecistis, illum qui plasmauit hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, illum q dixit, Ego sum via, veritas & vita. Et de quo Iohannes, Hic est verus deus & vita æterna.

Et nunc fratres scio quia per ignorãtiam fecistis.

Si enim cognouissent, ait Apostolus, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

Deus autem qui prænũciauit per os omnium prophetarum pati Christũ suum, impleuit sic.

Hinc & ipse dñs Cleophæ, & alio discipulo ait: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt prophetæ, nõne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & oĩbus prophetis, interpretabat illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Si enim Moyses & omnes prophetæ Christum locuti sunt, & hunc per angustiam passionis in gloriam suã intraturũ, q̃a ratione se glorientur esse Christianos, qui iuxta virium suarum modulum neq; scripturas qualiter ad Christum pertineant inuestigare, neq; ad gloriam, quam cũ Christo habere cupiunt, per passiones tribulationum desiderant attingere?

FERIA QVARTA PAschæ. Iohannis XXI.

In illo tempore: Manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus. Et reliqua.



CVm memoriam dominicæ resurrectionis semper animo retinere, & ore recitare debeam⁹, maxime tamen istis diebus de illa loquendum est, in quibus facta creditur & veneratur. Et non debet onerosum videri ad audiẽdum, quod sanctis euangelistis vtile visum fuit ad scribendũ. Non solum enim gloriosum est, quod discipulis post resurrectionem apparuit, sed etiam numerus eorũ quibus apparuit, vel loca in q̃bus visus est, mysterijs plena sunt. Quod in hui⁹ lectionis serie euangelista manifestare curauit, cum tam solicite modũ apparitionis eius expressit, dicens: ⌊ Manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic &c. ⌋ Et pulchre septima apparitiõe septẽ discipulis apparuit, quia illi ad eius visionem peruenturi sunt, qui septiformi spiritussancti gratia illuminati, fluctus præsentis seculi diuino amore calcant, & in lucrãdis animabus inuigilant. Septenarius eñ numerus, qui cõstat ex ternario & quaternario. i. ex primo impari & primo pari, dona spiritussancti significat, per cuius gratiam & fides trinitatis co-

gnoscitur, & quatuor euangeliorum doctrina custodit. Sed quæret aliquis, quare Petrus post conuersionem ad piscationem rediit, cũ veritas dicat: Nemo mittens manum in aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno dei? Ad qđ breuis quidẽ, sed facilis patet responsio, quia illud opus post cõuersionẽ sine culpa repetitur, quod ante conuersionem absq; culpa exercebatur. Quod facilius cognoscimus, si cum officio Petri & Matthæi euãgelistæ & coapostoli opera conferamus. Nam piscatorem fuisse Petrum, Matthæum vero telonarium nouimus. Et Petrum quidem post cõuersionem ad piscationem rediisse, Matthæũ ad telonei lucra resedisse nõ legimus: quia aliud est victum cum iustitia quærere in piscando, & aliud iurgando telonei lucris insistere.

Et exierunt & ascenderũt in nauem, & illa nocte nihil prẽdiderunt.

Sicut nauis seculum significat, sic nox illa Rom. 13. pro ignorãtia ponitur, vt est illud: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Omes enim ante aduentũ dñi quotquot laborauerunt qsi in nocte laborauerũt, quia spem resurgendi vel vitam æternã possidendi perfecte habere nõ poterant, sicut modo habent. Tota ergo nocte nihil prendiderunt, quia nisi dñs sua gratia cor illustrauerit auditoris, quasi in nocte laborat sermo doctoris, teste Psalmista q ait: Psal. 126. Nisi dñs ædificauerit domum, inuanũ laborant qui ædificant eam. Vt aũt & doctores recte docere, & auditores digne valeãt audire, illius flagitanda est misericordia, de q̃ subdit.

Mane autem iam facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est.

Vbi forte mouet aliquem, quare dñs post resurrectionẽ in littore stetit, cũ ante passionẽ nõ solum corã discipulis sup fluctus maris ambulauerit, sed etiã Petro, supra mare vt ambulare posset, dederit manum. Ad qđ dicẽdum est, quia non hoc dñs propter impossibilitatem, sed propter mysteriũ fecit. Per mare ergo (vt diximus) seculum significatur. Discipuli ergo in mari erant, quia inter fluctus seculi huius adhuc laborabant. Dñs aũt in littore stetit, quia ab eorum corruptione & mortalitate alienus erat. Acsi verbis diceret. Iam vobis in mari nõ appareo, quia inter fluctus seculi vobiscum cõmuniter non viuo. Et hoc est quod alibi ait: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.

Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non.

Non ignorãs dñs interrogauit discipulos, sed vt ex cõmuni locutione suã demõstraret cognitionem. Et pulchre suos discipulos pueros vocauit. Puer enim à puritate dictus est. Recte & hoc nomen discipulis cõuenit, quia absq; dolo & simulatione, purissimo cordis amore domino adhærebãt. In quorum olim persona per Isaiam dictum fuerat: Ecce ego Isaia. 8. & pueri mei, quos dedit mihi dñs. Tales enim paruulos omnes credentes esse volebat, cum alibi dicebat: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum Mat. 18. cælorum. Et iterum: Sinite paruulos venire Matt. 19 ad me, talium est enim regnum cælorum.

Dicit eis Iesus: Mitte in dexterã nauigij rete, & inuenietis.

Bis in sancto euangelio legimus, quod ad dominũ iussionem retia laxata sunt in piscationem: primum ante passionem, & nunc secũdo post resurrectionem. Hoc tamen inter vtranq; piscationem distat, quia in illa priori piscatione retia laxari iubentur, in qua tamen parte mitterẽtur non demõstratur, in hac autem specialiter in dexteram mitti iubentur: in illa præ multitudine piscium rete rumpitur, in hac autem multi pisces capti sunt, & retia rupta non sunt. Vnde apparet, quia per illam priorem piscationem significatur ecclesia, qualis est in præsenti vita: per hanc autem, post resurrectionem factam, qualis erit in futuro. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cęlo, mali soli nusquam sunt nisi in inferno. In præsenti enim ecclesia vtriusq; partis ciues inueniuntur, quia multi per fidem in ecclesiam intrant, qui per bona opera ad regnum cælorum perueniuntur non sunt, de quibus per Psalmistam dicitur: Annunciaui & locutus sum, Psal. 39. multiplicati sunt super numerum. In hac ergo piscatione, quæ post resurrectionem facta est, decebat vt soli boni pisces caperentur, per quos electorum numerus significaretur.

Miserunt ergo rete, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piscium.

Quod exteriora miracula interiorem fidẽ frequenter instruant, in præsenti loco demõstratur, qñ dominum, quem ex visione & collocutione non cognouerãt, ex captura piscium cognouerunt. Cum ergo tota nocte laborãtes nihil cepissent, mox ad eius iussionem tãtã multitudinem piscium ceperunt, vt rete trahere non valerent.

Dicit ille discipulus quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.

Et quia inter oẽs virtutes virginalis integritas quodã priuilegio præcellit, recte incorruptibile dñi corpus incorruptus virgo prior recognouit, Iohannes scilicet cuius est hoc euangelium. Sed cum omnes audissent quia dominus est, qui cum præ cæteris amauit,

prior venire festinauit. Vnde subditur:

Simon Petrus cum audisset quia dominus ẽ, tunica succinxit se (erat eñ nudus) & misit se in mare, & peruenit ad Iesum.

In multis locis euangelij demonstratur, quod præ cæteris discipulis Petrus dominũ Mat. 20. dilexerit. Nam cum se passurum Hierosolymis prædiceret, dicens: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, & condemnabunt eum mor Matt. 16 te, Petrus assumpsit eum secreto, & ait illi: Absit à te domine, non fiat istud, non eñ decet vt filius dei gustet mortem. Et cum eiusdẽ passionis articulo imminente dominus dice Mat. 26. ret: Omnes vos scãdalum patiemini in me in ista nocte, ille præ multitudine amoris confisus dicebat: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nũquam scandalizabor. Cumq; dominus quod futurum erat prosequeretur, dicens: Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis, ille contradicebat: Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et vt in hac lectione refertur, cum dominum stantem in littore vidisset, tunica succinxit se, & misit se in mare. Spiritualiter vero hoc dicere possumus, quia postquam eum resurrexisse cognouit, tunica fidei vel amoris, qua in negando se nudauerat, reinduit, & misit se in mare. i. inter tumentes mũdi potestates, eius nomen prædicari cœpit, quem ad vnius mu Actu. 5. lieris vocẽ ter prius negauit. Ait enim: Obedire oportet deo magis q̃ hominibus.

Alij aũt discipuli nauigio uenerunt, id est, eadem fide vel amore flagrantes, qua Petrus apostolus accensus erat, secuti sunt. Vnde & bene dicitur:

Non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.

Quia in ducentis cubitis cẽtenarius numerus duplicatur, perfectam numerus iste charitatem insinuat, quę ex dilectione dei & proximi constat. Qui enim perfecte deũ & proximum diligit, non longe ẽst à terra viuentiũ.

Vt autem ascenderunt in terram, uiderunt prunas positas & piscem superpositum, & panem.

Vbi ad literam quasi sonare videtur, quod piscis & panis prunis superpositus esset. Sed sciendum est, quia ille qui necessarius erat. i. piscis, prunis erat suppositus, panis vero seorsum positus erat. Notandum etiam quod ipsa qualitas eiborum à mysterio nõ vacat. Nam sicut in alia euangelij lectione legimus, cum pisce asso fauum mellis discipuli domino obtulerunt: hic autem, panis & piscis memoratur fuisse. Ipse enim quasi piscis assatus est tẽpore passionis, sed dulcedinem panis exhibuit tempore resurrectionis, qui de seipso ait: Ego sum panis viuus, qui de cęlo descendi. Et Iohã. 6. iterum: Panis quẽ ego dedero, caro mea est pro seculi vita.

Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit autẽ Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus cẽtum quinquagintatribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.

Manifestum est, ne expositione indiget, qd sit quod Petrus prior omnibus rete cum piscibus traxit in terram. Ipsi enim specialiter ecclesia commendata est, illi ligandi & soluẽdi data est potestas, quando ei à domino dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram Mat. 16. ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi nõ præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & q̃dcũq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Nam & post resurrectionem ei à dño dictum est: Simon Iohannis, diligis me plus his? Pasce oues meas. Sed illud solicite consi Iohã. 21. derandum est, quia nequaquam euangelista ipsorum piscium numerum tam solicite expressisset, si in ipso numero mysterium defuisse crederet. Ait eñ: Ascẽdit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquagintatribus. Numerus iste ab vno incipit, sed vsq; ad decem & septẽ crescendo multiplicatur. Si enim decem & septem ter duxeris, quinquagintaunum inuenies. Iterum, si quinquagintaunum ter multiplicaueris, centum quinquagintatria inuenies. Decem vero ad decalogum legis numerum pertinent, quia decem præcepta Moysi data sunt. Septem vero ad spiritualem gratiã noui testamenti, propter septẽ dona spiritussancti, vel propter fidem sanctæ trinitatis, & doctrinam quatuor euangeliorum. Quinquagesimus autem numerus ad requiem pertinet, quia qnquagesimus annus iubileus. i. annus remissionis est dictus. Quia ergo illi ad verã requiem peruenturi sunt, qui decalogum legis per gratiam spiritussancti spiritualiter implent, quasi decem & septem ter ducimus, vt ad quinquagesimum numerũ perueniamus. Et quia vera reges in vnitate est, recte ad qnquagesimum additur vnum, quoniam sic de Actu. 4. primitiua ecclesia dictũ est. Multitudinis autem credẽtium erat cor vnum & anima vna. Et quoniam custodia legis & gratia spiritualis in fide sanctæ trinitatis constat, quasi quinquagintatria perueniamus. Quia enim (sicut

supra dictum est) per hanc piscationem ecclesia, qualis in futuro erit, significatur, dignum fuit vt tot pisces caperentur, per quos electorum summa, quæ cũ domino regnatura est, significaretur. Vt aũt dñs de sua resurrectione omnem dubitationem à discipulorũ mentibus auferret, non solum eius dignatus est apparere, sed etiam coram eis comedere. Vnde & subditur:

Dicit eis Iesus: Venite, prandete.

Et pulchre vltimum conuiuium cum septẽ discipulis voluit celebrare, quia illi post vniuersale iudicium cum domino æternum conuiuium celebraturi sunt, qui in præsenti seculo septiformi gratia spiritussancti repleti fuerint. Quod vero subditur:

Et nemo audebat discumbentium eũ interrogare, tu quis es: scientes quia dominus est.

Tale est acsi diceret: Nemo præsumebat q̃s esset interrogare, quia quod ipse Christus esset, nemo poterat dubitare. Tam enim manifesta & præclara erat eius cognitio, vt omnibus se videntibus manifestum esset, quis esset: & ideo superfluum erat, quis esset, interrogare, de cuius cognitione nemo discumbentiũ poterat dubitare.

Et uenit Iesus & accipit panẽ, & dabat eis, & piscem similiter.

Dedit ergo dñs discipulis piscem, quia suam passionem imitandam esse ostendit. Dedit & cum pisce panem, quia post tolerantiam passionis gaudia repromisit æternæ satietatis. Quod vero dicitur:

Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis: cum resurrexisset a mortuis.

Non ad numerum apparitionum, sed potius ad dierum ptinet. Nam primo die quo resurrexit à mortuis, quinquies ab hominibus visus est. Iterum autem alia die, quando post dies octo apparuit discipulis in conclaui, vbi erat Thomas. Tertio vero quando piscantibus ad mare Tiberiadis, septima vice apparuit discipulis.

FERIA QVINTA PAschæ. Iohannis XX.

In illo tempore: Maria stabat ad monumẽtum foris plorans. Et reliqua.



IN multis locis scripturę virtus perseuerantiæ laudabilis ostenditur, non minus tamẽ in huius exordio lectionis, q̃ præcipua virtus sit cognoscimus, si huius euangelij superiora pariter attendamus. Supra eñ retulit euangelista, quia cũ adhuc tenebrę essent, Maria Magdalene venit ad monumentum, & vidit lapidẽ sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrũ, & ad aliũ discipulum quẽ amabat Iesus, & dicit eis: Tulerunt dñm de monumento, & nescimus vbi posuerunt eũ. At illi currentes introierunt in monumentũ, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt. Et de illis protinus scriptum est: Abierunt ergo iterũ discipuli ad semetipsos. De illa aũt subditur:

Maria stabat ad monumentum foris plorans.

Vbi considerandũ est, mulieris huius mẽtem quantus amor dñi accenderat, quæ etiam discipulis à monumento discedentibus, non discedebat. Et quia ab inquisitiõe nõ cessauit, prima eum videre meruit. Vnde cognouimus quia in omni bono opere pseuerantia necessaria est, dño dicẽte: Qui pseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit. Hinc est, quod p legẽ cauda hostiæ in sacrificio offerri præcipitur. In cauda quippe finis est corporis, & ille deo sacrificiũ acceptum immolat, qui opus bonum vsq; in finem consummat. Hinc est etiam, q̃d Ioseph inter reliquos fratres tunica talari inductus esse memoratur. In talo quippe finis ẽ corporis. Et illa talari tunica spiritualiter induitur, qui bonum opus vsq; in finem perducit. Hinc nos & Psalmista admonet, dicẽs: Cõstituite diem solennẽ in condensis vsq; ad cornu altaris. In cornu nanq; altaris finis est. Et ille diem solennem mente celebrat, qui in bono opere vsq; in finem perseuerat. Quãto autem mœrore de dño mulier hæc affligeret, manifestatur cum dr: Maria stabat ad monumẽtum foris plorans. Plorabat enim, qa eũ quẽ multũ desiderabat, nõ videbat: plorabat, qa de monumẽto corpus furatũ putabat.

Matt. 10. Psal. 117

Dum ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum.

Iam eñ monumentũ vacuũ viderat, quia & dñm de monumento furatũ discipulis nũciauerat. Quid est quod iterũ se inclinauit, nisi quia iterũ videre desiderat? Valde eñ amãti semel aspexisse nõ sufficit. Sicut enim nos, cum aliquam rem perdimus, quamuis huc illucq; quærendo discurramus, tñ ad eum locũ sæpius respicimus, vbi eam habuisse meminimus: ita & hæc mulier, quamuis huc illucq; dñi corpus quæreret, anxia tñ de eius absentia, frequentius monumentum aspiciebat, vbi eum positum nouerat. Vnde etsi dñm statim videre non meruit, tñ angelorum visione priuata non est. Vnde & subditur:

Et uidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unũ ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu.

Vbi forte mouet aliquem, quare Iohãnes in domini resurrectione sedentes describat, cum Lucas eiusdem resurrectionis modum describens, commemoraret quod iuxta mulierem steterint. Ad quod respõdendum, quia sicut sedere regiæ dignitatis est, sic stare adiuuantis vel pugnantis. Et quia idem mediator dei & hominum rex nobis pariter & sacerdos effectus est, alios sedẽtes, & alios stantes describit. Et quia hic cuius resurrectionem testificari venerant, deus & homo credendus est, recte vnus ad caput, & vnus ad pedes sedisse memorantur. Per caput enim altitudo diuinitatis designatur, sicut dicit Apostolus. 1.Cor.11 Caput Christi deus: per pedes humanitas exprimitur, sicut per Moysen dicitur: Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Deut.33. Quasi ergo ad caput sedet angelus, cũ euangelista prędicat: In principio erat verbũ, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Quasi ad pedes sedet angelus, cum idẽ euangelista subiungit: Et verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Et quia consuetudo est Palæstinis, vt dies festos celebrãtes, albis vestibus induantur, cum in vestibus albis angeli apparuerunt, festiuitatem se celebrare ostenderunt. Vbi si quis quærat, vtrum suam, an nostram, respondendum est, quia & suam & nostram. Illa enim domini resurrectio, angelorum festiuitas fuit, quia eorum numerum per apostatam angelum imminutum ex hominibus recuperauit. Nostra quoq; festiuitas fuit, quia nos de tenebris & vmbra mortis liberatos, ad angelorum dignitatẽ reuocauit.

Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras?

Interrogabant angeli non solũ causas, sed etiam inquisitiones, non vt quærendi desiderium minuerent, sed vt augerent. Sicut enim nos cum propter charorum amissionem flemus, si quis nos fleti causas inquirat, fletũ magis accumulat: ita & illi causas doloris interrogabant, vt fleti desiderium augerent, scientes beatos esse lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Sed mulier cuius rei gratia fleret, manifestat cum adiungit:

Quia tulerunt dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.

Vbi notandum quia non dixit, tulerũt corpus domini mei, sed tulerunt dominum meũ, cum solum corpus domini in monumentum positum nouerat. Scriptura enim sacra aliqñ totum pro parte ponere consueuit, & ideo cũ solum domini corpus quæreret, dñm sublatum de monumento commemorauit.

Hæc cum dixisset, conuersa retrorsum, uidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est.

Pulchre, vt deum mereretur videre Maria, conuersa retrorsum dicitur, qui enim retrorsum conuertitur, illuc oculos dirigit, vbi prius terga habebat. Quasi ergo retrorsum conuersa est, quando dubitationis nebulas postponens, Christi resurrectionem ex parte credere cœpit. Cui tamen dominus ita suam visionem tẽperauit, vt quia amabat, sed eum resurrexisse non credebat, illum & videret, & non recognosceret. Vnde & subditur:

Illa existimãs quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.

In quibus verbis etiam considerandum, quantus amoris ardor mentem mulieris imbuerat, quæ antequam personam eius significasset, quem quærebat, quasi scienti loquebatur, dicens: ⌞Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.⌟ Habet enĩ ius amoris hoc proprium, vt quẽ quisq; multum amat, omnes amare putet. Sed nõ in toto mulier errauit, cum dominum hortulanum existimauit. Sicut enim ad hortulani officium ptinet, noxias herbas eradicare, vt bonæ quoq; possint proficere: ita dominus Iesus Christus de horto suo. i. de ecclesia sua, quotidie vitia eradicat, vt virtutes proficere valeant. Cum vero sexus fœmineus fragilis sit ad onera deferenda, & pauidus ad mortuorum cadauera baiulanda, quicquid alijs impossibile est, hæc propter magnitudinem amoris leue & possibile arbitrabatur, dicens: Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.

Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere.

Quia dominus superius mulierem cõmuni sexu appellauerat, & cognitus non est, vocauit etiam proprio nomine, vt saltẽ cognoscentẽ se recognosceret. Ait enim: ⌞Maria.⌟ Cum enĩ apud deum certus sit numerus electorum, magna gratia aliquibus datur, quando proprijs nominibus deo noti esse memorantur, qualis erat Moyses, cui dictũ est: Noui te ex nomine. Exo.33. Et, Inuenisti gratiam coram me. Vnde mulier postquam proprio nomine à domino vocata est, statim cognoscentẽ se recognouit, dicens: ⌞Rabboni, quod dicitur magister.⌟ Iam vero post hæc quid mulier fecerit, euangelista non declarat, tamen ex eo quod dominum dixisse adiungit, ⌞Noli me tangere,⌟ declarat, quia mox vt mulier dominum recognouit, vestigia eius adorando tenere voluit. Cui à domino dicitur: ⌞Noli me tangere.⌟ Vbi non est putãdum, quod post resurrectionem tantum renuerit tactum fœminarum, cum de duabus à monumento

illius recedentibus dictum sit, quia accesserunt & tenuerunt pedes eius, sed illam à suo contactu prohibuit, cuius mentem rectam in fide non sensit. Sed quare à muliere se tangi noluerit, manifestatur cum subditur.

Nondum enim ascēdi ad patrē meū.

Nunquid enim post ascensionem eum corporaliter tangere volebat? Non. In eius quippe mentem nondum ad patrem ascenderat, quæ cum mortuum inter mortuos requirebat, æqualem patri eum non credebat.

Vade aūt ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad patrem meum & patrē uestrum, deum meū & deū uestrū.

Magna dignatio redēptoris erga apostolos declaratur. Qui enim serui nō fuerant digni, fratres vocantur, iuxta illud quod in eius persona per Psalmistam dicitur: Narrabo nomē tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Nec ab hac dignitate nos alieni erimus, si morum sanctitate participes fuerimus, domino ipso dicente: Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est. Quam ergo maiorem remunerationem potest habere adoptatus seruus, quàm vt appelletur frater illius, qui est vnicus filius? Et ideo qui digni nō fuimus serui vocari, fratres appellamur. Sed cum diceret: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, deum meum & deum vestrum. Quare communiter non dixit nostrum? Nimirū quia aliter illi pater est, & aliter nobis. Quoniam quod ille habet per naturam, nos accepimus per adoptionis gratiam. Deus illius, quia descendit ad nos, & minoratus est paulo minus ab angelis, humanitatem nostrā assumens. Deus vero illorum, quia per illum ad patrem ascendere meruerunt.

Psalm. 21

Mat. 12.

Venit Maria Magdalena nuncians discipulis, quia uidi dominū, & hæc dixit mihi.

Misericordissima dei pietas in hoc loco erga sexum fœmineum declaratur. Quia enim per fœminam mors mundo illata fuerat, ne semper in opprobrium sexus fœmineus haberetur, per sexum fœmineum voluit nunciare viris gaudia resurrectionis, per quē nunciata fuerat tristitia mortis. Ac si diceret homini bus, De cuius manu sumpsistis poculū mortis, ab eius ore audite gaudia resurrectionis. Postquam autem mulier audiuit: Vade, die fratribus meis &c. recte subiunctū est: Venit Maria nuncians discipulis. Quod omnis qui recte intelligit, aliis nunciare debet, iuxta illud quod in Apocalypsi legitur: Qui audit, dicat, Veni.

FERIA SEXTA PASCHAE. Matthæi XXVIII.

In illo tempore: Vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in mōtem ubi constituit illis Iesus. Et reliqua.



Domini iussionē obedientia comitatur discipulorū. Cum enī se passurum & resurrecturum dominus prædiceret, etiam locum vbi videndus esset à discipulis, designauit, dicens: Postquam resurrexero, Præcedam vos in Galilæam. Et cum eius resurrectionem iam factam angelus mulieribus nunciaret, ait: Ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia surrexit. Ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Hac promissione discipuli subleuati, vt præsens euangelii lectio narrat, abierunt in Galilæam, in montē vbi constituerat illis Iesus. Vbi non absque consideratione prætereundum est, quod se in Galilæa post resurrectionem dominus videndum promisit atque (vt præsens lectio cōmemorat) exhibuit. Galilæa nanque in nostra lingua, transmigratio facta interpretatur. Et post resurrectionē in Galilæa videtur, vt ipsius loci noīe insinuaret, quia iam trāsmigrauerat de corruptione ad incorruptionem, de ignobilitate ad gloriā, de mortalitate ad immortalitatem, sicut dicit Apostolus: Etsi noueramus Christum secundū carnem, sed nunc iam nō nouimus. Et itē, Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dñabitur. Siue certe cum in Galilæa (.i. in trāsmigratione) videtur, nos mystice cōmonet, vt si eum videre optamus nunc per speculum & in ænigmate, & postea facie ad faciem, trāsmigrare studeamus de vitiis ad virtutes, & de amore mundi ad amorem dei, dicentes cum Apostolo: Nos autem reuelata facie gloriam domini contemplantes, & rel. Nulla hic mundi concupiscentia teneat, nulla nostra transitoria delectatio hic mente manere persuadeat, vt cum Apostolo dicere valeamus, Nostra autem conuersatio in cælis est. Vnde bene nō solum in Galilæa videtur, sed etiā in monte, mons enim in hoc loco celsitudinem significat perfectionis. In monte ergo discipuli dñm viderunt, quia illi eum quandoque videre merebuntur in altitudine cælorum, quæ nūc desideria calcant terrenorum. Merito autem post resurrectiōem dominum discipuli adorauerunt, quem etiam ante passionem in miraculis deū esse cognouerunt. Quod vero dicitur,

Mat. 14

Mar. 16

2. Cor. 5

Rom. 6.

1. Cor. 13

ibidem

Phil. 3.

Quidam autem dubitauerunt, illud est quod Lucas euangelista ait: Quia cum vidissent dominum in conclaui residentes, existi-

mabant se spiritum videre. Nam & vnus ex his cum audisset alios dicentes, Vidimus dominum, hoc fieri posse dubitauit, dicens: Nisi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam digitũ meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Vnde & Marcus euangelista dicit: Recumbẽtibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis &c. Illorum enim dubitatio, nostræ fidei fuit confirmatio: quia quanto magis dubitauerunt, tanto diligentius inquisierũt. Et quanto perfectius inuenerũt, tanto firmius, quod credere debeamus, ostenderunt. Et nõ solum nostram fidem corroborauerunt, sed etiam hæreticorum prauitatem destruxerunt.

Et accedens Iesus locutus est eis.

Quia ergo aliquos discipulorum de sua resurrectione dubitare cognouit, nõ solũ propius accedere dignatus est, sed etiam colloq, vt eum quem deum non cognoscebant ex visione, cognoscerent saltem ex collocutione. Ait enim:

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Quod à parte assumptæ humanitatis loquitur, in qua minoratus est paulo minus ab angelis. In humanitate ergo accepit potestatem inter omnia, qui in diuinitate omnipotens est super omnia, sicut ipse ait: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et iterum: Ego & pater vnũ sumus. Non solum eñ in terra, sed etiam in cælo potestatem se accepisse dicit: quia humanitatem, quam pro nobis pati tradidit, resurgendo etiam sup angelos eleuauit, teste Apostolo qui ait: Propter quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium & infernorũ. Hæc autem potestas non spernit peccatores, sed colligit. Vnde postquam dixit, ⌊Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,⌋ adiunxit:

Ioh. 10.

Phil. 2.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti.

In quo loco ordo rectè baptizandi ostẽdit, cum doctrina baptismum præcedere docet. Ait enim, ⌊Docete oẽs gentes:⌋ deinde subiunxit, ⌊Baptizantes eos.⌋ Prius eñ doceri debet qui baptizãdus est, vt primũ discat credere, quod postea per baptismum possit accipere. Quia vt fides sine operibus mortua est, ita opera si non sint ex fide, nihil prosunt. Qđ in paruulis quidem non obseruatur, quia per fidem parentum, vel eorum à quibus suscipiuntur, in sacro baptismate saluari creduntur: ita tamen, vt cum ad intelligibilem ætatem peruenerint, non solum doceãtur quid in eo: de debeant credere, sed etiam quid in opere seruare. Vnde & bene subditur:

Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis.

Non alia ergo docenda sunt, sed quæ Christus præcepit: & illa non ex parte, sed omnia. Notandum vero quod non ait, Baptizantes eos in nominibus patris & filij & spiritussancti, sed in noĩe, vt indiuiduam trinitatem deũ esse insinuaret, quia & si trinus est in vocabulis, vnus tñ est in natura, qm̃ deus pater, de⁹ filius, de⁹ est spũssanctus. Et ne fragilitas apostolorum ad docendas omnes gentes, se minus idoneam esse dubitaret, magnã pius magister intulit consolationem, cum subiunxit:

Et ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ seculi.

Vnde quæritur, quare dicat: ⌊Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi,⌋ cum alibi dixisse legatur: Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, & q̃retis me, & nõ inuenietis. Ad quod dicendũ, quia mediator dei & hominũ dñs Iesus Christus, sicut verus homo, ita verus deus est credendus: & aliquando de assumpta humanitate loquitur, aliquando de potentia diuinitatis. Quod ergo ait, Adhuc modicũ vobiscũ sum, ad assumptam pertinet humanitatem, in qua potuit de loco ad locum ire: quod vero hic dicit. ⌊Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi,⌋ ad maiestatem pertinet diuinitatis, p quã vbiq; est præsens, vbiq; totus, nec in tempore accedit, vel in tempore recedit, sed semper æqualiter, semper ineffabiliter manet, sicut ei per Psalmistam dicitur: Tu idem ipse es & anni tui non deficient. Cum vero vsq; ad consummationẽ seculi cum apostolis se manere promisit, ostendit vsq; ad consummationem seculi non deesse futuros electos, cum quibus ipse manere dignetur. Cum enim multo longiora tẽpora post apostolos futura essent vsque ad consummationẽ, non putanda est hęc promissio ad solos apostolos ptinere, sed ad omnes electos, qui vsq; ad cõsummationem seculi futuri sunt, iuxta q̃d alibi ipse ait: Prædicabitur hoc euangeliũ omnibus gentibus, & tunc veniet finis.

Ioh. 8

Psal. 101

Mat. 24

SABBATO POST PAscha. Iohannis XX.

In illo tempore: Vna sabbati Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebrę essent, ad monumẽtũ. Et rel.



I quis huius mulieris præteritas actiones cum præsenti lectione conferat, quantum misericors deus erga cõuersos peccatores sit, cognoscet. Hæc est [Luc.7.] enim illa mulier, quæ (vt Lucas ait) cum esset in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuisset in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes dñi, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis suis tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Hæc est de q̃ Mar [Mar.16] cus scribit, Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de q̃ eiecerat septem dæmonia. Sed quia iuxta saluatoris vocem dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, in ipso dilectionis feruore vsq; ad passionem domini perseuerauit, nec à mortuo potuit separari, quem viuentẽ summo dilexerat amore. Deniq; (vt euangelistæ referunt) mox vt dominum in monumẽto positum uidit, emit aromata, & mane prima sabbati ante lucem (vt præsens euangelij lectio narrat) ad sepulchrũ domini venit. Et cũ sexus fœmineus timidus esse soleat ad ambulandum in tenebris, nihil ista metuit, quæ toto corde dominum dilexit. Erat enim in illa perfecta charitas, quæ foras mittit timorẽ. Sed quæritur, quare Iohannes dicat, Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebræ essent ad monumentum. Marcus vero dicat eã venisse valde mane, orto iam sole. Ad qđ simpliciter respondere possumus, quia potuit fieri vt primum sola ante lucem ad monumentum venerit propter amoris magnitudinem, & postea orto sole cum duabus eiusdẽ nois fœminis iterũ ad monumẽtum redierit. Non enim semel in die, sed frequenter ad domini monumentũ sanctę mulieres venisse putandæ sunt. Siue certe quod Iohãnes dicit, venisse eam cum adhuc tenebræ essent ad monumentũ, & Marcus orto iam sole, vnus partis orientis, alter occidentis describit. Quotidie enim oculis cernimus, quia cum sol concauas terrarum partes relinquens, primo crepusculo terris lucẽ reddere incipit, ita fit lux in oriente, vt tenebræ non desint in occidente. Et quod ait Iohannes, cum adhuc tenebræ essent, partes occidentis attendit: quod vero Marcus dicit, orto iam sole, partes orientis cõsiderauit. Spiritaliter vero tenebræ in corde mulieris erant, cum ad domini venit monumentum: quia resurrectionis eius ignara, viuentem inter mortuos requirebat. Tunc autem in eius mente sol ortus est, quando eum nõ solũ resurrexisse vidit, sed etiam credidit.

Et uidit lapidem sublatum a monumento.

Qualiter vel quando reuolutio huius lapidis facta sit, Matthæus manifestius describit, dicens: Angelus quippe domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Vbi non putandum est, quod dominum in resurrectione angelus iuuerit, sed adhoc lapidem reuoluit, vt eius resurrectionem factam hominibus demonstraret. Sed mulier postquã lapidem à monumẽto sublatum vidit, quia dominum nondum resurrexisse credebat, furatum credidit, atq; festina quod vidit discipulis nunciauit. Hæc est veraciter, quæ in Canticis canticorum voce ec- [Cant.3.] clesiæ dicit: In lectulo meo per noctem quęsiui quem diligit anima mea: quęsiui illum, & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, q̃rens quem diligit anima mea. Inuenerũt me vigiles qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Et factum est dũ pertransissem illos, inueni quem diligit anima mea. Teneam illum nec dimittam, donec introducam in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meæ. Vnde & subditur:

Cucurrit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quẽ amabat Iesus, & dicit ei[s]: Tulerunt dominum meum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.

Quod cum audissent, illi præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerunt, Petrus s. & Iohannes, cuius est hoc euangelium. Vnde & bene dicitur:

Exijt ergo Petrus & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumẽtum: Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, & uenit primus ad monumentũ. Et cum se inclinasset, uidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum: & intrauit in monumentum. Et uidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum.

Cursus autem iste discipulorum à mysterio vacuus non est putãdus. Non enim se Iohannes priorem venisse & non intrasse dixisset, si in ipsa sua trepidatione mysterium deesse sensisset. Per duos ergo discipulos spiritaliter duo ordines populi præfigurantur, Iudæorum s. & gentium. Per Petrũ autem seniorem, significatur gentilis populus: per iuniorem vero Iohannem, synagoga Iudęorũ. Prior ergo Iohannes cucurrit, sed in monumen-

tum non intrauit: qa in cognitione dei & notitia legis prior synagoga fuit, sed ad fidē intrare renuit. Venit autē Simon Petrus sequēs eum, & intrauit, quia gētilis populus post domini incarnationem conuersus, tardius quidē venit, sed prius ad fidem intrauit, iuxta illud quod ait in euangelio dominus: Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. ⌊Et vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.⌋ Quid per linteamina, nisi bonæ actiones significantur? Linteum namq;, quod cum labore texitur, sed cum decore induitur, bonorū actiones significat: quæ cum studio pij laboris perficiuntur, sed cum decore animæ induuntur, de quibus ecclesiæ voce per prophetā
Isai. 61. dicitur: Viuo ego, dicit dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris. Per sudarium vero, cum quo sudor laborantium tergi tolet, vnde & nomen accepit, labor dn̄icæ passionis exprimitur. Vnde & ipse per prophetam: Laboraui clamans, raucæ factæ sunt
Psal. 68. fauces meæ. Aliter: per sudarium quod super caput eius positum fuerat, eius diuinitas intelligi potest. Caput namq; Christi (ait Apo-
1. Co. 11. stolus) deus est. Quod separatim inuenitur, quia creator om̄em creaturam excellit. Non ergo cum linteaminibus, sed separatim in vnū locum sudarium capitis domini inuenitur: quia domini passio longe à nostra passione dissimilis fuit, quoniam quod nos cum peccato vix portamus, ille sine peccato pertulit: & nos quidem pro nobisipsis tribulationes patimur, ille autem pro nobis, & non pro se passus est. Bene autem inuolutum inueniri dicitur. Linteum enim quod inuoluitur, eius nec initium nec finis videtur. Et quia hic, qui passus est in humanitate, nec initium nec finem haberet in diuinitate, recte sudarium capitis eius inuolutū inuenitur. Recte etiam in vno loco inueniri dicitur: quia in scissura mētium dominus non est, sed in illorum cordibus habitat, qui puro corde vnitatē retinent. Vnus enim dominus, vnitatem diligit. Vnum ergo diuidi non pōt, quia vbi diuisio est, Christus inhabitare non valet: quoniam ipse est, q facit inhabitare vnanimes in domo. Vnde & de primitiua ecclesia dicit: Multitudinis cre-
Psal. 67 dentium erat cor vnum, & reliqua.

Tunc ergo introiuit ille discipulus, qui uenerat primus ad monumentū.

Actu. 4. Postquam intrauit Petrus, intrauit & Iohānes, qui prius venerat: quia sicut Apostolus
Rom. 11. ait. Cum plenitudo gentium Introierit, tunc omnis Israel saluus fiet. Et nō prius quod spiritale est, sed quod aiale, deinde qd spiritale.

Et uidit & credidit.

Quid putandum est vidisse vel credidisse? Nunqd qd dn̄s resurrexerit à mortuis? Nō. Sed vidit linteamina posita, & credidit (sicut mulier dixerat) dn̄m furatum de monumēto. Nam si eius resurrectionē credidisset, nequaquam euangelista subiungeret:

Nondū enim sciebant scripturas, qa oportebat eum a mortuis resurgere.

In quo loco quanta vtilitas sit in intellectu scripturarū, demōstratur, qn̄ apostoli ideo dicūtur domini resurrectionem ignorare, quia scripturas nondum intelligebāt, scilicet quia eo reuelāte, à quo procedit omnis sapientia, ea spiritualiter nondū intelligere didicerant, nondum enim audierant: Quia sic scriptum Luc. 24.
est in lege & psalmis & prophetis de me, &c. vsque, in remissionem peccatorum. Sin autē apostoli ideo non credebant resurrexisse dominum, quia non sciebant scripturas, eesset eorum dementia, qui præclara discernere nolunt, & alios discernere volentes reprehendunt, solumq; in alijs inuident, quod aut agere non possunt, aut nolunt.

IN OCTAVA PASCHAE. .I. Iohannis .I.

Charissimi, Omne quod natum est ex deo, uincit mundum: & hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui uincit mundum, nisi qui credit quoniā Iesus est Christus filius dei? Et reliqua.



Vdistis in epistola cum legeretur, fratres charissimi, Iohannē apostolū nos instruentem atq; dicentem; ⌊Omne quod natū est ex deo⌋ .i. genus spirituale & deo seruiens, ⌊vincit mundum⌋ .i. mundi amatores, vel opera vincit incredulitatis, & concupiscentiam mundi, vel om̄em idolorū culturam, in obseruatione mādatorum Christi. ⌊Et hæc est victoria quæ vincit mundū, fides nostra.⌋ Ergo firma fide in Christo vincimus mūdū, & oīa terrena desideria, oēmq; terrenū amorem atq; peccatum, necnon & diabolum, qui princeps est & inuentor peccati. ⌊Quis est qui vincit mūdum, nisi qui credit qm̄ Iesus est filius dei?⌋ Quod mūdus .i. amator mundi, non credit, nos credamus, & mandatis eius fideliter obediamus.

Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus.

Acsi diceret, Hic est qui venit maledictionem terræ suo delere baptismate in Iordane, & mundum suo sancto redimere sanguine. Nō in aq̄ solū, sed in aq̄ & sanguine.

Non enim solo baptismate venerat redimere mundum, sed etiam propria morte & sui sanguinis effusione.

Spiritus est qui testificatur, quoniã Christus est ueritas.

Spiritus enim sanctus, per quem nobis in baptismo omnium datur remissio peccatorum, nos per adoptionem filios dei facit: quos ipse dominus in morte crucis & suo sanguine redemit, & per gratiam eiusdem sancti spiritus, quem in baptismo suscepimus, veræ fidei lumen & agnitionis dei recepimus, vnde salutē consequi debemus æternam.

Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra, aqua & sanguis & spiritus.

Quidam hic sanctam trinitatē mystice significatam intelligunt, quæ Christo testimonium perhibuit: In aqua patrē significari intelligunt, quia ipse de se dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. In sanguine, ipsum Christum, qui pro salute mundi suum sanguinem fudit. In spiritu, eũdem spiritumsanctũ. Hæc sancta trinitas Christo testimonium ita perhibet, ipso per euangelium loquente: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Et cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre meo spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me.

Et hi tres unum sunt, id est, pater & filius & spiritussanctus. Vnum in natura, vnũ in diuina substantia, coæquales in omnibus, & coæternales per omnia, in nullo dissimiles. In ista trinitatis substantia nihil est creatũ, & nihil est inchoatum: nec aliquid ibi superius cognoscitur, quia nihil anterius aut posterius inuenitur. In eo quod trinitas est, vnum est, æternum est, verum est. Hæc est vna fides, & hæc est vera fides, & ideo hæc est catholica fides, vnius substantiæ sanctam credere trinitatem, & in dei filio carnis animæ nostræ naturalem cognoscere veritatem. Ista fide iustificamur, hac fide mundamur. Ista fide saluamur, in hac fide credidimus, quia nobis tribuit remissionem omnium peccatorum. Sit ergo certissima spes omnibus nobis, quia vera resurrectio carnis, quæ præcessit in Christo, sequetur in nobis. Caro ista omnium hominum mortuorum siue fidelium, siue infidelium resurget in fine: sed caro fidelium resurget ad pœnam. Animæ fideles cum suis corporibus semper lætabuntur. Animæ quoque infideles cum suis corporibus semper torquebũtur, ac sic quicquid ibi animæ in carne sua recipiēt, non amittent, quando nec bonis poterit auferri gaudium, nec malis vnquam poterit remoueri supplicium. Accipimus itaque vitam æternam per sanctam ecclesiam. In ista sola ecclesia est vita æterna, quia rex eius est vita æterna. Huius ecclesiæ pars exultat iam & regnat in cælis, pars autem peregrinatur adhuc & laborat in terris. Ipsa est vna sancta ecclesia, in qua nunc iustificamur, in qua tunc glorificabimur. Istam bonam matrem sicut boni filij vnanimiter diligamus. Huius ergo matris gemitus nemo despiciat, monitiones eius nemo contemnat, de sinu eius nemo discedat. Ipse enim ad dei patris perueniet hæreditatem, qui ecclesiæ matris in fide & dilectione seruauerit vnitatem. In ecclesia ergo catholica permanete, diuinis eloquijs humiliter obedite, præcepta dei solicite custodite. Qui enim præcepta domini cōtemnunt, semper ardebunt: qui vero mandata eius custodiunt, sine fine gaudebunt. Et sicut contemptoribus erit æterna mors & æterna miseria, sic obedientibus æterna vita dabitur & æterna lætitia per Iesum Christum filium dñm nostrum, qui viuit & regnat in secula seculorũ, Amen.

IN OCTAVA PASCHAE. Iohannis XX.

In illo tempore: Cum sero esset die illo una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum. Et rel.



Quoties legimus discipulos in dñi passione timuisse, vt post eius resurrectionē propter metum Iudæorum in conclaui residisse, non cum indignatione accipiendum est, sed fragilitati eorum concedendum. Fragiles namque & infirmi, necdum gratia spiritussancti pleniter fuerāt corroborati, quia sicut euangelista ait: Necdum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Sed qui prius propter metum Iudæorum in conclaui residebant, postquam spiritumsanctum visibiliter acceperunt, tanta cōstantia sunt confirmati, vt absque vlla trepidatione ante principes & sacerdotes dominum confiterentur: factumque cernimus in apostolis per quandam similitudinem, quod solet fieri in aquis, quæ dũ naturaliter liquidæ sunt, si nimio gelu tactæ fuerint, ad tantam duritiam perueniunt, vt in crystallũ durissimum lapidē conuertantur, ita vt vix ferro secari possint. Sic & discipuli ante donationem spiritussancti, infirmitate carnis grauati timebāt, sed postquam spiritussancti gratia sunt constipulati, intantum fortes sunt redditi, vt qui prius propter metum Iudæorum residebant in cōclaui, postmodũ gaudentes à conspectu con

ciliy irent, dicentes se esse dignos pro nomine
Act. 5. Iesu contumeliam pati. Videamus quãta fortitudine Petrus apostolus, accepto spiritusancto, durus erat. Qui enim prius ad vocem ancillę dñm & magistrũ suum negauerat, postea ante tremendos principes, & metuẽdas potestates, libera voce eum confessus est, dicẽs: Obedire oportet deo magis ꝗ̃ hominibus. Et
Ibidem iterum: Si iustum est, vos potius audire ꝗ̃ dominum, iudicate: Non enĩ possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Quod autem ait, L Vna sabbatorum J ipsam diem dñicæ resurrectionis intelligere debemus, quã ob honorem & reuerentiam eiusdem resurrectionis, dominicã nominamus. Quinquies aũt in eadem die dominus hominibus resurgẽs à mortuis apparere voluit. Primo apparuit Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septẽ dæmonia, flenti ad monumentum. Secundo, eidem Mariæ cum altera fœmina, eodem nomine nuncupata, pergentibus nunciare discipulis suis illius resurrectionem, quando accesserũt & tenuerũt pedes eius. Tertio, Simoni Petro. Quod ꝗ̃uis euãgelista, qualiter vel quõ ei apparuit, non manifestet, tamen quia apparuerit nõ tacet. Quarto, euntibus duobus discipulis in castellum Emaus, qñ cognouerunt eum in fractione panis. Et illis regressis in Ierusalem, & inuenientibus vndecim congregatos, & dicẽtibus, quia surrexit dñs vere & apparuit Simoni, tunc quinta vice venit Iesus, & stetit in medio. Et hoc est, quod nunc euangelista dicit, L Cum esset sero. & rel. J Rationabiliter aũt quæri potest, quõ dñs post resurrectionẽ verũ corpus habens, ad discipulos foribus clausis intromitti potuit. Sed quia hoc mirabile factum, ex se non facile cognosci põt, de alijs mirabiliorib' eius operibus vel miraculis vnũ ad memoriam reducamus. Nam vniuersalis ecclesia cõfitetur eum ex virgine esse natum. Quid ergo est mirũ, si incorruptibilia & immortalia membra ad discipulos ianuis clausis introduxit, qui mortale & corruptibile corpus ex vtero virginis clauso eduxit? Igitur si quod maius est fecit, non est mirum, si quod minus est facere potuit. Non enĩ diuina mysteria humana ratione pleniter comprehendi
Psal. 91. possunt, teste Psalmista, qui ait: Nimis profun
Esai. 40. dæ factæ sunt cogitationes tuæ. Hinc & Propheta alias dicit: Quis cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Vnde & apostolus Paulus, vt magnitudinem myste-
Rom. 11. riorum dei pleniter comprehendi non posse ostenderet, ait: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, ꝗ̃ incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Sed quid stans in medio eius dixerit, audiamus.

Pax uobis.

Pulchræ dominus post resurrectionẽ discipulis suis primum pacem commendauit, ostendens nimirum discordiam angelorum & hominum, per suam resurrectionem pacificatam. Ex illo enim tẽpore, quo primus homo peccando à consortio angelorum segregatus est, inter eos magna exriit discordia. Vnde in veteri testamento angeli ab hominibus frequenter adorati fuisse leguntur. Sed post domini resurrectionem non permittunt se ab hominibus adorari in terris, qm̃ deum hominem adorant in cælis. Qua ex re (vt ait Iohannes in Apocalypsi) dum vellet angelũ Apo. 19.
adorare, prohibuit eum angelus, dicens: Vide ne feceris, conseruus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu, deum adora. Hanc ergo pacem per suam resurrectionem redditam ostendens, ait discipulis dicẽs: L Pax vobis. J Quia (sicut Apostolus ait) ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem dissoluens maceriæ, & legem mandatorum decretis euacuans, vt condat in se duos in vnum nouũ hominem, & reconcilians ambos in corpore suo, ꝑ crucem interficiens inimicitias in carne sua. Et veniẽs euangelizauit pacem his qui prope, & his qui longe erant: qm̃ per ipsum accessum habemus omnes ad deum in vno spiritu.

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.

Lucas euangelista, qui hanc appa[r]itionem descripsit, dicit: quia cum stetisset Iesus in medio eorum, conterriti & conturbati, existimabant se spiritum videre. Ad horum ergo dubitationem auferendam, atq; fidem corroborandam, ostendit eis manus & latus, vt ꝑ infixionem clauorum & apertionem lateris, illum esse intelligerent, quem ante clauis viderant affixum, & lancea perforatum. Turbatio igitur apostolorum, nostræ fidei confirmatio est.

Gauisi sunt ergo discipuli, uiso dño.

Merito discipuli qui de passione dñi contristati fuerãt, de eius resurrectione læti sunt, vt impleretur quod eis à domino prędictum fuerat: Iterũ videbo vos, & gaudebit cor ve- Ioh. 16.
strũ. Nec absq; magno gaudio esse poterant, cum dominum viuentem videbant, quem saltem mortuum cernere cupiebant.

Dixit ergo eis iterum: Pax uobis.

Semel & iterum post mortem vel post resurrectionem pacem discipulis commendauit, vt quos ante passionẽ in pace reliquerat, post resurrectiõem in ea eos inueniret. Nam pergens ad passionem, pacem eis commenda
uit, dicens: Pacem meam do vobis, pacẽ me- Ioh. 14.
am relinquo vobis. A mortuis autem resurgens, eandem recõsignauit, dicens: L Pax vobis. J Ac si diceret: In pace vos dimisi, in pace vos inueniã. Vel certe geminã pacẽ discipulis

commendauit, vt illos sua visione dignos es se ostenderet, qui pacem & concordiam puro corde conseruant, & geminam dilectionē dei videlicet & proximi, habent. Hanc autem pacem reprobi non retinent. Quamuis enim adulteri cum adulteris, fornicatores cū fornicatoribus, rapaces cū rapacibus, homicidæ cum homicidis, pacem habere videātur, tamen non veram pacem possidēt, teste Psalmista vel propheta, qui ait: Non est pax impijs, dicit dominus. Et Apostolus: Sine pace & castimonia nemo videbit deū. Fideles nanq; eandem pacem firmius retinent, cum contra aduersa patientiam continent. De talibus

Psal. 118. per Psalmistam dicitur: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Quam dominus commēdans discipulis, ait:

Mar. 9. Habete sal in vobis, & pacē habete inter vos Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Missio in scripturis aliquando ad incarnationem, aliquando ad dilectionem pertinet. Ad incarnationem, sicut Apostolus ait. At vbi venit ple

Galat. 4 nitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui

Rom. 8. sub lege erāt redimeret. Et iterum: Misit deus filium suum in similitudine carnis peccati. Ad dilectionem, sicut idem Apostolus ait: Misit deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem abba pater. Sed vtrunq; genus missionis, dominus vno versiculo comprehendit, cum ait:

Sicut misit me pr̄, & ego mitto uos.

Misit enim deus pater filium suum, quando constituit eum incarnari. Misit filius apostolos, quando ad eandem incarnationē prædicandam in vniuersum orbem eos direxit. Vel sicut misit deus pater filium suum, ad diuersa opprobria & passiones sufferendas, sic & filius apostolos non ad honorem & gloriam huius seculi accipiendam, sed ad angustias, & iniurias, & opprobria, & varias persecutiones sustinendas.

Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum.

Bis scriptum legimus apostolos manifesta datione spiritum sanctum accepisse, nunc primum domino consistēte in terra, postmodum vero eo præsidente in cælo. Quæri potest, quare dominus discipulis dixerit: ⌊Accipite spiritum sanctum.⌋ Nūquid hactenus spiritum sanctū non acceperant, quando eis potestatem dederat calcandi supra omnē virtutem inimici, dicēs illis: In nomine meo dæmonia eijcite, leprosos curate, gratis accepistis, gratis date? Et quomodo hoc faciebant, si spiritum sanctum non habebant? Habebāt vtiq;. Sed & nostram assertionem approbat

Luc. 11 dominus, dicens Iudæis: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt?

Ergo prius spiritum sanctum habuisse credēdi sunt. Quia nisi spiritus sancti gratia eēnt illuminati, neq; dæmonia eijcerent, neq; virtutes facerent, neq; illum verum deum esse crederent. Sed primum spiritum sanctum habebant, vt bene viuerent: postea eundem perfectius acceperunt, vt ad prædicandum idonei essent, vt & corde crederent ad iustitiam, & ore confiterentur ad salutem. Vnde impletū est, quod per Moysen dictum fuerat: Suxe- Deut. 32.
runt mel de petra, & oleum de firma petra. Nunquam legimus quod populus, qui per quadraginta annos manna in cibum accepit, mel vel oleum de petra suxerit, sed tm̄ aquam. Quod enim in illis historialiter impletū non fuit, in apostolis credimus esse spiritaliter cōpletum. Petra eīm (vt ait apostolus) erat Chri- 1. Co. 10.
stus. Dulcedo mellis & suauitas olei, gratiam spiritussancti significant, quę omnibus suauitatibus suauior inuenitur, dicente Psalmista:
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua do- Psal. 118
mine, sup mel & fauum ori meo. Quasi ergo mel de petra apostoli suxerunt, quādo Christo in terra consistente, spiritum sanctum ab eo acceperunt. Quasi oleum de firma petra, quando iam eo in cælo præsidente, eundē spiritum sanctum in linguis igneis visibiliter è cælo accipere meruerunt. De hoc oleo scriptum est: Computrescet iugum à facie olei. i. Isaia. 10.
iugum peccati à facie spiritussancti. Siue aliter. Quia sicut ait apostolus: Charitas dei dif- Roma. 5.
fusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Recte bis spiritum sanctum acceperūt, quia eadem charitas duobus præceptis impletur, dilectione dei videlicet & proximi. In terra quippe datur spiritus, vt diligatur proximus: e cælo datur spiritus, vt diligatur deus. Et quia per dilectionem proximi peruenimus ad dilectionē dei, recte primum in terra datur spiritus, & postmodum e cælo, sicut ait Apostolus Iohannes: Qui non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et pulchre insufflando spiritumsanctum dedit, vt ipsum se esse ostenderet, qui in facie primi hominis spiraculum vitæ spira- Gene. 2.
uerat. Vel certe quia anhelitus ab interiore exterius trahitur, insufflando spiritum sanctum dedit, vt ostenderet omnem diuinitatē in se esse: & sicut à patre, ita quoq; à se spiritū sanctum procedere. In ipso enim (vt ait Apo- Coloss. 2.
stolus) inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vnde & consuetudo ecclesiastica obtinuit, vt in eorum facie, qui per gratiā spiritussancti regenerandi sunt, à sacerdotibus insufflētur. Nam illud prætermittendum non est, quod per dationem spiritussancti omnium peccatorum remissio tribuitur, & ipsa quoque remissio septem modis efficitur. Primo, per sacramentum baptismatis. Se-

cundo per eucharistiæ perceptionem. Vnde
Iohā. 6. & dominus in euangelio dicit: Nisi mandu-
caueritis carnem filij hominis, &c. Tertio p
martyrium. Quarto per eleemosynam, quia
vt scriptum est: Sicut aqua extinguit ignem,
ita eleemosyna extinguit peccatum. Quinto
Actu. 3 per pœnitentiam. Pœnitemini (inquit aposto
lus) & conuertimini, vt deleãtur peccata ve-
stra. Sexto, per charitatem: quia (sicut apo-
1. Pet. 4. stolus dicit) charitas operit multitudinẽ pec-
catorum. Septimo, quando in nobis peccanti
Mat. 6 bus dimittimus: quia sicut dominus dicit: Si
non dimiseritis hominibus peccata eorum,
nec pater vester cælestis dimittet vobis pec-
cata vestra. Quia ergo per spiritum sanctum
remissio peccatorum tribuitur, recte per cũ-
dem spiritum datum discipulis dicitur:

Quorum remiseritis peccata, remit-
tuntur eis: & quorum retinueritis,
retenta sunt.

Et reuera magna gratia apostolis data est,
vt nõ solum per spiritumsanctum à proprijs
peccatis absoluerentur, sed etiã in alienis pec
catis dimittendis potestatem acciperẽt. Quo
rum locum & ordinem episcopi & sacerdo-
tes nunc in ecclesia retinent, qui ligandi sol-
uendiq; potestatem habent, sicut in persona
omnium primo pastori specialiter dictum ẽ:
Tibi dabo claues regni cælorum. Et quod-
Mat. 16. cunq; ligaueris super terram, erit ligatum &
in cælis. Vnde in lege figuraliter præcipitur
de leprosis, vt si quis lepra percussus esset, ostẽ
deret se sacerdoti, & ad eius iudicium aut ejj-
ceretur extra castra, aut reciperetur. Non
quod ipse leprosum mundare, aut mundatũ
leprosum facere posset, sed quia ad ministeri
um ipsius sacerdotis pertinet, vt discernat in
ter lepram & lepram. i. inter peccatum maius
& minus. Subtili enim examinatione prouï-
dendum est, qui sunt digni intra ecclesiam re
cipiendi, & qui extra eandem propter pecca
ta reijciendi. Non solum quippe iudicio qua
litas & quantitas peccati est considerãda, sed
etiam persona peccantis, & satisfactio pœni-
tentis. Illos enim sua sentẽtia pastor absolue-
re potest, quos viderit per compunctionem
cordis & dignam emendationem à deo esse
solutos. Grandis honor, sed graue pondus
istius honoris. Valde nanq; durum est, vt il-
le alienas animas iudicandas suscipiat, qui su-
am ipsam custododire nescit: Sunt enĩ non-
nulli, qui ministerium religionis ad potesta-
tem retorquent honoris, & putant se soluere
noxios, & ligare innoxios. De quibus scri-
ptũ est: Mortificabãt animas quæ non mori
Iere. 13. untur, & viuificabant animas quæ non vi-
uunt. Quasi enim non morientem mortifi-
cat, qui eum qui in culpa reus nõ est, sua sen
tẽtia damnat. Quasi non viuentem viuificat,
quando illum qui in peccatis pmanet, se pos-
se soluere putat. De talibus alibi scriptum ẽ:
Et curabant contritionem populi mei cum Ierem. 6
ignominia, dicẽtes: pax pax, & nõ erat pax.
Sed siue iuste siue iniuste perferatur sentẽtia
pastoris, timenda est, ne forte culpa quæ nõ
fit ex opere, fiat ex elatione.

Thomas unus ex duodecim, qui di-
citur Didymus, non erat cũ eis, quã
do uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alii
discipuli: Vidimus dominũ. Ille au-
tem dixit eis: Nisi uidero in manibus
eius fixuram clauorum, & mittam di
gitum meum in locum clauorum, &
mittam manum meam in latus eius,
non credam.

Cum Lucas dicat, quod duo ex discipulis
reuersi in Ierusalem inuenerunt congrega-
tos vndecim, &c. quid est quod Iohannes de
fuisse dicit Thomam, qui vnus ex illis erat?
Ad quod dicendum, quia primum cum illis
fuit Thomas, sed ad tempus egressus est, in q
spatio egressionis venit Iesus. Quo non ca-
su contigisse putandum est, sed diuina dispẽ-
satione factum est, vt domino apparente di-
scipulis, vnus electus discipulus defuisset, qui
audita resurrectione dubitaret, dubitans quę
reret, quærens inueniret, & à nostris cordi-
bus omnem dubitationem expelleret. Mul-
to magis incredulitas Thomæ nobis profu-
it, quàm citissima credulitas Mariæ: quia dũ
dubitauit, diligenter quæsiuit, quærens inue-
nit, inueniens palpauit, palpans nõ solum no
stram fidem corroborauit, sed etiam hæreti-
corũ errorẽ exclusit, qui dicebant eũ verũ cor
pus non habuisse. Nam quia nõ malitia, sed
ignorantia dubitauit, noluit pius magister tã
dilectum discipulum in infidelitate relinque
re, sed ad fidem eius reformãdam, iterum di-
gnatus est apparere. Vnde & subditur:

Et post dies octo iterum erant disci
puli eius intus, & Thomas cum eis.
Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in
medio, & dixit eis: Pax uobis.

Et pulchre dominus non solum semel &
iterum, sed etiam tertio pacem discipulis cõ-
mendauit, vt eloquium primę maledictionis
per suam resurrectionem solutum esse osten
deret: & (vt quidam tradunt) trinam maledi-
ctionẽ auferret, quæ dicta fuerat Adæ: Male Gene. 3
dicta terra in opere tuo, in laboribus come-
des ex ea cũctis diebus vitæ tuæ, spinas & tri
bulos germinabit tibi, & comedes herbas ter
ræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, do
nec reuertaris in terram. Sed omibus discipu

lis pace commendata generaliter, specialiter
Thomæ dubitationem curauit, dicens:

Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meũ, & noli esse incredulus, sed fidelis.

Quæritur, quare dicat, infer digitum tu-
um huc, & vide, cum visus proprie ad aspe-
ctum oculorum pertineat. Ad quod dicen-
dum, quia videre in hoc loco, pro sentire vel
intelligere positum est. Hoc autem genus lo
cutionis adeo nobis vsitatissimum est, vt per
omnes sensus currere videatur: sicuti verbi
gratia, cum dicimus, audi & vide quàm mo-
dulate cantat, olfac & vide, quàm suaue re-
dolet, palpa & vide quàm leue sit, gusta & vi
de quàm dulce sit. Ne ergo discipulus infide
lis permaneret, dominus suã carnem ei pal-
pabilem præbuit, vt postmodum libera vo
ce prædicaret. In qua re duo mira & iuxta hu
manam rationem incomprehensibilia domi
nus ostendit, cum post resurrectionem cor-
pus suum palpabile præbuit, & incorruptibi
le demonstrauit, maxime cum illud quod pal
pari potest, possit & corrumpi: & quod non
potest palpari, non possit corrumpi. Sed mi-
ro & ineffabili modo ipse post resurrectio-
nem corpus suum palpabile & incorruptibi
le demonstrauit, vt in vno corroboraret fidẽ
apostolorum, in altero inuitaret ad præmi-
um. Siue certe corpus suum post resurrectio
nem palpabile & incorruptibile demonstra-
uit, vt ostenderet se eiusdem esse naturæ, cui-
us fuerat ante passionem, id est, carnem habe
re: & alterius gloriæ .i. eandem carnem in-
corruptibilem esse. Et qui in sua resurrectio-
ne nostram voluit præmonstrare resurrecti-
onem, ostendit nostra corpora post resurre-
ctionem incorruptibilia & immortalia esse,
non tamen impalpabilia. Vnde mentitus est
Euthices, qui dixit corpora nostra post resur
rectionem vento aerique esse subtiliora, & sic-
ut iubar solis videri potest, & palpari nõ po-
test, sic nostra corpora visibilia eẽ, sed impal
palpabilia: illud in adiutorium sui erroris as
1. Co. 15. sumens, quod ait apostolus: Caro & sanguis
regnum dei non possidebunt, non intelligẽs
quia caro in scripturis varias habet significa
tiones. Aliquando enim carnis nomine ipsa
conditio humana designatur, sicut scriptum
est. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de
Gene. 2 carne mea. Aliquando fragilitas eiusdem car
nis, sicut per Psalmistam dicitur: Et recorda
Psal. 77 tus est quia caro sunt. Aliquando ꝓpago co-
gnationis, sicut ait apostolus: Continuo non
Galat. 1 acquieui carni & sanguini. Et dominus: Ca-
Mat. 16. ro & sanguis non reuelauit tibi. Aliquando
carnis nomine peccatum designatur, sicut ait
dominus ad Noe: Non permanebit spiritus Gene. 6.
meus in homine in æternum, quia caro est .i.
peccator. Et Apostolus ad Romanos: Vos
autem non estis in carne, sed in spũ. Nisi eni
in carne essent, epistolas eis non mitteret cor
poraliter. Sed in carne non esse dicũtur, quia
carnalibus peccatis non succumbebãt. In eo
ergo quod ait Apostolus: Caro & sanguis re 1. Co. 15.
gnum dei non possidebunt, non naturam hu
manam negauit eẽ resurrecturam, sed pecca-
ta eiusdem carnis regnum dei possidere non
posse confirmauit. Quod secutus Apostolus
exposuit, dicens: Neque corruptio incorrupte
lam possidebit. Resurgent igitur corpora no
stra immortalia & incorruptibilia, non tamẽ
inuisibilia & impalpabilia, teste beato Iob, q
ait: Credo quod redemptor meus viuit, & in Iob. 19
nouissimo die de terra surrecturus sum, &
rursum circumdabor pelle mea, & in carne
mea videbo deum. His contra Euthicen di-
ctis, ad propria redeamus. ⌞ Infer digitum
tuum huc, & vide manus meas: & adfer ma-
num tuam, & mitte in latus meum: & noli es
se incredulus, sed fidelis. ⌟ Vbi notandum,
quia vt omnem à cordibus eorum auferret
dubietatem, non solum manus & latus, sed
etiam (secundum alium euangelistam) pedes
qui clauis erant affixi, ostendit, dicens: Vide Luc. ult.
te manus meas & pedes meos. Palpate & vi
dete, quia spiritus carnem & ossa non habet,
sicut me videtis habere. Sed in hoc loco so-
lent pagani Christianam simplicitatem irri-
dere, dicentes: Qua temeritate putatis vos
Christiani, quod deus vester vestra de pul-
uere corpora suscitaturus sit, cum sic (vt dici-
tis) ipse à mortuis resurgens vestigia passio-
nis in corpore suo, vt non apparerent, cura-
re non potuit? Ad quod vera fides respon-
det, non hoc impossibile esse, sed potius pie-
tatis. Maius est enim carnem à mortuis resu-
scitare, quã vulnera clauorum in carne sana-
re. Qui ergo quod minus est fecit, & quod
maius est facere poterat, nisi varias ob cau-
sas ipsa vulnera in corpore suo seruare volu-
isset. Primum, vt fidem apostolorum ad cre-
dendum inuitaret vel reformaret. Qui enim
videntes fixuras clauorum tarde crediderũt
multo magis tardius credidissent, nisi vesti-
gia passionis in eius mortali corpore reco-
gnouissent. Siue alio modo vestigia suæ pas-
sionis in carne sua reseruare voluit, vt patrẽ
pro nobis interpellans: quia (vt ait Iohannes 1. Ioh. 2.
apostolus) apud patrẽ aduocatũ habemus Ie
sum Christum iustum, & ipse est propitiatio
pro peccatis nostris. Ostẽdit ei cicatrices cla
uorum, quatenus eum, qui nunquam obliui-
scitur misereri, ad miserandum inuitet. Siue
certe ipsa sua passionis vestigia reseruare vo-
luit, vt vniuersali iudicio hoc omnibus osten-

dat, non solum iustis: sed etiam iniustis: vt iusti videntes quanta & qualia redemptor generis humani pro eorum liberatione sustinuit, in eius amore amplius exardescant, & in laude proficiant: iniusti autē tanto deterius confundantur, quanto magis tantis beneficijs extiterunt ingrati, sicut scriptum est: Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ. Vel certe cicatrices clauorum, & lanceæ apertionem dominus Iesus Christus in carne sua reseruare voluit, vt ipsa eius victoriam de antiquo hoste ostendant. Sicut enim (verbi gratia) miles fortissimus, cum iubente rege singulare certamen pro salute suæ gentis inierit, & cum reuersus victoriam suæ genti deportauerit, acceptis aliquantis plagis, si dixerit ei medicus: Vis vt ita te sanem, vt cicatrices plagarum non appareant: an, vt absq; deformitate appareant? & ipse responderit: Volo, vt absque deformitate tantum appareat, quatenus omnibus me intuētibus signum meæ victoriæ manifestent: sic & dominus Iesus Christus vulnera passionis suę in cælum reportare voluit, vt ipsa eum victoriam habuisse de antiquo serpente demonstrent.

Respondit Thomas.

Thomas interpretatur abyssus. Quę interpretatio nominis recte illi congruit, quia sicut abyssus immensam habet profunditatem, sic ipse palpando dominicū corpus, profundum diuinitatis in eo intellexit, de quo scri-
Psalm. 35 ptum est: Iudicia tua abyssus multa. Aliud enim palpauit corpore, & aliud credidit corde. Palpauit hominem, credidit deum. Et ideo exclamans dixit:

Dominus meus, & deus meus.

Dominus, à dominatu dicit: deus, à timore, sicut quidam de sapientibus dicit:

Primus in orbe deos fecit inesse timor.

Eccles. 12 Et Salomon: Deum time, & mādata eius ob-
Prou. 3 serua. Et iterum: Time deum & recede à malo. Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. Quod nomen recte illi essentialiter conuenit, qui est rex regum & dominus dominantium, & super omnia timendus, colendus, & venerandus, cui per
Esther 13 prophetā dicitur: Tu enim fecisti omnia, cælum & terram, & vniuersa quæ cæli ambitu continentur, dominus vniuersorum tu es. Quantam autem remunerationem habeat fides, manifestatur cum subditur:

Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderūt & crediderunt.

In hoc versiculo non solum fides Thomæ collaudatur, sed etiā nostra salus futura prædicitur, ac si diceret dominus: Tu quidem beatus es, quia vidisti me & credidisti, sed & illi beati erunt, qui non vidētes me corpore, credituri sunt mente. Quod autem ait: beati q non viderunt & crediderūt, præteriti temporis verbo vsus est, quia apud eius præsentiam omnia futura præterita sunt.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorū quæ non sunt scripta in libro hoc.

Si quis euangelium sancti Iohannis cū cæteris euangelistis conferat, multa de miraculis saluatoris in ei⁹ scripta reperiet, quæ in Iohannis euangelio non habētur, quoniam Iohannes, qui vltimus suum euangelium scripsit, quod ab alijs scriptū nouit, multis in locis prætermisit. Sed nec in quatuor euangeliorum libris omnia miracula domini scripta habentur, sicut Iohannes in calci testatur, dicens: Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ie-
sus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum Iohā. vl.
arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros. Tantum autem sancti euangelistæ de miraculis conscripserunt, quantum ad fidem credentium corroborandam sufficere posse cognouerunt. Vnde & subditur:

Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus filius dei.

Quia ergo hæc scripta sunt, vt credatis qa Iesus est Christus filius dei, erubescat Photinus, qui tantum hominem, & non deum credere voluit. Nos autem euangelica lectione istructi, credamus quia Iesus Christus filius dei in vna eademq; persona perfectus deus, perfectus & homo, deus ante tempora, homo ex tempore: deus ex patre, homo ex matre. Quid autem ex hac credulitate consequamur, manifestatur cum subinfertur.

Et ut credentes, uitam habeatis in nomine ipsius.

In nomine ergo eius vita datur, qui semet ipsum credentibus donat, qui est via, veritas,
& vita, sicut ipse alibi ait: Hæc est autem vita Iohā. 14.
æterna, vt cognoscāt te solum verum deum, Iohā. 17.
& quem misisti Iesum Christum.

DOMINICA SEcunda post Pascha, Misericordia domini.

.I. Petri .II.

Charissimi, Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Et reliqua.



Ratres charissimi, in lectione apostolica quam audistis, beatus Petrus Christi nos imitari exẽpla admonet, dicens:

Christus passus ẽ pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius.

Id est, quod ipse dominus ait in euãgelio: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. i. volũtates proprias relinquat, & dei se omnimodis subijciat volũtati, & tollat crucem suam. i. carnales mortificet delectatiões, & sequatur me, mundi desiderijs repugnet, quantum valeat diuina gratia largiente. His enim modis, & talibus his similib⁹ moribus sanctis, Christi debemus vestigia sequi.

Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Vt de ipso propheta ait: Solus enim sine peccato, qui peccata mundi tollere venit. Et alibi: Non contendit, neq; clamauit, neq; audiuit quis in plateis vocem eius. Sequitur:

Qui, cum malediceretur, non maledicebat.

Subdolum & mẽdacium, nec detractio inuẽta est in ore ei⁹. Nos ergo si volumus imitari exempla, hæc eadem mala oĩni studio vitare debemus. Omnem dolum & odium, omnemq́; malitiam & simulationes, & inuidias atq; detractiones deponere, & in bonis operibus certamen magnum habere, Christo domino famulari.

Cum pateretur, non comminabatur.

Iniuriæ vindictam non promisit, sed etiam pro suis crucifixoribus exorauit, vt nos alibi docuit, dicens: Orate ꝑ persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.

Tradebat autem iudicãti se iniuste.

Per diuinitatem tradidit humanitatem, q̃ assumpsit ad passionem, iudicanti se populo Iudaico vt crucifigeretur. Si enim ipse qui sine peccato erat, ꝓpter peccata nostra, vt nos redimeret à morte, se tradidit, quid retribuere condignum eius misericordiæ possumus, nisi tantum vt nos pura confessione & pœnitentiæ lachrymis, eleemosynarum largitate operibusq́; misericordię & pietatis, ad eius nos semper voluntatem præparemus fideliter, vt dignis & sanctis morib⁹ æterna cũ eo gaudia possidere valeamus?

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.

Ad hoc enim in ligno crucis pati voluit, vt ligni præuaricationem, quam Adam fecerat, deleret, & iter nobis ad regnum cælorum, quod per peccatum Adæ mundo clausum fuerat, aperiret.

Vt peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati sumus.

Vt sicut antea per peccatum deo mortui eramus, ita & nunc per passionem & resurrectionem eius ad immortalitatem æternam perduceret, & deo nos patri suo reconciliaret, nobisq́; potestatem tribueret mũdo, mori posse & peccatis omnibus per confessionẽ & per iustitiam viuere deo.

Eratis enim sicut oues errantes.

Error ouium culpa pastorum esse intelligitur, qui negligunt corripere delinquẽtes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum uestrarum.

Conuersi à diabolo ad Christum, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de infidelitate ad fidem, de infirmitate ad salutem: in q̃ si permanseritis vsq; in finem, bonis certando operibus, salui eritis in æternum. Non eñ qui cœperit bonum, sed q perseuerauerit in bono, hic saluus erit. Tunc enim placet deo nostra conuersio, quando bonum quod inchoamus, perseueranti fine complemus. Bonum ergo non cœpisse, sed perfecisse virtus est. Nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerantibus datur, per eum qui promisit, qui est verus promissor & largitor Iesus Christus dominus noster. Qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto deus per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA SEcunda post Pascha, Misericordia domini. Iohannis .X.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Et reliqua.



Vperius textus euangelij narrat qualiter dominus inter bonos malosq́; pastores discretionem fecerit, dicens de malis: Qui nõ intrat per ostium in ouile ouium, sed ascẽdit aliunde, ille fur est & latro. De bonis autem: Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Cum autem cerneret eos dominus hoc prouerbium non intelligere, apertius dę quo pastore loqueretur exposuit, dicens:

Ego sum pastor bonus.

Sed in exordio huius lectiõis ingrendum

est, quare se dominus pastorē nominari voluerit. Nunquid ideo pastor dicitur, eo quod more terreni pastoris oues ad pascua ducat & reducat? Non. Sed per similitudinem talia nomina ei applicantur, vt per visibilia inuisibilia intelligamus. Sicut em̄ ouis dicitur propter innocentiam, agnus propter mansuetudinem, vitulus propter suæ carnis immolationem, leo propter fortitudinem, petra propter firmitatem, sic dicitur pastor, non solum quod fideles suos spiritualiter pascat & reficiat, sed etiam quod eos à morsibus lupoꝝ sua protectione defendat. Iste est enim verus pastor, qui nobis rationabilem sensum tribuit, & spūalē intellectū ministrat. Ipse verus ē pastor, q̄ sacramento sui corporis ac sanguinis nos in præsenti reficit, & in futuro ad satietatem suæ contemplationis perducit, qui ait in
Iohā. 6 euangelio: Ego sum panis viuus qui de cælo
Iohā. 10. descendi. Et iterum: Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pa-
Iohā. 6. scua inueniet. Et rursus. Qui manducat meam carnem, & reli. Et: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Sub cuius pastoris regimine abundantia pascua se inuenisse gaudebat propheta, cum diceret: Do-
Psalm. 22 minus pascit me & nihil mihi deerit. Et iteꝝ:
Psal. 16. Satiabor dum manifestabitur gloria tua.

Iste vero pastor fidelibus ouibus promittebatur, cum domin⁹ per prophetam dicebat: Ecce ego suscitabo vobis pastorem vnū, seruum meum Dauid, q̄ pascit oues in iudicio & iustitia. Huius pastoris typo vel figura, Iacob patriarcha oues pauisse legitur. Sicut enim ad pastoris officium pertinet, nō solum fortiores oues ad pascua deducere, sed etiam infirmis medicinam impendere, sic etiam iste pastor non solum perfectiores quosq; in ecclesia gerit, sed etiam infirmis animabus per misericordiam condescendit, & per pœnitētiam curam salutis impendit. Quod signifi-
Gene. 33. cant eiusdem Iacob uerba dicentis: Nosti domine mi quod habeo oues fœtas teneras mecum, quas si in ambulando plus laborare fecero, morientur cuncti greges vna die. Vn-
Ieze. 34. de per Iezechielem prophetam dicitur: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quādo fuerit in medio ouiū suarum dissipataꝝ, sic visitabo oues meas & congregabo eas de cunctis locis, in quibus dispersæ fuerant.

Quod perierat requiram, quod abiectum fuerat reducam, & quod confractum alligabo, & quod infirmum consolidabo, & quod pingue & forte custodiam. Ipse est etiam qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Et iterum: Dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos. Quantum autem huius pastoris benignitas infirmātibus ouibus compatiatur, illa parabola euangelij indicat, in qua legitur, quia pastor bonus relictis nonaginta nouem ouibus in montibus abijt quærere vnam, quæ in vallibus errauerat: quam inuentam imposuit proprijs humeris, & sic reportauit ad gregem. Ad prædicti autem pastoris mensam si volumus accedere, necesse est vt in bonis operibus nos præparemus, Salomone testante: Ad mēsam potentis accessisti? diligenter attende quæ apponuntur tibi, sciens quia similia te præparare oportet. Quia ergo dominus pergēs ad passionem, mysterium corporis & sanguinis sui nobis tradidit, nunc ei similia præparamus, si pro eius amore tribulatiōes & angustias sustinemus, quia (sicut ait apostolus) per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Et Psalmista: Quid retribuam do- Psal. 115.
mino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quæritur autem, quare dominus se pastorem vocauit, cum paulo superius ostium se esse dixerit, dicens: Ego sum ostium. Ad quod dicendum, quia aliud est ostium, & aliud ostiarius, atq; aliud pastor. Ipse est enim ostiarius, qui nos ad fidem introducit, sicut ipse ait in euangelio: Nemo venit ad patrem nisi per me. Neq; enim cognouit patrem quis, nisi filius, & cui voluerit reuelare filius. Ipse est ostium quia per eum ad fidem intram⁹, sicut ipse ait: Ioh. 10.
Per me si quis introierit, saluabitur. Et bene quidem postquam dixit, Ego sum pastor, adiunxit bonus, ad discretionem illorum qui indigne nomen pastoris vsurpant, eo q̄d vel boni, vel digni non sint, de quibus dominus superius ait: Omnes quotquot ante me venerunt, fures fuerunt & latrones. Fuerunt enim boni pastores, qualis fuit Petrus, cui à
domino dictum est: Si diligis me, pasce oues Ioh. ulti.
meas. Et iterum: Tu es pastor ouium. Talis erat Paulus, qui optabat se eē anathema pro fratribus suis, dicens: Ego cupiebam anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, qui sunt Israelitæ. Sed aliud est bonum essentialiter, sicut domino: & aliud nuncupatiue, sicut discipulis, aliud per naturam, & aliud per gratiam. Illi vere vt boni essent à domino acceperunt, ipse autem à nemine, nisi à seipso, vt bonus esset, accepit: & ideo bonitati eius si comparentur, minus boni inueniuntur. Quantum vero bonus pastor oues sibi commissas diligere debeat, manifestatur cum subditur:

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

Fecit quod monuit, & quod docuit verbis ostendit exemplis. Prius animam suam pro ouibus suis posuit, ostendens bonis pastoribus, etiam si necessitas euenerit, pro ouibus sibi commissis mortē non debere timere. Vnde cum Petro oues suas regēdas tertio com-

mendasset, quid pro eisdem ouibus passurus esset intimauit, dicens: Amen amen dico tibi cum esses iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis ire. Hoc autem dicebat, ait euangelista, significans qua morte clarificaturus esset eum. Denique & Paulus apostolus pro ouibus
2.Cor.12 sibi commissis, mori paratus erat, cum diceret: Ego ipse impendebam, & superimpende
Actu. 20 bar pro animabus vestris. Et iterum: Ego autem non solum alligari, sed etiam mori paratus sum in Ierusalem propter nomen domini Iesu. Non enim facio animam meam pre-
1.Cor.9 ciosiorem, quàm me. Et rursus: Melius est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Sed postquã dominus boni pastoris opus ostendit, etiã vitia mali pastoris declarare curauit, dicens:

Mercenarius autem, & qui non est pastor.

Mercenarius dicitur mercede conductus. Quo nomine rectè mali pastores figurãtur, qui non ob amorem dei, nec propter dilectionem gregis, sed propter lucra terrena curã animarũ suscipiunt, quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, sicut Apostolus dicit:
1.Tim.6 Quæstum existimant pietatem. Quos per prophetam
Osee.8 redarguit dominus, dicens: Ipsi regnauerunt, & non per me: principes extiterunt, & non cognoui. Tria quidem sunt, quæ mercenarij ab ouibus exquirunt, lac, lanam, & carnes: quia mali pastores, qui magis præesse quàm prodesse desiderant, hæc tria à sibi subiectis exigunt, lac adulationis, lanam obsequij corporis, carnes delectationis carna-
Iezec 34 lis. Quos dominus per Iezechielem prophetam redarguit, dicens: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod cõfractum, non alligastis. & quod abiectum, non reduxistis. quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potẽtia. Quos enim ab extraneis defendere debuerãt, hos etiam more prædonum frequenter opprimunt, de quibus dominus ait in euan-
Matt.7. gelio: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorũ cognoscetis eos. Tales fures in ecclesia Apostolus prædicebat, quando discipulis dicebat:
Actu. 20 Scio quia post meum discessum intrabunt in vos lupi graues, lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobisipsis consurgent viri loquẽtes mendacium, vt adducant discipulos post se. Rectè autem de talibus subditur:

Cuius non sunt oues propriæ.

Non enim vt proprias oues recognoscit sed vt alienas nesciunt. Non facile autem tẽpore pacis cognoscitur, quis sit pastor, quis ve mercenarius: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregem suum inuigilet. Vnde & sequitur:

Vidit lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit & dispergit oues.

Lupi nomine in hoc loco potentes quilibet designantur & iniusti: qui dum pauperũ substantias diripiũt, more luporum quasi carnes ouium dilacerãt. Sed mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: quia carnalis pastor terrena patrimonia amittere timens, sub silentio se abscondit. Fugit autem, non mutando locum, sed subtrahendo solatium: quia cum subiectos à potẽribus videt opprimi, non cõtradicit, vt liberet pauperem & egenum de manu ipsorum, sed magis adulando decipit. De quibus per prophetam dicit: Omnes principes tui fugerunt
Esaie. 22 dureque ligati sunt. Et iterum: Quasi vulpes
Iezec. 13. in deserto, prophetæ tui Israel erãt. Quorum vituperabilem timorẽ dominus alibi per pro
ibidem phetam redarguit, dicens: Non ascẽdistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die domini. Est & & alius lupus inuisibilis, qui quotidie non corpora, sed animas peccãtium lacerat, ille scilicet de quo ait Petrus apostolus:
1.Pet. 5. Aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Dum enim alium ad superbiam, alium ad adulterium, alium ad rapinam, aliũ ad fornicationẽ, alium ad homicidium pertrahit, more luporum quasi carnes ouium laniat. Sed mercenarius vidit lupum venientem, & dimittit oues & fugit, cum is qui nõ pro diuino amore gregem dei pascit, contra hæc vitia nullo zelo accendit, nullo dolore mouet, nulla prædicationis arma opponit. Fugit eñi, cũ se sub silentio abscõdit. Fugit etiã, cũ subiectos per diuersa vitia videt coinquinari: & tacet, quã nõ corrigit, nõ considerans illud quod Apostolus Timothæo præcepit dicẽs: Testor corã deo,
2.Tim.4 & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, prædica verbũ, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa. Tales enim nõ solũ de proprijs, sed etiã de subiectorũ peccatis reddituri sunt rõnẽ, sicut dñs per Iezechielẽ terribiliter cõminatur, dicens: Specula
Iezec. 3. torẽ dedi te domui Israel. Si non annunciaueris iniquo iniquitatẽ suam, sanguinẽ eius de manu tua requiram. Considerandum est etiam, qualiter mercenarius vrso veniente fugiat. Per vrsum namque qui versutum & callidũ est

animal, vt quidam dicunt, hæretici designantur, qui per prauam doctrinam mites in ecclesia decipere non cessant. Sed mercenarius & qui non est pastor, videt vrsum venientem & fugit, quando subiectos ab hæreticis vel prauis doctorib⁹, intra sanctā ecclesiā & simplices decipi videt, & non per autoritatē diuinarum scripturarum contradicit. De tali-
Isai. 56. bus dominus per prophetam ait: Canes muti non valentes latrare, vidētes vana, dormientes & amātes somnia & canes impudicissimi nescierunt saturitatem. Ipsi enim pastores ignorauerunt sciam. De qbus adhuc subdit:

Mercenarius aūt fugit, qa mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

Si causam q̄ris, quare mercenarius fugiat, nullā inuenies vicinorē, nisi qa mercenarius ē. Qui enī nō amore diuino, sed dilectiōe cupiditatis & potestatis gregem dñicum pascit, mox vt timor hęc amittendi accesserit, ille re-
Psal. 13. cedit, & si non corpore, tñ mente, quia iuxta Psalmistæ vocē, illic trepidat timore, vbi nō
Iere. 46 erat timor. De talibus per Ieremiā prophetā dr: Mercenarij quoq; tui, q versabant in medio tui, quasi vituli saginati erāt, fugerunt simul, nec stare potuerunt. Diligunt enī principaliter, q perdere potuerūt laudabiliter. i. res terrenas, & non timent amittere, q sine graui periculo nō possunt relinquere. i. aias
Iob. 36. subiectoꝝ. De quibus sub specie struthionis per beatum Iob dr: Quę derelīqt in terra oua sua, obliuiscitur q pes hoīs conculcet ea, & bestiæ agri conterant. Sunt aūt nonnulli rectores, qui q̄uis bene doceant, tñ qa male viuunt, magis inter mercenarios, quā inter pastores computātur: quoniam quos bene docendo erudiunt, hos male viuendi exemplo
Ieze. 34 destruunt. De quibus per prophetam dr: Cū ipsi lympidissimam aquā biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oues meæ quę pedibus vestris conculcatæ fuerant, pascebātur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. Sed mercenariorum vitijs patefactis dominus ad boni pastoris officium sermonē conuertit, dicens:

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.

Quod est aperte dicere: Cognosco meas. i. diligo eas. Et cognoscunt me meæ. i. diligētes me voci meę obaudiūt. De qbus alibi dñs ait: Oues meæ vocē meam audiūt, & ego dominus cognosco eas, & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & in æternum non peribūt, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Hunc ergo bonum pastorem alij pastores imitari debent, vt quos suo regimine cognoscēt, puro & syncero animo diligant. Vnde primus pastor ecclesiæ reliquos pastores admonet, dicens: Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & eius quę in futuro reuelanda est gloriæ communicator, pascite qui in vobis est gregem dei, prouidentes non coacte, sed spontanee, secūdum deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntarie, neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis & ex animo: vt cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcibilem gloriæ coronam. Sicut enim mercenarij non solum de suis vitijs, sed etiam de subiectorū suorum criminibus durius damnandi sunt: sic boni pastores cū tantis & pro tantis remunerationem accipient, quantos suo exemplo vel prædicatione lucri fecerint, tunc scilicet quando illam desiderabilem vocem audire merebuntur: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Vnde bene nato domino angelus pastoribus apparuit, eosq; claritas dei circumfulsit, vt intelligamus quia illos gratia dei in præsenti perfectius illuminat, & sublimior merces in futuro remunerat, qui gregem dominicum diuino amore bene docendo pascere non recusant, quoniā sicut ait Daniel: Qui docti fuit, fulgebunt quasi stellæ in firmamento: & qui ad iustitiā erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates. 1. Pet. 5. Mat. 25. Dani. 12.

Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem.

Nouit pater filium non temporaliter, sed æternaliter, coæternum & consubstantialem sibi gignendo filium. i. verbum & sapientiā. Nihilo minus filius patrem, quia genit⁹ est à patre, sicut ipse ait in euāgelio: Nemo nouit filium nisi pater, nec patrem nouit quis nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.

Et animam meam pono pro ouibus meis.

Ac si diceret: Si inde me manifesto scire patrē & cognitum esse à patre, quia aiam meam pono ꝓ ouibus meis, tanto vnusquisq; pastor verius deum cognoscere ostenditur, quā to gregem sibi commissum solicitius custodit, non solum admonendo & exhortando, sed etiam (si necessitas exigit) pro necessitate illorum vtilitatem suam postponendo. Nemo enim maiorem hac dilectionem habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Vnde & Iohannes dicit: Si Christus animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas nostras pro fratribus ponere. Sed nunquid summus pastor solummodo pro salute Iudæorum animam suam posuit? Non: Decebat enim vt cum dei filius moreretur, non tantummodo pro vna gente, sed pro omni populo. Vnde Caiphas tempore

passionis eius prophetauit, dicens: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem (ait euangelista) à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro Iudæorum gente, sed vt filios dei qui erant dispersi, cōgregaret in vnum. De quibus ait:

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.

Ex eo tempore quo dominus Abraam à cæteris gentibus segregauit, & eius progeniem sibi in peculiarem plebem elegit, duo populi & duæ gentes nominari cœperunt, Iudæorum scilicet & gentium. Sed postquam Gen. 22 ex ipsius Abrae stirpe natus est, ex vtroque populo vnam ecclesiam copulauit, vt impleretur, quod ei dominus promiserat, dicens: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vnde cum inter Iudæos corporaliter ambularet, de nostra vocatione dicebat: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. i. ex hac gente, & ex hoc populo.

Et illas oportet me adducere.

Id est, per prædicationem meorū apostolorum ad fidem meam vocare.

Et uocem meam audient.

Id est, præceptis meis obedient.

Et fiet unum ouile.

Id est, ex vtroque populo vna collecta ecclesia in præsenti, siue in die iudicij, quia venturi sunt Iudæi ad fidem.

Et unus pastor.

Ipse scilicet dominus Iesus Christus, de quo per apostolum Petrum credentibus dicitur: Eratis enim aliquando sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.

DOMINICA TERTIA post Pascha, Iubilate.

.I. Petri. II.

Charissimi, obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere uos a carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Et reliqua.

PVlchre satis admonet & exhortatur nos apostolus Petrus, fratres charissimi, vt audiuit in præsenti lectione dilectio vestra.

Obsecro (inquit) uos tanquam aduenas & peregrinos.

Aduenæ nos sumus & peregrini, quā diu sumus in hac terra, vt Paulus apostolus ait: Hebr. 13 Non enim habemus hic manentem ciuitatem, noster autem municipatus est in cælis. Aduena enim & peregrinus aut hospes, non cogitat qd in domo sit aliena. Sic & nos quan tum possumus, domino largiente, ista omnino debemus despicere, & de cælestibus meditari, vnde in æternum viuere debeamus.

Abstinere uos a carnalibus desideriis.

Ideo à carnalibus bonum est abstinere desiderijs, & cælestia semp desideria, quæ nobiscum valeant æternaliter permanere. Carnalia autem decipiunt, & ad perditiōem perducunt permanentes in eis. Carnalia & subditur:

Quæ militant aduersus animam.

Semper nos carnalia trahere conantur ad inferna, quibus resistere omnimodis debemus, & insistere bonis & iustis laboribus, in castitate & continētia, quibus & supplicia deuitemus, & præmia mereamur æterna.

Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam.

Vt exempla bona alijs ostendentes per operum bonorum consuetudinem, sicut luminaria sitis lucentes in mundo.

Vt in eo quod detrectant de uobis tanquam de malefactoribus.

Mali semper ac maleuoli bonorum hominum facta detrahunt, & ad malam famam conantur euertere: metuentes ne mala eorū delectatio, vt visus pessim⁹ in quo morantur vt pereāt, bonorum aliorum factis destruatur & publicetur. Sed uos hoc audientes, oportet multo instantius perseuerare in bonis operibus, vt etiam alij meliores saluentur, & isti inexcusabiles fiant, si cōuerti noluerint à malitia sua. Sequitur:

Ex bonis operibus uos considerantes, glorificent deū in die uisitatiōis.

Vt ipse dominus in euangelio docet: Sic luceat lux bonorum operum vestrorum coram hominibus, vt vos laudem ex eis nequaquam desideretis, & alij videntes bona opera vestra, glorificent non vos, sed patrem vestrum qui in cælis est, qui in seruis suis tanta bona ad suorum etiā & aliorū quærit salutē. Matt. 5.

Subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter deum.

Omnibus hominibus honorem date, vnicuique secundum dignitatem suam, non propter terrena desideria, nec ꝓpter humanæ laudis appetitum, nec propter turpis lucri quæstum, sed tantum propter deum, qui nos docet, dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Matt. 11. Et iterum: Omnis qui se humiliat propter dominum, exaltabitur à domino.

Siue regi quasi præcellenti.

Quia princeps est populi. Cum ipse dominus in euangelio honorem debitum reddere
Mat. 22. iubet, dicens; Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. i. debitum tributum & subiectionem obedientiæ cum fidelitate: & quæ sunt dei deo, fidem rectam, spem firmam, & charitatem perfectam.

Siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum.

Rom. 13. De quibus & Paulus ait: Omis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim ptās nisi à deo. Dei enim ministri sunt ad coercendam hoim malitiam missi, vt qui sponte mala noluerit vitare, coråm timore vel inuitus vitet.

Laudem uero bonorum.

Rom. 13. Similiter Paulus dicit: Vis potestatem nō timere? Bonū fac, & habebis laudem ex illa.

Quia sic est uoluntas dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Vt tam cauti & tam perfecti in dei opere sitis, vt nihil habeant quod detrahere de vobis secundum eorum malam voluntatem habeant, **quasi liberi** ab omi peccato, per veram pœnitentiam & confessionem puram, **& non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem.**

Nulla fraus, nulla malitia sit in vobis, **sed** deo quasi domino digne iustis & sanctis operibus, cum omni fide & voluntate deseruire contendite, **sicut serui dei,** cum charitate in inuicem omnibus propter deum debitum impendite seruitium.

Omnes honorate secundum vniuscuiusque dignitatem, tamen pauperibus & minime valentibus studium maximum impendite seruiendi: quia in ipsis Christus maxime honoratur, vt ipse in iudicio dicturus erit: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nam sequit, **fraternitatē diligite.**

Vt ipse dominus in euangelio omnes fra-
Ioh. 15. tres & proximos esse ostendit, dicēs: Omnes
eñ vos fratres estis, vnde & diligere nos in-
1. Ioh. 4 uicem iubet, cum ait: Hæc mādo vobis, vt di
ligatis inuicē. Et Iohānes: Qui frēm suū quē
videt, non diligit, deū quē nō videt, quō pōt
diligere? Quia nec deus vere sine proximo,
nec proximus vere diligitur sine deo. Et Pau
Rom. 13. lus: Dilectio proximi malum non operatur.
Plenitudo ergo legis, est dilectio.

Deum timete, regem honorificate.

Monet ergo congruum cunctis impendere honorem, & iuxta imperium domini, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo reddere quę dei sunt. Qui timet deum, facit bona: quia initiū sapientiæ, timor domini. De timore domini omne bonum nascitur, & per timorem domini omnis malitia hominis euacuatur. Quia q
Eccl. 19. timet deum, diligēter se à peccatis custodit. Sic ergo timeamus deum, vt diligamus eum: quia perfecta est charitas, quæ foris mittit timorem seruilem.

Serui subditi estote in omni timore dominis non tātum & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo Iesu domino nostro.

Propter dei timorem pariter & amorem, dignum & iustum est vnicuiq; homini, suo domino fideliter seruire, siue præsentibus, siue absentibus: quia quicquid homo boni fecerit propter deum, nihil perdit, qa ipse reddet vnicuiq; secundū opera sua. Semper eñ in vita hominis finis quæritur, qualis sit extremo tēpore vitæ suæ: quia de fine suo vnusquisq; aut iustificatur, aut cōdemnatur. Ideo instantissime bona quæ cœperit vnusquisq; perficere cōtendat, vt perpetuam à domino mercedem accipiat, ipso largiente, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA TERtia post Pascha, Iubilate. Iohan. XVI.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Modicum & iam non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me, quia uado ad patrem. Et reliqua.



Odicum & iam nō uidebitis me mortalem & corruptibilem, comprehensibilem, sicut nunc videtis, **& iterum modicum & uidebitis me** immortalē, incomprehensibilem, incorruptibilem. Quoties euangelicā lectionē recitamus, considerandū est, quia solet contingere, vt quædam pars eius specialiter ad discipulos, quib' corporaliter loquebat, pertineat, q̄dam vero generaliter ad vniuersalē ecclesiā. Quod in hac lectione facile cōprobatur, si textus eiusdē diligentius consideret. Qđ vero ait, [modicū & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.] specialiter ad discipulos ptinet, quibus p corporalē psētiā loquebat. Qđ autem illis non intelligentibus, inferius exposuit, dicens: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, &c. vsq;, vertetur in gaudiū, sic apostolis specialiter cōuenit, vt etiam vniuersali ecclesiæ gñaliter cōgruat, quia ergo ea qua tradendus erat nocte, hæc disci-

pulis loquebatur, modicum erat quo eum visuri non erant, quoniam ipsa nocte comprehensus, & in crastino crucifix⁹, in sepulchro est collocatus, & tunc cœperunt eum non videre. Nocte vero ac die sequēti in sepulchro quiescens, mane prima sabbati resurrexit, & discipulis ianuis non apertis apparuit. Siue certe futurum erat modicum, quo eum visuri erant, quando post resurrectionem p quadraginta tantummodo dies in multis argumentis eis apparens, quadragesimo die illis videntibus in cælū ascendit. Vnde & subdit.

Quia uado ad patrem.

Quod non de diuinitate, sed de humanitate loquitur. Iterum se dicit ire ad patrem per humanitatem, à quo non discessit per diuinitatem, sicut ipse ait: Ego & pater vnū sumus. *Ioh.10.* Sicut enim patrem nō deseruit, cum apostolis apparuit, sic apostolos non dereliquit, cū ad patrem rediit, sicut ipse dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cōsummationem seculi. *Mat.ult.* Manens ergo cum patre p diuinitatem, discipulis apparuit per humanitatem: & reuertens ad patrem per humanitatem, mansit cum discipulis per diuinitatem, sicut alibi dicit: Exiui à patre, & veni in mundum. *Iohā.16.* Venire quippe & redire, humanitatis est: manere & esse, diuinitatis. Quod facile illorum intellectui patet, qui in vno mediatore dei & hominum vtramq; naturam, diuinam scilicet & humanam, confitentur. Et bene ad patrem ire dicitur, quia quàm diu cum discipulis conuersatus est, simili carne indutus, qua & illi, potuit simul cum illis comprehendi, ligari, flagellari, somno grauari, fatigari, crucifigi & mori, & his similia ad humanitatem pertinentia pati: sed post resurrectionem, abiecta carnis mortalitate, ita à patre clarificatus est, & impassibilis atq; immortalis factus, vt nullum iam horum patiatur. De quo per Paulum dicitur: Et si noueramus Christum secundum carnem, sed iam nūc nō nouimus. *1.Cor.5* Et iterum: Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, & cæ. *Rom.6.* Et quia piæ mētes discipulorum, pij magistri absentiam corporalem sine graui tædio & dolore ferre non poterant, manifestaē cū subiungitur:

Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, modicum & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me, & quia uado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis modicum? Nescimus qd loquitur.

Habet autem humana mens hoc proprium, vt quod omnino non vult, aut tarde intelligat, aut tardius credat. Et ideo discipuli, quia nolebant, nec credebant quod pius magister ab eis corporaliter separaret, quāuis manifeste diceret, modicum & iam non videbitis me, non hoc intelligebant. Vnde & inter se conquerentes dicebāt: Quid est hoc quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur. Iuxta hūc sensum, cum alibi eis suā passionem prædiceret, dicens: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hois, & cæt. *Mat.20.* subiunctum est: Et ipsi nihil horum intellexerunt, erat enim verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebātur. Quare? Quia quem pati non optabant vt pati posset non intelligebant. Sed quia q̄relas suas ad callida argumenta non conuerterunt, sed pium magistrum humiliter interrogare disposuerunt, ille qui cordis est scrutator, eorum cogitationes præueniens, antequam interrogaretur, respōdit: vt qui in multis se deum esse ostendit, etiam in cordium inspectione se eum eē declararet, illum scilicet, de quo scriptum est: Dominus nouit cogitationes hominum, quoniā vanæ sunt. Et Psalmista: Intellexisti cogitationes meas de longe. *Psal.138.* Et iterum: Cogitatio hominis confitebitur tibi. *Psal.75.* Et Salomon: Tu deus solus nosti corda filiorum hominum. *2.Par.6.* Et iterum: Quæ sunt in corde hominum, oculi tui dent domine. Et rursus: Homo videt in facie, deus autem in corde. Siue cogitationes eorum præuenire voluit, vt ostenderet eos non debere dubitare ex eius promissionibus, quem tam facile occulta suarum cogitationum videbāt dinoscere. Vnde & subditur:

Cognouit autem Iesus, quia uolebāt eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos quia dixi, modicum & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me.

Ac si diceret: Si hoc vos conturbat, & vestras mentes solicitat quia dixi, modicum & non videbitis me, adhuc audite:

Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium.

Flebant enim amatores Christi, cum eum quem sine culpa in mundo cōuersari cōspexerant, quasi reum compræhendi, ligari, flagellari, atq; crucifigi viderunt. Neq; enim sine graui dolore vel fletu eius mortem videre poterant, cuius vitam nimio amore dilexerant: quemq; prius mortuos suscitare viderant, mortuum videbant. At econtra mundus gaudebat. i. Iudæorum populus, qui propter mundi amorem recte mundus vocatur,

eum cerneret eum crucifigi, qui grauis erat
etiam eis ad videndum, existimantes nomen
eius esse deletum. Sed nũquid semper repro
bi lætabuntur, & electi contristabuntur? Nõ.
Dicam quid dicat: ⌊ Tristitia vestra verte-
tur in gaudium. ⌋ Sed tristitia apostolorum
versa est in lætitiam, quando (sicut ait euan-
gelista Lucas) gauisi sunt discipuli viso domi
no. Econtra lætitia Iudæorum commutata
est in mœstitiam, itatm vt eius resurrectione
audita, militibus pecuniam promitterent, di-
centes: Dicite quia nobis dormientibus vene
runt discipuli eius nocte, & furati sunt cor-
pus eius, & si hoc auditum fuerit à præside,
nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.
Sed quia partem huius lectionis superius ge
neraliter ad vniuersalem ecclesiam pertine-
re diximus, suis verbis dominus fidelibus lu
ctum & fletum indicat, quibus dicit: ⌊ Amẽ
amen dico vobis, quia plorabitis & cæt. vsq;
vertetur in gaudiũ. In conualle nanq; lachry
marum politi, sarcina peccatorum grauati,
non solum pro remittendis peccatis deflent,
sed etiam pro expectatione æternę vitæ quo
Psalm. 6. tidie gemunt, dicentes cum Psalmista: Laua-
Psal. 79 bo per singulas noctes, &c. Et iterum: Ciba-
Psal. 119. bis nos pane lachrymarum. Et rursus: Heu
mihi quia incolatus meus, &c. Et alibi: Fue-
runt mihi lachrymę meę panes die ac nocte.
Recolunt enim vnde ceciderunt, & conside-
rant vbi peruenerint. Dumq; reproborũ pœ
nas & gloriam iustorum ante mentis oculos
reducunt, in conspectu pijssimi iudicis macu
las peccatorum fonte abluunt lachrymarũ,
Psal. 37. dicentes cum Psalmista: Domine, ante te o-
mne desiderium meum, & gemitus meus à te,
non est absconditus. Et iterum: Deus, vitam
Psal. 55. meam nunciaui tibi. Nec solum pro suis, sed
etiam aliquoties pro alienis sancti deflẽt pec-
catis, cum eos irreuocabiliter in eis persiste-
re vident, sicut faciebat Paulus apostolus, qui
2. Cor. 12 dicebat: Lugeo multos ex his qui antea pec-
cauerunt, & non egerunt pœnitentiam su-
per impudicitijs quas gesserũt. At vero mun
dus gaudet, id est, mundi amatores, cum ex-
tolluntur in honoribus, in salute corporum,
in abundatia rerum, in procreatione filiorũ.
Recte autem mundus vocantur, quia totum
desiderium suum in mũdi amorem ponunt
& nullam aliam vitam diligunt, de qbus do-
minus ait in euangelio: Pater iuste, mũdus te
1. Ioh. 5. non cognouit. Et Iohannes apostolus: Mun
dus totus in maligno positus est. Sed vmbra
tica atq; fumatica eorum lætitia in tristitiam
vertitur, quia sicut ait beatus Iob: Ducunt in
Iob. 21 bonis dies suos, & in puncto ad inferna de-
scendunt, quibus dominus ait in euangelio:
Luc. 12 Væ qui ridetis, quia plorabitis, quibus etiam
Isai. 65. per prophetam improperat, dicens: Ecce ser-
ui mei lætabuntur, vos autem cõfundemini,

Ecce serui mei exultabunt in lætitia, vos cla-
mabitis præ dolore cordis, & præ contritio-
ne spiritus vestri vlulabitis. Iustorũ autẽ bre-
uis tristitia in æternam lætitiam conuertetur,
quando mortale hoc induetur immortalita-
te, & corruptibile hoc induetur incorruptio
ne. Et qui modo seminant in lachrymis, tũc
in gaudio metent. Et quando implebitur il-
lud quod dominus ait: Beati qui lugent, quo
niam ipsi consolabuntur. Et Iob: Os veraciũ Iob. 8.
implebitur risu. Tunc enim reproborum læ-
titia in tristitiam vertitur, quando cum post
vniuersale iudicium viderint sanctos in glo-
ria coronari, & se in tartarum præcipitari. Et
incipient lugere, dicentes: Isti sunt quos ali-
quando habuimus in derisum & in similitu- Sapiẽ. 5.
dinem improperij: nos insensati, vitam illo-
rũ æstimabamus insaniam, & finem illorũ si
ne honore. Quomodo nunc inter filios dei
sunt computati, & inter sanctos sors illorũ
est? Sed quia discipuli nondum erãt capaces
ad supradicta intelligenda, volens dominus
ex rebus terrenis dare similitudinem, & ad
eorum tristitiam consolandum, similitudinẽ
intulit, dicens:

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia uenit hora eius.

Iuxta literam ita ẽ, quoniam mulier cum
parit, cum mœrore & tristitia parit: q̃a ex eo
tempore, quo primæ matri nostræ dictũ est: Gene. 3
In dolore paries filios, mulieris natura est cũ
mœrore & dolore parere. Spiritualiter hæc
mulier sanctam significat ecclesiam, quæ non
propter mollitiẽ mulier dicitur, sed propter
coniunctionem viri, de quo iure canitur. No
bilis in portis vir eius, quando sederit cum se
natoribus terræ. Ex fœcunditate prolis muli
eri comparatur, quia hæc mulier tot quotidie
filios parit, quot per fideles per vndam bapti
smatis & gratiã spiritussancti regenerat. De
qua regeneratione dominus alibi ait: Nisi qs Ioh. 3
renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, & cæt.
Hæc est enĩ illa mulier, de qua dñs in euãge-
lio figurate loquitur, dicens: Simile est regnũ Mat. 13.
cœlorum fermento, q̃ acceptũ mulier abscõdit
in farinæ satis tribus, donec fermẽtaret totũ,
quia ecclesia doctrinã sancti euangelij in tri-
bus partibus mundi seminauit, Asia, Aphri-
ca, Europa, donec fermentaret totum. i. do-
nec totũ genus humanũ prædicationẽ Chri-
sti audiret. De qua etiam per Salomonem dr. Prou. 31
Mulierẽ fortẽ quis inueniet? Procul & de vl-
timis finibus precium eius: confidit in ea cor
viri sui, & spolijs non indigebit. In cuius ty-
po vel figura regina Saba à finibus terræ ve-
nit in Ierusalem audire sapientiam Salomo-
nis. Sed hæc mulier cũ parit, tristitiã habet,
quia venit hora eius: quia sancta ecclesia,
cum in prædicatione inuigilat, aliquando ab

exterioribus hostibus, semper autem ab interioribus premitur. Bellum enim quotidie agit, nō aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus, sciēs scriptū: Psal. 33. Multæ tribulatiōes iustorum. Et iterum, Acto. 14 Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Ad cuius mulieris membra nouerat se Apostolus pertinere, cum spiritualium filiorum lapsum gemebunda voce deflebat, dicens: Gala. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formet Christus in vobis. Et propheta, Isai. 26. cum dicebat: A timore tuo domine concepimus, & parturiuimus spiritum salutis.

Cum autem pepererit puerum.

Sicut mulier nato puero gaudet, sic ecclesia, cum fidelium animas ad æternam vitam transmittit, gratulatur. Semper enī inter pressuras tribulationum subleuatur spe præmiorum, illud Apostoli in memoriam reducens: Non enim condignæ passiones sunt huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quale autem quantumve ibi sit gaudium, his verbis manifestatur, quib' dicitur:

Iam non meminit pressuræ præcedētis, propter gaudium subsequens: quia natus est homo in mundo.

Tanta enim gloria datur sanctis, vt non solum de futuro non timeant, sed etiam præteritarum pressurarum obliuiscantur, sicut per Iohannem in Apocalypsi dicitur: Psal. 149 Absterget deus omnem lachrymam ab oculis sanctorū, & iam non erit amplius neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor vllus, quoniā priora transierunt. De quorum spiritali lætitia etiam p Psalmistam dicitur: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Tanta enim ibi erit securitas, vt etiam morti insultent, dicentes: Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est cōtentio tua? Vbi ē summa vita, imago mortis erit nulla: quia qui nunc pugnant in certamine, tunc coronabuntur in remuneratione. Recte autem homo natus in mundo dicitur, cū anima fidelis ad futuram vitam transit: quia sicut consueta narratione nasci dicimur, cū de vtero matris in mundum progredimur: sic fidelis anima spiritaliter nasci creditur, qn̄ de ærumna præsentis vitæ ad beatam vitā transire meretur. Vnde mos ecclesiasticus obtinuit, vt dies beatorum martyrum siue confessorum, qbus de hac vita migrauerūt, non funebria, sed natalitia vocemus: qa tūc felicius viuere cœperunt, cum per mortis vmbram ad vitam æternam peruenire meruerūt. Quam vitam dominus fidelibus promittit, dicens: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Ioh. 11. Illa autē natiuitas multo felicior est ista, quia prima natiuitate terris nascimur morituri, secunda vero cælo nascimur sine fine victuri, canentes cum Psalmista: Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Psal. 83. Exponens autem dominus quid in similitudine, quam de muliere proposuerat, intelligere vellet, adiunxit:

Et uos igitur nūc quidem tristitiam habetis. Iterum autē uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet a uobis.

Acsi diceret: Sicut mulier cum parit, tristitiam habet, sic & vos de mea passione contristabimini: & sicut mulier nato puero gaudet, sic vos mea resurrectio lætificabit. Sed quid est quod ait, Iterū autē videbo vos? Nunqd aliquo interuallo tēporis ab eius visione abscondimur, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia? Non. Sed quod ait, videbo vos, tale est acsi dixisset: Eruam vos de tribulatione, & liberabo vos de angustia. Videre enī nos dicitur deus tunc proprie, quando miseratus à pressura tribulationis absoluit, sicut ipse ait Moysi: Videns vidi afflictionem populi mei. &c. Exod. 3. Et illud quod Psalmista precabatur, dicens: Psal. 118. Vide humilitatem meam & eripe me. Vidit ergo apostolos dn̄s, quādo eos de angustijs, quas de eius passione sustinuerāt, liberauit. Siue certe quod ait, videbo vos tale est acsi diceret per tropicam locutiōem, videre vos faciam. Videre enim de' dicitur, quādo vt nos videamus illuminat, sicut & cognoscere dicitur, quando vt cognoscamus facit, velut ipse ait Abrahæ. Nunc cognoui Gen. 22. quod timeas deum, id est, cognoscere te feci. Quod aūt ait, & gaudebit cor vestrum, datur intelligi, quia gauisum est cor discipulorum, quod de eius passione fuerat contristatum, quando eum à mortuis resurrexisse viderunt. Et adhuc uberiori gaudio sunt iucūdati, quando hominem deo coniunctum, collaudantibus angelis, in cælos ascendisse cōspexerunt, sicut Lucas euangelista ait: Et ipsi adorantes, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erāt semper in templo laudantes & benedicentes deum. Quæritur autem quare dicat, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, cum post eius ascensionem non solum frequenter cæsi, sed etiam vinculis stricti & carceribus immissi legantur. Sed sciendum quia gaudium, quod de eius resurrectione & ascensione perceperunt, nulla tristitia, nulla persecutio, nulla angustia ab eis auferre potuit, quin potius (vt scriptura refert) ibant gaudentes à conspectu concilij, dicentes dignos se esse pro nomine Iesu contumelias pati. Vnde & vnus eorum gratulabundus aiebat: Omne gaudium existimate fratres, cū in Iacob. 1.

varias tribulationes incideritis, scientes quia Rom.5. tribulatio patientiam operatur, patientia aūt probationem, probatio vero spem, spes autē nos confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritumsanctum, q datus est nobis. Hoc inuisibile & inenarrabile gaudium dominus promittebat apostolis, cū dicebat: Petite & accipietis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Huius ineffabilis gaudij, quod nemo ab apostolis auferre potuit, participem se nouerat esse apostolus Paulus, cum dicebat: Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia? an fames? an persecutio? an nuditas? an gladius? Certus sum quia neq; mors, neq; vita, neq; præsentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundū, neq; alia creatura poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. Et nos igitur si pro modulo nostræ fragilitatis in præsenti vita cū apostolis contristari nō renuerimus, ad illud ineffabile gaudium, quod ille promittebat, peruenire merebimur, quando introibimus in conspectu domini in exultatione: quia (vt ait Apostolus) 2.Cor.1. si fuerimus socij passionum, erimus & cōsolationis: Rom.8. & si compatimur, & conregnabimus. Quod gaudium nemo tollet à vobis, quia nulla varietas, nulla tristitia, nullus metus mortis in æterna lætitia inueniri poterit, sed (sicut ait scriptura) gaudium & lætitiā obtinebūt qui redempti fuerint à domino, & cōuenient in Sion lætantes, & lætitia sempiterna super capita eorum.

DOMINICA QVARTA post pascha, Cantate. Iacobi. I.

Charissimi, Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est. Et reliqua.



ET generaliter de omnibus, & specialiter de vnaquaq; à deo data virtute intelligitur. Potest autem & specialiter datū optimum, de continentia matrimonij, & donū perfectū de virginitate intelligi.

Descendens a patre luminum.

Pater luminum dicitur deus, quia ab ipso siue inuisibilium luminum, vt sunt angeli, de quibus in principio dixit deus, Fiat lux: siue animarum illarum, quib' ait Iesus, Vos estis lux mundi, seu visibilium, solis & lunæ & stellarum, generaliter omnia facta sunt.

apud quem non est transmutatio

Non enim mutabitur, qui dixit: Ego sum qui sum. Motus & tempus, incrementum & defectus, omnino diuina non accepit natura.

Nec uicissitudinis obumbratio.

Non enim deus sicut dies post lucem obumbratur tenebris, qui semper lux lucis creator omnis & origo est luminis.

Voluntarie enim genuit nos, per gratiam vtiq;, non naturam. Solum enim verbū est, quod substantialiter ac proprie dicitur filius dei: cæteri autē potestate ab illo accepta, vocantur filij. Quotquot autem receperunt eum, ait euangelista, dedit eis potestatem filios dei fieri.

Verbo ueritatis.

Veritas, deus pater. Verbum, filius est eius. Siue veritas, Christus: verbum veritatis, euangelium est eius. Per euangelium (inqt Paulus) ego vos genui.

Vt simus initium aliquod creaturæ eius.

Intium creaturæ rationalis, angeli in cęlo, In terra Adam, in ecclesia veteris testamenti patriarchæ, in ecclesia Christi sanguine redēpti apostoli sunt. Nam vni eorum dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabō ecclesiam meam. Quam ecclesiam apostolus Paulus nouam creaturam appellat:

Sit autem omnis homo uelox ad audiendum, tardus aūt ad loquendum.

Sciebat enim apostolus eos ad quos epistolas mittebat, primatum verbi voluisse tenere, & docere plusquā doceri: ideo admonet eos humilitatem seruare. Velocitas enim audiendi, facit hominem docibilem: tarditas autē loquendi, mansuetum.

Tandus ad iram.

Quod naturaliter accidit, penitus vetare non potuit. Tarditatem indixit, quia ira dilata decrescit. Aliter: Tardus ad iram. i. secundum legem veteris testamenti ad vindictam. Lex eñ (inquit Apostolus) iram operatur. i. oculum pro oculo, dentem pro dente.

Ira eñ uiri, iustitiā dei nō operatur.

Iram enim viri dicit iram hominis, quæ secundum testamenti veteris vsum, semper cupit exercere vindictam, & in nouo testamento vbi scriptum est: Nolite resistere malo, nō operatur iustitiam. Aliter: Ira viri iustitiam operatur, subintelligitur ira dei, quæ humano dicitur affectu iustitiam operari, vt in Sodomis, in Pharaone, in Aegypto, in mari rubro, & in ipso Israelitico populo in deserto. Vnde Psalmographus canit: Iratus est furore dominus in populum suum, & multis in locis legimus, vbi ira dei, quæ semper iustissimo fit examine, rectissimā operatur iustitiā.

Propter quod abijcientes omnē immunditiam.

Alij in hoc loco immunditiam, specialiter idololatriam intelligere voluerunt. Alij fornicationẽ immunditiã, quæ fit cũ mulieribus, cum masculis, cum pecudibus, & his similia. Postremo, vt generaliter de omni intelligeres malitia, addidit:

Et abundantiam malitiæ,

Sicut enim radix virens in terra virgulta germinat, sic malitia latẽs in corde vitia generat.

In mansuetudine suscipite insitũ uerbum, q̃d potest saluare aias uestras.

In mansuetudine, hoc est, sine ira & disceptatione suscipite per fidem rectam in mente pura. Insitum, à deo missum, & in mentibus nostris susceptum: vt vbi abundauit peccatũ, superabũdet gratia. Verbum, inquit, hoc est, verbum credulitatis, verbum euangelij. Postremo, verbum illud de quo Iohannes ait: In principio erat verbum, & verbũ erat apud deum, & deus erat verbum. Qui & saluator dicitur, quia potest saluare animas vestras.

DOMINICA QVARTA post pascha, Cantate. Ioh. XVI.

In illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eũ qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me, quo uadis? Et reliqua.



Requenter ab initio suæ prædicationis dominus discipulos se diligere ostendit, maxime tamẽ tunc affectum dilectionis in eis exhibuit, cum imminente passionis articulo, per corporalem præsentiam ab illis recessurus erat, sicut idem ipse euangelista alibi manifestat, cum dicit: Sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cũ dilexisset suos qui erant in mũdo, in finem dilexit eos. Sicut enim doctus paterfamilias, cũ in longinquã regionẽ profectus ẽ, tunc maxime sibi subiectos, qualiter se prouidere debeant, commonet: ita dñs Iesus Christus ab apostolis corporaliter recessurus, specialiter quõ in mundo conuersari deberent, eis ostendere dignatus est, dicens: In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem ad inuicem habueritis. Et iterum: Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, & cætera his similia. Eademq; nocte qua à discipulo tradendus erat, nõ solum pedes discipulorum lauit, sed etiam mysterium corporis & sanguinis sui eis tradidit. Et cum multiplici sermone de sua ac patris diuinitate eis loqueretur, nõ solum resurrectionem, sed etiã suam ascensionem prædicere voluit, dicens: Vado ad eũ qui misit me. Vbi q̃rendum est, quare dicat, vado ad eum qui mi sit me, cum alibi discipulis dixisse legatur: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi? Sed hęc quæstio facile eorum mentibus patet, qui in vno mediatore dei & hominum vtranq; naturam, scilicet diuinam & humanam, confitentur. Manet ergo cum discipulis per diuinitatem, & vadit ad patrem per humanitatem, à quo nunq̃ discessit per diuinitatem, sicut ipse dicit: Ego & pater vnum sumus. Venire & abiere, humanitatis est: manere & esse, diuinitatis: & ideo cum discipulis mansit per hoc, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Vadit ad patrem per hoc, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis, sicut ipse alibi ait: Exiui à patre & veni in mundum, & iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Et iterum: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cęlo. Quod autem subiungit: Et nemo ex vobis interroget me quo vadis, tale est ac si diceret: Tam lucida & præclara erit ascẽsio mea, vt nullus vestrum indigeat me interrogare quo vadam, videntib⁹ cunctis quod cælum ascendam. Nam cum superius iturum se ad passionem prædiceret, dicens: Filioli, adhuc modicum uobiscum sum, & sicut Iudæis dixi, quo ego vado, vos non potestis venire, interrogauit eum Petrus, dicens: Domine, quo vadis? Visa autem ascensionis gloria, non necesse habuerunt interrogare quo pgeret, quia (sicut Lucas narrat in Actibus apostolorum) videntibus cũctis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et cum intuerentur in cælum euntem illum, cõtinuo duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus q assumptus est à vobis in cælũ, sic veniet quẽadmodum vidistis eum eũtem in cælũ. Et quia nouerat dñs quod hæc sua verba tanto maiorem tristitiam in cordibus apostolorum generarent, quanto se vicinius ab eis recessurũ prædicebat, adiunxit, dicens:

Ioh. 13. Ibidem

Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum.

Nec enim absq; graui mœrore eius absentiam corporalẽ audire poterant, cuius gratia de mundo electi erant, cuius doctrina instruebantur, cuius sermonibus informabantur, cuius miraculis iucundabantur. Et quem obicem & defensorem in omnibus sentiebant, sine magno dolore ab eo separari nõ poterãt. Vnde cum suam passionem alibi prædiceret, prohibere volens eum Petrus, aiebat: Propitius esto tibi dñe, nõ fiat istud, non enĩ decet vt fili⁹ dei gustet mortem. Et cum in vltima cœna recumbens diceret: Vnus vestrum me traditur⁹ est, cõtristati valde, cœperũt dicere

singuli: Nunquid ego sum domine? Sed eorum hanc tristitiam pius magister benigna consolatione lenire curauit, dicens:

Ego ueritatē dico uobis, expedit uobis ut ego uadam.

Acsi diceret ego qui veritas sum, veritatem vobis dico. Necesse est vt hæc forma serui, quam in me cernitis, quā syncero amore diligitis, à vestris conspectibus tēporalibus subtrahatur, vt formam diuinitatis in me perfectius intueri valeatis, sicut ipse alibi dicit: Si
Ioh. 14. diligeritis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Vnde recte subditur:

Si autem non abiero, paraclctus nō ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos.

Nunquid poterat dare spiritumsanctum in terris, cum manifeste legatur post resurrectionem, quoniam insufflauit & dixit: Accipite spiritumsanctum? Poterat vtiq;. Sed quamdiu apostoli deum hoīem secum conuersantem, conuescentem, colloquentem habebant, eius præsentia delectati, minus ad sciendam diuinitatem oculos mentis erigebant. Postq̄ aūt dn̄icum corpus ad patris dexteram collocatum nouerunt, illo totū suum desiderium transtulerunt, quo caput præcessisse cognouerūt, iuxta illud quod alibi à dn̄o dicitur: Vbi est
Mat. 6. thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et iterum:
Luc. 17. Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Et ideo tanto perfectius spiritumsanctum post ascensionē accipere visibiliter meruerunt, quanto in eius amore amplius exarserunt: & hoc est quod ait, ⌊Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos.⌋ Bene aūt spiritus paracletus nominatur. παράκλητος enim græce, latine consolator siue aduocatus dicitur. Bene consolator dicitur, qui non solum tunc corda apostolorum de domini absentia mœrentia consolari dignatus est, sed etiam quotidie pro peccati perpetratiōe lugētibus, dum spem promittit veniæ, maximam consolationem tribuit. Cuius consolationis ope se
Psal. 93. subleuatum nouerat, qui dicebat: Consolationes tuæ domine lætificauerunt animam meā.
Psal. 118. Pro quo in græco legis: αἱ παρακλήσεις σου, εὐφρανάν τὴν ψυχήν μου. Et iterum: Memor fui iudiciorum tuorum domine à seculo, & consolatus sum. Recte etiam idem spiritus aduocatus dicitur, quia pro nostris excessibus quotidie patrem
Rom. 8. interpellat, sicut ait Apostolus: Nam q̄d oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quantum autem de eiusdem spiritus dono apostoli profecturi essent, manifestatur cum subditur:

Et cum uenerit ille, arguet mundum de pcc̄ō & de iustitia & de iudicio.

Manifestum est autem quod dominus Iesus Christus per semetipsum mundū, i. amatores mundi, de peccato & de iustitia & de iudicio redarguit. De peccato redarguit eos, q̄a in eum credere noluerūt, de quibus alibi ait: Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem de peccato suo non habent, quia viderūt me, & odio habuerunt me gratis. De iustitia redarguit eos, quia iustitiam & simplicitatem apostolorum imitari noluerunt. Ad quorum comparationem recte iudicandi sunt, quibus ipse ait: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, Luc. 11. filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. De iudicio redarguit eos, quibus cum diabolum iam iudicatum ostendisset, dicens: Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem, magis sub eius durissima seruitute manere voluerunt, q̄ ed liberatoris leue iugum trāsire. Sed quod dominus per semetipsum in vna gente Iudæorum fecit, hoc spiritumsanctum promittit facturum in vniuersas gentes per prædicationem apostolorum. Redarguit enim spiritussanctus mundum (id est, mundi amatores) per apostolos de peccato, quando incredulitatem infidelium condemnauit, sicut p̄ apostolos spiritussanctus non credentibus dicit: Vobis quidem oportuerat Act. 13. primum loqui verbum dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gētes. Et pulchre in primordio dominus peccatū incredulitatis, quasi speciale posuit: quia sicut fides origo ē oīm virtutū, sic incredulitas fundamentum omnium vitiorum: & sicut iustus ex fide viuit, sic qui non credit, iam iudicatus est.

Luc. 10. — (margin reference beside "Videbam sathanam")

De iustitia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me.

Sicut iustitia apostolorum in eo maxime comprobata est, q̄ eum quem humilem hominem viderūt, sublimem deum crediderūt: sic & iustitia cæterorum fidelium in hoc laudabilis apparet, quod eum quem corporaliter non vident, mente diligunt & credunt. Vnde bene dicitur. ⌊De iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.⌋ Quod est dicere: Non me videbitis mortalē, corruptibilem, esurientem, sitientem, qualem me videre adhuc possunt reprobi. Sed videbitis me immortalem, incorruptibilem, qualem me videre poterunt soli oculi iustorum. De iustitia ergo redarguit illos spūssanctus, quos iustorum bona opera imitari piget, qui cum deum corpore non vident, eum tamen se bonis operibus diligere ostendunt.

De iudicio autem, quia princeps mūdi huius iam iudicatus est.

Principem mundi diabolũ dicit, qui quondam principatum in eorum cordibus sibi vẽdicabat, qui magis mundum que creatorem deum diligit, de quo dñs ait: Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicq̃. Princeps ergo mundi iam iudicatus est, quia per dei præsentiam à cordibus fidelium eius potestas expulsa est, sicut dominus ait: Nunc hora est vt princeps huius mundi eijciatur foras. Redarguit ergo spiritussanctus eos de iudicio, quos exemplo damnati angeli, ne contra deum superbire audeant, terret, sicut Iudas apostolus ait: Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicio magni dei iudicandos reseruauit. Sed quia ad redarguẽdum de peccato & de iustitia & de iudicio, nouerat dominus corda apostolorum adhuc esse fragilia per spiritussancti aduentũ roborãda promittit, subijciens:

Ioh. 14.

Iohã. 12.

Adhuc habeo multa uobis dicere, sed nõ potestis portare modo. Cum aũt uenerit ille spiritus ueritatis.

Spiritus veritatis dicitur, quia à patre veritatis procedit. Quod autem subiungit:

Docebit uos omnem ueritatem, non solum ad præsentem, sed etiam ad futuram vitam pertinet. Nullus tam perfectus in præsenti vita esse potest, vt omnem veritatem capere possit, maxime cum apostolus Paulus, qui raptus vsq; ad tertiũ cælum fuerat, dicat: Ex parte enĩ cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et Psalmista: Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium dei, & intelligam in nouissimis eorum. Docebit vos ergo omnẽ veritatem, quia quod min⁹ quisq; fidelis de deo intelligit, in futura vita perfectius spiritussanctus intelligere faciet, quia (sicut ait Apostolus) nunc videmus per speculum in ænigmate, tũc autem facie ad faciem. Vel certe quod ait, ⌊docebit vos omnem veritatem⌋ .i. diffundet in cordibus fidelium veritatẽ vel charitatem, per quã doceat amare oẽm veritatẽ. & quia patris & filij eiusdem q; spiritussancti vna ẽ substãtia & vna diuinitas, recte subdit.

1. Cor. 13

Non enim loquetur a semetipso.

Non loquetur spiritussanctus à seipso, quia à patre & filio procedit, & quibus est vna essentia atq; vna natura, non possunt diuidi, vt vnus sine altero loquatur: sed quod loquitur pater, loquitur fili⁹, loquitur spiritussanctus. Vnde & sequitur:

Sed quæcunq; audiet, loquetur.

Audiet s. à patre, à quo est non temporaliter, sed æternaliter: non visibiliter, sed inuisibiliter. Loqui enim spiritussancto, est occulta inspiratione mentes nostras docere, iuxta qd dominus alibi ait: Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat aut quo vadat. Quod autem subiungit:

Iohã. 3.

Et quæ uentura sunt, annunciabit uobis, patet iuxta literam, quia frequenter fidelibus spiritussanctus futura annunciauit, quibus mysterium prophetandi dedit. Sed quod cunctis fidelibus generaliter cõuenit, spiritussanctus futura annunciat: quia omnes quos repleuerit, ad amandam vitam æternam quæ futura est inflammat. De quo adhuc subdit:

Ille me clarificabit.

Clarificauit spiritussanctus filium, quando omnem timorem à cordibus apostolorũ expulit, & ad vnigenitum dei fidelium prædicãdum idoneos reddidit, sicut scriptum est in Actibus apostolorum: Repleti sunt omnes spiritusancto, & loquebantur verbum dei cum fiducia. Clarificauit etiam spiritussanctus filium, qñ ab eo missus, sicut fuerat promissus, die Pentecoste, scientiam oĩm linguarum apostolis tribuit. Vnde in Actibus apostolorum legitur: Et repleti sunt omnes spiritusancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritussanctus dabat eloqui illis. Clarificauit etiã filium, cum prædicatores filij tantis ac talibus virtutibus adornauit, vt vniuersus orbis ad eius credulitatem cõcurreret. Quod aũt ait:

Act. 4.

Quia de meo accipiet, & annunciabit uobis, subaudiẽdum est, de meo patre. Qui enim de nullo fit, de nullo procedit, solus est pater. Filius autem à seipso non esse dicitur, quia à patre natus est. Spiritussanctus à patre accipere dicitur, quia à patre & filio indiuisibiliter procedit. Vnde & sequitur:

Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et ideo dixi quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.

Id est, nota ea vobis faciet.

DOMINICA QVINTA post Pascha, Vocem iucunditatis, Iacobi .I.

Charissimi, Estote autẽ factores uerbi, & non auditores tantum, fallentes uosmetipsos. Et reliqua.



Erba diuina factis nos oportet adimplere, si ad cælestia regna volumus peruenire. Iacobus apostolus nos in præsenti lectione, vt audistis, hortatur, dicẽs: ⌊Estote autem factores verbi, & non auditores tantum.⌋ Factores verbi sunt, qui custodiunt præceptum domini, ⌊fallentes vosmet ipsos.⌋ Fallentes autem sunt, qui versantur

in alijs rebus,desiderantes euangelium audire,sed nō implere,siue qui abscondit à sacerdote diuino medico suorum vulnera peccatorum, nec ea ad suam vult aperire salutē. Nec scripturam,neq; sacerdotem,sed semetipsum fallit,dum non dei,sed diaboli sequitur voluntatem,de quibus subditur:

Quia si quis auditor est uerbi & nō factor,hic comparabitur uiro consideranti uultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.

Mulierum mos est in speculo se considerare, vt se valeant adornare, qualiter se viris suis placere possint.Ita animas nostras oportet nos solicite considerare in speculo euangelij, & eius perpendere dicta, quid exinde ornamenti in adimpletione sacramentorum eius habeamus, vt viro nostro Christo domino placere valeamus.Si vero quo minus ornamenti animabus nostris imperfecto opere euangelij habeamus adeptum,omni solicitudine festinare oportet, ipsum nobismetipsis ornamentum exhibere in operibus sanctis, ne cū sponsus noster Christus,hora qua non putamus, venerit & vocauerit nos forte imparatos inueniens, excludamur à nuptijs regni cælestis,& postremo cum fatuis virginibus frustra ante ianuam incipiemus clamare, & aditum introeundi quærere,cum non possumus inuenire. Non ergo obliuiscamur peccatorum domini, quæ sunt animarum ornamenta nostrarū,sed seruientes voluntati eius, adornemus nos dignis moribus & sancta cōuersatione, vt eum Christus sponsus noster nos vocaturus venerit,mereamur cum eo ad gaudia æterna peruenire.Sequitur:

Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis,hic beatus in facto suo erit.

Legem libertatis charitatem dicit, de qua Paulus ait: In libertate charitatis Christi vocati estis.Et iterum: Onera vestra inuicē portantes cum charitate.Nam si quis in charitate perfecta se custodire satagerit, deum videlicet ex toto corde,tota anima, tota diligendo virtute,& proximum suum sicut seipsum: hic non auditor obliuiosus factus,sed factor operis euangelici comprobatur. Et si in eadē speculatione diuinæ legis operando permanserit,hic vere beatus erit,& ad beatitudinem perueniet sempiternam.

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, laudando ipsemetipsum, & pro bonis quæ fecerit, glorificare se coram hominibus quæsierit, vt pharisæus stans in templo, & computans bona sua, non se sicut publicanum esse profitebatur, I. non refrenans linguā suā, i.cor suum ab elatione vel vanæ gloriæ appetitu,vel etiam linguam suam custodiendo à detractione vel blasphemia: quia ociosum est à quibusdam se vitijs abstinere,si non refrenauerit linguā suam. Vnde dicitur in psalmo: Quis est homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos?Cohibeat linguam suam à malo,& labia eius ne loquatur dolum. Nam subditur:

Sed seducens cor suum, huius uana est religio,quandiu consistit cor suum in superbia sua.

Religio munda & immaculata apud deum & patrem hæc est: Visitare pupillos & uiduas in tribulatiōe eorū.

Cura pupillorum ac viduarum ecclesię cōmendatur,& sacerdotibus magnum periculū comminatur,si contradicentibus veritati resistere noluerint: quoniam quisquis personā potentis accipit, & veritatem loqui pauescit, graui multarum culpa sententiæ.Multi enim præsules ecclesiarum,timentes ne amicitiam perdant,& molestiam odiorū incurrant, peccantes non arguunt,& corripere pauperum oppressores verentur. Nec pertimescunt de seueritate reddendæ rationis, pro eo q conticescunt de plebibus sibi commissis,quando à potentibus pauperes opprimuntur.Ad eripiendos eos boni sacerdotes protectionis auxilium ferunt,nec verentur cuiusquam inimicitiarum molestias,sed oppressores pauperum palam arguunt, increpant, excommunicant minusq; metuunt eorum nocēdi insidias, etiamsi nocere valeant. Pastor enim bonus animam suam dat pro ouibus suis. Nam sicut per vigilias pastor contra bestias oues custodire solet,ita & dei sacerdos super gregem Christi solicitus esse debet,ne inimicus vastet, ne persecutor infestet,ne potentioris cuiusq; cupiditas vitam pauperū inquietet, sed sua potius solicitudine & cura diligenti,vitam & salutem mereantur æternam.

DOMINICA QVINTA post pascha, Vocem iucunditatis. Iohannis XVI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit uobis.Et reliqua.



Argitor virtutum & remunerator meritorum, dominus Iesus Christus, sciens humanam naturã nihil boni habere posse nisi per eius gratiam, q ait: Sine me nihil potestis facere, ad instantiam orandi & importunitatem petendi nos alibi
Matt. 7. hortatur & admonet, dicens: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Et ne aliquis impetrare se posse q̃d postulat dubitaret, si tñ in oratione non deficiat, magnam fidutiam parentibus in exordio huius lectionis exhibuit, dicẽs: ⌊Amen amẽ dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.⌋ Vbi notandum quia cum nos ad petendum hortatur, sua gratuita dona, nostra vult esse merita: & ideo quãuis sciat quid nobis necesse sit, antequam petamus eum, vt inueniat in nobis quod iuste remuneret, ad petendũ nos inuitat, dicens: Oĩs qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Sed forte mouet minus intelligentes, quare dicat: Si quid petieritis in nomine meo, dabit vobis, cum legimus non solum inferiores, sed etiam Paulũ apostolum, qui summæ perfectionis fuit, aliquid petijsse, & non impetrasse. Sed vt veridica dñi promissio nobis clarius eluceat, libet diuersas psonas petentium inspicere, & causas imperrãdi vel non impetrandi discernere. Aliquando enim solet cõtingere, vt in oratione bona petantur, sed quia mali sunt qui petunt, à domino exaudire non merentur. Superflue nanq; se exaudiri à domino putant in orationibus suis, qui eum audire contemnunt in suis sermonibus, Salomone testãte, qui ait: Qui ob-
Prou. 28 turat aurẽ suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Aliquãdo vero carnales carnalia petunt, & ideo à domino non exaudiuntur, quibus per beatum Iacobum apostolum
Iacob. 4 dicitur: Petitis, & non accipitis, eo q male petatis, vt in concupiscentijs vestris permaneatis. Aliqñ boni bona petunt, sed illorum mala merita pro quibus petunt, eis obsistunt ne audiantur: quales erant illi, pro quibus Iere-
Ierem. 7 miæ à domino dicit: Tu vero noli orare pro populo hoc, & non assumas pro eis laudes & orationem, quia non exaudiam te. Et iterum:
Iere. 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, nõ est anima mea ad populum istum. Nec tamẽ putãdum quod à fructu mercedis priuemur: quoties pro iniquis orantes, exaudiri nõ meremur: quia etsi illi non sunt digni accipere pro quibus petimus, nobis tamen pro bona intentione merces recompensabitur. Vnde bene non dixit simpliciter, ⌊Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit.⌋ sed cũ additamento, ⌊dabit vobis.⌋ Quod est dicere; Etsi illi non merentur accipere pro quibus petitis, vobis tñ pro affectu charitatis merces retribuetur, sicut Psalmista ait: Et oratio mea
Psal. 34. in sinum meum conuertetur. Aliquando sancti sancta petunt, sed quia eorum petitio in psenti non impletur, restat vt in futuro repleatur: sicut vniuersalis ecclesia quotidie in oratione deum postulat, dicens: Adueniat regnum tuum. Quod regnum etsi non mox finita oratione aduenit, tamen post vniuersale iudicium sine dubio creditur venturum. Aliquando sancti in oratione contraria animæ suæ ignoranter petunt, occulto tamen dei iudicio, non ad voluntatem, sed ad salutem exaudiuntur. Multo enim salubrius est exaudiri ad salutem, quàm ad voluntatem. Quod vt manifestius intelligatur, duos in medium ponamus, vnum malum, & alterum bonum: ita tamen, vt bonus petijsse legatur & non impetrasse, malus autem petijsse & impetrasse. Sed ne aliquis tacita conscientia dicat, fieri nõ posse, illum ante oculos dei iniustum esse qui exauditus est, & illum iustum esse qui nõ exauditur: talis in malo ponendus est, cuius malitiã nullus ignoret: & talis in bono, de cuius sanctitate nullus dubitet, Paulus scilicet apostolus & diabolus. Quis enim diabolum au-
Iob. 41. torem malitiæ esse neget, maxime cum per beatum Iob de eo dicatur: Omne sublime videt, & ipse est rex sup omnes filios superbiæ?
Actu. 9. Quis vero Paulum apostolum post conuersionem sanctum fuisse dubitet, maxime cum ipse iudex de eo testatur, dicens: Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel? Nullus. Et tamen diabolus petijt, & impetrauit: Apostolus vero petijt, & non impetrauit. Pe-
Iob. 1. tijt diabolus vt substantiam Iob deleret, & audiuit: Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt. Petijt Apostolus vt auferretur ab eo stimulus carnis suæ, & non impetrauit. Quis ergo horum magis exauditus est? diabolus, an Apostolus? Diabolus exauditus est ad volũtatem, non tamen ad salutem: quia inde deterior effectus est, vnde sancto viro damnum inferre conatus est. Apostolus vero non est exauditus ad voluntatem, sed ad salutem: qa non expediebat illi vt stimulus carnis suæ ab eo auferretur, qui ob custodiam humilitatis
1. Co. 12. ei datus fuerat, sicut ipse dicit: Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, vt me colaphizet. Propter quod ter dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quicunq; ergo fide non dubitans ea quæ ad salutem animæ suæ pertinent, perseuerãter petit, sine dubio exaudit aut in præsenti aut in futuro. Vnde bene dicitur, ⌊in nomine meo.⌋ Nomen vero eius, Iesus est. i. saluator siue salutaris. Ille ergo in nomine Iesu petit, qui animæ suæ salutem quærit.

Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo.

Nunquid non ante petierant apostoli, dicentes: Domine, dic nobis, qñ hęc erunt? vel, Quod signum aduentus tui? & his similia. Fecerunt vtiq;. Sed quod ait, Vsq; modo non petistis quicquam, duobus modis intelligi potest. Siue non petistis quicquam, quia me æqualem patri non credidistis, vt in nomine meo peteretis: siue certe nõ petistis quicquã, quia ad comparationem eorũ quæ petere debuistis, nihil sunt quæ petijstis. Fragiles namq; mentes apostolorum ante passionẽ prius terrena & transitoria petere nouerant, sicut de duobus filijs Zebedæi legimus, qui persuaserunt matri vt peteret ab eo, vt vnus sederet à dextris & alter à sinistris in regno eius. Sed quia ad comparationem eorum quæ petere debuerant, nihil erat quod petebat, protinus audierunt: Nescitis quid petatis. Terrena namque & transitoria æternæ felicitati comparata, nihil sunt æstimãda. Sed quia hactenus ad ea quæ æterna sunt, petenda pigri fuerant, dominici sermonibus ad petendum incitantur, cũ dicitur: Petite. Et ne se accepturos dubitarent recte subiungitur: Et accipietis. Quid autem principaliter petere deberent, manifestatur, cum subinfertur:

Vt gaudium uestrum sit plenum.

Vbi ordo verborum talis est: Petite vt gaudium vestrum sit plenũ, & accipietis. In quo loco ostenditur, quia in oratione non aurum, nõ argentũ, nõ terrenas diuitias petere debemus: non præsentis vitæ longitudinem, sed vitam æternam, & ea quæ ad illam pertinẽt, i. virtutes animæ. Plenum ergo & perfectum gaudium esse non potest, vbi fragilitas mutabilitatis ita variatur, vt vix vnius horæ spatio gaudiũ nobiscũ pmanere possit. Subito enim lætitia à tristitia absorbetur, gaudium in dolorẽ vertitur, sanitas infirmitate læditur, ampla possessio paupertate tenuatur, prosperitas aduersitate prosternitur, iuuentus ad senectutem, vita currit ad mortem. Cum ergo dicit:

Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum.

Illam singularem ac beatam vitam nos petere admonet, vbi est lætitia sine tristitia, gaudium sine dolore, securitas sine timore, vita sine morte. Quam qui adepti fuerint, gaudiũ & lętitiam obtinebunt, & fugiet ab eis omnis dolor & gemitus, qñ implebit quod dñs alibi promittit, dicens: Iterũ videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hanc deuotus ille supplicator specialiter concupierat, cũ dicebat: Vnã Psal. 26. petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo dñi omnibus diebus vitæ meæ, & videam voluntatem domini. Et iterum: Credo videre bona domini in terra viuentium.

Hæc in prouerbijs locutus sum uobis. Venit hora.

Hanc horam, diem pentecosten intelligere possumus.

Cum iam in prouerbijs non loquar uobis, sed palam de patre annunciabo uobis.

Prouerbia quædam similitudines dicũtur, quæ ad obscuriores quasq; sententias intelligendas necessariæ ab autoribus adhibentur, vt saltem per visibilia inuisibilia cognoscere queant. Vnde liber Salomonis prouerbiorũ nomen accepit, eo quod paruulorum ignorãtiam p quasdam imagines vel similitudines, ad sapientiam discendam suadeat. Locutũ ergo se dicit dñs in prouerbijs, quia prius si agilitati discipulorum facilius capere possent, in suis sermonibus similitudines adhibuit, sicut ait Matthæus euangelista: Loquebatur Iesus cũ discipulis suis in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis. Sed cum promittit se nõ in prouerbijs locuturũ, sed palam de patre annunciaturũ, ad tantã perfectionẽ p spiritusſanctũ aduentũ ostendit eos venturos, quibus nõ necesse sit iam in prouerbijs quasi paruulis loqui, cum id spiritusſanctus adueniens, palam de patre annunciet. i. perfecte cognoscere faciat, qualiter pater in filio & filius sit in patre. Et quæcunq; potest pater, potest similiter & filius, secũdum quod ipse ait: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Vnde & subditur:

Illo die in nomine meo petetis.

Quod est dicere: Illo die cũ spiritusſanctus adueniẽs cognoscere vos fecerit, quia ego & pater vnum sumus, in noĩe meo petetis, quia æqualem patri me esse cognoscetis, & omnia me dare posse cum patre credetis. Siue quod ait, In nomine meo petetis, tale est acsi diceret: Cum spiritusſanctus adueniens terrena vos perfecte contemnere fecerit, solummodo quæ ad salutem animarum pertinẽt, petenda intelligetis. Et quia Christus ita homo apparuit, vt perfectus esset deus, recte subiungitur:

Et non dico uobis quia ego rogabo patrem de uobis.

Quia enim homo est, alibi patrem pro discipulis rogasse legitur, dicens: Pater sancte, serua eos in noĩe tuo, quos dedisti mihi. Et itẽ: Pater, cum essem cum eis, ego seruabam eos quos dedisti mihi. Nunc autem pro eis rogo, non pro mundo. Et non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Et alibi Petro: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat Iohã. 17 fides tua. Nunc autem non rogaturum se pa-

trem pro discipulis dicit, quia omnipotēs est
in diuinitate cum patre. Rogat ergo patrem
per humanitatem, quia omnia postulata dat
cum eo per diuinitatem. Siue certe per hoc
quod ait, Et non dico vobis quia ego rogabo
patrem de vobis, ad tātam beatitudinem san
ctos ostendit esse venturos in aeterna vita, vt
nullius auxilio vel prece indigeant: quia aeter
na beatudine replebuntur, sicut dominus per
Iere. 31. Ieremiam prophetam pollicetur, dicens: In
diebus illis & in tempore illo nō docebit vir
fratrem suum, neq; proximum sum, dicens:
Cognosce deum, omnes enī cognoscent me,
dicit dn̄s, à minimo vsq; ad maximum. Et id-
eo non dixit de praesenti, rogo: sed de futuro,
rogabo. Quod autem subiungit:

Ipse enim pater amat uos, qa uos me amastis & credidistis qa a deo exiui.

Non ita accipiendum est, quasi amor disci
pulorum praecesserit, vt proprio merito à pa
tre amari mererentur, sed gratuito dono pri-
mum a patre delecti sunt, vt filium credere
& amare potuissent. Deniq; per prophetam
ipse dicit. Diligam eos spontanee. Et in euan
Osee. 14 gelio: Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos
Hinc Iacobus apostolus ait: Voluntarie ge-
Iacob. 1. nuit nos verbo veritatis. Eadem enim gratia
quae subsequitur hominē vt bene possit, ipsa
praecedit vt bene velit. Nisi enim humanam
voluntatē gratia dei praeueniret vt bene vel-
let, nequaq̄ Psalmista diceret: Fortitudinem
Psal. 58. meam ad te custodiam, quia deus susceptor
meus, deus meus, misericordia eius praeueni
et me. Et nisi eadem hominem subsequeretur
vt bn̄ posset, nullo modo idem Psalmista di-
ceret: Misericordia eius subsequetur me om̄i
Psal. 22. bus diebus vitae meae.

Exiui a patre & ueni in mundū, iterū relinquo mundum & uado ad patrē.

In hoc versiculo dn̄s vtranq; suam natu-
ram, diuinam s. & humanam, nobis commen
dauit. Quia enim de⁹ in forma diuinitatis ab
hominibus videri non poterat, exiuit à patre
& venit in mundum: quia vt videri posset in
forma serui visibilem se mundo ostendit, sic-
ut ait Apostolus: Cum esset in forma dei, non
Philip. 2. rapinam arbitratus est esse se aequalem deo,
sed semetipsum exinaniuit formam serui acci
piens, in similitudinem hominum factus, &
habitu inuentus vt homo. Iterum reliquit
mundum & iuit ad patrem, quando expleto
incarnationis suae mysterio, humanam natu
ram, quam ex nobis assumpserat, in patris de
xtera collocauit, sicut ait Marcus euāgelista:
Dominus quidem Iesus postquā locutus est
eis, assumptus est in caelum, & sedet à dextris
dei. Sicut ergo non deseruit patrem, cum in
mundum venit, sic non dereliquit electos, cū
ad patrem rediit, sicut ipse alibi ait: Ecce ego
vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad con-
summationem seculi. Manens ergo cum pa-
tre per diuinitatem, venit in mundum per hu
manitatem: & rediens ad patrem per huma-
nitatem, mansit cum electis per diuinitatem,
sicut ipse ait: Nemo ascendit in caelum, nisi q
descendit de caelo filius hois, qui est in caelo.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nūc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.

In his suis verbis ostendunt discipuli, quia
in hac vltima confabulatione loquens ad eos
dominus, de his maxime disputabat, quae il-
los audire delectabat. Et quamuis ea quae lo-
quebatur, nondum perfecte intelligerent, ta-
men se intelligere putantes responderunt, di
centes: ⌊Ecce nūc palam loqueris, & prouer
bium nullum dicis.⌋ Quia vero eorum cogi
tationes praeueniens, frequēter ea quae inter-
rogare volebant, non interrogatus in mediū
proferebat, quae diuinae naturae indicium in
eo comprehendunt. Vnde & subiungunt, di
centes:

Nunc scimus quia sis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus quia a deo existi.

Proprium nanq; est deo cogitationes ho-
minum intueri, scriptura testante, quę ait: Tu
deus solus nosti corda filiorum hominum.
Et iterum: Quae sunt in corde hominis, oculi 1. Petr. 6
tui vident domine. Et Psalmista: Intellexisti
cogitationes meas de longe.

SERMO DE LITANIIS, id est, de supplicationibus, & de exordio earum.



SEd quia dies litaniarum, id ē,
supplicationum, annua reuo-
lutione recolimus, libet pro-
pter simpliciores, vnde exor-
dium sumpserunt, breueter cō
memorare. Non enī absq; eu-
angelica & apostolica autoritate, in consue-
tudinem venisse credendi sunt. Deniq; do-
minus in caelum ascensurus, cum spiritumsan
ctum apostolis frequenter se promisisset mis
surum, ait inter caetera: Vos autem manete
in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex
alto. At postquam eum caelum ascendisse cō
spexerunt, regressi sunt in Ierusalem (vt Lu-
cas euangelista dicit) cum gaudio magno, &
erant semper in templo laudantes & benedi-
centes deum. Vt autem spiritumsanctū pro-
missum accipere mererentur, ieiunio & ora-
tione se praeparare studuerunt, sicut idem Lu
cas in Actibus apostolorum commemorat,

a dicens: Erant omnes vnanimiter perseuerantes in oratione, cum mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Postquam autẽ spiritusancto repleti, ad prædicandum euangelium gentibus in vniuerso orbe dispersis missi sunt, hos dies successoribus suis agẽdos tradidisse creduntur. Et inde deuotio Christiana eius annua religione celebrare cœpit, vt eiusdem sanctispiritus dono participes fieri mererentur. Quod autem nũc non post ascẽsionem, sed ante ascensionis dñi diem à nobis aguntur, hæc res in causa est. Nam cũ exigentibus peccatis, Galliarum populi luporũ rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniri posset, congregati traduntur Galliarum episcopi apud Viennam præcipuam Galliæ vrbem, atq; in cõmune statuerũt vt in triduano ieiunio dñi misericordiam implorent, antiquorum patrum vestigia sequentes. Cumq; ad eorum preces oculos diuinæ pietatis respiciẽs, flagelli huius pestẽ misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per galliarum prouincias ante ascensionis domini diem celebrarentur. Agamus ergo & nos hos dies pro modulo nostræ paruitatis, cum summa reuerentia & veneratione, cum abstinentia carnis & humilitate cordis, non tantum vt visibilium luporum rabiem euadamus, sed etiã vt inuisibilium, quod melius est, id est, immundorũ spirituum tentamenta vincere valeamus. Fortissima enim sunt arma ieiunij contra dæmonum tentationes, dño dicente: Hoc genus non ejicitur nisi

Mat.17. in oratione & ieiunio. Non solum cõtra tentationes ieiunia iuuant, sed etiam ad cognoscenda diuina mysteria mẽtem eleuant. Deniq; Moyses, vt legem mereretur accipere, quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit. Daniel vero, vt secreta mysteria intelligere posset, non solum in aula Babyloniæ miræ abstinentiæ fuit, sed etiam trium hebdomadarum diebus in oratione & ieiunio pmãsit, sicut ipse dicit: Ego Daniel lugebam triũ

Dani.10 hebdomadarum dies, panem desiderabilem non comedi, caro & vinum nõ sunt ingressa in os meum. Sed neq; vnguẽto vnctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. Vt ergo spiritussancti dono participes esse mereamur, hos dies cum omni puritate celebrare debemus, in abstinentia prolixiores, in eleemosynis largiores. Et vnde caro nostra sentit afflictionem, inde pauperũ esuries sentiat consolationẽ. Non solum pro nostris, sed etiam pro totius ecclesiæ necessitatibus supplicare debemus, pro pacis & tranquillitate, pro frugum hubertate, pro aëris temperie, pro regibus & gubernatoribus, monẽte Apostolo qui ait: Obsecro primum omniũ

1Thi.2. fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones, pro oĩbus hominibus, pro regibus & oĩbus qui in sublimitate sunt costituti, vt quietam & trãquillam vitam agamus in omni pietate & castitate, hoc enim bonum est & acceptum coram saluatore nostro deo, q omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.

FERIA SECVNDA POST vocem iucunditatis, in litanijs maioribus. Iacobi V.

Charissimi, Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem ut saluemini. Et reliqua.



D optimum salutis nostræ remediũ hortatur nos apostolus Iacobus, vt præsenti lectione cũ legeretur audistis dilectissimi nobis. Cõfitemini, inquit, alterutrum peccata vestra. Non quod deus indigeat cõfessione nostra, cui oĩa præsto sunt quæ cogitamus, loquimur & agimus, sed nos aliter salui esse non possumus, nisi cõfiteamur pœnitentes, quod inique gessimus delinquẽtes. Nam qui seipsum accusat in peccatis suis, hũc diabolus non habet iterum accusare in die iudicij. Debet enim pœnitens diluere pœnitendo quæ fecit, & non iterũ reuocare quod fleuit. Qui autem abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, à deo misericordiæ veniam merebitur æternam. Et orate pro inuicem vt saluemini. Duo enĩ sunt genera infirmitatis humanæ. i. corporis & animæ. Proinde vero monet Apostolus orare deũ omnipotentem pro vtraq; infirmitate nostra, pro inuicem diuinæ clementiæ remediũ postulare, vt & corpus in suo sancto seruitio corroboret, & animã ab æterno liberet supplicio.

Multum enim ualet deprecatio iusti assidua.

Nam negligentes orationes, nec ab ipso homine impetrare valent quod volunt: multo minus à deo alteri orando veniã valet obtinere, qui pro suis etiam peccatis necesse habetis suppliciter exorare, & negligenter orat pro semetipso. Assidua enim debet esse fidelium deprecatio, si obtinere cupit quod petit. Tamen cum pro inimicis nostris nos dominus orare iubet, quãto magis etiam pro amicis & fidelibus nostris? Quia si fideliter oramus, nõ pro nobismetipsis tñ, sed & pro fratribus nostris etiam intente orare debemus, vt salui esse mereantur: quia assiduitas orandi præstat nobis auxilium in aduersis. Sequitur:

Elias homo erat similis nobis passi-

bilis, & oratione orauit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex.

Videbat enim iniquitate populi sui quasi tenebris mundum opertum, cælum polluti, terram inquinatam sacrificijs idolorum, accẽsusq; zelo orauit, vt forte per famem & sterilitatem terræ conuerterentur ad dominum, & pœnitentiam agerent de peccatis suis. Talibus enim coacti supplicijs, dum conuerterent se à via sua & à prauitatibus suis multis, pœnitentiam agentes, ad misericordiam deũ deflectebant. Sequitur:

Et rursum orauit, & cęlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.

Iusti enim viri dum temporaliter à domino audiuntur, orantes pro reatu aliorum, fit hoc in spe & salute: & dum his pro quibus orant, temporali remedio subuenitur, prauorum oculi ad suorum peccatorum confessionem aperiuntur, ita vt pœnitendo & confitendo, remedia suarum percipiant animarum. Et vt terra arida pluuijs irrigata, fructũ profert necessarium: ita & istorum dura corda, per compunctionem irrigata lachrimarũ & infusionem gratiæ dei, quam pœnitendo mereuntur, fructum etiam postea bonorũ proferunt operum.

Si quis autẽ errauerit ex uobis a ueritate, & conuertit quis eum, scire debet quoniam qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Sua videlicet & aliorum, quos per doctrinam suam conuertit à peccato. Cum vero nobis fratres quilibet nostri peccata sua, tanquã medicis vulnera, quibus vrgentur, aperiunt, operam debemus dare, vt quamocyus ad sanitatem, deo autore, perueniãt, ne in peius dissimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus vndecunq; clarue, ...ut, quæcũq; non fuerint pœnitentiæ leni medicamẽto sanata, velut igne piæ increpationis reprehendenda sunt ac curanda. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinetis, ac pie increpantis medela processerit in eis, qui diu portari & salubriter obiurgati, corrigi noluerint, tanq; putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua, si abscissa nõ fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exem plo suæ perditionis inficiant. Porro illi quorum peccata humanã notitiam latent, nec ab ipsis confessione, nec ab alijs publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, deum quẽ habent testem, ipsum habituri sunt & vltorẽ. Et quid eis prodest humanum vitare iudiciũ, si cum in malo permãserint, ituri sunt in æternum, deo retribuente, supplicium? Quod si ipsi sibi iudices fiant, & velut suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera compunctione cordis fluentibus restringent æterni ignis Incedia, largiente domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

FERIA SECVNDA POST Vocem iucunditatis in litanijs maioribus. Lucæ XI.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte. Et rel.



Sciens dominus Iesus Christ' post amissionem liberi arbitrij, nullum bonum à nobismetipsis nos habere posse, nõ solum ad orandum deuotissimos, sed etiam instantissimos hortatur & admonet, vt quod minus natura possibilitatis in nobis habet, orãdo ab illo impetretur qui ait, Sine me nihil potestis facere, Nam cum in oratione incumberet, vt supra euangelicus sermo retulit, accesserunt ad eum discipuli eius, & interrogauerunt eum, dicentes: Domine doce nos orare, sicut Iohãnes docuit discipulos suos. Quib' ille ait, Sic ergo orate: Pater noster qui es in cęlis, sancti ficetur nomen tuum &c. quæ sequuntur. In quibus verbis, quid principaliliter in oratione petere debeamus, breuiter comprehendit, ac deinde cum quanta instantia in oratione perseuerare oporteat, adiuncta similitudine declarauit, dicens: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte? Spiritaliter amicus iste, deus omnipotens intelligitur, qui cum sit deus & conditor totius creaturæ, fideles seruos amicos vocare dignatus est, dicens: Vos amici mei estis. Et item: Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos. Et rursus vos autem dixi amicos meos. Nox in hoc loco tribulatiõem significat, sicut enim dies ad lætitiam, sic nox aliquando ad tristitiam pertinet. Veniendum est ad amicum media nocte, quia in tribulationis pressura non animum ad vindictam præparare, neq; nosmetipsos desperare vel frãgere debemus, sed eius auxilium flagitari qui ait: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici Iohã. 15. Iohã. 16.

mundum, cum enim dominus semper sit ro-
gandus, maxime tñ cum persecutio furit &
sæuit. Ne in tribulatione deficiamus, eius ad-
iutorium postulare debem⁹, sicut Psalmista,
Psal.119. qui dicebat: Ad dñm dum tribularer clama-
Psal.116. ui, & exaudiuit me. Et iterum: De tribulatio-
ne inuocaui ad dñm, &c̃. Quid autem in ora-
tione petere debeamus, declarat subijciens:

Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum.

Hoc enim in oratione quærere, hoc etiam petere debemus, vt notitiã & amorẽ sanctæ trinitatis nostris cordibus infundat. Siue certe tres panes in oratione petere debemus. i. fidẽ, spem & charitatẽ. Amicus autem iste qui de via venire dr̃, noster est animus, qui toties à nobis recedit, quoties p lata huius seculi desideria sese cogitando diffundit. Tunc aũt ad nos de via reuertitur, qñ mens sese ante se ponens, transitoria contemnere, & ea q̃ æterna & pmanentia sunt, sitire & desiderare incipit. Sed ne fame pereat, amicus rogandus est. i. misericordia domini imploranda, vt cõmodet nobis tres panes, hoc est, vt amorem sanctæ trinitatis (vt dictum est) nostris cordibus largiatur. Et quia deus omnipotens aliquando nostra desideria dilatat, non vt præmium minuat, sed vt meritũ augeat, recte subiũgit:

Et ille deintus respondens dicit: Noli mihi molestus esse, iam ostiũ clausum est, & pueri mei mecũ sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi.

Ostium amici, intelligentia est diuini my-
sterij, quod optabat Paulus sibi aperiri ad lo-
quendum verbum dei cum fiducia. Hoc ergo
ostium tãdiu nobis clausum est, quousq; per
diuinam gratiam nobis aperiatur ad cogno-
scenda diuina mysteria. Pueri vero patrisfa-
milias, apostoli siue successores eorum intel-
ligendi sunt. Et bene cum eo in cubiculo me-
morantur esse, quia iam in ęterna requie sunt
recepti, de quibus per prophetã dicitur: Exul
Psal.149 tabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubi-
libus suis. Et pulchre hi qui in cubiculo es-
se memorantur, pueri vocantur: quia illi ad
æternam requiem sunt venturi, qui puri & in-
nocentes existunt, quales erant illi, de quibus
Iob.12. dñs dixit: Pueri, nunquid pulmentarium ha
Matt19. betis? Et item: Sinite paruulos venire ad me,
talium est enim regnum cælorum. Tales opta
1.Pet.2. bat Petrus apostolus suos fieri auditores, q-
bus dicebat: Quasi modo geniti infantes rati-
onabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo
crescatis in salutem.

Et ille si perseuerauerit pulsans, dico uobis, & si non dabit illi surgẽns, eo quod amicus sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei q̃t quot habet necessarios.

Comparatio hic fit à minori, vt intelligas,
quia & si hõ nõ amici causa, sed tædio victus,
dat quod prius negauerat, multo magis bo-
na se petẽtibus dominus dabit, qñ ipse nos vt
petamus admonet. Nisi enim ea præstare vel
let, nequaq̃ nós ad petendum inuitaret. Vn- Luce.18
de cũ alibi doceret quia oportet semper ora-
re & non deficere, posuit similitudinem de iu
dice iniquitatis, quem interpellabat quædam
vidua, dicẽs: Vindica me de aduersario meo.
Et nolebat per multum tempus. Post hæc tæ
dio victus, dicit intra se: Etsi deum nõ timeo,
nec hominem uereor, tamen quia molesta
est mihi hęc vidua, vindicabo illam. Vult eñi
deus nos importunos esse in petendo, vt sua
gratuita dona, nostra sint merita. Semper eñi
aures diuinæ pietatis orationibus nostris ap-
tæ sunt, si tamen à precibus nostris non cesse
mus, & in fide non dubitemus, Iacobo apo-
stolo teste, qui ait: Si quis vestrum indiget sa Iacob.1.
pientia, postulet à deo, qui dat affluenter omi
bus, & non improperat, & dabitur ei. Postu-
let autem in fide, nihil hæsitans. Vnde expo-
nẽs dominus similitudinem propositam, ad-
iunxit dicens:

Et ego uobis dico: Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur uobis. Omnes enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

Petenda est ergo vita æterna orando, quæ-
rendo, viuẽdo, pulsando, in bonis actibus p-
seuerando. Duo enim sunt quę in oratione so
licite considerare debemus. Primo, vt ea pu-
tamus quæ deus velit: secundo, vt nostra vita
à nostris precibus non discordet. Frustra eñi
orationi insistit, qui vel ea petit, puerse viuen
do se indignum exhibet. Vnde Iacobus apo- Iacob.4
stolus ait: Petitis, & non accipitis, eo qđ ma- Pro.28.
le petatis. Et sicut ait Salomõ: Qui auertit au-
rem suã ne audiat legem, oratio eius erit exe
crabilis. Quæ aũt sunt, q̃ principaliter in ora-
tione petẽda sunt, deus alibi manifestat, dicẽs:
Primum quærite regnum dei & iustitiã eius,
& omnia adijcientur vobis. Et item: Petite, &
accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Et
ne nos in oratiõe quod petimus, accepturos
desperemus, adhuc dominus aliam similitu-
dinem adiungit, dicens:

Quis autem ex uobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?

Aut piscem, nunquid pro pisce serpētem dabit illi? Aut si petierit ouū, nunquid porriget illi scorpionem?

Panis in hoc loco charitatem significat. Et pulchre, quia sicut panis principalis est in victualibus hominum, sic charitas inter cæteras virtutes principatum tenet. Quod dominus ostendit, quando requisitus à scriba docto, quod esset maximum mandatum in lege, respondit: Diliges dominum deum tuū, &cæ. vsque, hoc est, primum & maximū mādatum. Vel certe per panē charitas designatur, quia sicut mensa quamuis varijs cibis sit repleta, tamen sine pane inops esse videtur, cæteræ virtutes sine charitate nihil esse comprobant, sicut ait saluator in euangelio: Omni (Mat. 25) habenti dabitur, & abundabit. Vnde Apostolus ait: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Huic contrarius est lapis, id ē, duritia cordis & immisericordia. Piscis autem fidē significat, & congrue satis. Nam sicut piscis aqua nutritur, ita fides baptismo roboratur, dicente domino: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vel certe per piscem fides figuratur, quia sicut piscis sub aquis latet, sic fides illarum rerum est, quæ non videntur, dicente Aposto (Hebr. 11.) lo: Est fides sperandarum substātia rerū, argumentum non apparentium. Vel certe aliter, per piscem fides intelligitur: quia sicut piscis quo amplius fluctibus tunditur, eo magis crescit: sic fides quo amplius persecutiones patitur, eo magis ꝓficit, de qua dn̄s ait: (Mat. 17.) Si habueritis fidē sicut granū sinapis, diceretis monti huic, trāsi hinc, & trāsiret. Huic cōtrarius ē serpens, videlicet infidelitas, siue venenosæ cogitationes, quæ animam interimere conantur. In ouo figuratur spes, quia sicut in ouo fœtꝰ nondū cernitur, sed futurus creditur, sic spes non videtur oculo, sed speratur mente, sicut Apolus ait: Nam quod vi (Rom. 8.) det quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiā expectamus. Huic contrarius est scorpio, aculeum in cauda gestans, id est, desperatio, quę nos ab bonis pereuntibus retro retrahere conatur. In his ergo similitudinibus hoc dominus ostendit quia cum sit ipse pius & clemens, nulli bona petenti mala tribuit. Non enim pro pane lapidem donat, quia charitatem amāti, durum & immisericordem animū non tribuit. Neq; pro pisce serpentem donat, quia fidem quærenti nequaquam ad infidelitatem cogit? Sed neq; pro ouo porrigit scorpionem, quia qui in se habet spem, in desperationē cadere non compellit, proprium est autem immensæ bonitatis eius, aliquando malos facere bonos, nunquam autem bonos compellere vt sint mali. Vnde adhuc conclusit sententiā, dicēs:

Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quāto magis pater uester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se.

Vbi euidenter nomen nostrum manifestatur cum dicitur: ⌊Cum sitis mali.⌋ Boni enim à deo conditi, vitio mali sumus effecti. Si autem nostra bonitas eius boni comparetur, nec bonitas esse nominatur. Facti ergo mali per malam intentionem, patrem habemus in cælis per conditionem. Ac si diceret dominus. ⌊Si vos cum sitis mali, bona dona filijs vestris tribuitis⌋ i. panē, piscem, ouum, & q̄ humana consuetudo inter bona præsentis vitæ enumerare consueuit: ⌊multo magis pater de cęlo dabit spiritum bonum petentibus se,⌋ vt scilicet eius spiritu illuminati, non solum fidem, spem, & chatitatem petere discāt, sed etiam accipere mereantur. Cum ergo dicit, ⌊dabit spiritum bonum petentibus se,⌋ omnes virtutes animæ comprehendit: quoniam omnia bona quæ hominibus à deo dantur, per spiritum sanctum administrantur, teste apostolo qui ait: Charitas dei diffusa est (Roma. 5) in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et item: Alij genera lin- (1. Co. 12.) guarum, alij interpretatio sermonum, alij discretio spirituum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idē spūs, diuidēs singulis ꝓut vult.

FERIA TERTIA litaniarum, post vocem iucunditatis. Matthæi VII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Petite, & dabitur uobis: quęrite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Et reliqua.



OTErat aliquis ex auditoribus domino dicere: Quomodo nos præcipis sanctum non dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos, cum nos necdum eundem sanctum & easdem margaritas habemus, quas mittamus ante porcos? Et quasi ad hæc dominus respondens infert: Petite, & dabitur vobis. Tria enim dixit: petite, quærite,

pulsate. Petite à deo sanitatem & firmitatem animi, vt possitis ea implere quæ præcipiuntur vobis. Quærite viam veritatis, & inuenietis. Pulsate ianuam regni cælestis, de qua scriptum est: Hæc porta domini, iusti intrabunt per eam. Hoc enim ordine prosequitur omnipotens deus petitiones nostras, si primum petimus possibilitatem impleri diuina præcepta: deinde, si viam veritatis adinuenimus studiose requiramus: ad vltimum si regni cælestis aulam intrare volumus, precibus & bonis operibus pulsemus. Ponamus inde aliquid exemplum: Vides aliquem hominem infirmatum, pedibus ambulare non valentem, primum medicina sanitatis ei impenditur, vt possit ambulare, ad hoc dixit: Petite & accipietis. Quid prodest ei ambulare si nescierit viam rectam per quam incedere debet, nisi ei recta via ostendatur? Ad hoc pertinet quod dixit: Quærite & inuenietis. Quid prodest iter ei, si postquam ad certum locum peruenerit, locum quem intrare desiderat, clausum inueniat? Ad hoc pertinet quod dixit: Pulsate, & aperietur vobis. Vel etiam aliter potest intelligi: Petite credendo, quærite bene operando, pulsate perseuerando.

Psal. 117

Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem dabit illi?

In his tribus comparationibus dominus tres principales virtutes vult designare. Per panem etenim charitas designatur, quoniam sicut mensa referta varijs cibis, sine pane inops est, ita etiam cæteræ virtutes imperfectæ redduntur sine charitate. At contra per lapidem duritia cordis exprimitur, quæ maxime est contraria charitati, si ergo petierimus deum patrem vt det nobis charitatem, nunquid lapidem dabit nobis, hoc est, duritiam cordis?

Aut si petierimus piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit nobis?

In pisce fides intelligitur, quoniam sicut piscis inter fluctus tunditur vt semper crescat, ita etiam fides inter aduersa istius seculi probatur & proficit. Nunquid dabit nobis serpentem, hoc est, infidelitatem? Infidelitas enim per serpentem designatur, eo quod venenum malitiæ suæ primis parentibus infuderit. Tertia comparatio additur à Luca, dicit enim:

Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem?

In ouo spes designatur, quoniam in ouo nondum fœtus videtur, sed futurus speratur: ita etiam spes quæ videtur, non est spes: sed spes est expectatio futurorum bonorum operum. ⌊Nunquid scorpionem dabit illi?⌋ hoc est, desperationem. Scorpio enim desperationem significat, quia scorpio in cauda percutit, & desperatio maxime in fine perdit.

Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?

Mirum est cur dominus apostolos appellauerit malos, nisi forte dicamus quod in persona apostolorum omne genus humanum vituperet, quia ab adolescentia sua (sicut in Genesi legimus) pronum est cor illius ad malum. Vel certe possumus dicere, quia eosdem apostolos specialiter appellauerit malos. Licet enim bonitate toti⁹ humani generis priuilegio suo transcenderint, tamen ad comparationem dei, mali sunt, quia ad illius comparationem nemo bonus est. Vnde ipse dicit: Nemo bonus nisi solus deus. ⌊Nostis bona, &cæt.⌋ Quid appellat hic bona? Quæ superius commemorauit, panem, piscem, & cætera corporis necessaria. Bona sunt, quia à deo creata sunt, per hoc quod domini est terra & plenitudo eius. ⌊Quanto magis pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se?⌋ Et est sensus: Si in necessarijs filijs vestris largi existitis, quanto magis omnipotens deus erga vos largus existet, in ministrando vobis victum & vestimentum?

Gene. 8

Quæcunque uultis ut faciant uobis homines, & uos eadem facite illis.

Ista est lex naturalis, quæ in duobus consistit præceptis, & in his duabus sententijs tota lex pendet & prophetæ. Et hoc est vnum quod tibi dicitur: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines: & aliud est quod alibi dicitur: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Quia quicquid lex & prophetæ latius describunt, in his duobus præceptis breuiter est comprehensum. Qui enim has duas obseruauerit, omnem legem & prophetas se gaudebit adimplesse.

Thob. 4

Intrate per angustam portam, quæ ducit ad uitam æternam: quia lata porta & spatiosa uia est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui ingrediuntur per eam.

Duas vias proponit dominus: vna est lata & spatiosa, quæ ducit ad infernum: altera est angusta, quæ ducit ad cælum. Lata via est voluptatum huius seculi, de quo dominus bene dicit, quia lata & spatiosa via est, & multi sunt qui per eam ingrediuntur. Non enim est necesse vt requiratur, qui sponte errantibus offertur. Angusta via est, quæ ducit ad vitam, & à paucis inuenitur, & à multis inuenta non tenetur. Multi sunt isti⁹ viæ iter aggressi, ca-

pti istius seculi delectationibus, sed de medio itinere reuertuntur. Augusta via est, desiderium peragēdi ad cælum. Nunquid enim non est angusta via, quæ ieiunando & eleemosynas faciendo, promeretur æterni regni consortium?

FERIA QVARTA litaniarum, in vigilijs Ascensionis domini. Iohannis XVII.

In illo tempore: Subleuatis oculis Iesus in cęlum, dixit: Pater uenit hora, clarifica filium tuum. Et reliqua.

Potuit silenter hæc eadē verba orationis patri filius dicere, sed oratio filij, doctrina ē apostolorum, ueciion & eorum qui illorum exempla sequi noliut, vel eorum scripta legere. dixit: Pater, uenit hora.

Hora itaque passionis appropinquat, clarifica filium tuum. Id est, resurrectionis gloria: præcedat humilitas passionis, vt subsequatur cito clarificatio resurrectionis. Sequitur: ut filius tuus clarificet te. Clarificatio patris æterna est, quæ nec augeri nec minui potest. Sed hęc clarificatio ad notitiam dei patris pertinet, vt resurrectionis gloria in filio peracta innotesceret deus pater toto orbi, qui ante in Iudæis tantummodo notus erat. [Clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.] Quasi dixisset, resuscita me, vt innotescas toti orbi p me. Seqt. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.

Id est, omnis hominis à parte totum, caro pro homine. Hæc ait, vt ostenderet magis ac magis quomodo clarificaturus esset patrem. Sicut ergo dedisti potestatem (inquit) omnis carnis, ita clarificet te filius, id est, notum te faciat omni carni, quam dedisti ei. Sic enim dedisti:

Vt omne quod dedisti ei, det eis uitam æternam. Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerū deum, & quem misisti Iesum Christum.

Ordo verborum est, vt te & quem misisti Iesum Christum, cognoscant verum deum solum. Plenitudo cognitio dei patris & filij & spiritusancti, plena est & perfecta & æterna vita. Perfecta vita æterna, summa beatitudo est. Summa beatitudo non est, nisi in vita æterna.

Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam.

Quid est, quod præterito tempore posuit clarificaui & consummaui, statimq; subiunxit futuri temporis verbum, faciam, nisi quod omnia deo sunt præsentia, & in diuina prædestinatione futura quasi transacta esse credenda sunt. Quod enī futurum fuit vt fieret, hoc ei quasi transactum fuit. [Ego te clarificaui.] Quasi dixisset: Ego te clarificabo prædicationis gloria, quàm in discipulis meis toto mundo effudam, dum opus consummabo passionis meæ & resurrectionis, quod dedisti mihi vt faciam.

Et nunc me clarifica tu pater.

Dicēdo enim, te clarificaui super terram, se autem à patre apud eundem patrem postulat clarificādum modo, profecto vtriusq; clarificationis ostendit gloriam. Ipse quippe patrem clarificauit super terram, eum gentibus prædicādo: pr vero ipsum apud semetipsum ad suam dexteram collocando. Subiunxit:

Claritate quam habui, priusquā mundus esset apud te.

Ordo verborum est, quam habui apud te priusquam mundus esset. In hoc valet quod ait: [Et nunc clarifica me,] hoc est, sicut tūc ita & nunc: sic tunc prędestinatione, ita nunc perfectione. Fac in mundo quod ante te fuerat ante mundum. Fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti. Conuenit nos intelligere in hoc loco prędestinationem claritatis hūanæ, quæ in illo est, naturæ, ex mortali immortalem apud patrem futuræ, in hoc prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret, sicut de nobis dixit Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Nec formidare debemus prædestinatum dicere filium dei secundum humanitatem, qui in tempore suo venit in mūdum, ante tamen omīa tempora prædestinatus ē. Illud aūt prædestinatum fuit, quod nondum erat vt fieret, sicut deus voluit vt esset, de q̄ prædestinatione Apostolus ait in epistola ad Romanos: Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius dei in virtute. Secundum hanc prædestinationem etiam clarificatus est antequā mundus esset, vt esset claritas ei[9] ex resurrectiōe mortuorum apud patrem, ad cuius dexteram sedet. Roma.1.

Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.

Quod ergo facturus erat p doctores sanctos in toto orbe post gloriā resurrectionis & ascensionis suæ, & post spiritusancti de-

na,q̃ in discipulis delata sunt, hoc quasi factũ esset dixit: Tale est hoc, quale & illud, quod paulo ãte dixit. ⌊Ego te clarificaui super terram.⌋ pro tempore futuro & illic & hic præteritũ ponens tempus, sicut qui sciret prædestinatum esse vt id fieret, & ideo fecisse se dicit, q̃d erat sine vlla dubitatiõe factur⁹, Seq̃t.

Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonẽ tuũ seruauerunt. Nũc cognouerunt, quia omnia quę dedisti mihi, abs te sunt. Quia uerba quę dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperũt, & cognouerũt uere quia a te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.

Quamq̃ & hæc omnia de om̃ibus futuris fidelibus dici potuerint, ipsa perfecta cum adhuc essent futura, tamen & hęc specialiter de discipulis dici possunt, ad quos tunc præsentialiter loquebatur. Quia illud quod sequit.

Cum essem cum eis, ego seruabã eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.

Iudam significans, qui tradidit eũ, qui vn⁹ fuit de duodecim, magis huic sensui cõuenit, vt apostolis specialiter hæc loqueretur. Deinde subiungit:

Nunc autem ad te uenio.

Cum manifestum est, eum de corporali sua dixisse præsentia. ⌊Cum essem cum eis, ego seruabam eos,⌋ velut iam cum eis præsentia non esset. Eo modo enim significare voluit ascensionẽ mox futuram, de qua dicit: Nũc autem ad te venio. Iturus vtiq; ad dexterã patris, inde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos præsentia corporali, secundũ fidei regulam, sanamq; doctrinam. Nam pręsentia spiritali cum eis erat semper, & cum tota ecclesia sua in hoc mundo vsq; ad consummationẽ seculi. Quod vero ait, ad superiora redeamus, ⌊Manifestaui nomen tuũ hominibus, quos dedisti mihi,⌋ non illud nomẽ quod deus es, sed illud nomen quod pater meus es, quod manifestari non potest sine illius filij manifestatione. Nam vere illud nomen quod deus est, nulli naturæ rationali incognitum omnimodis esse putauit. Hæc est enim vita eius diuinitatis, vt creaturæ rationali non omnino incognitus possit abscondi ex ceptis paucis, in quibus natura rationalis nimium deprauata est. Propemodum om̃es gẽtes deũ esse fatentur, licet diuersis erroribus agnoscere impediantur. Quod vero in
Psal. 75 Psalmis legitur, Notus in Iudæa deus, indicatur, quia legitimo cultu tantũmodo Iudæi deum verum cognouerũt & coluerunt. In hoc vero quod pater Christi, per quem tollit peccata mundi, ignotus fuit antequam veniret Christus, in mundo, nisi tantum quibus deus per spiritum sanctum prophetiæ reuelauit hoc mysterium magnum & absconditũ, hoc post aduentum eius in mundo prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum in gloria. Quod vero addidit: ⌈quos dedisti mihi,⌋ hoc est quod paulo ante dixit, Nemo potest venire ad me, ni- Iohã. 6.
si pater qui me misit, traxerit eum. ⌊Quos dedisti mihi de mundo,⌋ hoc est, quibus gratia per regenerationem hoc præstitit, non quibus natura per natiuitatem cõtulit. Quid est quod sequitur, ⌊Tui erãt, & mihi eos dedisti,⌋ in humanitate hanc potestatem se accepisse à patre dicit, vt eos haberet, quos pater elegit & prædestinauit ante constitutionem mundi, non solum pater sed filius & spiritus sanctus, vt sit vnum opus sanctæ trinitatis inseparabilis & omnimodo æqualis. Sequitur: ⌊Et sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.⌋ Id est, didicerunt quod nihil alienum est in me extra te, & quod quæcunque doceo, tua sunt. Simul enim pater dedit omnia, cum genuit, quia habet & omnia, Iohan. 5.
sicut in prioribus huius euangelij ipse dominus dicit: Sicut enim pater habet vitam æternam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, id ẽ, genuit filiũ vitã habẽtem in semetipso. ⌋ Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, ⌋ id est, intellexerunt atq; tenuerunt. Dedit eis verba (sicut dixit) quæ dedit ei pater, sed quando illa non foris in auribus, sed spiritaliter acceperunt, tunc vere acceperunt, quia tunc vere cognouerunt, Vere autem cognouerũt, quia vere crediderunt. Sed hæc verba, quę dicit filius dedisse sibi patrem, sic ad diuinitatis vnitatem intelliguntur pertinere. Eo modo dedit verba pater filio, quo genuit verbum coæternum sibi. Sequitur:

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.

Hæc enim dixit inter alia, dum oraret, pro eis quos dedit ei pater. Mundum vult modo intelligi, qui viuunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sortiti gratiã, vt ab illo eligantur ex mũdo. Non itaq; pro mundo, sed pro eis quos pater dedit, rogare se dicit. Per hoc enim, quod eos illi pater iam dedit, factum est, vt non pertineant ad eum mundum pro quo non rogat. Deinde subiungit.

Quia tui sunt. Neq; enim quia pater filio

dedit, amisit ipse quos dedit, cum adhuc filius sequatur, ac dicat:

Et mea omnia tua sunt, & tua mea.

Vbi satis apparet, quomodo vnigeniti filij sunt omnia quæ patris. Patet hoc vtiq; q etiam ipse deus est, & de patre patri est natus æqualis. Hoc enim dictum est & rationali creaturæ, quam elegit deus, & quæ subdita est patri & filio, vt æqualiter sint pris & filij.

Et clarificatus sum (inquit) in eis.

Nunc suam clarificationem, tanquam facta sit, dicit, cum adhuc esset futura.]Clarificatus sum in eis.] i. per eorum prædicationẽ clarificatus sum in toto mundo. Et quia prædestinatum ẽ vt fieret, certum voluit esse q futurum erat, ideoq; præteriti temporis verbis vsus est.

Et iam non sum (inquit) in mundo, & hi in mundo sunt.

Significat horam qua transiturus erat ex hoc mundo, & verbo pręsentis tẽporis vsus ẽ pro futuro, qa q cito erat futurũ, q̃si factũ esset, dixit. Q' aũt ait, & hi in mũdo sunt, significat eos, ad quos loquebatur, tardius trãsire ex hoc mundo. Necesse ẽ enim vt illi remanerent, per quos prædicaret nomen eius sanctum in mundo. Præuidensq; quod eos mouere possit, qui audirent hæc quæ eligerent, adiecit;

Nunc autem ad te uado ascẽsionis gloria, per quam eleuatus est homo super altitudinem cælorum, & om̃ium angelicarum potestatum dignitates, ita vt in dextera dei patris collocaretur.

IN DIE SANCTO Ascensionis domini. Actuum I.

Primum quidem sermonem feci de om̃ibus o Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere. Et reliqua.



Lucas euangelista, frẽs charissimi, qui vnum ex quatuor euãgelijs scripsit, ipse etiam librũ Actuum apostolorum, vndé nunc pręsens lectio sonat, ædidit: vbi & primitus de vltimo conuiuio, q̃d dominus post resurrectionem suam cum discipulis suis habuit, simul & de ascẽsione eius ad cælum, quam hodie celebramus, mentionem fecit. Exordium eñ ipsius libri ita est,

Primum quidem sermonem feci, idẽ euangelium, de omnibus o Theophile episcope, qui hunc me librum Actuum apostolorum scribere cogis.

Quæ cœpit Iesus.

Primo signa monstrando, vel ea quæ ad exempla vitæ pertinebãt, facere & postea docere, quia Iesus bonum doctorem instituens, nulla nisi quæ docuit fecit.

Vsq; in diem qua præcipiens apostolis per spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.

Dans præcepta ante assumptionem obseruare & adimplere, q̃ vel in hoc libro vel euangelijs leguntur.

Quibus & præbuit seipsum uiuum in multis argumẽtis, post passionem suam per dies quadraginta apparẽs eis, & loquens de regno dei.

Per hanc quadraginta dierum cum discipulis conuersationem, significat om̃ia se tam aperta quàm occulta, quæ promiserat, implẽturum, vt de multis vel vnum dicam', quod ait: Ecce ego vobiscum sum om̃ibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Matt. ult

Et conuescens præcepit eis, ab Hierosolymis, ne discederent, sed expectarent promissionem patris.

Quod cibos cum discipulis sumpsit, hoc ideo fecit: vt eandem quam mortuus suscitauerat carnem, palpando atq; tractando, veram monstraret. Sequitur: Luc. 24

Quam audistis (inquit) per os meum quia Iohannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto, non post multos hos dies.

Fuerunt autem iam apostoli aqua baptizati, sed nondum spiritusancto pleniter, qui eis promittitur post ascensionem illam futurus. Neque autem ipsi apostoli, neque successores eorum hucusque in ecclesia aliter quam Iohannes Baptista, id est, in aqua baptizare volebant: sed tamen inuocato nomine Christi, id est, interior virtus spiritussancti, quæ homine in aqua mergente simul animas & corpora purificet, quod in Iohannis baptismate non fiebat.

Igitur, qui conuenerant interrogabant eum, dicẽtes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?

Consequenter de regno dei percontantur, vtrum videlicet mox adueniente spiritu sancto in præsenti esset restituendum, an in futuro sanctis reseruandum credere deberent.

Dixit autem eis: Non est uestrū nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua ipsius potestate.

Ostendit quia non expedit nosse nobis mortalibus diem vocationis nostræ, vt semper incerti de aduētu iudicis, ita solicite quotidie viuamus, quasi die alia ad iudicium properare debeamus.

Sed accipietis, inquit, uirtutem superuenientis spiritussancti in uos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

Ac si diceret: Nō enim putare debetis veniente spiritusancto in vos, statim huius mūdi fieri consummationem, sed vobis tantum virtutem de me testificandi præbere.

Et cum hęc dixisset, uidentibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Vbiq; creatura creatori suo præstat obsequium. Astra indicant nascentem, patiētem obnubunt, recipiunt nubes ascendentem, redeuntem ad iudicium comitabuntur.

Cumq; intuerentur in cælum euntē illum, ecce duo uiri adstiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est a uobis in cælum, sic ueniet quemadmodum uidistis eū euntem in cælum.

Id est, in ea forma carnis absq; substantia venit iudicandus, in qua veniet iudicaturus. Non ergo dignis moribus ascensum in cælū nobis præparem°, & peregrinari nos in hoc mundo valde cognoscamus. In quo etiam si quędam commoda blandiuntur, non amplectenda sunt nequiter, sed despiciēda sunt fortiter: Ideo dilectissimi fratres, si ascēdere vultis in cælum, hoc in spe nostra interim roboremus, in hoc votis omnibus ęstuemus, hoc meditemur in terris, quod cōputemur in cælis. Tunc exuturi carnis mortalitatem, nunc exuamus animi vetustatem. Facile enim corpus leuabitur in alta cęlorum, si non premat ipsū sarcina peccatorum. Quapropter dilectissimi erigamur ad eum, qui puluerem nostræ abiectiōis, corpus fecit suæ gloriæ, & vt ascensionis eius mereamur esse cōsortes, humilitati & patientiæ ipsius per omnia cōgruamus. Magni nominis militiam, magnæ professionis suscepimus disciplinam. Sectatores Christi discedere à regia nō licet via, nec dignū est tēporalibus occupari ad æterna tendentes. Et quia precioso sanguine Chri redēpti sumus, glorificemus & portemus deū in corpore nostro, vt ad ea quæ fidelibus sunt præmia præparata, peruenire mereamur.

IN DIE SANCTO Ascensionis domini. Marci XVI.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus & exprobauit incredulitatem illorum. Et reliqua.



Scensurus in cælum dominus, & per corporalē præsentiam à discipulis recessurus, duritiā cordis & incredulitatem illorū exprobrare voluit, vt maculas dubitationis sermo mundaret correptionis. Inmerito nouissime, non quod adhuc in incredulitate persisterēt, sed quod primū non crediderunt citius. Legimus enim in euangelio secundum Lucam, quia cum deuotæ mulieres valde diluculo ad sepulchrū domini venientes, visionem angelorum vidissent, q dicerent eum viuere, currentes nunciauerunt discipulis. At illi non crediderunt eis, sed visa sunt earum verba quasi deliramenta corā illis. Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, alijs discipulis dicentibus. Vidimus dominum, non credidit, dicēs: Nisi videro in manibus eius fixuras clauorum, Iohā. 20.
& mittam manum meā in latus eius, non credam. Et ideo nouissime increpantur, q̄re primum ad credendū tardi vel duri fuerint. Ne enim de eius resurrectione dubitare debuerant, quem cum mortalis esset, mortuos suscitātem viderant, maxime cum passionis & mortis genus ita venisse cernerent, vt ab illo prædictum recolebant. Siue certe ab eis recessurus, incredulitatem & duritiā cordis discipulorum exprobrare voluit, vt nouissima eius verba tāto arctius eorum pectoribus inhærerent, quāto durius per increpationē fuissent prolata. Sicut enim mala mens aliquādo per increpatiōem deterior fit, sic bona ex correptione semper proficit, dicēte Salomone: Corripe sapientem, & amabit te: doce iu Prou. 9.
stum & festinabit accipere. Et quia solemus charissimis morientibus, siue in longinquam regionem proficiscētibus, eorum nouissima verba quodam vinculo amoris in memoriam religare, vel quod obscuriori inuentione repertum fuerit, recessurus dominus ab eis, duritiam cordis & incredulitatem

illorum exprobauit, vt nullum veſtigium dubitationis in eorum cordibus remaneret, qui ad alienam ignorantiam inſtruendã mittendi erant. Vltimam hanc apparitionem Marcus euangeliſta commemorat, quia poſt hæc non legitur corporaliter viſus in terris loquens, ſed in aera cælum aſcẽdens. Decies enim poſt ſuam reſurrectioem hominib⁹ apparuiſſe, ab euangeliſtis deſcribitur. Primo Mariæ Magdalene, flenti ad monumentum. Secundo, eidem Mariæ cum altera eiuſdẽ nominis fœmina, pergentibus nunciare diſcipulis eius reſurrectionem, qñ occurrit eis, dicẽs: Auete. Illę aũt acceſſerũt & tenuerũt pedes eius. Tertio Simoni Petro. Quarto, duobus diſcipulis pergẽtibus in caſtellũ Emaus, quando cognouerunt eum in fractione panis. Quinto, diſcipulis propter metum Iudæorum in conclaui reſidentibus, quando non erat cum eis Thomas. Sexto, poſt dies octo, qñ erat cũ eis Thomas. Septimo piſcantibus diſcipulis ad mare Tiberiadis. Octauo, i Galilæa, qñ (ſicut ait Matthæ⁹ euangeliſta) vnde cim diſcipuli abierũt in Galilæam, in montẽ vbi conſtituit illis Ieſus, & videntes adorauerunt eum. Nono, vt præſens lectio narrat, quando apparuit illis recumbentibus, & exprobrauit incredulitatem illorum. Decimo, non iam in terris, ſed in aera loquens, quando (ſicut ait Lucas euangeliſta) eduxit eos extra ciuitatem in Bethaniam: & cum benediceret eis, eleuatis manibus, ferebatur in cælum.
* Et pulchre illis recumbentibus dominus apparere voluit, quia inter recumbentes pax & concordia ſolet ſeruari. Cum ergo illis recũbentibus apparuit, oſtendit illos ſua viſione eſſe dignos, qui pacem inconcuſſam etiam inter aduerſa ſeruant, qui poſſunt cum Pſalmi-
Pſal. 119. ſta dicere: Cum his qui oderãt pacem, eram pacificus. Vndecim diſcipulis apparuit, quia Iudas tradendo magiſtrum, ab eorum conſortio ſequeſtratus fuerat, & Matthias necdũ in ſorte electionis vocatus extiterat. Poſt increpatam aũt duritiam cordis, & incredulitatem, mox officium prædicandi adiungit:

Et dixit eis Ieſus: Euntes in mũdum uniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ.

Poteſt mouere minus intelligentes, quõ euangeliũ prædicandũ omni creaturæ dicaẽ. Nunquid inſenſatis & brutis animalibus erat prædicandum? Non. Sed omnis creaturę nomine, homo ſignatur. Si enim qualitas humanæ creaturæ cum cæteris creaturis ſubtilius conferatur, communionem & participationem quandam cum omnibus habere inuenitur. Sunt enim lapides, qui nec viuunt, nec ſentiunt. Sunt herbæ & arbuſta, quæ quamuis viuant per viriditatem, tamen non ſentiunt, nec diſcernunt. Sunt bruta animalia quę viuunt, ſentiũt, ſed non diſcernunt. Sunt angeli qui viuunt, ſentiũt & diſcernunt. Habet ergo homo cum his creaturis portionem q̃dam, qui habet eſſe cum lapidibus, viuere cũ arboribus, ſentire cum animalibus brutis, diſcernere cum angelis. Omni ergo creaturæ prædicari præcipitur euangelium, cum ſoli homini prædicatur, quia ille docetur, propter quem omnia facta ſunt, & cui omñia per quandam ſimilitudinem communia ſunt. Siue certe omnis creaturæ nomine, omnis natio gentium deſignatur. In quibus verbis, quantum nobis paſſio domini profuerit, qui ex gẽtibus credidimus, manifeſtatur. Qui enim prius dixerat. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis, ſed potius ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael, nunc poſt reſurrectionẽ aſcenſurus in cælum, præcepit, dicens: Eũtes in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ: quod eſt dicere, omni nationi hominum. Quod Matthæus euangeliſta manifeſtius declarat, dicens: Euntes in mundum vniuerſum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Quapropter erubeſcat Iudęus infelix, qui dicit Chriſtum tantum ad ſalutem ſuam eſſe venturum, & non ad aliorum, cum ipſe dicat: Ite, baptizate omnes gentes. Erubeſcant & Donatiſtæ, qui eum localiter includere volentes, dixerunt eum in Aphrica tantum eſſe, & non in alijs mundi partibus, cum idem ipſe dicat: Euntes in mundũ vniuerſum. Sed ne fruſtra gentes ad credulitatem dei ſe vocari putarent, præmium credentibus promittitur, cum ſubinfertur:

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.

Et quia quos lenis promiſſio ad credendum non ſuadet, durius terrendi ſunt, recte ſubiungitur:

Qui uero nõ crediderit, cõdẽnabiẽ.

In quo loco ordo baptizandi prædicatoribus demonſtratur, cum dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit. Prius enim credulitas ponitur, & poſtmodum baptiſmum ſequitur: quia nullus ignarus tantum myſterium ſuſcipere debet, niſi prius à doctore inſtruatur & imbuatur. Poſtquam vero crediderit, baptizetur. Vbi curioſus lector opponere poteſt: Quid ergo fiet de paruulis, qui Cõfirmatio, Baptiſmatis
neſciunt loqui? Ad quod vera reſpondere poteſt, quia ſola fides parentum paruulis proficit in baptiſmo, ita tamen, vt cum ad legitimam ætatem peruenerint, inſtruantur & doceantur. Et pulchre eorum fides qui ſaluandi ſunt, in fundamento ponitur, quia (vt ait ſcri Haba. 2.
ptura) iuſtus ex fide viuit, & ſine fide impoſſi Hebr. 12.

bile est placere deo. Sicut autem fides origo
est omnium virtutum, sic incredulitas mater
perditionis. Vnde & subditur: Qui vero
non crediderit, condemnabitur. Quia sic-
ut dominus alibi ait, qui non credit: iam iudi
Iohā. 3. catus est. Et item: Nisi quis renatus fuerit ex
aqua & spiritusancto, non potest intrare in
regnum dei. Sed forte dicit aliquis: Ego iam
credidi & saluus ero. Verum dicit, si hoc quod
profitetur verbis, implet operibus. Vera enim
fides est, quæ hoc perficit opere, quod confi-
tetur ore, secundum quod dominus ait ad di
Ioh. 13. scipulos: Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea.
Rom. 10. Hinc & Apostolus: Corde enim creditur ad
iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.
Confessores enim dominus suos operatores
vult esse. Cæterū frustra sibi de sola fide blan
ditur, qui bona opari negligit, quia sicut ait
apostolus Iacobus: Fides sine operibus mor
tua est. Sūt autem plurimi huiusmodi, quod
Titum. 2 peius est, sicut ait Apostolus, qui confitentur
verbis se nosse deum, factis autem negant, q̄
les dominus in euangelio reprobat, dicens:
Luce. 6. Quid autem vocatis me domine domine, &
non facitis quæ dico? Et per prophetam: Po-
Isaie. 29 pulus me hic labijs honorat, cor autem eorū
longe est à me. Missi autem apostoli ad præ-
dicandum euāgelium omni creaturæ, ne cau
sarentur tantum opus se perficere non posse
visibilium miraculorum signa eis in adiuto-
rium promittuntur, cum dicitur:

Signa autem eos qui crediderunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponēt, & bene habebunt.

Quæ omnia per apostolos eorumq; suc-
cessores etiam ad literam esse completa, nul-
lus ignorat, qui eorum actus vel vitas legit.
Sed ex pluribus pauca commemorāda sunt,
in nomine enim Christi frequenter ab obses-
sis corporibus apostoli dæmonia eiecerunt,
sicut Paulum fecisse legimus, quando puella,
Actu. 16. quæ habebat spiritum pythonis, sequebatur
eum per multos dies. Dolens autem ille, &
conuersus spiritui dixit: In nomine Christi
præcipio tibi, vt egrediaris ab ea. Et statim sa
na facta est. Linguis locuti sunt nouis, nō so
lum apostoli die sancto Pentecostes, cum in
linguis igneis spiritum sanctum acceperunt,
sed etiam sicut in Actibus apostolorum legi-
mus, cum per impositionē manuum eorum
spiritum sanctum acciperent, linguis loque-
bantur & prophetabant. Serpentes tulerunt,
sicut Paulum apostolum legimus fecisse, qui
cum nauigasset ad quandam insulam, & col-
lecta sarmentorum multitudine imposuisset
super ignem, vipera à calore ignis egressa,
inuasit manum illius. Et cum putarent eū sub-
bito casurum, & cito moriturum, ipse excuti
ens manu bestiam, in ignem proiecit, & nihil
mali sustinuit. Et si mortiferum quid bibe-
rint, non eis nocebit. Legimus in ecclesia-
stica historia Eusebij Cæsariensis, Iohannem
discipulum domini, propter insuperabilē cō-
stantiam euangelizandi veneno potatum es
se, & nihil mali passum fuisse. In eisdem quo-
que patrum literis Barnabas legitur eundem
mortiferum potum bibisse, sed mortis pericu
lum non sensisse. Super ægros manus im-
ponēt, & bene habebunt. Nō solum per im
positionem manuum apostolorum infirmis
redditam legimus sanitatem, sed (vt in Acti-
bus apostolorū narrat̄) de corporib⁹ eorum
tollebant̄ sudaria & succinctoria, & super in
firmos ponebantur, per plateas quoq; in le-
ctulis & grabatis ponebant infirmos, vt ve-
niēte Petro, saltē vmbra illius obūbraret quē
quam illorum, & sanabantur à quacunq; in-
firmitate detinebant̄. Et hoc est quod domi-
nus alibi promittit dicens: Qui credit in me,
opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora Iohā. 14.
horum faciet. Forte etiam aliquis dicit hanc
eandem gratiam nunc in ecclesia non esse, qa
nidem miraculis corporalibus nō coruscat.
Cui respondendum est, eandem virtutē esse
nunc in ecclesia, quæ prioribus temporibus
fuit. Quod vero priscis temporib⁹ signis cor
poralibus refulsit, sciendum est, quia vt fides
cresceret in exordio nascentis ecclesiæ, mira
culis corporalibus nutrienda erat. In hoc e-
nim signa miraculorum manifestata sunt, vt
corda videntium ad inuisibilia credenda rape-
rentur. Sicut enim, verbi gratia, cum arbu-
sta plātamus, tam diu eis ad radicem aquam
fundimus, quousq; ea conualuisse videamus,
& cum radicem fixerint, irrigatio cessat: sic no
uella plantatio ecclesiæ, vt incrementum fi-
dei proficeret miraculis corporalibus irri-
ganda. Postquam autem in fide firmiter ra-
dicata est, exteriora miracula cessauerunt,
quia vt ait Apostolus: Linguæ in signum
sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Quoti-
die nanque ecclesia spiritales virtutes ope-
ratur, quas per apostolos prioribus tempo-
ribus operabatur. In nomine enī Christi dæ
monia eijciuntur, cum per ministerium sacer
dotale & gratiam exorcismi ab illorum men
tibus, qui in nomine sanctæ trinitatis bapti-
zantur, illorum potestas excluditur. Lin-
guis loquentur nouis, cum hi qui erant con-
sueti, mendacijs, periurijs, detractiōibus, ma
ledictionibus, ad deum laudandum & bene-
dicendum conuertuntur. Et cum exhortant̄
proximos, consolant̄ dolentes, corripiūt ne-

gligentes, commutantes labia sua, & abstinētes se à malo & à prauo eloquio, dicentes cū
Psal. 38. Psalmista: Dixi, custodiam vias meas, vt nō
Psal. 17. delinquam in lingua mea. Et iterum: Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. Cumq; in suis & alienis cordibus cogitationes venenosas & inmmundas dominari non sinunt serpentes nimirum pariter tollūt. Cum vero à proximis verba detractionis & peruersa consilia audiunt, sed vsque ad effectum operis eis non consentiūt, mortiferum quoddam bibunt, sed nō eis nocet. Quicunque enim aut in fide titubat, aut in bono opere trepidat, profecto æger ē animo. Quisquis ergo talibus ideo verbum prędicationis impendit, vel exemplum boni operis ostendit, vt eos in bono opere firmiores reddat, super ægros manus imponit, vt bena habeant. Hæc autem signa tanto maiora sunt, quanto spiritualia: & tanto meliora, quanto per hæc non corpora sanantur cito moritura, sed animæ in æternum victuræ.

Nam exteriora signa eo minorem mercedē in futuro expectant, quo maiorem gloriam in præsenti recipiunt: interiora autem tanto maiorem gloriam in futuro præstolantur, quanto minus in præsenti ab hominibus videntur. Et exteriora quidem etiam mali habere possunt, quales dicturi sunt: Domine
Matt. 7. domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus? Quibus respondetur: Amen amen dico vobis, nescio vos. Discedite à me operarij iniquitatis. Nō enim curat deus per quos faciat virtutes, vt saluet eos, quos in perpetuum vult habere. Spirituales vero qui habēt, mali esse non possunt.

Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. Igitur postquam dominus ad prædicandum euangelium apostolos omni creaturæ in mundum misit, postquā signa & virtutes eos, qui crediturі erant in nomine eius secuturas promisit, ascendit in cælum, ostendens illuc eos quandoque esse venturos, quo caput suum præcessisse cognoscerent, sicut ipse patrem postulat, cum dicit: Volo pater
Iohā. 12. vt vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Et
Luc. 17. item: Vbi fuerit corpus, illuc congregabunt & aquilæ. Concordat autem Lucas euangelista cum his verbis, qui cum narraret dominum dixisse discipulis: Et vos quidem eritis
Actuū. 1. mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ, continuo adiunxit, dicens. Et cum hoc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Vbi considerandum est, quia dominus ascensionis suæ testes & præcursores in veteri testamēto habere voluit, vnum ante legem, & alterum sub lege, Enoch scilicet & Eliam: quia sicut ipse Ioseph venditus, domini venditionem ac passionem præfigurauit, sic Enoch translatus, & Elias curru igneo raptus, illum præfigurauerunt, qui super omnes cælos erat ascensurus. Et illi quidem vt puri homines sarcina peccatorū grauati, auxilio indiguerunt angelorū, in regione quadam secretiori transferentur, non funditus mortem vitantes, sed ad tempus differentes. Vnde vnus translatus, alter vero raptus memoratur. Dominus autem Iesus Christus, quem nulla mortalitas corruptionis grauabat, non indiguit in ascensione auxilio angelorum, qui propria virtute penetrauit alta cœlorum, sicut ipse in euangelio ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cœlo. Iohā. 3.
Et per Prophetam: Nunc exurgam dicit dominus, nunc exultabor, nunc sublimabor. Psalm. 11.
Vbi notādum ē, quia per incrementa temporis munditia excreuit castitatis, iuxta illud q; per Danielem dicitur: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Translatus est Dani. 12.
Enoch, qui per coitum genit', & per coitum generans, vxorem & filios habuisse legitur. Raptus est Elias, per coitum genitus, non tamen per coitum generās, quoniam vxorem & filios habuisse non legitur. Non tamen in cælum æthereum, sed potius in aereum. Assumptus est autem dominus Iesus Christus, qui mortis superauit autorem, nec per coitū genitus, nec per coitum generans, non in cęlum aëreum, sed in cælum ęthereum. Qui genitus est ante omnia secula de patre sine matre, & natus est de matre sine patre, in fine seculorum. Non solum sancti patres dominicam ascensiōnem exemplis præfigurauerūt, sed etiam verbis prædixerunt Ait enim David: Exaltare super cælos deus, & super omnem terram gloria tua. Et item: Ascendit Psal. 56.
deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ. Et alibi: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Psal. 44 Ephesi 4
Hodie enim patefacta est omnibus ianua regni cælorum, quia homo à deo assumptus, ascēdit super om̄es virtutes angelorū, Psalmista testante, qui ait: Et ascendit super Cherubim & volauit, volauit sup pēnas ventorum. Psal 17.
Hodiernæ ascēsionis singularem volatum mirabatur sponsa in Canticis canticorum, cum diceret: Ecce iste venit saliens in Canti. 2.
montibus, transiliens colles, Hodie facta est noua lætitia in cælo angelorum, quia homo perditus per dominum reuocatus est ad regna cœlorum. Quod autem ait:

Et sedet a dextris dei, non deus pater dexteram habere credendus est sicut nos, qui

incorporeus est & immensus, sed totus de-
xter, quia totus est sanctus. Igitur in dextera
dei, æqualitatis potentia designatur. Ad de-
xteram ergo dei sedere describitur, quia ho
minem, quem ex nobis assumpsit, per ascen-
sionem diuinitati sociauit, de quo per Psalmi
Psal. 108 stam dicitur: Dixit dominus domino meo,
sede à dextris meis. Donec ponam inimicos
tuos, scabellum pedum tuorum. Sicut enim
in sinistra reprobi ponendi sunt, ita ad dexte
ram electi, ipso iudice teste, qui ait: Statuet q
dem oues à dextris, hœdos autem à sinistris.
A dextris igitur dei sedere dicitur, vt ibi se
ventura credant esse membra, quo caput suũ
audiunt præcessisse, sicut per Apostolum di-
Coloss. 3. citur: Si consurrexistis cum Christo, q̄ sur-
sum sunt quærite, vbi Christus est in dexte-
ra dei sedens. Quæritur autem, quare Marcus
dicat: Sedet à dextris dei, cum Stephanus
referat: Ecce video cęlos apertos, & Iesum
stantem à dextris dei. Quid est quod iste hũc
sedentem, ille vero stantem commemorat,
nisi quia sedere regnantis est, stare autem pu
gnantis vel adiuuantis? Marcus vero post
ascensionem hunc sedentem describit, quia
nunc cum patre iudicat omnia, ad extremum
iudex est omnium venturus. Stephanus au-
tem in certamine positus, stantem eum vi-
dit, quem adiutorem sumpsit, quia ille pro
Stephano pugnabat, qui ei vt vinceret retri-
buebat.

Illi autem profecti prædicauerunt ubique.

Prædicauerunt nanque vbique, vt imple-
retur prophetia, quæ dicit: In om̃em terram
exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ
Psal. 18. verba eorum. Et iterum: Non sunt loquelæ
neq; sermones, quorum non audiãtur voces eorum.
Nec putandum est, quod statim post domini
ascensionem vbiq; ad prædicandum sint mis
si, sed iuxta domini iussionem manserunt in
ciuitate, quousq; virtute induerentur ex alto.
Postquam spiritussancti dona perceperunt,
primum Iudæis verbum dei annunciauerũt,
vt illis non credentibus, iuste fieret ad gẽtes
Actu. 13. transmigratio, sicut ipsi dixerunt: Vobis qui
dem oportuerat primum loqui verbum dei.
Vñ olim cum prædiceret propheta gẽtes cõ
corpales & cohæredes fieri ecclesiæ dei, ait:
Parum est vt sis mihi seruus ad suscitãdas tri
Isaie. 49 bus Iacob, & feces Israel cõuertendas. Et itẽ:
Isa. 42 Dedi te in lucem gentium. Et rursum: Lon-
Isa. 54 gos fac funiculos tuos, & clauos tuos conso
lida. Ad dexteram eñ & læuam penetrabis,
& semen tuum gentes hæreditabit. Et ne pu-
tares apostolos ad prædicandum vbiq; euã-
geliũ idoneos sua virtute esse, euangelista rẽ
necessariam adiunxit, dicens:

Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Confirmauit dominus sermonem aposto-
lorum sequentibus signis, quando per eos ta
lia signa & virtutes ostẽdit, vt nullus doctri
nam eorum ex deo esse dubitaret, qui mira-
conspiciebat. Talia vero signa per eos fecit,
vt etiam quidam persecutores & cõtradicto
res compuncti crederent: vt dum vnus resu-
scitaretur corporaliter, multi resuscitarentur
spiritaliter: & dum vnus sanaretur in corpo-
re, multi sanarẽtur in anima. Sed ipsi aposto-
li sermonem suum confirmauerunt deo secũ
cooperante, quando quod alijs prædicauerunt
verbis, prius impleuerunt operibus. Confir-
mat autem doctor suum sermonem, quando
quod alios docet, ipse prius opere complet:
illum bonum doctorem imitans, de quo scri
ptum est: Cœpit Iesus facere & docere.

DOMINICA POST Ascensionem domini.

.I. Pet. IIII.

Charissimi: Estote prudentes, & uigilate in orationibus. Et reliqua.



Postolica nos verba fratres charissimi considerare oportet, quę in præsenti lectione beatum Petrum nos admonentem atq; docentem audiuimus.

Estote itaq; prudentes, & uigilate in orationibus. Complentes opere ea quæ sunt in euangelio scripta.

Ante omnia autem mutuam in uobis metipsis charitatẽ continuam habentes. Hæc enim maior esse omnibus virtutibus creditur.

Quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Suorũ videlicet & illius, quẽ per suam doctrinam ad meliorem couerterit vitam.

Hospitales inuicem sine murmuratione. Murmuratio enim noxia est operibus bonis. Et ideo hilarem datorem dicit apostolus diligere deum.

Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispẽsatores multiformis gratiæ dei. Dantes propter deum propria diligenter indigentibus.

Si quis loquitur quasi sermões dei.

Id est, vt non negligẽter qui prædicat præceptum dei, deo reputet, non sibimetipsi, sed quasi sermones dei loquat, vt non humano sensu ea quæ studeat intelligere secundum car-

ualem scilicet sapientiam, sed secũdum quod spiritussanctus dictauit, eo mõ spiritualiter ea intelligere studeat & opibus adimplere.

Si quis ministrat tanquam ex uirtute, quam administrat deus.

Vt oia dei dona diuinæ reputet gratię, ni hilq; iu s quis meritis audeat deputare: quia bonum quicquid est in homine, ex dei tãtum est operatione non ex humana sapientia vel virtute: humiliter tamen impendere debemus proxi mis bonum quod habemus, quia scimus non e x vobis esse quæ sunt bona, sed ex dei tantum perueuire gratia.

Vt in omnibus honorificetur deus, per Iesum Chrm dominũ nostrum.

Ex omnibus bonis quæ deus humanæ tribuit largitate, ipsi semper ab hominibus laus & gratiarum actio referatur, vt exinde vitã æternam in ea laudum gratiarumq; actiõe di gna permanentes obseruatione, mereantur. Ideo necesse est, vt sæpius cogitemus quales futuri simus in die iudicij, purissimis angelorum conspectibus offerendi, & æterno iudici rationem de libris conscientiæ reddituri. Remotis omnibus enim probationibus, certum est in die illa ipsum ante se hominẽ con stituendum, & ipsam sibi animam cordis spe culo demonstrandam, & testes contra eam non de foris aliũde, sed intus de semetipsa proferendos. Adiicienda erunt non aliqua peregrina, sed omnia testimonia nota, id est, opera sua. Vincamus ergo voluptates & intentiones nostras, dũ nobis tempus illud expectatissimum ac beatissimum, felici mutatiõe æternæ vitæ succedit, quando implebitur illud quod dominus dicit: Erũt homines similes angelis sanctis. In assiduis enim fletib9, in quotidiana simus nostra pœnitentia, habemus sacerdotem in cælis, qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Iohãnem dicitur: Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud pa trẽ Iesum Christum iustum, & ipse est pro pitiatio pro peccatis nostris. Ecce exultat ani mus cum aduocati nostri potentiã audimus, sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis aduocatus est, dicitur iustus. Nos enim causas iniustitiæ habemus, iustus vero aduocatus iniustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro iniu stitia consentit. Quid ergo agimus frẽs charissimi? Sed ecce occurrit animo qd agamus. Mala quæ fecimus, & defleamus & accusemus. Scriptum est: Iustus in principio accusator est sui. Quilibet etenim peccator conuersus in fletibus, iam iust9 esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim iã iustus non sit, qui contra suam iniustitiam iam per lachrymas sæuit? Iustus igitur aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia nos metipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Nõ ergo in fletibus, nõ in actibus nris, sed in aduocati nostri alleuatione confidamus, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

(1. Iohã. 2.)

DOMINICA POST Ascensionem domini. Iohannis XV.

In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis: Cum uenerit paracletus quẽ ego mittam uobis a patre spiritũ ueritatis. Et reliqua.



IN multis locis euãgelij legimus, quod ea q̃ minus apostoli de per fectione habebãt, per spiritusancti aduentum dominus se daturũ promiserit: manifestius tamen in exordio lectionis huius, non solum eundem spiritũ repromittit, sed etiam quod ipsius dono ad prędicandum euangeliũ idonei reddendi essent; declarat, cum dicit:

Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre spiritum ueritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Manifestum est autẽ, nec laboriosa expositione indiget, quare eundem spiritum paracletum nominet. παράκλητος enim græce, latine consolator siue aduocatus dicitur. Bene autẽ consolator, quia non solum apostolorũ corda mœrentia de domini absentia, vel ad sufferendas tribulationes & passiones consolatus est, sed etiam quotidie pro peccati perpetratione lugentibus, dum spem veniæ repromittit, magnam consolationem impendit. A quo se consolari precabatur Propheta, cum dicebat: Consolationes tuæ domine lætificauerunt animam meam. (Psal. 93.) Pro quo in Græco legitur. αἱ παρακλήσεις σου ηὔφραναν τὴν ψυχήν μου. Et item: Memor fui iudiciorum tuorum domine à seculo, & consolatus sum. Bene autem aduocatus dicitur, quia cum sit ęqualis patri & filio, pro delictis nostris patrẽ q̃tidie interpellare non cessat, qa vt ait Apostol9: Quid oremus, sicut oportet, nescimus, & cæt. (Rom. 8.) Bene autem ipsum spiritum à se mitti, & à patre procedere perhibet: non qu aliter procedat à patre, & aliter à filio, vel aliter mittatur à filio, & aliter à patre: sed quia ipsa missio processio est, & ipsa processio missio, Neque enim diuersitas

est procedentis vel mittentis, quibus vna est
essentia, parq; deitas. Non enim minor est il
le qui procedit, illo, à quo procedit: neq; mi-
nor est ille qui mittitur, illo, à quo mittitur:
quia quod est pater, hoc est filius, hoc est &
spiritussanctus. Quia enim amborum spiri-
tus est coæternus & consubstantialis, sicut p
cedit à patre, ita & à filio: & sicut mittitur à
filio, mittitur à patre. Quod vero patris sit
idem spiritus, dominus in euangelio manife-
stat, dicens discipulis suis. Nõ enim vos estis
qui loquimini, sed spiritus patris vestri, q lo-
Roma.8. quitur in vobis. Quod autem filij sit, Paulus
apostolus ostendit cum ait: Si quis spiritum
Christi non habet, hic nõ est eius. Venit eti
am à seipso idem spiritus, quia verus est de-
us, sicut dominus ait: Spirit' vbi vult spirat,
Et Paulus enumeratis eiusdem spiritussancti
1.Co.12. virtutibus, adiunxit: Hæc omnia operatur
vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis p-
ut vult. Spiritus itaque veritatis dicitur, qui
à patre veritatis procedit. Nam pater ipse est
veritas, filius similiter & spiritussanctus simi
liter. Et quod fili' de seipso ait: Ego sum via,
veritas, & vita, hoc de patre & spiritussancto
intelligẽdum est, quia qualis est pater, talis ẽ
filius, talis est & spiritussanctus. Quod autem
ait, Ille testimoniũ perhibebit de me, ma-
nifestum est, quia spiritussanct' filio testimo
nium perhibuit quod deus esset, quando die
sancto Pentecostes ab eo missus, sicut fuerat
promissus, scientiam omnium linguarũ apo-
stolis tribuit. Nec solum tunc, verumetiã an
tequam pateretur testimonium ei perhibuit,
quando in Iordane à Iohanne baptizatus in
specie columbæ super eum apparuit, & audi
Matt.3 ta est vox dicentis: Hic est filius meus dile-
ctus, in quo mihi complacui. Vnde & Iohan
nes ait: Et ego vidi, & testimonium perhibui
quia hic est filius dei. Siue certe, spiritussan-
ctus filio testimoniũ perhibuit, quando apo-
stolos ad testimonium perhibendum fortes
reddidit. Vnde & subditur:

Et uos testimonium perhibebitis, qa ab initio mecum estis.

Nõ dicit ab initio seculi, neq; ab initio na-
tiuitatis, sed ab initio suæ prædicationis. Nã
in initio suæ prædicationis dominus discipu-
los elegit, sicut idem Iohannes alibi ait: Hoc
Iohã.2. fecit initium signorum suorum Iesus in Ca-
na Galilææ, & crediderunt in eum discipuli
eius. Tanto enim verius ei' testimoniũ post
ipsius gloriosissimam ascensionem perhibe-
re potuerunt, quanto manifestius illius ope-
ra & virtutes ab initio suæ prædicationis cõ-
Actu.5. spexerunt. Vnde & dixerunt: Nos testes su-
mus horum omnium, quæ fecit in regione Iu
dæorum & Ierusalem, quem occiderunt su-
spendentes in ligno. Hunc deus suscitauit ter-
tia die, & dedit manifestum fieri, non omni
populo, sed testibus præordinatis à deo, no-
bis qui manducauimus & bibimus cum illo,
postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit
nobis prædicare populo, & testificari quia i-
pse est, qui constitutus est a deo iudex viuo-
rum & mortuorum. Huic omnes prophetæ
testimonium perhibent, remissionem pctõr
accipere per nomen eius oẽs qui credunt in
eum. Sed quia per eandem prædicationẽ per
secutio nascitura erat, recte subiungitur:

Hæc locutus sum uobis, ut nõ scandalizemini.

Si enim (vt ait Apostolus) omnes qui vo- 2.Tim.3
lunt in Christo pie viuere, persecutionem pa
tiuntur, tanto duriores persecutiones aposto
li pro veritate sustinuerunt, quanto priores
in domini prædicatione appparuerunt. Con
solatur autem pius magister mentes discipu
lorum, vt eo minus rabiem persequẽtium ti-
merẽt, quo hęc sibi a pio magistro prædicta
colerent. Vnde cum eis alibi persecutiones
venturas pro prædicatione prædiceret, se-
metipsum in exemplo tolerantiæ proposuit,
dicens: Si me persecuti sunt, & vos persequẽ Ioh.15.
tur: si sermonem meum seruauerunt, & ve- Mat.10.
strum seruabunt. Et item: Nolite timere eos
qui occidunt corpus, animam autem nõ pos-
sunt occidere. Sed potius eum timete, qui po
test & animam & corpus perdere in gehen-
nam. Et alibi: Si de mundo essetis, mundus Ioh.15.
quod suum erat diligeret. Quia vero non e-
stis de mundo, sed ego elegi vos de mundo,
ideo odit vos mundus. Scandalizari autem,
est aliquem in persecutione a fide deficere,
vel a prædicatione cessare. Vt autem fortio-
res eos redderet, non solũ persecutiones eis
prædixit, sed etiam eiusdem genus persecuti-
onis ostendit, cum adiunxit:

Absque synagogis facient uos.

συναγωγὴ enim græce, latine conuentus siue
congregatio dicitur. Neq; enim enim partia
tũc temporis vituperatio erat a synagoga eij-
ci, sed sicut nunc turpe est pro suis sceleribus
aliquem extra ecclesiam repelli, sic erat tunc
vituperabile extraneum quenquam a syna-
goga fieri. Quod autem a synagoga frequen
ter eiecti sunt, liber Actuum apostolorũ ple
niter declarat, in quo legitur: Quia statuen-
tes eos in concilio, denunciauerũt eis, ne cui
quam homini loquerentur, neque docerent
in nomine Iesu, quãdo illi ibant gaudentes a
conspectu cõcilij, quoniam digni habiti sunt
pro nomine Iesu contumeliam pati. Sed quia
plures Iudæorum zelo carnalis legis defen-
dendæ persecutiones apostolis commoue-
runt, recte subditur:

Sed uenit hora ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequiũ se præstare deo.

Hora in hoc loco tempus persecutionis intelligi potest, quo apostoli à pessimis erant ꝑsecutiones passuri. Magnum quippe obsequium se præstare deo arbitrabantur, cum prædicatores euangelij quasi destructores legis Rom. 12. persequebãtur. De quibus ait Apostolus: Cõfiteor, zelum dei habent, sed non secundũ scientiam. Frustra autem defendunt legem per seruum datam, qui amittunt gratiam per filium factam. Iohan. 1. Quia sicut scriptum est: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Vnde & subiufertur:

Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me.

In hoc se Iudæi patrẽ non cognoscere ostẽdunt, cum prædicatores filij tanto odio persequuntur, sic idem filius alibi discipulis dicit: Mat. 10. Qui vos recipit, me recipit. Et qui vos spernit, me spernit.

Sed hæc locutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.

Prædicit pius magister persecutiones discipulis venturas, vt tanto facilius eas venientes tolerarent, quanto ab illo prædictas recolerent. Minus enim iacula feriunt quæ præuideri possunt, repẽtini vero & subitanei casus, etiam fortissimos milites in bello conturbare solent. Et ideo non solum hic quod futurum erat prædicere voluit, sed etiam plurimis in locis, vt tanto leuius tribulationes & angustias sufferrent, quanto ꝑ præscientiæ clypeum muniti essent. Cum enim mitteret eos ad p̄dicandum, dicens: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, quid pro eadẽ prædicatione passuri essent, continuo manifestare curauit, subijciens: Cauete ab hominibus, tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabũt vos, & ante reges & præsides ducemini propter me, in testimonium il Luce. 6. lis & gentibus. Et item: Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint uos & exprobrauerint & eiecerint nomen vestrum tanquã malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.

IN VIGILIIS PENTECOSTES. Iohannis XIIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et reliqua.



Vid est quod dicit, quod diligẽtibus deum & seruantibus mandata eius, spiritus paracletus daretur, dum deus non diligitur, & mandata eius seruari nõ possunt, nisi per spiritumsanctum? Quid aliud, nisi vt qui per spiritumsanctum diligit deum, meretur diligendo vt plus habeat, & plus habendo plus diligat? Paracletus quippe consolator interpretatur. Et spiritussanctus recte paracletus vocatur, quia corda fideliũ ne inter huius seculi aduersa deficiant, cælestis vitæ desiderijs subleuat ac reficit.

Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis.

Ostendit in hoc & seipsum esse paracletũ. Habebant enim & prius paracletũ, ipsum videlicet dominum secum in carne commorantẽm, & cum miraculorum dulcedine & opere prædicationis, ne propter infidelium persecutionem scandalizari possent, erigi & confortari solebant. Rogabo dixit, per humanitatem, qui cuncta dat cum patre ꝑ diuinitatẽ.

Vt maneat uobiscum in æternum.

In æternum nanq; manet cum sanctis, quos & in hac vita semper inuisibiliter intus illustrat, & in futuro ad contemplandam ꝑpetuo speciem maiestatis introducit.

Spiritum ueritatis, quem mũdus nõ potest accipere, quia nõ uidet eum, nec scit eum.

Mundum autem appellat, homines mundi huius amori datos. Mundus ergo eum accipere non potest, id est, mũdiales homines, quia nõ habent inuisibiles charitatis oculos, quibus solummodo spiritussanctus videri potest, & sciri, & sciendo intelligi.

Vos aũt cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit.

Erit, vt maneat in æternum. Dominũ nanque saluatorem & infideles ante passiõem in carne viderunt, sed quia filius dei esset, qa paracletus à deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctũ neque oculis videre infideles, neque animo volebant cognoscere, quia non Indutus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, vt in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est enim quod ait: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Qui autem inuisibiliter in hac vita manet cum electis, visibiliter vtiq; eis gratiam suæ cogitationis exhibet.

Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos.

Videbatur infidelibus quia moriens in cruce domin⁹, discipulos relinqueret orphanos: sed non reliquit orphanos, quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, & post dies decem assumptionis suæ spiritussancti illis de cęlo charismata donauit, vt ipsum Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem sanctæ trinitatis naturam, veritatē & operationem esse cognoscit.

Adhuc modicum & mūdus me iam non uidet.

Modicum erat vsq; ad tempus expletę passionis, ex quo illum reprobi videre non valebant. Soli etenim iusti, qui morte illius erant cōtristati gaudium resurrectionis eius videre meruerunt.

Vos autem uidetis me, quia ego uiuo, & uos uiuetis.

Quid est quod ego viuo, & vos viuetis? Cur de præsenti se dixit viuere, illos autē de futuro esse victuros, nisi etiam vitam carnis, vtiq; resurgentis, qualis in ipso præcedebat, & illis est pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura fuerat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum, propter significandā celeritatem: illorum autē, quod in seculi differtur finem, non ait viuitis, sed viuetis. Duas enim resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in fine seculi secuturā, duobis verbis præsentis temporis & futuri, eleganter breuiterq; promisit.

In illo die uos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis.

In quo die, nisi de quo ait, ⸤Et vos viuetis? ⸥ Nouerant apostoli tunc esse Christum in patre, per vnitatem indiuiduæ diuinitatis: nouerant se esse in Christo, per susceptionem fidei & sacramentorum eius, qui nouerant vere viuere tunc esse Christum in patre, in se esse Christum per dilectionem & obseruātiam mandatorum eius: nouerat & hoc sancta dei ecclesia, sed lōge melius & plenius in illa die, de qua dixit: Et vos viuetis, in qua veraciter viuere incipiens, hoc est, in die resurrectionis, qn perfectius cuncta quæ scienda sunt scient, quando ipsum scientiæ fontem vicinius sine fine conspicient. Et quia omnibus huius promissionem beatitudinis promitteret, non solūmodo apostolis, mox subiungit:

Qui habet mādata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligā eū, & manifestabo meipsum.

Vbi omni intentione considerandum est, quia Christum vere diligere, est non solum ipsam dilectionem cōfiteri, sed mādata Christi, quæ discendo habemus, operando seruare. Qui habet (inquit) mea mandata & seruat ea, ille est qui diligit me. ⸥ Qui habet in memoria, & seruat in vita, qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: qui habet audiendo, & seruat faciendo: aut qui habet faciendo, & seruat ea perseuerando, ipse est (inquit) qui diligit me. Notandum quia cum præsentis tēporis verbo diceret, qui autem diligit me, adijcit de futuro, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Diligit nanq; etiam nunc dilectores suos cū pater filius, sed nunc diligit ad hoc, vt recte viuant ex fide, quæ per dilectionem operatur: tunc ad hoc diliget, vt perueniant ad visionē veritatis, quam per fidem gestauerant. Non autē frustra addidit, ⸤& manifestabo ei meipsum. ⸥ Si vero secundum humanitatem se cunctis in iudicio manifestabit, solis vero iustis & sanctis diuinitatis gloriam, in qua æqualis est patri & spirituisancto, ad æternam beatitudinem manifestaturus erit.

IN DIE SANCTO PENtecostes. Iohannis XIIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonē meum seruabit. Et reliqua.

Promissurus dominus spiritūsanctum discipulis, quales se exhibere debeant, qui eius habitaculum fieri desiderat, in exordio huius lectionis manifestat, cum dicit: ⸤Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. ⸥ In quibus verbis ostendit, quia probatio veræ dilectionis, exhibitio est boni operis. Si enim qui nō diligit dominum, mandata eius non custodit, sine causa eum se diligere confitetur verbis, qui eius præcepta nō seruat operibus, Iohanne apostolo teste qui ait: Si quis dixerit quoniam diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Et sicut de falsis fidei professoribus Apostolus ait, Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Tit. 1. Tales dominus in euangelio reprobat, cum dicit: Quid autē vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Luce. 6. Et propheta: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Isai. 29. Sicut enim iustus ex fide viuit, sic fides sine operibus mortua est, dño dicente: Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnū cælorum, &c. Vnde Iohannes in Apocalypsi cū dixisset: Apoc. 1. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ libri huius, cōtinuo subiunxit: Et seruat ea quæ in ea scripta sunt. Amor etenim dei ociosus esse non potest, quando vt

dominus ait: Ex abundantia cordis os loquitur. Aut eñ magna operatur, si verus amor est: aut si operari renuit, haud amor dicendus est. Sicut enim imperator in hoc intelligit, q̃d sui milites eum diligunt, cum prouinciæ leges eius obseruant: sic affectum nostræ dilectionis erga deum ostendimus, cum præcepta eius seruamus. Vnde huic lectioni paulo superius præmisit, dicens: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Et iterum: Si diligitis me, mandata mea seruate. In dilectione vero dei non tãtum lingua, sed & manus est intuenda, sicut alibi dominus discipulis ait: Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea. Custodienda ergo sunt præcepta dei, qa in custodiẽdis præparata est retributio multa nimis. De qua retributiõe protinus subinfert:

Et pater meus diliget eum.

Quid eñ dilectori suo filius amplius promittere potest, quàm vt à patre diligat? Qui ergo diligit filiũ, diligitur & à patre, quia idẽ filius vnum est cum patre, sicut ipse alibi dilectoribus suis dicit: Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à deo exiui. Notandum autem q̄ ait, & ad eum veniemus. Nisi deus trinitas esset, nequaquam pluraliter diceret.

Et ad eum ueniemus.

Vbicunq; enim venit pater, venit filius, venit spũssanctus. Et vbicunq; manet pater, manet filius, manet & spũssanct⁹. Quia sicut ait
Rom. 5. Apostolus, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris p̄ spiritumsanctum, qui datus est
Ephesi. 3 nobis. Et item: Habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Sed læto corde accipiendum est, quod infertur:

Et mansionem apud eum faciemus.

Ad quorundam vero corde deus venit, sed mansionem non facit, quia eos per cõpunctionis gratiam visitat: sed cum hora compunctionis transierit, & ad iniquitatem redeunt, deum à corde suo repellunt, de quibus dominus alibi dicit: Quia ad tempus credunt, & in
Luce. 8. tempore tentationis recedunt. At vero ad electorum cor non solum venit, sed & mansionem facit: quia eorum mẽtes sic fixæ sunt in amore diuinitatis, vt ab eius dilectione tẽpore tentationis non recedant, sed ita domino cohærent, vt siue in prosperis, siue in aduersis, semper ipsum benedicere studeant, dicentes cum Psalmista: Benedicam dominum in omni tempore. Considerãdum ergo summopere est, quanto studio mãsionem suæ mẽtis præparare debet, qui tantum ac talem hospitem suscipere desiderat. Si eñ rex aut præpotens amicus ad domum tuam venturus esset, cum omni studio eam præparares, superflua abiiciendo, necessaria adhibendo, non solum quæ ad vtilitatem, sed etiam quæ ad ornatum pertinent inuestigando. Ita dominum deum tuum in habitaculo cordis tui suscepturus, emunda conscientiam tuam ab operibus mortuis, & à cogitationibus superfluis & immundis: quia mũdus habitator mundũ quærit domum, ad quam non solum venire, sed in qua manere dignetur ille, qui ait: Ecce sto Apoc. 3. ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cũ illo, & ille mecum. Igitur domum mentis nostræ ab squalorib⁹ omnium vitiorum mũdare debemus, & diuersis floribus virtutum adornare, vt humilitate fulgeat, castitate rutilet, charitate resplendeat, vt in corda nostra veniens spiritus sanctus, mansionem faciat. Sed his & de electis explicitis, qui deum nõ solum verbis, sed etiam operibus diligunt, protinus de reprobis dicitur:

Qui non diligit me, sermones meos non seruat.

Sicut enim qui præcepta dei obseruat, etiã tacente linqua se eum diligere comprobat: sic qui sermonem eius non custodit, eum se non diligere demonstrat.

Et sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris.

Cum superius sermones pluraliter posuit, doctrinam sancti euãgelii intelligere voluit. Cum autem singulariter adiũxit. ⌊Et sermonem quem audistis, seipsum intelligere voluit, ⌋ qui est verbum & sapientia dei, de quo Iohannes alibi ait: In principio erat verbũ &c. Recte ergo dicit, ⌊Et sermonem quem audistis nõ est meus, sed eius q̃ misit me patris.⌋ quia filius nõ à seipso venit, sed à patre, sicut ipse dicit: Ego à meipso non veni, sed pater meus misit me. E sicut filius non est à seipso, sic doctrinam suam non dicit suam esse, sicut ipse ait: Mea doctrina non est mea, sed eius q̃ misit me patris. Et iterũ: Pater in me manet, & ego in eo. Et alibi: Ego à meipso nihil facio. Qui enim de nullo fit, de nullo procedit, solus est pater. Filius autẽ de patre natus, spiritussanctus à patre & filio procedere credit.

Hæc locutus sum uobis, apud uos manens.

Nunquid non erat mansurus cum discipulis, quibus alibi promisit, dicẽs: Ecce ego vo- Mat. 28. biscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi? Erat vtiq;, sed ait: ⌊Hæc locutus sum vobis, apud vos manẽs, ⌋ de præsentia corporali dicit, per quam post modicũ ab eis recessurus erat. Cui simile ẽ quod alibi ait, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, Luc. 24. cum adhuc essem vobiscum. Qui ergo in

articulo passionis hæc loquebatur,mansurus
cum eis semper per diuinitatem, recessurus
loquitur per humanitatem. Sed quod minus
de diuinitate intelligere poterant, per spiri-
tussancti aduentum se docturum promittit,
cum subiungit:

Paracletus aût spiritussanctus,quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia.

Cui simile est quod alibi dicit, Adhuc mul
Iohan.16 ta habeo vobis dicere, sed non potestis por-
tare modo. Cum autem venerit ille spiritus
veritatis,docebit vos omnem veritatẽ. Quia
ad intelligenda spiritalia mẽtes nostras pro-
mouebit,pater profecto,nec laboriosa expo-
sitione indiget, quare eundem spiritum para
cletum nominet,[illegible] grçca locutione,la
tine consolator siue aduocatus dicitur. Bene
consolator dicitur,quia mentes fidelium, ne
inter aduersa huius seculi deficiant, spe cæle-
stium consolatur præmiorum. Bene aduoca-
tus,quia pro errore delinquentium apud pa
trem interuenit, Apostolo teste, qui ait: Nam
quid oremus sicut oportet, nescimus,&c. Et
pulchre eũdem spiritum in nomine suo à pa-
tre mitti perhibet,qa vnius naturç, eiusdemq́;
est cũ patre potentiæ,sicut ipse alibi ait: Cum
Iohã. 15. venerit paracletus, quem ego mittam vobis
à patre spiritum veritatis, qui à patre proce-
dit,ille testimonium perhibet de me. Quod
autem ait: ⌊Ille vos docebit omnia,⌋ subau-
diendum est, quæ necessaria sunt, siue ad in-
telligendum,siue ad docendum. Et recte spiri
tussanctus omnia docere dicitur, quia in va-
cuũ laborat sermo doctoris exterius, nisi in-
terius sit spiritussanctus, qui illustret cor audi
toris. Cæterum nemo tam perfectus esse põt
in præsenti vita, vt omnia de deo scire possit,
maxime cum Apostolus, qui vsq; ad tertium
cælum raptus fuisse perhibetur, dicat: Ex par
te cognoscimus, & ex parte prophetamus.
1.Cor.13 Quod vero subiungit:

Et suggeret uobis omnia, quæcunq; dixero uobis.

Spiritussanctus suggere dicitur, eo quod
nos suggerentes.i.supplicantes faciat. Quæ-
ritur autem quomodo suggerat, cum sugge-
rere minoris sit, & spiritussanctus æqualis pa
tri esse credatur? Ad quod dicendum, qa vsus
iste locutionis in scripturis sacris frequenter
inuenitur, vt hoc de⁹ agere dicatur, quod vt
nos agamus ille perficiat: & orare, vt nos orã
tes efficiat. Sicut enim spiritui sancto gemere
est, eo quod nos ad gemendũ incitet, sic sug-
gerere dicitur, eo quod nos ad suggerẽdum
instruat.i. ea quæ desunt nobis in virtutibus
supplicando postulare faciat. Et quia sugge-
rere aliquando subministrare est, patri & fi-
lio spiritussanctus coæternus & consubstan-
tialis suggerere dicit, eo quod nobis diuinam
scientiam occulta inspiratione ministret, non
de deorsum, sed de sursum. Vnde per Aposto Rom. 5.
lum dicitur, Charitas dei diffusa est in cordi-
bus vestris per spiritũsanctum, qui datus est
vobis. Postquam dominus spiritum paracle-
tum se discipulis promisit daturum, protinus
pacem commendauit, dicens:

Pacem relinquo uobis,pacem meam do uobis.

Ostendens quia illi eius spiritum accipere
merentur & templum spiritussancti fieri, qui
pacem inuiolatam & concordiam cum fratri
bus seruant, iuxta illud propheticum: Super
quem requiescet spiritus meus, nisi super hu- Isaie.66
milem & quietum & trementẽ sermones me-
os? Vnde Iohannes in sua Apocalypsi dicit:
Inhabitabo in illis & inambulabo. Pax autem 2.Co.6.
vera est, quæ nullo furore accenditur, nulla
persecutione perturbatur, sed inter aduersa Psal.118.
huius seculi inconcussus stat animus Christi
anus: quoniam sicut per prophetam dicitur,
Pax multa diligentibus legem tuam, & non
est illis scandalum. Hanc pacem quasi specia-
le munus dominus discipulis commendabat, Marci.9
quando dicebat: Habete sal in vobis, & pacẽ
habete inter vos. Et item: Beati pacifici, quo- Psal.119.
niam filij dei vocabuntur. Quam se nouerat
habere qui dicebat: Cum his qui oderunt pa-
cem, eram pacificus. Cuius virtutem & digni
tatem quidam sapiens breuiter comprehen-
dit, dicens:

Pax animam nutrit, retinet concordia pacem.
Pax reprimit lites, concordes nectit & idem.
Lis pacem metuit, refugit discordia pacem
Odia pax pellit, castum pax nutrit amorem.

Huius virtutis suauitatem nec nunc impij
possidere possunt, cum inter se cõcordare vi
deantur, sicut scriptura dicit: Non est pax im- Isaie.48
pijs, dicit dominus deus. Pulchre ergo ait:
⌊Pacem relinquo vobis, pacem meã do vo-
bis.⌋ Acsi diceret: Do præsentibus, relinquo
futuris. Siue inchoantibus relinquo, perseue
rantibus do. Et quia perfectior erit pax in fu-
turo, quam in præsenti, bene cum additamen
to dixit: ⌊Pacem meam do vobis.⌋ Ibi enim
non solum exterius, sed nec interius confli-
ctum cum vitijs habebimus, vbi summa est
pax de visione conditoris.

Non quomodo mundus dat, ego do uobis.

Multum distat inter pacem mundi, & pa-
cem dei. Dat autem mundus suis amatoribus
pacẽ, quando concordant adulteri cum adul
teris, ebriosi cum ebriosis, rapaces cum rapa
cibus, homicidæ cum homicidis. Sed hçc pax
ad perpetuã discordiam ducit, & in præsenti

frequenter iurgijs immutatur, & aliquando morte interueniente finitur. Pax autem quam dominus dat, & in pſenti amore fraternitatis tranquillum reddit animum Christianum, & in futuro ad societatem perpetuæ pacis perducit. Igitur in pace dei nō propter amorem terrenum, sed propter pacem charitatis inuicem amorem habet, vt qui vnum patrem habent in cælis, sint in vna compage, charitatis coniuncti in terris, sicut de primitiua ecclesia

Act. 4. dicitur: Multitudinis credentiū erat cor vnū & anima vna. Horū ergo pax nec iurgijs immutatur, nec discordijs rumpitur, nec morte interueniente finitur, sed potius confirmatur: vt quibus vnum est desiderium in terris, sit vnū præmium in cælis, & quia discipulis dominus pacem commendauerat, sciens eis tribulationes & angustias esse venturas, ne inter pressuras seculi pacem amitterent, verbū exhortationis posuit, dicens:

Non turbetur cor uestrum, neq; formidet. Audistis qa ego dixi uobis, uado & uenio ad uos.

Vnde cum alibi eos ad passionem horta-

Mat. 10. retur, ait: Nolite timere eos qui occidunt cor-

Luc. 12. pus, animam autem nō possunt occidere. Et item: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum, sciebat enim quia quo amplius pro eius nomine tribulationes & angustias sustinerent, eo ma-

Eccle. 27 gis gloria eorum cresceret. Quia sicut vasa figuli probat fornax, ita homines iustos tentatio tribulationis. In multis locis euangelij legimus, quod cū dominus se à discipulis corporaliter recessurum diceret, non sine graui dolore audire poterant. Vnde cum alibi dixisset, Vado ad eū qui me misit, continuo adiunxit: Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrū. Inde turbari & formidari poterant, quod quem totis visceribus

Iohā. 14 diligebant, à se recessurū audiebant. Sed hūc eorum dolorem benignè pius magister consolatur, cum dicit: ⌊Nō turbetur cor vestrū neq; formidet⌋ pro eo quod dixi, ⌊vado & venio ad vos.⌋ Si enim cōtristatur quis quia ego vado, lætificari debet quia venio, iuxta illud quod alibi dicit, Nō turbetur cor vestrū: Creditis in deū, & in me credite. Quia si abiero, & præparauero uobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et alibi: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Vnde & subditur:

Si diligeritis me, gauderetis utique, quia ad patrem uado, quia pater maior me est.

Nunquid non diligebant apostoli dominum, pro quo etiam mori parati erant, dicentes: Eamus & nos, & moriamur cum illo? Quid ē ergo quod ait: ⌊Si diligeritis me, gauderetis vtiq;?⌋ Ad quod dicendum, quia non negat se à discipulis diligi, sed eorum fragilitati condescendens, illorum mentes humanas ad amorem diuinum præparat. Nimirum aliud erat quod in eo principaliter diligebant, & aliud quod minus perfecte. Diligebant enim in eo formam humanitatis principaliter, quā videbant, sed minus perfecte formam diuinitatis, quam non videbant. Acsi diceret dominus, Si in me formam diuinitatis principaliter quæ amāda est, diligeretis, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Quam sententiam male Arrius interpretaē, qui ausus est dicere, filium dei in diuinitate minorem esse patre, non intelligens infelix, quia in vno mediatore dei & hominum, alter a est natura diuinitatis, & altera humanitatis. In natura quoq; diuinitatis non à deo factus, sed ex deo creditur natus, deus de deo, lumen de lumine, coæternus & consubstantialis patri, sicut ipse dicit: Ego & pater vnum sumus. In natura humanitatis, qua minoratus est paulo min⁹ ab angelis, minor esse creditur patre, per quam loquitur: ⌊quia vado ad patrem, quia pater maior me est.⌋

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.

Non solū ad hoc ea quæ ventura sibi erāt, dominus prædicere voluit, vt se deum ostenderet, qui vētura nosse posset, sed vt hoc indicio animos discipulorū ad credendum prouocaret, scilicet vt tanto firmius ea crederent, quanto non aliter, quam ab eo prædicta nouerāt, impleri cernerēt, sicut alibi ait: Hęc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorū reminiscamini, qa ego dixi vobis. Iohā. 16. Vnde Lazarum resuscitaturus, cum eum mortuū prędixisset, ait: Gaudeo propter vos, vt credatis quia non eram ibi. Iohā. 11. Quod autem subiunxit:

Iam non multa loquar uobiscum,

de corporali locutione dicit. Nam in articulo passionis discipulis hæc loquēs, pauca corporaliter erat eis locuturus. Spiritaliter autē quotidie loquitur, quoties sanctum euangelium legitur, vel autoritas sanctæ scripturæ ad memoriam reuocatur:

Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.

Si principem mundi hoc loco Pilatum accipimus, manifestum est quia in eo non inuenit quicq, sicut ipse summis principibus sacerdoti respondit: Quid eñ mali fecit iste? Ego nullam causam inuenio in hoīe isto ex his, in qbus eū accusatis, sed neq; Herodes, nā remisi illum ad vos, & nihil dignum morte actum

est ei. Sed nos melius principem mundi dia-
bolum intelligimus, qui quondam principa-
tum & tyrannidem in eorum mentibus sibi
vendicat, qui potius mundũ q̃ deum diligunt.
Contra huc principem miles castrorum dei
Ephesi.6 certamen inierat, qui dicebat: Non est nobis
colluctatio aduersus carnem & sanguinem.
1.Cor.9. Et item: Ego autem non pugno quasi aerem
verberans, sed castigo corpus meũ & in ser-
uitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaue
rim, ipse reprobus efficiar. Iste ergo princeps
mũdi ad dñm venit, qñ eum quasi hominem
mori conspiciens, eius animam sicut cęteras,
quas per originale peccatum tenebat, se rape
re posse æstimauit. Sed in eo non repperit qc
1.Pet.2. quã, quia (sicut ait Petrus Apostolus) Peccatũ
non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.
Inde ergo potestatem, quam in cęteris retine
bat, amisit, quo gladium suę percussiõis cõtra
eum, in quo nihil inuenit, exacuit, quia sicut
ait Apostolus: Si cognouissent, nunquam do
1.Co.2. minum gloriæ crucifixissent. De quo alibi à
domino dicitur: Nunc hora est vt princeps
Iohã.12. mundi ejciatur foras. Et item. Videbam sa-
Luc.10. thanam sicut fulgur cadentem de cælo. Vn-
de & sequitur:

Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem. Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite eamus hinc.

In quibus verbis ostendit, non necessitate, sed volũtate se esse passum. Non enim cuiuscunq; peccati vinculo constrictus erat, vt necessitate pateretur, sed sola dilectione pro nobis spõtanee passionem sustinuit, vt & patris obedientiã impleret, & nos à mortis interitu liberaret. Quod ergo ait, ⌊Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrem,⌋ tale est acsi diceret. In hoc ostendo me patrem diligere, q̃a pro eius nomine tribulationes & angustias sustinere non differo. Siue certe in hoc me ostẽdo patrem diligere, qui cum possim mortem vitare, pro eius amore mortẽ subire non differo, quoniam non veni volũtatem meam facere. Imitemur & nos pro modulo nostro caput nostrum, vt qui sine peccato esse non possumus, pro iustitia persecutiones pati nõ
1.Pet.2. timeamus, quia sicut ait Petrus apostolus,
Christus passus ẽ pro nobis, vobis relinquẽs exemplum, vt sequamini vestigia eius, q pec catum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Et impleatur in nobis, quod domin⁹ ait
Matt.5. in euangelio: Beati qui persecutionem patiun
tur propter iustitiam. Hinc & apostolus Pe-
1.Pet.4. trus nos admonet alibi, dicens: Nemo vestrũ
patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter. Si autem vt Christanus, nõ erubescat, sed glorificet deum in isto nomine.

FERIA SECVNDA PENtecostes. Iohannis III.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam. Et reliqua.



Nde notãdum, quod eadem de filio dei vnigenito replicat, quę de filio hominis in cruce exaltato promiserat, dicens: ⌊Vt oĩs qui credit in ipso, nõ pereat, sed habeat vitam æternam.⌋ Quia profecto idem redemptor & cõditor noster, filius dei ante secula existens, filius hominis factus est in fine seculorũ, vt qui nos p diuinitis suæ potentiam creauerat, ad perstruendam vitæ beatitudinem perẽnis, ipse p fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret, ad recipiendam quam perdidimus vitam. Sequitur:

Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.

Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum, sed interimitur, qui præcepta medici seruare non vult. Venit saluare mundũ. Quare saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum? Saluari nõ vis ab ipso? ex teipso iudicaberis. Et quid dicam iudicaberis? Videte quid ait:

Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit.

Quid dicturum sperabas, nisi iudicetur?

Iam, inquit, iudicatus est.

Nondum apparuit iudicium, sed iam factũ est iudiciũ. Nouit dominus qui sunt eius, nouit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam: nouit in area sua triticum suum, nouit & paleam, nouit & segetem, nouit zizaniam. Iam dijudicatus est qui non credit. Quare iudicatus est?

Quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Hoc est autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras q̃ lucem. Erant enim eorum mala opera.

Fratres mei, quorũ opera bona inuenit dominus? Nullorum. Omnium enim opera mala inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerũt ad lucem? Hoc sequit.

Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in deo sunt facta.

Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, vt venirent ad lucem.i.ad Christum? Et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat: & serpens ille in quo figurata est mors domini, eos sanat qui morsi fuerāt:
Num.21. & propter morsus serpentis erectus est serpens, id est, mors domini propter mortales homines, quos inuenit iniustos, quomodo in
Iohan.3. telligitur: Hoc est iudicium, quoniam lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Quid est hoc? Quorum enim erant opera bona? Nonne venisti vt iustifices impios? Sed dilexerunt (inquit) magis tenebras quàm lucem. Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua, multi cōfessi sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum deo facit. Accusat deus peccata tua, & tu cum accuses, coniungeris deo. Quasi duæ res sunt, & homo & peccator. Quod audis homo, deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis opus tuum in te, & ames in te opus dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum tuorum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucē. Quid est facere veritatem? Non te palpes, non tibi blandiaris, non tibi aduleris, non dicas iustus sum, cum sis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, vt manifestentur opera tua, quia in deo sunt facta. Quia & hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam, vt non arguantur opera eius mala, quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua, non sibi parcit, nō sibi ignoscit, vt deus ignoscat, quia quod vult vt deus ignoscat, ipse agnoscit, & venit ad lucem: cui gratias agit, quod illi qd in se odisset ostenderit, & dicit deo: Domine, auerte faciem tuam à peccatis meis. Et quia frustra dicit, nisi iterum dicat: Quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum contra me est semper, sit ante te, quod non vis esse ante deum. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet tibi deus illud ante oculos tuos: & tunc retorquet, quādo iam pœnitentiæ fructus nullus erit.

FERIA TERTIA PENtecostes. Iohan. X.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Et reliqua.

PRopter pharisæorum qui se videre iactabant, cum cæci erant, venenatam & superbā & insanabilē arrogantiam dn̄s Iesus ista contexuit, quæ in hac parabola leguntur, quā ipse illis non intelligentibus exponere dignatus est, in qua nos salubriter (si aduertamus) admonuit non gloriari in sapientia humana, nō in morum dignitate, sed in humilitate fidei catholicæ, quæ in Christum non desit. Multi enim sunt pagani, qui secundum quandam vitæ huius cōsuetudinem dicuntur boni homines, innocentes, & quasi obseruantes ea quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorē parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, nō falsum aduersus quenquam testimonium perhibentes, non concupiscentes domum proximi sui, non desiderantes aut vxorem aut seruū aut ancillam proximi, & cætera talia quæ in lege mandata sunt, velut obseruātChristiani, & Christiani non sunt, & plerunq; se iactant, quomodo isti pharisæi, dicentes: Nunquid & nos cæci sumus? Sed hæc omnia inaniter faciunt, quia nō intrant per ostium, sed aliunde tumidi fastu, quasi per seipsos ascendere quærunt. Quapropter dn̄s similitudinē proposuit de grege suo, & de ostio quo ingrediatur ad ouile. Quid enim prodest vana iactantium de bene viuendo inflatio, dum ad finem perpetualiter bene viuendi vita eorū nō perueniat? Ad hoc em̄ debet vnicuiq; prodesse bene viuere, vt det illi semp bene viuere. Nā si cui non dat semper bene viuere, qd prodest ei bene viuere ad tempus? Igitur nec bene viuere dicendi sunt, qui finem viuendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione cōtemnunt. Non est autem cuiquam spes vera vel certa semper viuendi, nisi agnoscat vitā quæ est Christus, & per ianuam intret in ouile. Sunt enim quidam homines, qui in suis gloriantur moribus, & alios post se trahere quærunt, non de Christi præceptis instruentes suos sectatores, sed suis exemplis viuere eos suadentes. De quibus alio loco ipsa veritas ait: Docentes doctrinas hominum, & mandata dei contemnentes, Hi per aliam partem ascendere quærunt, rapere & occidere, non vt pastor saluare atq; conseruare. De talibus hic dictum est: [Sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.] Non solum vero tales inueniuntur doctores inter eos, q sine nomine Christi sunt, sicut multi philosophorum, qui suam sapientiam buccis crepantibus ventilabant, & vitam beatam suis sectatoribus promiserunt: Iohan.9. Mat.7.

verumetiam plurimi qui Christiano nomine censebantur, & illuminatos à Christo se esse iactabant, fingentes sibi noua quæq; nomina de Christo, & fidei catholicæ contraria, sicut innumerabiles hæretici faciebant, æstimantes se falso nomine per ianuam, quę Christus est, intrare. Sabellius dicit: Qui filius est, ipse est pater: sed filius non est pater. Nō intrat ꝑ ostium, qui filium dicit patrem. Arrius dicit: Aliud est pater, aliud filius. Recte diceret, si diceret, alius, nō aliud. Quando enī dicit aliud, ei cōtradicit, à quo audit: Ego & pr̄ vnum sumus. Nec ipse ergo intrat per ostium. Prędicat ergo Christum, qualem sibi fingit, non qualē veritas habet. Photinus dicit: Christus homo est tantum, nō deus. Nec ipse ergo intrat per ostium, quia Christus & homo & deus est. Huic enim noua hæresis, quæ nostris temporibus orta est consentire videtur, affirmando & prædicando: Christus, sicut quilibet suorum, nuncupatiuus deus est, & nō verus. Quid opus est multa percurrere, & multa vana hæresis dinumerare? Hoc tenete ouile Christi, ecclesiam catholicā esse credite. Quicunq; intrare velint in ouile, per ostium intret, id est, per Christum: & Christum verum deum, & vere filium dei prædicet. Non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam. Nam multi q̄rendo gloriam suam, oues Christi sparserūt potius, quàm congregauerunt. Humilis est enī ianua Christus dominus noster. Qui intrat per hanc ianuam, oportet vt humiliet se, vt sano capite possit intrare. Hi sunt qui veri pastoris vocem audiunt. Hi sunt, quos proprias oues nominatim verus pastor vocat, de
Luc. 9. his dictum est: Gaudete & exultate, quoniā
Iohā. 10. nomina vestra scripta sunt in cælis, hinc enī eas vocat nominatim. Et q̄s alius emittit, nisi qui peccata dimittit, vt eum sequi duris liberati vinculis possint? Et quis eas præcessit, q̄ eum sequantur, nisi qui resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur? Has vero educit à fide ad speciem, & ante istos vadit, quia prior omnium ascendit in cælum: & quæ sunt oues suæ, illum sequuntur, quia sciunt vocem doctrinæ suæ. Alienos vero doctores non sequuntur, sed fugiunt ab eis, quia non nouerunt vocem (id est, doctrinam) alienorum. Sed loquente domino Iesu, non intellexerunt qui audierunt. Incrassatum enim habuerunt cor, & grauiter audierunt. Nominat ostium, nominat ouile, nolat oues, commendat hæc, sed nondum exponit. Legamus ergo quia venturus est ad ea verba, in quibus nos aliqua quæ dixit dignetur exponere, ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. Audiamus exponentem, quem audiuimus proponentem. Dicit ergo eis Iesus:

Amen amen dico uobis, q̄a ego sum ostium ouium.

Ecce ipsum ostium, quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnouimus, intremus, vt nos intrasse gaudeamus.

Omnes quotquot uenerunt, fures sunt & latrones.

Quid est hoc domine, Lomnes quotquot venerunt?⅃ Quid enim? tu non venisti? Sed intellige, omnes quotquot venerunt, dixit, vtiq; præter me. Recolamus ergo. Ante aduētum ipsius venerunt prophetæ, nunquid fuerunt fures & latrones? Absit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus pręcones mittebat, sed eorum corda q̄s miserat, possidebat. Cum illo ergo venerūt, quia cū verbo dei venerunt. Ego sum, inquit, Iohā. 14.
via, veritas & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt, quia veraces fuerunt, & veritatem prædicauerunt. Quotquot autem præter illū venerunt, fures sunt & latrones. Per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, dicente
Apostolo: Quomodo prædicabunt nisi mit- Rom. 10
tantur? Et quia per se venerunt, & non sunt ab eo missi, fures sunt & latrones. Nam ante aduentum Christi falsi fuerunt in populo dei prophetæ & falsi doctores, sicut post aduentum illius sub nomine Christiano quam plurimi falsi fuerunt doctores, nec doctores, sed seductores: non prædicatores, sed prædatores: latrocinia exercentes, non sanæ doctrinæ inhærētes, de quibus dictum est: L Fures sunt & latrones, ⅃ id est, ad furandum & occidendum venerunt.

Sed non audierunt eos oues, illę quę veræ sunt oues, non sub pelle ouina lupinum cor abscondentes. Igitur qui ante aduentum Christi prædicauerunt, eodem spiritu prædicauerunt, quo apostoli & sancti doctores, qui post aduentum Christi veritatis viam mūdo ostenderunt. Quotquot autem illo tempore crediderunt vel Abrææ, vel Isaac, vel Iacob, vel Moysi, vel alijs patriarchis & prophetis Christum p̄nunciantibus, oues erant, & Christum audierunt: nō alienam vocem, sed ipsius Christi audierunt. Nam iudex clamat in præcone, dum præco iudicem annunciat uēturum. Alij sunt ergo quos non audierunt oues, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes, sicut pseudoprophetæ, sicut scribæ & pharisæi temporibus ipsius domini. Hi sunt qui venerunt per se, & non sunt à iudice missi. His vero cum doctrinis suis procul expulsis, videamꝰ quo nos pastor bonus vocat. Dicit enim:

Ego ſum oſtium ouium. Per me ſi qs introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.

Et hoc euidenter oſtendit, non ſolum paſtorem, ſed etiam oues intrare per oſtiū. Sed quid eſt, ⌊Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet?⌋ Ingredi quippe in eccleſiam Chriſti per oſtium, valde bonū eſt: exire autem de eccleſia (ſicut ait ipſe Iohannes euange-
1. Ioh. 2. liſta in epiſtola ſua: Ex nobis exierunt, ſed nō erant ex nobis) nō eſt vtiq; bonum. Talis ergo egreſſus non poteſt à bono paſtore laudari, vt diceret: ⌊Et ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.⌋ Eſt ergo aliquis nō ſolū ingreſſus verū etiā egreſſus bonus p oſtiū bonū, qd eſt Chriſt⁹. Sed quis eſt ille laudabilis & beatus egreſſus? Poſſum quidem dicere ingredi nos, quando interius aliqd cogitamus: egredi autem, quando exterius operamur.
Ephesi. 3 Ex quo patet (ſicut dicit Apoſtolus, per fidem habitat Chriſtus in cordibus noſtris) ingredi per Chriſtum eſſe, ſecundum ipſam fidem etiam foris, id eſt, coram hominibus, opera-
Psal. 103. ri. Vnde & in Pſalmo dicitur: Exiet homo ad opus ſuū. Et ipſe dominus dicit: Luceant opera veſtra coram hominibus. Sed plus me delectat quod ipſa veritas tanquam paſtor bonus, & ideo doctor bonus, quodāmodo nos admonuit, quemadmodum intelligere debeamus quod ait: Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet, cum ſecutus adiunxit:

Fur non uenit, niſi ut furetur & mactet & perdat. Ego ueni ut uitam habeant & abundantius habeant.

Videtur enim dixiſſe, vt vitam habeant ingredientes, & abundantius habeant egredientes. Non autem poteſt quiſquam per oſtium, id eſt, per Chriſtum egredi ad ęternam vitā, quæ erit in ſpecie, niſi per ipſum oſtium, hoc eſt, per eundem Chriſtum in eccleſiam eius, quod eſt ouile eius, intrauerit ad vitam temporalem, quæ eſt in fide. Ideo ait: ⌊Ego veni vt vitam habeant,⌋ hoc eſt, fidem quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur vt viuant, quia iuſtus ex fide viuit. ⌊Et abundantius habeant,⌋ quia perſeuerando vſq; in finem per illud oſtium, i. per fidem Chriſti egrediūtur, quoniam viri fideles moriuntur, & abundantius habebunt vitam veniendo quo paſtor ille præceſſit, vbi nunquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hic in ipſo ouili non deſint paſcua, quoniam ad vtrunque poſſumus intelligere quod dictum eſt: ⌊Et paſcua inueniet,⌋ id eſt, ad ingreſſum & ad egreſſum, tamen tunc vera paſcua inuenient, vbi ſaturentur qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: qualia paſcua inuenit, cui dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo.

FERIA QVARTA PENTECOSTES. Actuum II.

In diebus illis: Stans Petrus cum undecim, eleuauit uocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem uniuerſi, hoc uobis notum ſit, & auribus percipite uerba mea. Et reliqua.

Poſt aduentū ſpiritusſancti in apoſtolos, quem adhuc præſenti feſtiuitate celebramus, Iudæi audientes apoſtolos plenos ſpiritusſancto, omnium genera linguarum loquentes, ſtupebant valde & admirabantur. Alij autē deridentes, dicebant, quia muſto repleti ſunt. Ignorantes tamen vera dicebant, quia muſto ſpiritalis gratiæ erant repleti. Iam enim vinū Matt. 9.
nouum in vtres nouos venerat, cum apoſtoli nō vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus, dei magnalia reſonarent.

Tunc ſtans Petrus cum undecim, vt in pręſenti lectiōe audiſtis, eleuauit uocem ſuam & dixit: Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem uniuerſi, hoc uobis notum ſit, & auribus percipite uerba mea. Non enim ſicut uos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cū ſit hora diei tertia.

Spiritusſanctus gloriam indiuiduæ trinitatis mundo prædicaturus, tertia conuenienter hora deſcendit ſuper apoſtolos, qui erant in oratione perſeuerantes. Recte autem ſpiritūſanctum orationis hora percipiunt, vt oſtendatur legentibus, qui ſpiritusſancti gratia nō facile percipitur, niſi mens à carnalibus ſuſpēſa, ad ſuperna ſemper meditanda eleuetur.

Sed hoc eſt quod dictum eſt per ꝓphetam: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.

In verbo effuſionis, oſtendit muneris largitatem, & non vt olim prophetis & ſacerdotibus tantum datus ſpiritusſanctus, ſed credētibus omnibus paſſim in vtroq; ſexu conditionibus & perſonis eadē eſſet gratia cōceſſa.

Et dabo prodigia in cælo ſurſum, & ſigna in terra deorſum.

Prodigia in cælo, domino naſcente, nouū ſidus apparuit, illo crucem aſcendēte, ſol obſcuratus eſt, ſed & ipſum cælum tenebris eſt obductum. Signa in terra, quæ domino ſpiritū emittente contremuit, monumēta aperuit,

saxo scidit, & multa quæ dormierant sanctorum corpora, rediuiua protulit.

Sanguinem & ignem & uaporem fumi.

Sanguinem de latere suo emanentem dedit, quo totius mūdi salus processit, & maledictio deleta, & tota terra ē sanctificata. Ignē autem, id est, spiritumsanctum dedit, qui exurit omnia vitia & peccata in homine. Vaporem, id est, gratiam compunctionis & fletuū. Potest etiam in igne, fidelium illuminatio: in vapore fumi, Iudæorum, qui non crediderint, cæcitas intelligi.

Et erit, omnis qui inuocauerit nomē domini, saluus erit.

Hoc est quod Petrus alibi ait: Quia nō est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Quæ cum ita sint, perspice o homo quantum valeas, & perpende quid debeas, vt tandem vilis esse tibi desinas, vt vel per hoc erubescēdis subiacere vitijs dedigneris, dum generositatem tuam de creatoris ac reparatoris dignitate uniueris. Habet causas quibus se ipse confundat. Cur dignis dominus ficto corde subdatur, cui gloria promittitur æterna? Acsi gemino priuilegio diuinæ imaginis participatione videbaris honoratus, efficeris etiam cōmercij nobilitate preciosus. Vnde ergo tam fortis esse possis contra hostem tuum, interroga statum tuum, quàm tibi dominus ad debellādum in membris tuis mundi principem, ac spiritales nequitias superandas, liberam contulerit facultatem. Ac sic impossibile non putes, te transferri vt cælestia obtineas, si aërias deuiceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrē protulisse, vel gratia: sed cursum suū fideles Christi ad superna fiducialiter attollant. Nam qui se cælesti præcio vident redemptos, ad cælestia non dubitent præparatos, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

FERIA QVARTA PENTECOSTES. Iohannis VI.

In illo tempore dixit Iesus turbis Iudæorum: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Et reliqua.



Quid est, nemo potest venire ad me, nisi quia nemo potest credere in me, nisi pater qui misit me; traxerit eū? Ille venit, quē gratia dei præuenit, cui cum Propheta dicamus: Misericordia eius præueniet me. Et iterum: Misericordia eius subsequetur me. Præueniet velle, subsequetur perficere. Trahit autem pater ad filium eos, qui propterea credunt in filiū, quia eum cogitant patrem habere deum. Deus enī pater æqualem sibi genuit filium, & qui cogitat atq; in fide sua sentit & ruminat æqualem esse patri eum in quē credidit, ipsum trahit pater ad filiū. Qui enim Christo dicit, non est deus verus, non trahit eum pater, sed sua peruersa cogitatio trahit eū veritati non cōsentire. Ille tractus est à patre, qui ait: Tu es Christus filius dei viui: cui dn̄s inquit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Ipsa reuelatio, ipsa est attractio. Dum enim dixit, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, continuo subiunxit: *Psal. 58.* *Psal. 22.* *Matt. 16*

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Reddit quod sperat, videbit qđ adhuc nō videndo credidit, manducabit quod esurijt, satiabitur eo quod sitit. Vbi? In resurrectione mortuorum, quia Ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Est scriptum in prophetis. Et erunt omnes docibiles dei. *Ierem. 31*

Quare hoc dixit o Iudæi? pater vos nō docuit, quomodo potestis me cognoscere? Oēs regni illius homines, docibiles dei erunt, non ab hominibus audient. Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligūt, intus datur, intus coruscat, intus reuelatur. Homines foris verbum sonare possunt, sed inuanū laborāt, nisi intus deus docens aperit sensus. Ille est deo docibilis, quē deus intus veritatis instruit agnitione & amore.

Omnis qui audiuit a patre & didicit uenit ad me.

Quomodo trahit pater docēdo & delectat, non necessitatem ponēdo? Quia nemo necessitate credidit, sed volūtate. Filius dicebat, pater docebat. Homo qui videbatur, loquebatur, sed deus in corde audientis interius docebat. Ideo subiungit:

Non quia patrē uidit quisquā, nisi is qui est a deo, hic uidet patrem.

Ego sum à patre, & ideo patrē video. Quid est aūt trahi à patre nisi discere à patre? Quid est discere à patre, nisi audire patrem, nisi audire verbum patris, id est, me? Ne forte ergo cum dico vobis, Omnis qui audiuit à patre & didicit, dicatis apud vos: Sed nunquā vidimus patrē, quō aūt discere potuimus à patre? à meipso audite. Non quia patrem vidit quisquam, sed qui est à deo, hic vidit patrē.

Ego noui patrem, ab illo sum: sed quomodo verbum ab illo cuius est verbum, non quod sonat & transit, sed quod manet cum dicente, & trahit audientem.

Amen amē dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam.

Reuelare se voluit dominus quid esset. Nā compendio dicere potuit: Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus deus & vita æterna. Qui ergo credit in me, venit ad me: & qui venit ad me, habet me. Quid est autem habere me? Habere vitam æternā. Mortem assumpsit vita æterna, mori voluit, sed de tuo o homo, non de suo. Accepit a te, vt more retur pro te. Assumpsit ergo vita mortem, vt vita occideret mortem. Nam qui credit, inquit, habet vitam æternam, non quod patet, sed quod latet. Vita enim æterna est verbum quod in principio erat apud deum, & deus erat verbum, & vita erat lux hominum. Mori venit, sed tertia die resurrexit.

Ego sum, inquit, panis uitæ.

Et vnde superbiebant?

Patres uestri, inquit, manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt.

Quare mādūcauerūt, & mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod nō videbāt, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorū, murmuratores patres murmuratorum filiorum. Manducauerunt Moyses & Aaron, & cæteri sancti qui fuerunt in populo, manna manducauerunt, & non mortui sunt, quia spiritaliter visibilem cibum intellexerunt, spiritaliter esurientes. Alij manducauerunt & permanserunt in infidelitate, sicut Iudæi audierunt loquentem Christum, sed non spiritaliter verba eius intellexerunt, ideo dixit eis: ⌊Patres vestri manducauerūt māna in deserto, & mortui sunt.⌋ Qua morte, nisi infidelitatis? Nam in communi morte mortui sunt, & sancti qui fuerūt inter eos. Ideo signauit dominus his verbis mortē spiritalem, non carnalem. Patres ergo istorum, id est, mali patres malorū, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis deum offendisse ille populus dictus est, quam contra deū murmurādo. Ideo dominus volens ostendere talium filios, hinc ad eos cœpit: Quid murmuratis inuicem murmutores, filij murmuratorum? ⌊Patres vestri manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt.⌋ Non quia malum erat, sed quia male manducauerunt.

Hic est panis qui de cælo descendit.

Hunc panem signauit manna, hunc panem signauit altare dei. Sacramenta hæc sunt, & illa fuerunt: in signis diuersa sunt, in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: Nolo 1.Co.10. autem vos (inquit) ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & oēs mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eādem escam spiritalem manducauerūt. Spiritalem vtiq;, non corporalem escam: quia illi māna, nos alium spiritalem: sed patres nostri, nō patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. ⌊Hic est ergo panis de cælo descendens.⌋

Vt si quis ex ipso manducauerit, nō moriatur.

Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentū: qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.

Ego sum panis uiuus q de cælo descendi.

Ideo viuus, quia de cælo descendi. De cælo descendit & manna: sed māna vmbra erat, iste veritas est.

Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternū. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita.

Hoc quando caperet caro, quod dixit panē carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo magis non capit caro, quia vocat caro. Hoc enim exhorruerūt, hoc assimulatum esse dixerunt, hoc non fieri putauerunt. ⌊Caro mea est (inquit) pro mundi vita.⌋ Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt. Fiant corpus Christi, si volūt viuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non viuit, nisi corpus Christi. Quisquis viuere vult, credat in Christum, manducet spiritaliter spiritalem cibum, incorporetur corpori Christi, & non sit putridum membrum qd resecari mereatur, sit pulchrum, sit sanum, sit aptum capiti suo.

FERIA QVINTA PENtecostes. Lucæ. IX.

In illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim apostolis, dedit illis uirtutē & potestatem super omnia, & ut languores curarent. Et reliqua.



Oncessa potestate primo signorū, misit eos prædicare regnum dei, vt promissorum magnitudinem attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemq; verbis daret virtus ostensa; & noua facerent, qui noua prædicarent. Vnde nunc quoq; cū fidelium numerositas excreuit intra sanctam ecclesiam, multi sunt qui vitam virtutum te-

nent, & signa virtutum nō habent. Quia frustra miraculum foras ostenditur, si deest q̄d intus operetur. Nam iuxta magistri gentium vocem, Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.

Et ait ad illos: Nihil tuleritis in uia, neq; uirgam, neq; peram, neq; panē, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

Solet quæri, quomodo Matthæus & Lucas commemorauerint dixisse dominum discipulis vt nec virgam ferrent, cū dicat Marcus: Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum? Quod ita soluitur, vt intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, & sub alia illam, quæ secundum Matthæum & Lucam non est ferenda, sicut sub alia significatione intelligitur tentatio de qua dictū est:
Iacob. 1. Deus neminem tentat: & sub alia de qua di-
Deut. 13. ctum est, Tentat vos dominus deus vester, vt sciat si diligitis eum. Illa, seductionis est: hęc, probationis. Vtrunq; ergo accipiendum est à domino apostolis dictum: &, vt nec virgam ferrent: &, vt non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matthęum diceret eis: Nolite possidere aurum & argentum, &c̄. cōtinuo subiecit: Dignus est enim operarius cibo suo. Vnde satis ostendit, cur eos hæc possidere ac ferre noluerit, nō q̄d necessaria non sunt sustentationi huius vitæ, sed quia sic eos mittebat, vt eis hæc deberi monstraret ab illis, quibus euangelium credentibus annunciarent. Claret aūt hoc non ita pręcepisse dñm, tanquam euangelistę viuere aliunde nō debeant, q̄ eis præbentibus, quibus annunciant euangelium: alioquin cōtra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarū laboribus transigebat, ne cuiquam grauis esset, sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cum antem à domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est: cum autem potestas datur, licet cuique non vti, & tanq̄ de suo iure recedere. Hoc ergo ordinās dñs, q̄d cum ordinasse dicit Apostolus, his q̄ euangelium annunciant, de euāgelio viuere. Illa apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, neq; portarent huius vitæ necessaria nec magna nec minima. Ideo posuit, nec virgam, ondens à fidelibus suis oīa deberi ministris suis, nulla supflua requirentibus, ac per hoc, addendo: Dignus est enim operarius cibo suo, prorsus apuit & illustrauit, vnde hæc oīa loqueretur. Hanc enim potestatē virgæ noīe significauit, cū dicit: ⌊Ne quid tollerent in via nisi virgam tm̄, ⌋ vt intelligatur, quia p potestatem à dño acceptā, quā virgæ noīe significauit, etiā quæ nō portātur, nō deerūt.

Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, vt ne quisquā eoꝝ, præter eam quæ esset indutus, aliam portandā putaret, solicitus ne opus esset, cū ex illa potestate posset accipere. Q̄d vero secundū Marcū non portari vel haberi duas tunicas, sed expressius indui prohibet, dicens: ⌊Et ne induerētur duabus tunicis, ⌋ quid eos monet, nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare? Aliter: In duab⁹ tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum, non quod in locis Schythiæ, & glaciali niue rigentibus, vna quis tunica debeat esse contentus, sed quo in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futuroꝝ timore seruemus.

Et in quamcunq; domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

Dat constantiæ generale mandatum, vt hospitalis necessitudinis iura custodiant. Alienū nanque à prædicatore regni cælestis astruit, cursitare p domos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Nec ociose secundum Matthæum domus, quam ingrediantur apostoli, eligenda decernitur, vt mutandi hospitij necessitudinis q̄ violandæ causa non superet.

Et quicunque nō receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerē pedum uestrorum excutite in testimonium supra illos.

Puluis excutitur de pedibus in testimoniū laboris sui, q̄d ingressi sunt in ciuitatē, & prædicatio apostolica ad illos vsq; peruenerit. Siue excutitur puluis, vt nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidē necessarium, q̄ euangeliū spreuerint. Allegorice aūt, q̄ verbo humiliter intendunt, si quibus (vt hoīes) terrenę leuitatis neuis obscurantur, p ea mox q̄ recipiūt euangelicæ prędicationis vestigia, purgātur. qui vero pfidia vel negligentia vel etiam studio contemnunt, hoꝝ vitanda communio, fugienda synagoga cēsetur. Excutiendus pedū puluis, ne gestis inanibus & pulueri comparandis mentis castæ vestigium polluatur.

Egressi autem circuibant per castella, euangelizantes & curantes ubiq;.

Quid euangelizarent, vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius. Prędicabant (inquit) vt pœnitētiam agerent, & dæmonia multa eijciebāt, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Dicit & Iacobus: Iacob. 5.
Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent sup ipsum, vngentes eū oleo sancto in nomine domini, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Vnde patet ab ipsis apostolis hunc sanctæ ecclesiæ morem esse traditum, vt pontificali benedictione consecrato

oleo, perungatur ægrotus. Prædicabant autem vt pœnitentiam agerent, &c. Misit illos (inquit) euangelizare regnum dei, quia videlicet vtrunque iuxta Iohannis Baptistæ, vel ipsius saluatoris prædicabant: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorũ: Regnum enim cœlorum ianuis propinquare, est de his quenque quibus ab eo discesserat, pœnitere. *Matt. 3.*

FERIA SEXTA Pentecosten. Matthæi XII.

In illo tempore dixit Iesus turbis: Si ego in spiritu dei eiicio dæmones, filii uestri in quo eiiciunt. Et reliqua.



Ecce hic trinitas videtur Trinitas appellata, quod fiat totum vnum. Nam dũ tria sunt, vnũ sunt, quia & singula in se manent, & omnia in omnibus. Pater igitur & filius & spiritussanctus, trinitas & vnitas: idem enim vnum, idem & tria: in natura vnum, in personis tria. Vnum, ꝓpter maiestatis communionem: tria, propter personarum proprietatem. Quod autem dicit:

In spiritu dei eiicio dœmones,

Ostendit quod spiritussancti cooperatione pater & filius operari credantur, Psalmista attestante, qui ait: Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Psal. 32.* Quia à patre & filio procedit, ideo spiritussanctus prædicatur deus, & substantiam eius habet. Neq; enim aliud de patre procedere potuit, quàm quod ipse est pater. Spiritus autem dictus secundum id quod ad aliqd refertur, spirans & inspirans, vtiq; & ex eo appellatus spiritus est. Proprie autem quodam modo dicitur spiritus sanctus, secundum q̃d refertur ad patrem & filium, quod eorum spiritus sit. Nam & hoc nomẽ quod spiritus dicitur, non secundum id quod refertur ad aliquid, sed secundum id quod aliquam naturã significat. Omnis eñ incorporea natura, spiritus in scripturis sanctis appellatur. Spiritus autem principalis tamen in Psalmo quinquagesimo legitur, vbi quia tertio spiritus repetitur, nonnulli ergo intelligunt ibi trinitatem significari: in principali spiritu, patrem: in spiritu recto, filium: in spiritu sancto, spiritum sanctum. ⌊Eiicio dæmones.⌋ Dæmones à Græcis dictos autem quasi *δαήμονες* id est, peritos ac rerum scios. Præsciunt autem futura multa, vnde & solent responsa aliqua dare. Hi ante transgressionem quidem cælestia corpora gerebant, lapsi vero, in aeriam qualitatem conuersi sunt. Neq; aeris illius priora spatia, sed ista caliginosa tenere ꝑmissi sunt, qui eis quasi carcer est, vsq; ad tempus iudicij: postea vero igne inextinguibili sine fine cruciandi sunt. Hi sunt præuaricatores angeli, quorum princeps est diabolus. Ista ex parte subauditur discretio spirituum manifesta comprobatur, ad consolationem credẽtium redeundum est.

Igitur peruenit in uos regnum dei.

Hoc est, si creditis me in spiritu dei eijcere dæmones, id est, æqualem me patri in diuinitate credideritis, regnum dei vobis patet. Regnũ dei, scilicet illud sublime solium, de q̃ in scriptura sacra canitur: Pœnitẽtiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum. *Matt. 3.* Et item contra reprobos: Auferetur à vobis regnum di, & dabitur illud genti facienti fructum eiꝰ. *Matt. 21.* Et alibi ad discipulos: Regnum dei intra vos. i. Christus, qui est perfecta pars regni iustorum. *Luc. 17.*

Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem?

Et tunc domum illius diripiet. Aliam similitudinem viri fortis inducit, sicut de regno & ciuitate prædixerat. Id est, quomodo dæmones eijcere potuissem, si pricipem eorum consentientem, non vinctum haberem? Siue simpliciter accipitur, quod fortis diabolus q̃ à Christo in cruce alligatus est, cuius domus mundus in maligno positus. Vasa vero homines sunt infideles, quos dominus ei subtraxit.

Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.

Ac si diceret: Non possunt opera saluatoris Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas tenere captiuas, hic liberat: ille prędicat idola, hic vnius dei notitiam: ille trahit ad vitia, hic ad virtutes: ille cõgregat ad vnius dei notitiam, hic spargit suadendo multa inutilia. Siue, ⌊qui non est mecum,⌋ hæreticus infidelis semper resistens fidei meæ. ⌊Qui non cõgregat mecum, spargit.⌋ Vnitatem destruens, in multas diuidit hæreses. Moraliter: ⌊Qui non est mecum,⌋ id est, q̃ non est in mandatis meis, & voluntati meæ resistit. ⌊Qui non congregat mecum,⌋ q̃ suos affectus in amorem dei non colligit, in varia mundi desideria spargit.

Ideo dico uobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus.

Vt est illud: Hic nõ eijcit dęmones, nisi in principe dæmoniorum. ⌊Omne peccatũ,⌋ quicquid in filium hominis dictum fuerit, ꝑ pœnitentiam remittetur.

Spiritus autem blasphemiæ, quo blasphematur illud, per quod salus fit, non remittetur. Quicunq; dixerit peccatū supradictum contra filium hominis, hoc ē, qui vilitate carnis meæ scandalizatur, dicens quod filius sim fabri & Mariæ, &c. quamuis culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter carnis scilicet vilitatem.

Qui dixerit contra spiritum.

Qui manifeste intelligens opera dei, cum de eis negare non possit, pro inuidia spiritus sancti dicit facta esse in Beelzebub.

Neq; in hoc seculo neq; in futuro remittetur ei.

Ostendit aliqua esse peccata, quæ in iudicio per ignem purgatorium remittuntur.

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum.

Concludit eos syllogismo. Si (inquit) diabolus bona opera facere non potest, si autem bona sunt quæ cernitis, subauditur scire debetis, vt non sit diabolus qui ea facit. Neq; enim fieri potest vt ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum. Arbor enim bona, Christus est: arbor vero mala, diabolus est. Ac si dicat: O pharisæi, ex me fructus bonus orietur, cum sanauero mundum. Ex vobis autem malus, cum me crucifigetis.

Progenies uiperarū, quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali? Ex abundātia enim cordis os loquitur.

Quasi dixisset, non fructus bonæ arboris ex vobis prodeunt, sed folia, hoc ē, verba solum, & non opera.

Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus hō de malo thesauro profert mala.

Hoc superiori iungendum est. Quomodo bonus homo non profert mala, nec malus bona: sic non potest Christus mala, nec diabolus facere bona. Et hoc in Christum & Iudæos subauditur.

Dico autem uobis.

Ac si diceret, verbum quod nō ædificat audientes, non erit absq; piculo loquentis: quāto magis vos qui opera spiritussancti caluniamini, dicentes opera Beelzebub?

Verbum ociosum.

Ociosum verbum est, quod sine vtilitate loquentis & audientis dicitur, siue quod ratione & pietate caret, siue q̄d nec boni nec mali aliquid agit: reddet rationem, id est, animam suam.

Ex uerbis eīn tuis iustificaberis, aut ex uerbis tuis condemnaberis.

Id est, vel hic vel in futuro. Per oris ergo locutionem dominus vniuersa, quæ vel actu vel facto vel cogitatu de corde proferimus, insinuat, quæ magis quàm hominibus dicta, nuda & aperta sunt oculis eius. Nam & moris est scripturarum, verba pro rebus ponere. Vnde Psalmista: Dic, inquit, animæ meę, salus tua ego sum. Et Iezecias: Non fuit verbum, quod non ostenderem eis, qui vtique rerum, & non verborum Chaldæis reuelauit arcana. Item Apostolus: Et nemo dicit dominū Iesum, nisi in spiritu sancto, pro eo vt diceret: Nemo dominum Iesum intellectu cernit, nemo voluntate amplectitur, nisi per gratiam spiritussancti. Psal. 34. Isa. 65

SABBATO POST Pentecosten. Lucæ. IIII.

In illo tempore: Surgens Iesus de synagoga, introiuit in domū Simonis. Socrus autē Simonis tenebatur magnis febribus. Et reliqua.

Cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris. Hoc factum Marcus & Lucas narrant, priusquam de leproso dicant. Sed nihil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem res nunciatur, maxime cū Lucas historiæ seribat narrationem, sicut in capite superius dictum est:

Surgens Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis.

Matthæus vero ordinem mysterij secutus sit. Synagoga græce, de qua Iesus surgere dicitur, latine congregatio dicitur, quod proprium nomen Iudæorum populus tenuit. Ipsorum enim proprie synagoga dici solet, quamuis & ecclesia dicta sit: nostram autem apostoli nunquam synagogam dixerūt, sed semper ecclesiam, siue discernendi causa, siue quod inter congregationem, vnde synagoga, & conuocationem, vnde ecclesia nomen accepit, distat aliquid, quod scilicet congregari & pecora solent, quorum & greges proprie dicimus: conuocari autem magis est vtentium ratione, sicut homines sunt. [Introiuit in domum Simonis.] Spiritaliter domus Simonis Petri ecclesiam significat. Socrus. i. mater eius vxoris, cuius pater socer dicitur. Socrus ipsius Petri, synagogam significat, quā iacentem & febricitātem Iesus inuenit. i. in litera legis & inuidia manentem, quæ in fine credet, saluatis gentibus, vt est illud: Cum introierit plenitudo gentium, tunc de Israel re

tiqui falui fient.

Tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et ftans fuper illam, imperauit febri, & dimifit eam.

Si virum à dæmonio (parumper fuperius vt textus euangelij narrat) liberatum, moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum fignificare diximus, confequenter fœmina febribus tenta, fed ad imperium domini curata, carnem oftendit à concupifcentiæ fuæ feruore, per continentiæ præcepta frenatam. Omnis enī amaritudo & ira & indignatio & clamor & blafphemia, fpiritus immundi furor eft. Fornicationem vero, immunditiam, libidinem, concupifcentiam malam, & auaritiam, quæ eft fimulachrorum feruit⁹, febrem illecebrofæ carnis intellige. ⌊Et ftans fuper illam, imperauit febri, & dimifit eam.⌋ Quæritur, cur tertio loco focrus Petri fanatur? Quia mulier in exordio mundi tertia errauit perfona: fiue quod fynagoga ex tertio filio Noe (id eft, Sem) orta eft, cuius figuram gerit. Sed dominus faluator nofter modo rogatus, modo vltro, curat ægrotos, oftendens contra peccatorum quoque paffiones, & precibus femper annuere fidelium, & ea quæ ipfæ minime in fe intelligunt, vel intelligenda dare, vel etiam non intellecta dimittere,
Pfalm. 18 iuxta quod Pfalmifta poftulat: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me dñe.

Et continuo furgens, miniftrabat illis. Naturale eft febricitantibus, incipiente fanitate laffefcere, & ægrotationis fentire moleftiam. Verum fanitas, quæ domini confertur imperio, fimul tota redit. Non folum ipfa redit, fed & tanto robore comitante, vt eis continuo, qui fe adiuuerant, miniftrare fufficiat, & iuxta leges tropologiæ, membra quæ feruierant immundiciæ ad iniquitatem, vt facrificarent morti, feruiant iuftitiæ in vitam æternam.

Cum fol autem occidiffet, omnes qui habebant infirmos uariis languoribus, ducebant illos ad Iefum. At ille fingulis manus imponens, curabat eos.

Solis occubitus paffionem mortemq; fignificat illius, qui dixit: Quamdiu in mundo fum, lux fum mundi. Et fole occidente, plures dæmoniaci, quàm ante, plures quoq; fanātur ægroti. Quia qui temporaliter in carne viuens paucos Iudæorum docuit, calcato regno mortis, omnibus per orbem gentibus fidei falutisq; dona tranfmifit. Cuius miniftris quafi vitæ lucisq; preconibus, Pfalmifta
canit: Iter facite ei qui afcēdit fuper occafum
Pfal. 97.
Super occafum quippe dominus afcendit, qa vnde in paffione occubuit, inde maiorem fuam gloriam refurgendo manifeftauit.

Et ibant autem dæmonia a multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius dei. Et increpans, non finebat ea loqui, quia fciebant ipfum effe Chrm.

Dæmonia filium dei confitebantur, & attefstāte euāgelifta, ⌊fciebant ipfum effe Chriftum.⌋ Quia quem dierum quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognouerat, nec tentando valebat, an dei filius effet experiri, iam nunc per fignorum potentiam vel intellexit, vel potius fufpicatus eft effe filium dei. Non igitur ideo Iudæis eum crucifigere perfuafit, quia Chriftum, fiue dei filium non effe putauit, fed quia morte fe illius non præuidit effe damnandum. Vere enim de hoc myfterio à feculis abfcōdito dicit A-
poftolus, quod nemo principum huius feculi cognouit. Si enim cognouiffent, nunquam dominum gloriæ crucifixiffent. Quare autē dæmonia dominus de fe loqui phibeat, Pfal
1. Co. 2.
mifta manifeftat, qui ait: Peccatori autem dixit deus, quare tu enarras iuftitias meas? &c.
Pfal. 43
ne quis, dum prædicantem audit, fequatur errantem: Improbus autem magifter eft diabolus, qui falfa veris fæpe permifcet, vt fpecie veritatis, teftimonium fraudis obtexat. Alias autem non folum dæmones, qui inuiti confitebantur, iubētur filere de Chrifto: fed & illi, qui ab eo fanati fponte confiteri volebant, imo ipfi apoftoli, qui eum poft refurrectionem toto orbe erant prædicaturi, anī paffionem eius præcipiuntur om̄ino reticere de illo: ne diuina videlicet maieftate prædicata paffionis difpenfatio differretur, & dilata paffione, falus mundi quæ per hanc futura erat, negaretur.

Facta autem die egreffus ibat in defertum locum, & turbæ requirebāt eum, & uenerunt ufque ad ipfum, & detinebant illū, ne difcederet ab eis.

Si occafu folis, domini mors exprimitur faluatoris, quare non die redeunte refurrectio illius indicetur, qui manifefta luce à credentium turbis inquiritur, & in gentium deferto inuentus, ne abeat detinetur, maxime cum hæc prima fabbati, quo refurrectio celebrata eft, egreffio, quæftio, & inuentio contigerit?

Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnū dei, quia ideo miffus fum.

Et vt Marcus ait: Abijt in desertum gentium, ibiq; in suis fidelibus orabat, quia corda eorum per gratiam sui spiritus ad virtutem orationis excitabat.

IN OCTAVA PENtecostes. Iohannis III.

In illo tempore: Erat homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Et reliqua.



Sicut ignorantia vnius aliquando multis obesse solet, sic vnius interrogatio multis prodesse, Quod in huius lectionis textu facilime comprobamus, si Nicodemi interrogationem, & domini responsionem solicite attendamus. Vulter em̃ vnus ignorat, quando ad vnius interrogationem, non vnus, sed multi, quid vtile eit discunt. Nam (vt supra euangelica lectio retulit) prædicante domino Hierosolymis in die festo, multi Iudæorum crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homie. Ex eis ergo qui crediderant, vnus erat iste Nicodemus: qui, quoniam rudimenta cælestis doctrinæ aliquantulum perceperat, cupiens plenius instrui, vt secretius eius allocutione perfrui posset, nocte ad eum venit. Nox autem, in qua venit, ipsam ignorantiam qua premebatur, significat quia enim illum nondum verum deum esse credebat, sed quasi magistrũ, docendus adibat, congrue non in die, sed in nocte veniebat. Non enim de illis erat, qui ab Apostolo audire meruerunt. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, sed potius in illorum numero eẽ comprobatur, quibus per Prophetam dicitur: Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.
Isa.60
Ephesi.5
Et per Apostolũ: Surge qui dormis & exurge à mortuis. Vel certe, quia princeps Iudæorum erat, nocte ad Iesum venit, metuens sibi imminere aliquod periculum, non solum à Iudæis, sed etiam à Romanis: Iam enim cõspirauerant Iudæi, vt si quis eum palam confiteretur Christum, extra synagogam fieret. Non solum quidem nocte in ipso statu temporis, sed etiam verbis suam ignorantiã pandit, cum ei dicit.

Rabbi, scimus quia a deo uenisti magister.

A deo igitur illum missum ad cæleste magisterium docendum ex visione miraculorum intelligebat, necdum tamen ipsum verum deum credebat. Et ideo ait: Rabbi, scimus quia à deo venisti magister. Rabbi autem est magister, vnum idemq; est. Sed hebraice rabbi, latine magister dicitur. Si enim perfecte eum verum deum eẽ credidisset, magis dominum quàm magistrum appellasset. Sed dum magistrum appellauit, & dominũ tacuit, non se perfecte credere manifestauit: quoniam necdum erat perfusus illo, qui foras mittit timorem, sed potius de illis erat, q̃bus dicitur: Quæsierunt gloriam hominum magis quam dei. Vnde non incongrue figuram catechumenorum tenet, illorum scilicet qui in fide imbuuntur baptismum percepturi. Et illi quidem requisiti se deum esse credere confitentur, necdũ tamen eius occulta mysteria capiunt, nec sacramentum corporis & sanguinis ipsius intelligunt. Nos autem qui in fidei fundamento radicati sumus, essentialiter de illo credamus, quod Nicodem⁹ quasi insipiens loquitur. Ipse enim est verus magister, à quo om̃is sapientia procedit, & cum quo fuit semper & est ante æuum, sine cuius magisterio insipiens esse conuincitur, etiam qui sibi sapiens esse videtur. Qui ait discipulis suis: Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis: sum etenim. Et iterum: Vos autem nolite vocari rabbi, vnus est em̃ ma- Iohan.13
gister vester. Matt.23. Credamus autem illum à deo venisse, iuxta quod ipse in euãgelio loquitur, dicẽs: Ego à meipso nõ veni, sed p̃r meus misit me. Et iterum. Qui me misit, mecum est. Iohan.8.
Et alibi: Vado ad eum qui misit me. Et rursus: Exiui à patre, & veni in mundum. De cuius aduentu Paulus scribit, dicens: At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum, &c. Galat.4 Quod vero subiunxit:

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit deus cum eo.

Non solum autem illa quæ dominus faciebat, sed nec parum aliquid boni sine illo fieri posse credamus, qui ait in Euangelio: Sine me nihil potestis facere. Cæterum per eius gratiam multis datum ẽ esse possibile, quod sine illo omnino esset impossibile, sicut ipse ait: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ex virtute autem miraculorum credit eum à domino esse missum, vel aliquem magnum virum, sicut Moysen, aut Eliam, aut vnũ ex prophetis. Sed ipsam potestatem non se habere posse credidit, sed à deo accipere. Et quia de salute sua solicitus Nicodem⁹, ad magistrum veritatis interrogandum venerat, non solummodo secundæ natiuitatis, sed etiam mysterium passionis & resurrectionis, atq; in cælum ascensionis audiuit. Nam subditur:

Respondit Iesus, & dixit ei: Amen

amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum dei.

Omnis enim homo originalis peccati vinculo tenetur astrictus, antequam per vndam baptismatis & gratiam sancti spiritus sit ablutus, teste Psalmista, qui ait. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et sicut per beatum Iob dicitur: Nemo mũdus est à peccato, etiam si vnius diei vita eius fuerit super terram. Sed Nicodemus, qui nocte ad dominum venerat necdum mysterium secundæ natiuitatis intelligens dixit ad Iesum:

Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in uentrē mřis suæ iterato introire & renasci?

In quibus verbis non esse impossibile, q̃d audit, adfirmat: sed modum, quomõ fieri possit, interrogat. Sed quod ille de carnali natiuitate dicit, nos de spiritu sentire debemus. Sicut enim homo in ventrem matris suæ iterũ non potest introire & renasci, sic qui baptizatus est, rebaptizandus non est. Siue enim ab hæretico, siue à quolibet facinoroso in nomine sanctæ trinitatis baptizatus fuerit, itemque non est baptizandus, ne inuocatio tanti nominis videatur annullari. Hoc autem sacramentum nec malus peius, nec bonus melius implere potest, Quia qualiscunque sit minister exterior, spiritussanctus operator est interior. Vnde post baptismum ecclesia peccantibus pœnitentiam indicit, non autem baptismum iterat. Quo ordine spiritalis natiuitas impleatur, dominus manifestat, cum quærēti Nicodemo respondit, dicens:

Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spũsancto, non potest introire in regnum dei.

Et conuenienter in ordine baptizãdi vtrũque posuit, aquam scilicet & spiritumsanctũ. Quia aqua corpus lauat, sed spiritussanctus mentem renouat. Superflue enim aqua esset, nisi spiritussanctus peccata remitteret. Aqua igitur exterius significat, quod spiritussanct' interius operatur, id est, mundationem peccatorum. Ergo aqua proficit ad lauacrũ, spiritus autem ad gratiam. Siquidem Iohannes baptizabat populum aq̃, non in remissionem peccatorum, sed in pœnitentiam, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autē vestrum stetit, quem vos nescitis. Hic est qui baptizat in spiritu sancto & igni. Postquam ergo ille venit, qui singulari priuilegio meruit, vt spiritussanctus super eum in specie columbæ descenderet & maneret, & per suum baptismũ nostrum baptismum sanctificauit, omnes credētes remissionem peccatorum accipere credimus. De quo baptismate dominus dicit: Vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Et iterum: Baptismate meo baptizabimini. Et rursus: Baptismate habeo baptizari. Sed quia ad ianuã paradisi rhomphea illa flammea, & gladius versatilis post peccatum positus fuerat, necesse erat ut p̃ spiritumsanctum peccatis relaxatis, credētibus iterum per baptismum aperiretur. Quod q̃a inuisibilis spiritus inuisibiliter operatur, recte subiungit:

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Acsi diceret dominus: Sicut caro ex carne nascitur sic per spiritum dei spiritus hominis renouatur. Vnde ait apostolus: Renouamini spiritu mētis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum deum creatus ē, in iustitia & sanctitate veritatis. Solæ autem mentes fidelium nouerũt, quia cum aliquis ad baptismum venit, descendit filius iræ, & ascendit filius reconciliationis: descendit filius diaboli, & ascendit per adoptionem filius dei: descendit filius discordiæ, & ascēdit filius pacis. Cæterum coram oculis insipientium & infidelium, qui nihil aliud, quàm quod oculis vident, credere volunt, totũ quod in baptismo agitur, ludus esse putatur. Vnde in fine, visa sanctorum gloria, dicturi sunt: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij: nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quõ ergo computati sunt inter filios dei, & inter sctõs sors illorũ est? Ephe. 4.

Non mireris quia dixi tibi, oportet uos nasci denuo.

Quia Nicodemus, quod à magistro veritatis eudierat, nondũ perfecte intelligere poterat, non mediocre mirabatur. Sciebat enim veritatem falli non posse: & tamē quomodo fieret, quod veritas proferebat, non intelligebat, & ideo mirabatur. Cuius mentem dominus ab admiratione remouēs, sacramentum secundæ natiuitatis manifestius declarauit, subijciens:

Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, & nescis unde ueniat, aut quo uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Spũs vbi vult spirat, quia cuiuscunque ment tē vult illuminat, sicut Apostolus, enumeratis eiusdē spũssancti donis, ait: Hæc oĩa opat vnus atque idē spũs, diuidens singulis prout vult. Et vocem eius audis, Id ẽ, is, quē repleuerit, te præsente deũ confitetur. Sed nescis 1. Co. 12.

vnde veniat aut quo vadat, ⌋ quia eius nec initium, nec finis videtur. Siue certe, nescio vnde veniat aut quo vadat, quia qualiter in hominem ingrediatur, & egrediatur, videre non potest, quoniam visibilem habet naturā intantum vt si te præsente ad horam aliquē spiritus prophetiæ repleuerit, videre nō possis: Si enim tuūpsius spiritū corporalib⁹ oculis videre non potes, & tamen te spiritum habere non dubitas, multo magis spiritum dei inuisibiliter operantem videre non vales, & tamē quod inuisibiliter operatur, fidelis mēs non dubitat. ⌊ Sic omnis qui natus est ex spiritu. ⌋ Id est, sicut spiritus dei inuisibilis est, sic hominis spiritus inuisibilis est. Et sicut spiritus dei inuisibiliter operatur, sic spiritus hominis inuisibiliter renascitur. Et quia hoc sacramentum inuisibile quisquis non intelligit non contumaciter, sed humiliter ingrere debet, sicut Nicodem⁹ adhuc interrogat, dicēs:

Quomodo possunι hæc fieri?

Cui à domino respondetur:

Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?

Quod non insultando dominus dicit, quasi qui magister vocaretur, & tamen tāti mysterij ignarus esset, sed illum ad humilitatis viā prouocat, sine qua ianua regni cælestis non aperitur. Ait enim:

Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum nō accipitis.

In quibus verbis indiuisibilem trinitatem in substantia humanitatis ostēdit, cum vnus idemq; dei filius loquens, non singulariter, sed pluraliter dicit, quod scimus loquimur: quia quod scit filius, scit pater, scit spiritussanctus. Et quod loquitur filius, loquitur pater, loquitur & spiritussanctus. Et quibus vna ē substantia, non dispar est scientia. Testimonium eius non acceperūt, quia sicut ipse dixit: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me.

Si terrena dixi uobis, & non credidistis: quomodo si dixero uobis cælestia, credetis?

Frequenter dominus ad discipulos & ad turbas loquens, similitudines de rebus terrenis adhibuit, sed quia illi terrena & visibilia non credebāt, quomodo cælestia capere possent? Vt autem ex multis vnum proferamus terrena dominus ei ostendit, cum ait: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Illi autem nō intelligentes, quod de tēplo corporis sui loqueretur, ad materialis templi destructionem siue restaurationē sermonē cōuerterunt, dicentes: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud? Quisquis autem cæleste sacramentum cognoscere desiderat, paulatim ad superiora ascendere debet. Vñ postquam dominus modum secundæ natiuitatis Nicodemo aperuit, ascensionis suæ potentiam declarauit, dicens:

Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis q. est in cælo.

Vbi quæritur, quomodo filius hominis descendisse de cælo, iuxta ipsius promissionē & ante ascensionem in cælo esse dicatur? Ad quod dicendum quia mediator dei & hominum dominus Iesus Christus, in vna eadēq; persona ex duabus substantijs creditur, diuina scilicet & humana. Quia idem ē filius dei, qui & filius hominis: & idem filius hominis, qui & filius dei. Ipse ergo descendit de cælo per humanitatem, qui erat in eo per diuinitatem. Et ipse ascendit in cælum per humanitatem, vbi semper erat per dininiatem. Cui simile est, quod alibi dicit: Exiui à patre & ve- Iohã. 16.
ni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Quæritur iterum quare dicat: Nemo ascendit in cælum, &c. cum omnis fidelium ecclesia illo se ascensuram esse credat, quo caput suum meminit præcessisse, iuxta ipsius promissionem, dicētis: Volo pater vt vbi sum ego, ibi sit & minister meus. Ad Iohã. 12.
quod dicendum quia omnium electorum caput est Christus, & huius capitis mēbra sunt omnes electi, quibus ait Apostolus: Vos autem estis corpus Christi, & membra de mēbro. Membra ergo capiti suo adhærentia, in cælum sunt ascensura. Sed quia nullus sua virtute vel merito ascēdere potest, nisi per eius gratiam, qui de cælo in terram descendere dignatus est, recte dicitur: ⌊ Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. ⌋ Quia dominus Iesus Christus cum suis membris vnum efficitur corpus, qui ergo cælum ascendere desiderat, capiti suo totis viribus adhæreat. Et quia prius domini passio consummanda erat, & postmodum eius ascensio declarāda, Nicodemū magistrum Mosaicæ legis, dominus ad spiritalem eiusdem legis intelligētiam prouocat, cum subiungit:

Et sicut Moyses exaltauit serpētem in deserto, ita exaltari oportet filiū hominis.

Vbi historiæ veteris libri Numeri dominus meminit, in qua tædio longi itineris populus Israeliticus afflictus, murmurasse contra dominum & Moysen legitur. Propter q̃ misit in eos dominus serpentes ignitos, ad

ad quorum morsus cum plures morerētur, venerunt ad Moysen,dicentes: Omnes morimur,ora pro nobis ad dominum. Cumq; oraslet Moyses,iussit eū dominus facere serpentem æneum, & ponere in stipite pro signo,dicens:Si quis percussus eum aspexerit, uiuet. Factaq; est mira res, & antea inaudita. Mordebantur à serpentibus,aspiciebant serpentem,& sanabantur. Aenei ergo serpentis exaltatio,domini passionem præfigurauit, q exaltandus erat cruce,sicut in præsenti loco dignatus est exponere. De qua ipse alibi ait:Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Nec cuilibet indignum uideri debet,si dominus per assumptam humanitatem serpenti compararetur: quia ipse per prophetam de seipso loquitur: Ego autem sum uermis & non homo, opprobrium hominū & abiectio plebis. Et sicut in septuaginta interpretibus legitur, scarabeus clamabat de ligno.i.Christus de cruce. Sicut enim serpens ille similitudinem habebat ignitorum serpentium, sed tamen à ueneno serpētum alienus erat: sic dominus Iesus Christus apparuit in similitudine carnis peccati, nullam tamē maculam traxit peccati. Aeneus autē dictus est serpens propter infinitā in Chr̄o æternitatē. Aes autē durabile est metallū,& valde sonorum,& natura æternitatis nec initium habuit,nec finem habebit. Vel quia æs rubicundum habet colorē,æneus dictus est serpens, propter preciosi sanguinis effusionem. Igniti autem serpentes, quorum morsibus homines peribant, uenenosas cogitationes & mortiferas persuasiones significant. Quæ, cum delectationem peruersam vsq; ad consensum perducant, quasi pungendo animam interimunt. Nam & primi parentes nostri in paradiso serpentis astutia sunt decepti. Miro ergo ordine contra serpentem ponitur serpēs, quia per hoc quod dominus pro nobis passionem sustinuit, antiqui serpentis caput contriuit. Quicunq; ergo originalis peccati punctione, vel cuiuscunque vulneris contagione vult sanari, intueatur serpentem in stipite, id est, confiteatur Christum in cruce,& hīc cru cifixum. Cumq; tali fide armatus crucifixerit membra sua cum vitijs & concupiscentijs, non solum à mortis periculo liberari, sed etiam ad vitam peruenire merebitur æternam. Vnde & subditur:

Vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Omnis enim (ait scriptura) quicunq; inuocauerit nomen domini, saluus erit, sicut ipse saluator in euāgelio ait: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit,& credit in me, non morietur in æternum. Ille autē vere credit, qui sic viuit sicut Christus præcipit. Qui autem confitetur verbis, sed factis eum negat, non vitam meretur sed pœnam. Quia sicut ait Iacobus Apostolus: Fides sine operibus mortua est. Et iterū: Tu credis quod vnus sit deus, bn̄ facis,& dæmones credunt,& contremiscunt.

❧ DOMINICA SEcunda post Pentecosten. .I. Iohannis.IIII.

Chariſſimi: Deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit in mundum, ut uiuamus per ipſum. Et reliqua.



QVomodo ipse dominus ait: Maiorem hac dilectionē nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et ibi probata est dilectio Christi in nobis, quia mortuus est pro nobis. Dilectio patris vnde probata est à nobis? Quia filium suum vnicum misit mori pro nobis, sicut & Paulus Apostolus ait: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo om̄ia nobis donauit?

Et in hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus deum, ſed quoniam ip̄e prior dilexit nos.

Non illum dileximus prius, nam ad hoc nos ille dilexit prius, vt diligamus eum. Gratia quippe hominem præuenit vt diligat deum, quia dilectione operetur bona. Vnde Psalmista: Deus meus, inquit, misericordia præueniet me.

Et miſit filium ſuum propitiatorem pro peccatis noſtris.

Et hoc est maximum in nobis diuinæ pietatis indicium, quia cum necdum ipsi pro peccatis nostris eum petere nossemus, misit ille filium suum ad nos, qui nobis in se credentibus vltro venia daret, nosq; ad paternæ gloriæ societatem vocaret. In quibusdam codicibus hic versiculus, ita legitur: [Et misit filiū suum litatorem pro peccatis nostris.] Litator autem sacrificator est. Sacrificauit enim filius dei pro peccatis nostris, non hostiam pecudum, sed seipsum offerendo. Vnde bene Paulus admouens, ait: Estote imitatores dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Cuius senten-

tiæ concinit hoc, quod hic quoq; Iohãnes exhortando subiungit, dicens:

Chariſſimi, ſi ſic deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere.

Quod autem ſequitur:

Deum nemo uidit unquam.

Maiore diſputatione indiget, cum dominus & hominibus mundo corde deum! vidẽdum promittat, & de ſanctis dicat quod angeli eorum in cælis ſemper videãt in faciem patris. Hanc autem ſententiam in euangelio ſuo ponit idem Iohannes, vbi etiam quomodo deus videri poſſit, conſequenter adiungit dicens: Vnigenitus filius qui eſt in ſinu pr̃is, ipſe enarrauit. Quod beatus pater Ambroſius ita expoſuit: Et ideo deum nemo vidit vnquam, quia eam quæ in deo habitat plenitudinem diuinitatis, nemo conſpexit, nemo mẽte aut oculis comprehendit. Vidit enim, ad vtrunque referendum eſt. Deniq; cum additur: Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit, mentium magis quàm oculorum viſio declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur: illa oculis, hæc mente comprehenditur. Item beatus Auguſtinus in libro de videndo deo, de eadem diſputans quæſtione, proinde in qua narrante vnigenito qui eſt in ſinu patris narratione ineffabili, creatura rationalis munda & ſancta, impletur dei viſione ineffabili, quam tunc cõſequemur, cum ei æquales facti fuerimus: quoniam ſicut videntur iſta viſibilia corporis ſenſibus, non ita deum vidit vnquam. Quoniam ſi aliquãdo eo modo viſus, non ſicut iſta natura videtur, ſed volũtate viſus eſt ſpecie, quia voluit apparens, latente natura atque in ſe incommutabiliter permanente. Eo autem modo quo videtur ſicuti eſt, nunc fortaſſe videtur à quibuſdam angelis ſuis ſanctis. A nobis autem tunc ita videbitur, cum ei facti fuerimus æquales, & poſt aliquanto exponens ſententiam ſancti Ambroſii: Deum nemo vidit vnq̃, vel in hac vita ſicut ipſe eſt, vel etiam in angelorum vita, ſicut viſibilia iſta, quę corporali viſione cernuntur, quia vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Quia nõ ad oculorum corporalium, ſed ad mentium viſionem dictum eſt pertinere q narrauit. Item poſt multa: Ad eam vero viſionem qua videbimus deum ſicuti eſt, mundana corda commonuit. Quia enim corporalia conſuetudine loquendi viſibilia nominantur, propterea deus inuiſibilis dicitur, ne corpus eſſe credatur. Neque enim corda mũda ſuæ ſubſtantiæ contemplatione fraudabit, cum hæc magna & ſumma merces deum colentibus & diligentibus promittatur, dicẽte ipſo domino, quando corporalibus oculis viſibiliter apparebit, & inuiſibilẽ ſe contuendum mundis cordibus promittebat. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Hæc quippe natura eius æqualiter cum patre inuiſibilis, ſicut æqualiter incorruptibilis eſt, quia cõtinuatim Apoſtolus poſuit, dicens: Regi autem ſeculorum, inuiſibili, incorruptibili, diuinam ſubſtantiam qua potuit hominibus prædicatione commendans. Deus ergo inuiſibilis, neque oculo, ſed mente quærendus eſt. Sed quemadmodum ſi ſolem iſtum videre velimus, oculos corporis purgaremus, vnde lux videri poteſt: volentes videre deum, oculum cordis quo deus videri poteſt, purgemus. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi deum videbũt. Verum quia hæc viſio in futuro ſperatur, quid agendum eſt nobis, dũ adhuc conſtitui in corpore, peregrinamur à domino? Quo ſolatio vtẽdum, vbi diuina viſione necdum licet perfrui?

Iohan. 1. [margin note beside "tur: Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris"]

Si diligamus inuicem, deus in nobis manet.

Sed nemo putet hanc dilectionem, in qua deus manet, abiecta & deſidioſa quadam mãſuetudine, imo non manſuetudine, ſed remiſſione & negligentia reſeruari. Non iſta eſt charitas, ſed lãguor. Ferueat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Sed ſi ſunt boni mores, delectentur: ſunt mali, emendentur corriganturq;. Si ergo diligamus inuicem ſyncera & diſciplinabili charitate, deus in nobis manet. Operibus quidem ipſius charitatis menifeſtatur, quamuis nondum viſibiliter apparens.

Et charitas eius in nobis pefecta eſt:

Quærendum autem, quomodo dicat perfectionem diuinæ charitatis, in mutua dilectione conſiſtere, cum dominus in euangelio pronũciet, non eſſe magnũ, ſi diligamus eos, qui nos diligunt, niſi ad inimicos etiam (de quibus hic penit⁹ tacere videtur) eadem dilectio pertingat, niſi forte ipſos quoq; inimicos fraterni amoris intuitu diligere iubemur, videlicet vt non ſemperr inimici remaneãt, ſed reſipiſcant à diaboli laqueis, nobiſq; germano fœdere ſocientur.

Si diligamus (inquit) inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius perfecta eſt.

Incipe diligere, perficiẽs cœpiſti diligere? cœpit in te deus habitare, vt perfectius habitando faciat te perfectum.

In hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.

Hoc ipsum quod de spiritu suo dedit tibi, vnde cognoscis? Interroga viscera tua, si plena sunt charitate, habes spiritum dei, Paulo teste, qui ait: Quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Roma. 5

Et nos uidimus & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi.

Nemo de salute sua desperet, quia etsi magni sunt morbi scelerum qui deprimũt, omnipotens deus est medicus qui saluat, tantũ meminerit quisq;, quod idem filius dei, qui venit mitis vt saluaret, venturus est vt districtus iudicet.

Quicunq; cõfessus fuerit quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo.

Perfectam cordis confessionem dicit, quę nec malesuadentiũ hæreticorũ possit fraude corrumpi, nec persequentium paganorũ tormentis conquassari, nec carnalium fratrũ exemplis, nec propriæ fragilitatis segnitia titubare. Sunt etenim qui etiam verbis negant esse Iesum filiũ dei, quales multi fuisse produntur eo ipso tempore, quo hæc scribebat Iohãnes. Sunt item qui confitentur verbis, factis autem negant. Vnde bene qui nunc ait Lqui cunq; confessus fuerit quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo.⌋ipse paulo superius dixit: Si diligamus inuicem, deus in nobis manet, insinuãs profecto quia quisquis dilectionem in fratres habet, ille Iesum dei esse filium testatur.

Et nos cognouimus & credimus charitati, quam habet deus in nobis.

Cognouimus quia Iesus est filius dei, & quia pater misit eum saluatorem mundi, & credimus charitati, quam habet deus in nobis, quia videlicet cum haberet vnicum, noluit esse vnum, sed vt fratres haberet, adoptauit illi qui cum illo possiderent vitã æternã.

Deus charitas est.

In hoc superius dixerat, ecce iterum dicit. Amplius tibi non potuit commendari charitas, quàm vt diceretur deus. Forte munus dei contempturus eras, nunquid & deũ contemnis?

Et qui manet in charitate, in deo manet & deus in eo.

Vicissim in se habitant, qui continet & q continetur. Habitas in deo, sed vt cõtinearis: habitat in te deus, sed vt contineat te ne cadas, q(sicut Apostolus de ipsa charitate dicit) charitas nunquam cadit. Quomodo cadit, quem continet deus? 1. Cor. 13

In hoc perfecta est charitas nobiscũ, ut fiduciam habeamus in die iudicii.

Quisquis fiduciã habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid ẽ habere fiduciam in die iudicij? non timere ne veniat dies iudicij. Cum enim primo ad pœnitendum se de malis actibus conuerterit, incipit timere diem iudicij, ne videlicet apparente iusto iudice, ipse damnetur. Processu vero bonæ cõuersatiõis animatus, discit nõ timere q timebat, sed potius optare, vt veniet ille desideratus cunctis gentibus, sperans se cum sanctis merito bonæ actionis esse coronandum. Vnde autem fiduciam in diem iudicij habere possumus, plenius subdendo manifestat, Hagg. 2.

quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

Nunquid vero potest esse homo sicut deus? sed & meminisse oportet, quod & supra dictũ ẽ, quia non semper ad ęqualitatem dicitur, sicut, sed dicitur ad quandam similitudinem. Quomodo enim dicis, sicut aures habeo, ita habet & imago? Nunquid omnino sic? Sed tamen dicis, sicut. Si enim facti sumus ad imaginem dei, quare non sicut deus sumus? Non ad æqualitatem, sed pro modulo nostro. Inde ergo nobis datur fiducia in die iudicij, Lquia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.⌋Imitando videlicet perfectionem dilectionis in mundo, cuius ille exemplũ nobis quotidie præbet de cælo. De quo saluator in euangelio: Diligite, inquit, inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Matt. 5.

Timor non est in charitate.

In tali videlicet charitate, quæ ad imitationem diuinæ bonitatis, etiam inimicis benefacere, & hos diligere nouit,

sed perfecta charitas foras mittit timorem.

Illum scilicet timorem, de quo dicitur: Initium sapientiæ timor domini. Quo timet quisque, incipiens opera iustitiæ, ne veniat iustitiæ districtus iudex, & se minus castigatum inueniens damnet. Illa charitas pellit foras timorem, quæ pro merito iustitiæ fiduciã habet in die iudicij. Sed & præsentium aduersitatum timorẽ perfecta charitas eijcit ex animo, quam habere quærebat, qui domino supplicans, ait: A timore inimici eripe animam meam, quam habebat qui dixit: Quis nos se Psal. 110.

Rom. 8. parabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nudita s? an periculum? an gladius? &c.

Quoniam timor pœnam habet.

Torquet cor conscientia peccatorum, nōdum facta est cogitatio. Ideo in Psalmo de ipsa perfectione iustitiæ: Conuertisti, inquit, planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum & præcinxisti me lætitia: vt canet tibi gloria mea, & non compungar. Id est, non sit quod stimulet conscientiā meam. Stimulat timor, sed noli timere, intrat charitas quæ sanat, quem vulnerat timor.

Qui autem timet, non est perfectus in charitate.

Quia nimirum timor pœnam habet, quāuis sicut sectionem medici salus optata, ita timorem charitas desiderata subsequitur. Nec putari debet his beati Iohannis sermonibus esse cōtrarium, quod Psalmista dicit: Timor domini sanctus permanet in seculum seculi. Duo nanq; sunt timores. Vnus, quod timent homines deum ne mittantur in gehennam. Ipse est timor ille qui introducit charitatem, sed sic venit vt exeat. Si enim adhuc propter pœnas times deum, nondum amas quem sic times: non bona desideras, sed mala caues. Sed ex eo quod mala cauens corrigis te, incipis & bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor sanctus, ille scilicet, ne ipsa bona amittas, ne mittaris in gehēnā, sed & ne ipsa te deserat præsentia domini, quem amplecteris, quo æternum frui desideras.

Nos ergo diligamus deum, quoniam ipse prior dilexit nos.

Nam vnde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos? Hinc enim ipse in euangelio dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ita autem perfecti erimus in charitate, si quē admodum nullius alterius, nisi salutis nostrę gratia, prior dilexit nos ille, nimirū nos quoque ita cum nullius rei, nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu. Verum quia sunt qui verbotenus deum diligunt, consulte subiungitur:

Si quis dixerit, quoniam diligo deū, & fratrem suum oderit, mendax est.

Vnde probamus quia mendax est? audi.


Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, deum quem non uidet, quomodo potest diligere?

Quid ergo? Qui diligit fratrē suum, & nō diligit deum, necesse est vt diligat deum & diligat ipsam dilectionem. Deus enim dilectio est. Et ne quis dicere auderet: Et quid obstat diligere deum, etiamsi non diligo fratrem, recte subdidit: Et hoc mandatū habemus à deo vt qui diligit deum, diligat & fratrem suum. Quomodo enim diligis eū, cuius odisti mandatum? Quis est qui dicat, diligo imperatorē sed odi leges eius? Non ita est verus dei amator, sed vide nunquid quia mandata tua dilexi domine, & ideo cōfidenter adiungit, in tua misericordia viuifica me.

DOMINICA SEcunda post Pentecosten.

Lucæ. XVI.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso. Et reli.



Criptura sacra diuinitus inspirata, non solum bonorū actiones ad imitandum commemorat, sed etiam tormenta reproborum narrat: vt quos ad bene viuendum non prouocant exempla piorum, saltem terreant denuntiata supplicia reproborū. Quod vtrunq; in hac lectione ostēditur, quando non solum requies Lazari cō memoratur, sed etiam pœna superbi diuitis ad memoriam reducitur, vt in vno habeant pauperes quod imitentur, in altero autem diuites vnde terreantur. Nam cum superius dominus contra auaritiæ vitium disputaret, admonendo subiūxit, dicens: Facite vobis āmi cos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16. Sed quia omnis, qui ex vitio non vult corrigi, ex correptione deterior fit, subiunxit euangelista, dicens. Audiebant omnia hæc pharisæi, qui erant auari, & deridebāt eum. Quia cum malorum peruersitas crescit, prædicatio non solum minui non debet, sed etiam augeri. Vt confirmaret dominus exemplis, quod docuerat verbis, adiunxit hoc per similitudinem, quod in capite huius lectionis audiuimus, dicens:

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide.

Ostendens superbum diuitem esse condemnatum, quia sibi amicum Lazarū de mammona iniquitatis facere noluisset. Valde enim homo iste diues fuisse ostenditur, cum purpura & bysso indutus memoratur. Purpura enim regiæ dignitatis est habitus: byssus vero, genus ē quoddam lini suauissimi & candidissimi decoris. Ad augmentum quoq; temporalis gloriæ, quotidie epulabatur splē-

dide diuersis ciborum apparatibus ventri satisfaciens. Epulę enim ad crapulam pertinēt, preciosa vero vestimenta ad inanem gloriā. Sed quo ditior in facultatibus, eo deterior in
Sap. 6. cruciatibus. Potentes enim (ait scriptura) potenter tormenta patientur. Sunt enim nonnulli, qui putant in cultu preciosarum vestium peccatum non esse. Quod si omnino non esset, nequaquam dominus mentionem purpurati diuitis, qui in inferno torquebatur, faciens, præmitteret, dicens: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso. Et nisi in cultu preciosarum vestium peccatum fuisset, nequaquam Petrus
1. Pet. 3. fœminas compesceret, dicens: Non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Et Paulus
1. Tim. 2 apostolus in epistola ad Timotheum: Et mulieres volo esse in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Et si hoc obseruandum est à mulieribus, quanto magis à viris? Vnicuiq; enim sua conscientia testis ē, qui preciosa vestis non nisi propter inanem gloriam requiritur. Quia cum in secreto sit, vbi à nemine videatur, non curat qualibuscunq; indutus sit vestibus. At vero cū in publicum processerit, preciosa vestimenta requirit, non vt sanctior, sed vt honorabilior cæteris appareat. Quia vero virtus est vilib⁹ vestimentis indui, è diuerso colligimus peccatum non deesse, preciosa vestimenta requirere. Si enim in vilitate vestium virtus non esset, nequaquam euāgelista de asperitate sui vestimenti Iohannem laudasset. E quibus exemplis cognoscere possumus, q̄ tanta ac talia vestimenta quærere debemus, quæ nuditatem possint operire ac frigus arcere. Quod dominus ostendit, quando in initio primos homines non purpuram, sed tunicas pelliceas induit. Vnde Paulus nos admonet, dicēs:
1. Tim. 6 Nihil intulimus in hunc mundum, sed neq; aliquid auferre possumus, habētes autem victum & vestitum, his contenti simus. Sunt autem alii, qui præcepta veteris testamenti austeriora esse putant, quàm noui. Sed hi improuida consideratione falluntur, dum vtrorumq; testamentorū præcepta subtilius nō discutiunt. Nam in veteri testamēto dicitur: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. In nouo autē dominus ait: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. In veteri testamēto homicidium morte plectitur, in nouo dominus dicit: Qui irascitur fratri suo, re⁹ erit iudicio. In veteri dicitur: Oculū pro oculo, dētem pro dente, manum pro manu. In nouo præcipit: Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas. Et qui voluerit tecum contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et qui te angariauerit mille passus, vade cū illo duo millia. Et ego dico vobis, nolite resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. In veteri præcipitur: Non adulterabis vxorē proximi tui. In nouo: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eā in corde suo. In veteri testamento aliena res inuasa, in quadruplum restituitur: hic autem diues non aliena legitur rapuisse, sed quia ꝓpria non dedit, apud inferos torquetur. Vnde cognoscimus, quia præcepta noui testamenti, quanto sunt perfectiora, tanto districtiora.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus.

Si subtiliter hæc verba domini discutim⁹, inueniemus quia quæ apud homines alta videntur, apud deum frequenter in imo sunt: & quæ apud homines sunt despecta, deo accepta sunt. Deniq; inter homines nomina diuitum longe lateq; sciuntur, pauperum vero etiam à pluribus conciuibus & vicinis ignorantur. At contra, dominus mentionem de diuite & paupere faciens, nomen diuitis quasi ignotum tacuit, nomē vero pauperis, quasi familiarius indicauit, ostendens vnum reprobando nescire, alterum eligendo se scire. Ait enim de diuite: Homo quidam erat diues. De paupere autem: Erat quidam mēdicus, nomine Lazarus, ac si diceret: Superbum diuitem nescio, humilem pauperē scio. Excelsus enim dominus, cum non sit personarum acceptor, alta de longe conspicit, & humilia de prope. Vt suscitet de puluere egenum, & de stercore eleuet pauperem. Nouit ergo dominus quos elegit, & ignorat q̄s reprobat, Vnde in fine reprobis dicturus ē: Nescio vos vnde sitis, discedite à me operarii iniquitatis. At perfecto viro Moysi dicitur: Noui te ex nomine. Et sicut Apostolus ait: Nouit dominus qui sunt eius. At per hoc magni meriti illos esse credimus, quorū nomina deus scire dicitur.

Qui iacebat ad ianuam eius hulceribus plenus, cupiēs saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes ueniebant & lingebant hulcera eius.

Vasa figuli probat fornax, ait scriptura, & homines iustos tentatio tribulationis. Quod huic pauperi Lazaro cōtigisse cernimus, cui ad augmentum doloris, cum egestate ciboꝝ accidit infirmitas hulcerum. Sola enim ege- Eccl. 27.

ftas illi sufficeret, etiamsi infirmitas defuisse:
Et rursus, sola infirmitas sufficere posset, si
indigentia defuisset. Sed ad augmētum do
loris, cum infirmitate addita est indigentia,
vt tanto probabilior coram oculis dei esset,
quanto durius igne tribulationis fuisset ex-
coctus. Vbi considerandum est quia dñs o-
mnipotēs ęquissimus iudex, in vna eademq́;
re duo iudicia operatus est, vt vñ viui præmi
um, inde alteri cresceret suppliciū. Fortassis
enim diues iste de misericordia excusationē
haberet, nisi pauperem afflictum ante ianuā
iacentem vidisset: cum autem vidit miserum
sed misereri noluit, omnem aditū excusati-
onis sibi exclusit. Pauper vero cum penu-
ria corporis, maiorem tribulationem susti-
nuit mentis, cum videret quotidiæ diuitem
splendide epulari, se vero micarum fragmē
ta desiderare: cum cerneret illum obsequen-
tibus turbis circundari, se autem à nemine
visitari. Iam quod ab hominibus contempt⁹
sit, canes testantur, qui licenter hulcera eius
lingebant. Quod iusto dei iudicio (sicut dixi
mus) factum est, vt vnde vni probatio, inde
alteri cresceret damnatio. Sed nunquid sem-
per aut iste in tribulatiōe, aut ille erit in glo-
ria? Non. Audi quod sequitur:

Factum est autem ut moreretur mē-
dicus, & portaretur ab angelis in si
num Abrahæ. Mortuus est autem
& diues, & sepultus est in inferno.

In quo loco colligere possumus, quia vni
cuiq; electorum angelus ob custodiam sui
deputatus est, iuxta id quod ait Apostolus:
Hebræ.1 Sunt administratorij spiritus in ministerium
missi propter eos, qui hæreditatem capiunt
salutis. Et sicut dominus de paruulis ait, An-
geli eorum semper vident faciem patris, tā
Matt.18 & de Petro pulsanti ad ianuam, dictum est:
Angelus eius est. Quamdiu enim electi in p̄
Sapie.9. senti vita manent, vbi corpus quod corrum-
pitur aggrauat animam, deprimit terrena in
habitatio sensum multa cogitantem, necesse
habent angelorum auxilio confortari, secun
dum quod scriptum est in persona viri iusti:
Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te
in omnibus vijs tuis. Et in manibus tollent
te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuū.
Cum enim oculus diuinę maiestatis semper
& vbiq; nostra opera & cogitationes intuea
tur, credimus tamen dignas operationes &
iustas eleemosynas ab angelis deo nunciari,
Thob.12 iuxta illud quod angelus Thobiæ ait: Cū o-
Dani.10. raretis, ego obtuli orationes vestras ante de
um. Hinc est quod ab angelo dicitur Danie-
li: Ex die qua posuisti cor tuū ad intelligen-
dū, vt te affligeres in conspectu domini, exau
dita sunt verba tua, & ego veni propter ser-
mones tuos. Qui autem operantes in hac vi-
ta electos adiuuāt, à corpore exeuntes susci-
piunt, quod in præsenti exemplo comproba-
tur, cum dicitur.

Factum est autem ut moreretur mē-
dicus, & portaretur ab angelis in si-
num Abraæ.

Sinus autem Abraæ in hoc loco requiem
significat beatorum, iuxta quod alibi ait. Mul
ti venient ab oriente & occidente, & recum- Matt.8.
bent cum Abraam Isaac & Iacob in regno
cælorum. Sicut enim de ea re, quàm in sinu
habemus, certi securiq́; sumus: sic electi cæ-
lestis regni gremio collecti, æterna securitate
firmamur. Sed sicut læto corde audiendū est
quod dicitur, Factum est autem vt more-
retur mendicus, & portaretur ab angelis in
sinum Abraæ: ita valde timendū est quod
subinfert. Mortuus est autem & diues, &
sepultus est in inferno. Sepultus autem in
inferno dicitur, cum spiritus sepultura nō in
digeat, vt magnitudo pœnarum ostendatur.
Mortuo enim sepultura debetur, & ideo q̄a
mortuus erat in corpore, in anima sepultus
in inferno dicitur, quia sine fine cruciabitur.
Sicut enim pręciosa est in conspectu domini
mors sanctorū eius, sic è contra mors impio-
rum pessima. Audiat hoc auarus, audiat pecu
niarum cupidus. Quid enim prodest auaro
diuiti, quod in bonis ducit dies suos, quādo
in puncto ad inferna descendit? Vbi e diuer
so colligere possumus, quæ pœna præpara-
ta sit raptoribus, quando diues iste, qui alie-
na legitur non rapuisse, sed sua non dedisse,
in inferno sepultus esse narratur. Si enim in
inferno cruciatur, qui sua non dedit, qua pœ
na puniendus est, qui aliena tollit? qualibus
per Isaiam dicitur: Væ qui coniungitis do-
mum ad domum, & agrum agro copulatis
vsque ad terminum loci. Nō solum enim ra- Isaie.5.
pina, sed etiam superflua tenacitas inferni pę
nam meretur, sicut ipse iudex pauperum cu-
ram negligentibus dicturus est. Discedite à
me maledicti in ignem æternum, qui paratus
est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, &
non dedistis mihi manducare. Sitiui & non
dedistis mihi potum. Hospes eram, & non
collegistis me. Nudus, & non cooperuistis
me. Infirm⁹ & in carcere, & nō visitastis me.
Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Do-
mine, quando te vidimus esurientem, & siti-
entem, aut hospitē, aut nudum, aut infirmū,
aut in carcere, & non ministrauimus tibi?
Tunc respondebit illis: dicens. Amen dico
vobis, Quamdiu enim vni ex minimis istis
non fecistis, nec mihi fecistis. Radix enim
(vt ait Apostolus) omnium malorum est cu
piditas. Vnde dominus in euangelio. Væ
vobis diuitibus, qui habetis consolationem

vestram. Et iterum: Difficile, qui pecunias habent, in regnum cælorum intrabunt. Illis denique, qui solicite inquirere solẽt, vtrum anima ad similitudinem corporis membra habeat, an non, præsens lectio satisfacit. Ait enim dominus de diuite:

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, uidit Abram a longe, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraam, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Ergo & diues oculos & linguam habebat, & Lazarus digitum: quia anima secundum suam subtilem & spiritalem naturam mẽbra creditur habere, quæ habet & corpus. Quod in eo facile comprobatur, quia corporis mẽbra nihil possunt sine anima. Vbi pariter demonstratur, quia non solum boni bonos in gloria, sed mali malos recognoscunt in pœna. Nam diues non solum Lazarum, quẽ prius viderat, recognouit, sed etiam Abraã, quẽ nũquam viderat, se recognouisse testatur, cũ ait: Pater Abraam, miserere mei. Et cũ fratrum suorũ absentium meminit, liquido dat intelligi, quia eos, quos præsentialiter malos videbat, recognoscere poterat. In quo loco etiam ostenditur, quia non solum boni, cum sint in æterna requie recepti, malos conspiciunt in pœna, sed etiam mali bonos in gloria. Quod dei iudicio agitur, vt vnde sanctis gloria, inde reprobis augeatur pœna. Dupliciter enim reprobi cruciantur cum sanctos conspiciunt in requie, non solum quia peccauerũt, sed etiam cum eos remunerari vident, quos contemptui habuerunt. Vnde in fine vitæ illorum gloria, dicturi sunt: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimamus insaniam, & finem illorũ sine honore. Quomodo ergo cõputati sunt inter filios dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo miseri errauimus à via veritatis. Iusti autẽ tanto huberiores gratias deo referunt, quanto de maioribus tormentis, non suis meritis, sed gratia de se considerant liberatos, quod vsque ad iudicium futurum erit. Nam postea, sublatis impijs ne videant gloriam dei, sancti reprobos conspecturi sunt, quia illi qui creatori suo iuncti erũt, nihil erit in creaturis quod non videant. A longe diues Abraam conspicit, quia per imitationem eius proximus fieri noluit. Multum autem ad se refrigerandum Lazarum mitti precatur, vt eius gloria ei fierit detrimentũ, cuius pœnæ ipse noluit præbere solatium. In oĩbus enim operibus suis iustissimus est dñs, in hoc tñ eius iustum iudicium declaratur, cum dr̃: Mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti sui in aquã, vt refrigeret linguã meã. In mensis enim diuitũ micę superfluę esse videntur, gutta aũt aquæ etiam pauperibus exigua est. Qui ergo minima negauerat, minima impetrare nequit: quia qui micas panis Lazaro dare noluit, in ardore positus guttã aquæ ex eius digito decidentem impetrare nõ potuit. Audiant hoc auari, qui superflua diuitiarũ suarũ magis in putredinẽ yri sinunt, quàm in necessitatibus pauperũ expẽdi, non timentes illud, quod terribiliter eis Iacobus apostolus cõminatur, dicens: Agite nũc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ superuenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimẽta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentũ vestrũ æruginauit, & ærugo eorũ in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Talis erat ille diues, qui dicebat in corde suo: Destruã horrea mea, & maiora faciã. Cui à dño dictũ est: Stulte, hac nocte auferetur anima tua à te: hæc aũt quæ præparasti, cuius erunt? Quia ergo (vt ait Apostolus) nihil intulimus in hunc mũdum, sed neque aliquid auferre possumus, habentes victum & vestitum, his contenti simus. Quid est quod specialiter linguam refrigerari rogat, cum hinc inde vltricibus pœnis circumsepitur totus atque cruciatur, nisi quia in ea plus se ardere iudicat? Vbi datur intelligi, quia pro qualitate & quantitate peccatorum, redditur reprobis pœna tormentorum. Non enim æqualis pœna debetur ei, qui parum peccauit: & ei qui multum. Quia sicut sub vno radio solis non oẽs æqualiter vrimur, ita reprobi in gehennali pœna non omnes æqualiter cruciantur. Habet enĩ hoc subtilitas iudiciorũ dei, vt per quod mẽbrum amplius peccat quis, in eo maiorẽ vindictam recipiat. Cum enĩ superius diues iste splendide epulatus fuisse dicitur, & nunc in lingua se cruciari perhibet, ostenditur quia præ cæteris mẽbris in lingua arderet. In conuiuijs enim supflua & inanis loquacitas abundare solet: quoniam vbi venter diuersis cibis & potibus distentus fuerit, statim lingua ad cachinnos, ioca, maledictiones, detractiones & cætera his similia resoluitur, sicut scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Et quia in conuiuijs in lingua peccauerat, in tormentis in ligua ardebat. Quoniam (sicut ait Salomon) per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sed forte quæret aliquis, vtrum ignis gehennalis corporeus sit, an incorporeus. Ad quod dicendum, quia sic corporeus esse creditur, vt animã incorpoream cruciare possit.

Sapiẽ. 5. | Iacob. 5. | Luc. 12. | 1. Tim. 6 | Exod. 32 | Sapi. 11.

Quod autem res corporea animam incorpoream cruciare possit, mirum non est, cum viuente quolibet homine spiritus in corpore tenetur. Nam apostatas angelos quis incorporeos spiritus esse dubitet? & tamen igne gehennali sine intermissione cruciantur, sicut veritas reprobis dictura e: Ite maledicti in ignẽ
Mat. 25. æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Non est ergo dubium, animam incorpoream ante iudicium ab igne corporali posse torqueri, cum hoc in spiritibus immũdis pos sibile demonstretur. Iustum est enim, vt qui in anima simul & corpore peccant, ante iudicium in anima, post iudicium vero in anima & corpore crucientur.

Et dixit illi Abraam: Fili, recordare quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala.

Cum superius Abraam patrem vocat, & nunc cum Abraam filium eum nominat, cognoscere possumus ex eodem populo, qui ex stirpe Abraam originem ducebat, illum fuisse. Sed summopere illud considerandum est, quia quem filium nominat, à pœna non liberat: quoniam in districtione iusti iudicij dei tanta æqualitas iustitiæ erit, vt nec filius patrem, nec pater filium liberare valeat, sed vnusquisq; recipet secundum opera sua, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quia peccator in peccato suo morietur, & iustus in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Vnde & p Iezechielem prophetam dominus, cum terram gladio, peste & fame perituram prædiceret, adiunxit, dicẽs: Viuo ego dicit dominus, quia si Noe & Iob & Daniel fuerint in medio eius, filios & filias non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Absq; obliuione autem memoriæ commẽdandum est, quod diuiti voce Abraæ dicitur: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.

Nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris.

In quibus verbis intelligimus & diuitem aliquod boni fecisse, pro quo in hac vita bona recipit: & pauperem aliquod reprehensibile egisse, pro quo præsentis vitæ flagellis purgatus est. Aequissimus enim iudex deus, sicut malum nullum impunitum dimittit, sic nullum boni absq; mercede relinquit: quia aut in præsenti, aut in futuro retribuit. Quoties ergo aut prosperitas præsentis vitæ nobis blanditur, aut diuitiæ affluunt, timẽdum est ne de bono quod agimus, mercedem in præsenti seculo recipiamus, ne forte in futuro nobis dicatur: Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram. Quotiescunq; autem aut paupertas nos affligit, aut flagella nos atterũt, gaudendum est & gratulandum: quia flagella dei aut ad remunerationem nobis contingunt, aut ad probationem. Propter quod nos scriptura admonet, dicens: Fili, ne despicias disciplinam domini dei tui, neq; fatigeris cum ab eo corriperis. Quem eñ diligit dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum est, ut hi q uolunt hinc transire ad uos, non possint, neq; inde huc transmeare.

Chaos dicitur pactum vel firmatum, siue confusio elementorum. Dicitur enim chaos vorago vel profundum. Sed in hoc loco dicimus quia infernus, vbi diues torquebatur, lõge inferius erat, vnde paulo superius dicitur: Eleuans autem oculos suos, vidit Abraam à longe, cum esset in tormentis. Ante aduẽtum enim domini animæ sanctorum, qa propter originale peccatum ianuam regni cælestis ingredi non valebant, in secretioribus locis absq; pœna erant, ad quorum comparationem infernus pœnalis longe inferius erat, vnde Psalmista precatur: Eripuisti animam meam ab inferno inferiori. Chaos ergo magnum firmatum est, siue terminus intransmeabilis districtione iusti iudicij dei, vt nec isti ad illos, nec illi ad istos transire possint. Qđ autem illi qui in pœnalibus locis tenẽtur, ad sanctorum requiem transire velint, nulli dubium est. Iusti autem in requie constituti, & si per mẽtis compassionem ad illos transire volunt, tamen quia ab æqualitate iusti iudicis discordare non possunt, nequaquam ad eos transire valent. Sed infelix diues de salute sua desperatus, ad fratrum liberationem, quos in seculo reliquerat, solicitudinẽ cõuertit cũ ait:

Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim qnque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in locum hunc tormentorũ.

Cui iusto iudicio dei ad cumulum suæ damnationis, non solum cognitio, sed etiam memoria reseruata est: vt non solum pro se, sed etiam pro fratribus torqueretur, quos similiter perire metuebat. Neq; enim perfecta esset in diuite vltio pauperis, si Lazarum non cognouisset: Neq; perfecta pœna in tormentis, si fratrum, quos in seculo reliquerat, non meminisset. Quo exemplo nos instruimur, quia animæ sanctorum in æterna beatitudine receptæ, pro salute charorum, quos inter seculi pericula reliquerunt, intercedere creditur. Et quia iuxta scripturæ autoritatem, qui sibi nequam est, nulli bonus erit, diuiti pro fratribus roganti respondetur: Eccle. 14

Habent Moysen & prophetas, audiant illos.

At ille dolore constrictus.

Non, inquit, pater Abraã, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

Eccls.6. Et quia (vt ait Salomon) nec opus, nec ratio, nec scientia, neq; prudentia est apud inferos, adhuc subditur:

Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Quæ sententia luce clarius patet, quia qui Moysen & prophetas audire contempserũt, Christum à mortuis resurgẽtem credere noluerunt: vel qui præcepta veteris testamenti contemnunt, vtiq; veritatem noui testamenti, quæ Christi resurrectionem prædicat, minime implere possunt. Sed quia hæc moraliter ad terrendam diuitum auaritiam, & pauperum inopiam cõsolandam diximus, hinc breuiter quid allegorice significent, videamus. Per diuitem enim & pauperem duo præcepta populi significãtur, Iudæorum scilicet & gentium. Per diuitem Iudæorum populus pfiguratur, qui nõ solum carnales diuitias, sed etiam spiritales per legis notitiam accepit, quibus magis ad nitorem, quam ad vtilitatẽ vsus est. Qui purpura indutus est in martyribus, bysso in virginibus: siue purpura in regia dignitate, bysso in gloria sacerdotali. Epulabatur quotidie splendide, in patrũ eloquijs meditando. Per pauperem vero Lazarum gentilis populus designatur, qui pauper extitit, qñ à legis notitia & cognitione dei alienus fuit. Iacebat ad ianuã eius, quia intra ianuã scientiæ legis ingredi non poterat. Hulceribus plenus, id est, diuersis peccatorũ criminibus fœdatus. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mẽsa diuitis, & nemo illi dabat: quia ille superbus Iudæorum populus verba, quæ de legis scientia profluebãt, gentibus dare nolebant. Et dum præceptis legis magis ad elationem, quàm ad charitatem & vtilitatẽ vsus est, quasi ex acceptis dapibus tumuit. Mensa enim scripturam sanctam significat, sicut scriptum est: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Micæ autem, quæ cadebant de mensa diuitis, verba sunt, q̃ de legis scientia (vt diximus) profluebãt. Has cupiebat accipere iste pauper, gentilis scilicet populus, de quibus erat illa mulier Chananæa quæ domino sibi dicẽti, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, respondit dicens: Vtiq; domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorũ. Sed quem diues contemnit,

Matt.15.

deus non despicit. Quãdo enim excelsus deus humilis factus est homo, non solum ad Iudæorum populum, sed etiam ad gentiũ prædicatores suos mittere dignatus est. Vnde bñ dr: ⌊Sed & canes veniebant & lingebãt hulcera eius.⌋ Canes in scripturis, varias habent significationes. Aliquando populum Iudæorum significant, vt in Psalmo legitur: Circundederunt me canes multi. Aliqñ falsos catholicos, sicut per Sapientissimum Salomonẽ dicitur: Sicut canis qui reuertitur ad vomitũ suum, ita stultus qui iterat stultitiam suã. Aliqñ hæreticos, sicut Apostolus ait: Videte canes, videte malos operarios, videte cõcisionẽ. Aliquãdo malos doctores, sicut per prophetam dr: Speculatores eius cæci oẽs, nescierũt vniuersi canes muti, non valentes latrare, videntes vana & amantes somnia. Et iteꝝ: Canes impudicissimi, nescierunt saturitatẽ. Et Iohannes in Apocalypsi. Foris canes & venefici, & impudici, & omnis qui amat mẽdacium. Sed in hoc loco bonos prædicatores significant, de quibus per Psalmistam dicitur: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Canis enim vulnus quod lingit, citius ad sanitatem pducit. Quid autẽ sunt vulnera nisi peccata? Sicut enim vulnus ab interioribus visceribus foras in cute erumpit, sic peccata per confessionem pãdenda sunt, vt ad sanitatem animæ quis peruenire possit. Igitur nihil aliud est peccatorũ confessio, nisi quædam vulnerum ruptio. Et nos ergo confitendo peccata nihil aliud agimus, nisi quod pestiferum in mente latebat, aperimus. Quia ergo sancti prædicatores gẽtilem populum ad peccatorum confessionem vocauerũt, quasi spiritales canes vulnera Lazari lingendo curauerunt. Vnde bene idem Lazarus, adiutus interpretatur: quia illi ad salutem eum adiuuerunt, qui peccata sua eum confiteri docuerũt. Et quia gentiles p fidem filij Abrahæ effecti sunt, rectè subiũgitur: ⌊Factum est autem vt moreret mendicus & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.⌋ Pauper autem in sinum Abrahæ portatur, quia per fidem gentilis populus ad societatem patriarcharum colligitur, domino dicente: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam & Isaac & Iacob in regno cęlorum. At vero Iudæorum populus, qui credere noluit, propter perfidiam repellitur. Vnde bene dicitur: ⌊Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.⌋ Rectè in capite huius lectionis primum posuit diuitem, deinde pauperem: nũc vero primum pauperem, deinde diuitem, vt ostenderet quia Iudaicus populus, qui fuerat in capite superbiendo & se exaltando, factus est in cauda: gentilis se humiliando, qui erat nouissimus, factus est primus, quia (sicut per Sapientissimum Salomonem dicitur) superbum sequitur ignominia,

Philip.3.
Isa.56.
Psal.67.
Matt.8.

& humilem spiritu gloria. Vnde & dominus in euangelio ait: Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Et iterum: Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Qui Abraam à longe conspicit, quia ei per imitationem (vt dictum est) proximus fieri noluit. Qui plus in lingua se cruciari perhibet, quia verba legis, quę in ore tenuit, opere implere cōtempsit. Rectè etiam in lingua magis ardere dicit, quia Iudæi acuerunt linguas suas sicut serpentes, quando cōtra autorem vitæ dixerunt: Crucifige crucifige eum. Non habemus regem nisi Cæsarem. Qui ab extremo digito Lazari se refrigerari precatur, quia illi qui in ęterno supplicio sunt damnati, minimis sanctorum operibus, si fieri posset, optarent esse participes. Quod quia post mortem fieri non potest, rectè diuiti voce Abrahæ dicitur: Memento fili quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Quinq; autem fratres diues se habere testabatur, quia populus Iudaicus quinq; libros Moysi accepit. Vnde rectè per Abraam dicitur: Habent Moysen & prophetas. Vel quia eiusdem pars populi, qui adhuc in præsenti vita subsistit, in quinq; sensibus corporis constat, quos sensus qui ad spiritalem intellectum flectere noluit, rectè de eorum contumacia subinfertur: Si Moysen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit credēt. Ideo enim in Christū, qui ex mortuis resurrexit, non credunt, quia Moysen & prophetarum dicta spiritaliter nō intelligunt. Vnde saluator ait in euangelio: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit.

DOMINICA TERTIA post Pentecosten. I. Ioh. III.

Nolite mirari, si odit uos mundus. Et reliqua.



Mundum, dilectores mundi dicit. Nec mirandū quia q amant mundum, fratrē à mundi amore separatum & cœlestibus tantum desiderijs intentum, amare non possint. Abominatio est enim peccatori religio, vt scriptura testatur.

Nos scimus quia translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.

Nemo de se virtutibus falso extollat, nemo suarum virium paupertatem vltra modū metuat. Apertum dat indicium, quoniam diligimus fratres. quia quicunq; fraterna dilectione plenus est, ad salutem electorū ptinet, ea portionē habere in terra viuentiū meruit.

Qui non diligit, manet in morte.

Mortem dicit animæ. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Vita quippe carnis, anima: vita animæ, deus est. Mors corporis, amittere animam: mors animæ, amittere deum. Vnde constat, quia in anima mortui omnes in hanc lucem nascimur, trahentes ex Adā originale peccatum, sed Christi gratia fidelibus regenerando agitur, vt in anima viuere possint. Verum baptismatis & fidei mysterium illis solum prodest, illos de morte trahit ad vitam, qui syncera mente diligunt fratres. Atque ideo notandum, quod non ait, qui non diligit, venturus est in mortem, quasi de pœna perpetua loqueretur, quæ restat peccatorib^9 in futuro. Sed qui non diligit, inquit, manet in morte, de qua etiam in hac vita, si fratres pfectè amaret, exurgere posset. Hinc etem dicitur in Apocalypsi: Beatus & sanctus, qui habet spem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.

Si contemnebat quisq; odium fraternum, nunquid & homicidium in corde suo contēpturus est? non mouet manus ad occidēdum hominem, & homicida iam tenetur à deo, viuit ille, & iste iam interfector iudicatur.

Et scitis quia omnis homicida nō habet uitam in se manentem.

Nam vbi retributionis tempus aduenerit, cum Cain qui ex maligno erat, damnabitur etiam qui hoc homicidij genere tenetur, vt discordet & dissideat, & pacem cum fratribus non habeat. Notandum enim qd non ait absolute, homicida non habet vitam in se manentem: sed omnis, inquit, homicida, scilicet nō solum ille qui ferro, verum & ille q odio fratrem insequitur.

In hoc cognouimus charitatem dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.

Qualis perfecta charitas esse debeat in nobis, dominicæ passionis exemplo didicimus. Maiorem nanq; hac dilectionem nemo habet, q vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Vnde & Paulus ait: Commendat aūt deus suam charitatem in nobis, quoniam cū adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hanc beatus Petrus habere monebatur, quū domino dicēte, Petre amas me? pasce oues meas, respondit se amare, statimq; audiuit: Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit (ait euangelium) significans qua morte clarificaturus esset deum. Cum enim amorem confitenti suas com

mendaret oues, eum in testimonium perfecti amoris animam pro eisdem ouibus ponere docebat.

Et nos debemus pro fratribus animas ponere.

Sed dicit aliquis forte, Et quomodo possum habere istam charitatem? Noli cito desperare de te, forte nata est, sed nōdum perfecta est, nutri eam, ne offocetur. Et vnde noui, inquit, natam in me esse charitatem, quam nutriam? Audi sequentia.

Qui habuerit substantiam huius mūdi, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quō charitas dei manet in eo?

Ecce vnde incipit charitas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, iam idoneus esto da re de tuis facultatibus fratri. Si enim molestiam patienti non compateris, non vtiq; pateris, ex q̄ ambo regenerati estis, charitas manet in te.

Filioli mei, non diligamus uerbo neque lingua, sed opere & ueritate.

Opere videlicet, cum frater aut soror nudi sunt & indigent victu quotidiano, demus eis quæ necessaria sunt corpori. Similiter cū spiritalibus donis eos egere conspicimus, præstemus eorum necessitati quæ possumus. Veritate autem, vt eadem eis beneficia simplici intentione largiamur, & nō propter laudem humanam, non propter iactantiam, non ad iniuriam aliorum, qui maioribus prędiis substantiis nil tale fecerint. Quæcunq; enim mēs huiusmodi neuis inficitur, in hac puritas veritatis habitare non valet, tametsi opera dilectionis proximis impendere videatur.

In hoc cognouimus quoniam ex ueritate sumus, id est, cum opera pietatis in veritate facim⁹, patet quia ex veritate sumus, quæ deus est, vtpote qui eius perfectionem pro modulo nostro imitamur.

DOMINICA TERTIA post pentecosten. Lucæ XIIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis similitudinem hanc: Homo q̄dam fecit cœnam magnam, & uocauit multos. Et reliqua.



Mnipotens deus in exordio mūdanæ formationis, ad se cognoscendum, se{q} perpetualiter laudandum, duas rationabiles creaturas, angelicam scilicet & humanam, condidit. Sed quia angelica magna ex parte per superbiam lapsa est, humanæ naturæ stanti inuidit, eamq; ad lapsum peccandi traxit, atq; paradisi delicijs priuauit. Vnde scriptum est: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Sapie. ii. Has delicias primus homo amisit, quando in paradiso præcepta vitę contempsit. Expulsus autem à paradiso, tam longe ab eius delicijs peccando effectus est, vt vix eas nominatas recordari possit atq; spiritales paratus tangere, nisi per similitudines & parabolas. Quia hoc inter carnales & spiritales delicias distat, quoniam carnales deliciæ, cum habentur, in fastidio sunt: cum vero non habentur, in desiderio. At contra, spiritales deliciæ tunc in fastidio sunt, cum non habentur, eduntur: & quanto magis degustantur, tanto amplius desiderantur. Hinc & Psalmista ait: Gustate & videte quoniam suauis est dominus. Primum dixit, gustate: deinde, videte. Ac si diceret: Eius dulcedinem percipere non potestis, si hanc minime gustastis. De quo & apostolus Petrus dicit: Si enim gustastis quoniam dulcis est dominus. Quia ergo ab earum degustatione homo peccando longe recesserat, pius & misericors deus nolens humanam naturam, quæ aliquid fragile ad delinquēdum habuerat, perire perpetuo, iterum pœnitentibus has delicias præparauit, atq; ad earum saporem hominibus denūciandam, seruum suum misit. Nam (vt supra retulit euangelista) cum diceret dominus pharisæo, à quo fuerat inuitatus: Cum facis prandium aut cœnam, uoli inuitare eos qui te iterum reinuiteut, & fiat tibi retributio, sed voca pauperes ac debiles, & beatus eris, quia nō habent, vnde retribuāt tibi, retribuetur enim tibi in retributione iustorum, quidam de circunstantibus dixerunt: Beatus qui manducabit panem in regno dei. Et dominus ad illos: Homo q̄dā fecit cœnā magnā, & vocauit multos. Spiritualiter homo iste deus est intelligēdus, de quo scriptum est: Homo est, & quis cognoscit eum? Et iterum: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Qui vere homo vocatur ab humanitate, quia benignissimam largitatem quotidie generi humano exhibet. Qui fecit cœnam magnā, quia indeficientem satietatem in æterna dulcedine electis animabus præparauit. Vocauit autem multos, primum per semetipsum Iudæis prædicando, postmodum per prædicationem apostolorū ex quatuor mundi partibus populum gentium ad fidem vocando, de qua vocatione per Psalmistā dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Super numerum reprobi multiplicantur, quia extra numerum electorum inueniuntur. Multi enim vocantur, sed pauci veniunt: quia multi intrāt in ecclesiam per

fidem, sed pauci saluantur per operationem. Et ne de ignorantia homines excusationem haberent, misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent. Seruus iste ad inuitandos alios mittitur, ordinem prædicatorū significat. Qui dum verbum diuinum intra ecclesiam annunciant, quasi plurimos ad cœnam vocant. Non solum enim diuinæ pietati satis fuit, quod æternas delicias nobis præparauit, sed etiam seruis missis, earum dulcedinem nobis enunciant. Ex quibus vnus erat ille, qui dicebat: Pro Christo legatione fungimur, tanq̄ deo exhortante per nos. Rogamus ergo in Christo, recōciliamini deo. Hora cœnæ, finis est seculi, ille scilicet, de quo Paulus ait: Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt. Et Iohānes: Filioli, nouissima hora est. Quamuis enim apud antiquos consuetudo fuerit, vt semel in die pranderent, & hoc conuiuiū & prandium & cœna vocaretur, tamen apud vsum nostræ locutionis, post prandium cœna restat, post cœnam autem nullum conuiuium remanet. Vnde non incongrue per hanc cœnam dies iudicij, siue illud æternum conuiuium figuratur, ad quod qui peruenire meruerint, non esurient neq; sitiēt amplius, neq; nocebit eis æstus aut sol: quia

Isa. 49. miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. De qua cœna per Iohannē dicitur: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, in his secunda mors non habet potestatem. Cuius cœnæ participationem se nouerat habere, qui dicebat: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Et item: Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Tanto ergo ad hāc cœnam festinantius currere debemus, quāto post hāc aliam inuenire non nouimus, domino monēte: Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Nam vt fastidium auferret, subiunxit, dicēs:

Quia iam parata sunt omnia.

Omnia enim parata sunt, quia ille singularis agnus occisus est, in cuius præparatione omnia præcesserunt. Siue omnia parata sunt, quia nullum exemplum virtutis est, quod ad nostram imitationem in operibus sanctorū non sit declaratū. Iam enim innocētiam Abel audiuimus, obedientiam Abrahæ, cōstantiam Isaac, tolerātiam Iacob, castimoniam Ioseph, mititiam Moysi, misericordiam Dauid, patientiam Iob, & finem domini vidimus.

Et cœperunt omnes simul excusare.

Offert deus quod rogari debuerat, dare paratus est nō rogatus, de quo vix credi potuit, q̄d largiri dignaretur, etiam postulatus. Inuestigādæ em̄ sunt deliciæ dñi, etiam si fuissent absconditæ. Nunc aūt manifeste paratæ sunt, & tamen ad eas accipiendas pigri & fastidiosi sumus. Quod ideo fit, quia plus terrenis desiderijs, quàm cælestibus inhiamus. Vnde & subditur:

Primus dixit ei: Villā emi, & necesse habeo exire & uidere illam: rogo te, habe me excusatum.

Quid per villam, nisi terrena designat substantia? Exijt ergo videre villam, qui vt terrenam acquirat substantiam, in exterioribus rebus semetipsum implicat. Sunt enim nōnulli, qui diuitiarum temporalium cupiditate capti, vt ditiores & potentiores alijs appareant, diuersis artibus & ingenijs, terrenis negocijs inseruiūt. Dumq; æternam vitam aut vix aut tarde ad memoriam reducunt, etsi nō verbis tamen operibus ad conuiuium dei venire negligunt: quia sicut ait Apostolus, Nemo militās deo, implicat se negocijs secularibus. Et 2. Tim. 2 sicut dominus dicit in euangelio, difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum. Igitur qui toto desiderio peragendis superfluis curis & mundanis intendit, magis seculum imitari videtur q̄ deum, sicut Iacobus apostolus ait: Qui voluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. Et iterum: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia. 1. Tim. 6

Et alter dixit: Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum.

Quid in quinq; iugis boum, nisi quinq; sensus corporis intelliguntur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus & tactus? Qui bene iuga vocantur, qui in vtroq; sexu geminantur. Quos sensus ideo accipimus, vt inter bonum & malum discernere valeamus. Sunt etenim nonnulli, qui sensus corporis, quos acceperunt ad vsum naturæ, in vsum conuertūt culpæ: & oculos quidem ad concupiscentiam, & aures aperiunt ad audiendam libenter detractionem, linguam ad maledictionem, manus ad proximi læsionem, nares ad illicitū odorem. Dumq; semetipsos obliuiscentes, aliena opera ad derogādum curiosius inquirunt, non vt corrigant aut emendent, sed vt diiudicent & contemnant, ad conuiuium dei nō veniunt. Vnde bene de quinq; iugis boum dicitur, Eo probare illa. Solet enim probatio aliquando ad curiositatem pertinere. Qui em̄ de alterius oculo festucam eijcere nititur, vt sanctior & iustior videatur cæteris, in suo trabem non videns, quasi ad probanda iuga boum egrediens, ad conuiuium domini non venit. Graue nanq; curiositatis est vitium, quidum alienas actiones diiudicat, semetipsum obliuiscitur. Tales significauit Dina Iacob filia, quę cum egressa esset vt videret mulieres Gen. 34.

regionis illius, videlicet Sichimis, ad quam ingressa fuerat cum patre & fratribus, turpiter à Sichem Emor filio cõstuprata, patre interueniente & fratribus pugnantibus liberata, ad paternam domum reuersa est. Quando enim mens infirmãtium actiones curiose perscrutatur, quasi Dina filia Iacob mulieres re-
Gene. 43 gionis videre desiderans, à paterna domo egreditur, id est, à semetipsa recedit: sicq; violata virginitate ad domum paternam reuertitur, quia solet contingere vt in iisdem vitiis deterius labatur, in quibus acrius alios iudicabat, quã decebat. Et sicut Dina filia Iacob, nisi patre interueniente & patribus pugnantibus liberari non poterat: ita quoq; actio curiositatis eripi non poterit, nisi domino miserante & sanctorum orationibus interuenientibus. Qui ergo adhuc in ætate puellari, id ẽ, nouellus in conuersatione fuerit, in paterna domo maneat, id est, in secreto sui pectoris se ante se ponat, & iuxta euangelij præceptum intret in cubiculum, & clauso ostio oret patrem suum. Illi autem ad aliorũ actiones corrigendas foras procedere debẽt, quos & morum grauitas, & ætatis maturitas, & diuturna sanctitas, atque temperata discretio idoneos reddit. Notandum quod & is qui propter villam, & is qui propter quinq; iuga boum venire excusat, in excusatione sua eadem verba proferunt, cũ dicunt: Rogo te habe me excusatum. Cum enim dicit, Rogo te, humilitas sonat in voce: cum autẽ subiungit, habe me excusatũ, superbia ostenditur in actione. Sunt enim nonnulli infirmæ mentis homines, qui suaue iugum Christi suscipere metuunt, & tamen in iniquitatibus suis iacere nõ formidant. Tales (vt Psalmista ait) illic trepidauerunt timore, vbi non est timor. Quibus cum à doctoribus prædicatur, vt prauitates suas deserant, & secularia desideria abnegẽt, respondere solent: Rogo te, ora pro me, hoc tamen agere nõ possum. Cum ergo dicit, Rogo te, ora pro me: & cum dicit, Hoc agere nõ possum, quid aliud est, nisi quia humilitas sonat in voce & sup̃bia in actione? Tales significauit Petrus adhuc in infirmitate positus, quando viso miraculo pisciũ, dixit: Exi à me, quia homo peccator sum domine. Sed qui se peccatorẽ considerat, deum à corde suo nullo modo repellat, sed quo magis se impiũ intelligit, eo magis misericordiã dei imploret.

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire.

Quid per vxorem, nisi voluptas carnis designatur? Nec mirum. Solet enim per licitam rem, res illicita figurari. Coniugium nanque est res licita, quia à deo concessum est, sicut scriptum est: Erunt duo in carne vna. Et Apostolus: Quos deus coniunxit, homo non separet. Sed dum pleriq; non pro desiderio filiorum, sed pro sola carnis delectatione explenda illud suscipiunt, ad conuiuium dei venire recusant, comparati iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis, in quorum vituperationem per prophetã dicitur: Equi ama- Ierem. 5
tores & emissarij, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat. Et iterum: Quorum carnes sicut carnes asinorũ, & sicut fluxus equorum fluxus eorum, quibus per Prophetam dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, quib⁹ non est intellectus. Tres ergo ordines dominus excusationum commemorauit, quia tria sunt spiritaliter vitia, in quibus genus humanum maxime implicatum, ad conuiuium dei venire contemnit, per quæ & diabolus Iesum Christum tentauit, id est, per auaritiam, p̃ curiositatem, quæ pertinet ad vanam gloriam, & per concupiscentiam carnis, id est, per gulam: quę solicite nos cauere Iohannes apostolus admonet, cum dicit: Charissimi, nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi. Emptio ergo villæ, ad ambitionem seculi pertinet, id est, ad auaritiã. Probatio quinq; iugorum boum, ad concupiscẽtiam oculorum, id est, ad curiositatem. Coniunctio vxoris, ad concupiscentiam carnis, id est, ad luxuriam. Alios enim superbia inflat, alios luxuria maculat, alios cupiditas vel curiositas deuastat. Ex earum enĩ radicibus multi vitiorum rami pullulant, qui multos à conuiuio dei reuocant. Fugientes ergo superiora vitia, non aliorũ nequitias perscrutemur, sed ad nos reuersi, cogitemus tales nos fuisse, aut tales nos esse posse. Cupiditatem & auaritiam fugiamus, & pauperes esse propter Christum desideremus, vt ait Apostolus: Habentes victum & vestimentum, his contenti simus. Petulantiam non solum fugiamus, sed etiam à licito vsu coniugij abstineamus: & (secundum Apostolum) habentes vxores, simus tanquam non habentes.

Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo.

Seruus iste (vt supra dictum est) speciem tenet doctorum. Nunciat ergo seruus domino suo verba excusantium, cum doctores pro illorum erroribus dolent, atq; simpliciter dominum deprecantur, quos verbum dei despicere cognoscunt & ad cœnã venire. Sed nunquid quia auari, quia curiosi, quia luxuriosi venire contemnunt, locus conuiuij domini vacuus remanebit? Non. Audi sequentia:

Tunc iratus paterfamilias.

Quæritur quomodo iste paterfamilias irasci dicitur, quem figuram dei diximus tenere, cum in deo nulla ira cadat, nulla mutabilitas

tandum autem, quia in hac tertia inuitatione non dicitur, ⌊voca,⌋sed ⌊cōpelle intrare.⌋ Sunt enī plerią; qui non facile ad deū cōuertuntur, nisi prius aut infirmitate aut paupertate aut aliqua necessitate constricti fuerint: quod illa parabola euangelij de prodigo filio ostendit, qui cum egere cœpisset, ad se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris me abundant panibus, ego autem hic fame pereo: surgam, & ibo ad patrem meum, & di cam ei, Pater, peccaui in cælum & coram te, iam nō sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et de talibus
Psal. 77. Psalmista ait: Cum occideret eos, tunc inquirebant eum. Et sicut per prophetā dicit, Tan-
Isa. 28. tummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. Nonnulli enim electi post carnis desideria currere desiderāt, cum amatoribus mūdi communem vitam ducere, sed oculus diuinæ misericordiæ eorum impias actiōes præueniens, alios infirmitate affligit, alios paupertate attenuat, alios necessitatibus varijs coangustat. Cumą; post flagella ad deum conuertuntur, quasi ad conuiuium eius intrare compelluntur. Talibus per prophetā dicitur, Virga & flagello castigaberis filia Sion, vt non discedat zelus meus à te. Tales significauit pu
1. Re. 30. er ille Amalechites, de quo in Regnorum libris legitur, qui socijs fugientibus infirmus in via remansit, quē Dauid persequens Amalechites repperit, eumą; cibo & potu refocillauit, atą; ducem sui itineris fecit, & ipse postea cum Dauid Amalechites percussit, à quorum consortio infirmus in via remansit. Amalechites enim, qui lambens populus interpretatur, mundi amatores significat, qui de aliorum facultatibus ditari desiderant. Sunt enim nonnulli electi qui cum talibus communem vitam ducere optant, sed cum misericordia dei præueniente, aut infirmitate, aut aliqua necessitate præpediuntur, quasi infirmi in via remanent, quos Dauid, id est, manu fortis dominus scilicet Iesus Christus reperiens, spirituali cibo & potu refocillat, atą; eorum mentes ad cælestia sitienda accendit. Et solet contingere, vt ipsi postea ad deum conuersi, amatores mundi spiritali gladio increpando feriāt, cum quibus prius communem vitam in
Osee. 2. seculo ducere desiderabāt, qualibus per Osee prophetam pie comminatur, dicēs: Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & sequeris amatores tuos, & non apprehendes eos, quæres, & non inuenies eos, & dices, Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Valde aūt terribile est, quod in conclusione huius parabolæ dicitur:

Dico aūt uobis q̄d nemo illorꝝ uirorū, q uocati sunt, gustabit cœnā meā.

Quod omnes enim vocati sumus, scimus: vtrum autem ad æternam beatitudinem degustandā peruenturi, adhuc ignoramus. Multis enim modis vocat nos deus, per fidem, p baptismum, per exempla patrum, p prospera & aduersa, per somnia & reuelationes. Quia ergo inexcusabiles sumus de vocatione, soliciti debemus esse, necesse est, in bona operatione, ne tēpore iudicij à cōuiuio dei exclusi, cum fatuis virginibus fame pereuntes & clamantes, Domine domine, aperi nobis, audi- Matt. 25
amus: Amen dico vobis, nescio vos, sed potius cum prudentibus virginibus in æterna satietate de visione cōditoris iugiter epulemur.

DOMINICA QVARTA post pentecosten. I. Petri V.

Charissimi, Humiliamini sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis. Et reliqua.



Modo fratres charissimi audiuimus beatum Petrum apostolū ad humilitatem nos cohortantem atą; dicentem: ⌊Humiliamini sub potenti manu dei.⌋ Manus dei, potestas eius datur intelligi, quia in deo compaginatio membrorum non inuenitur, q vbią; & in omnibus totus est plenus, atą; perfectus. Sub more hominū de deo loquitur scriptura, vt apertius maiestatē atą; potentiam sui creatoris homines intelligant, & intelligentes quæ sit volūtas dei, opere cōplere contendant, vnde gaudia sibi sempiterna conquirant. Sequitur: ⌊vt vos exaltet in tempore visitationis.⌋ Quia quisquis hic in præsenti seculo eius se subdiderit voluntati, & in præceptis eius assensum commodauerit, & ea, quantū diuina gratia posse dederit, opibus adimplere satregerit, carnis superbiam cōterendo, in die vltimæ retributionis exaltabitur à dño, atą; ad æternæ beatitudinis p̄mia perducetur.

Omnem solicitudinem uestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de uobis.

Vt Psalmista nos admonet, dicens: Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Et alibi: Inquirentes autem dñm, non deficient omni bono. Et ipse dominus in euangelio: Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnū dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Sobrij estote, & uigilate.

Semper in sobrietate & modestia vitam vestrā habetote, cauentes semp astutias diaboli,

& vigilate iugiter in custodia mandatorum dei, & in custodia animarum vestrarum. Sequitur:

Quia aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quęrēs quem deuoret.

Diabolus enim nunquam dormiens, nūquam ab insidijs hominum requiescens, sed semper die & nocte circuit tentando & insidias ponendo hominibus, qualiter quenquam illorum, qui dei volūtati subiecti sunt, sua valeat suggestione decipere, L quærens quem deuoret. non corpore, sed anima, quemcunq; ad nociua & inutilia valeat pertrahere carnalia desideria.

Cui resistite, fortes in fide.

Exemplo Christi & sanctorum eius contemnentes dulcedinem carnalis concupiscentiæ, recordantes iugiter quid sit illis amaritudinis præparatum, qui desiderijs terrenis inseruiunt, nec conuerti à malitia sua per pœnitentiam volunt. Nos ergo fideliter domino adhærere satagamus, eiusq; præcepta iugiter meditemus, carnis nostræ desideria conteramus, & resistamus fortiter diabolo hostinequissimo, in fide recta, in spe firma ad dei oipotentis misericordiam, in charitate perfecta ad seruitium eius, in operib⁹ misericordiæ & pietatis, vt eius largiente gratia, mereamur & de hoste triumphum, & æternæ beatitudinis præmium.

Deus autem omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternam suam gloriam in Christo, per incarnationē vnigeniti filij sui, quem pro mundi misit mori salute.

Modicum passus, qui in hoc mundo, q̄uis modici temporis, multas sustinuit pro nobis iniurias, ad vltimū etiam crucifixus & occisus est pro redemptione nostra, & mori dignatus est pro nobis. Modicumq; temporis retentus à morte, statim surrexit tertia die.

Ipse perficiet in nobis bonum quod cœperat, nosq; in sua semper voluntate, & in diuina religione cōfirmet & corroboret, in perseuerantia bonorum operum.

DOMINICA QVARTA post pentecosten. Lucæ XV.

In illo tempore: Erant appropinquātes ad Iesum publicani & peccatores, ut audirent illum. Et reliqua.



Icut vnius pecatoris casus multos ad desperationem trahere solet, qui eius malum exemplum imitantur, sic vnius recuperatio multis prodest ad salutem. Quod in exordio huius lectionis facile comprobamus, si superiora huius euangelij sollicite consideremus. Vt enim euangelicus sermo supra retulit, Transiens Iesus, vidit hominem sedentem ad telonium, nomine Leui, qui & ipse princeps erat publicanorum, & vocauit eum. At ille relictis omnibus surgens, secutus est illum. Et fecit ei conuiuiū magnū in domo sua, & erat turba multa publicanorum discumbentiū cum eo. Ergo publicani & peccatores videntes principem suum tam benigne à deo non solum receptum, sed etiam in ordinem apostolatus vocatum, tandem resumpta fiducia, quasi ægroti ad medicum accesserunt, vt audirent illum. Et non solum ad colloquendum, sed etiam ad conuescendum recepti sunt. Quod videntes scribæ & pharisæi, qui de falsa iustitia sibi applaudebant, nō solum ægrotos ad medicum accedentes, sed etiam ipsum medicum ore contumaci reprehendebant, dicentes:

Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

Vnde cognoscimus, quia sicut vera iustitia compassionem habet, sic falsa dedignationē. Dominus autem Iesus Christus veram iustitiam habens, compassione & misericordia publicanos & peccatores suscipere non est dedignatus. Pharisæi quidem qui falso se iustos arbitrabantur, non solum peccatores despiciebant, sed ipsum medicum peccatores vocantem reprehendebant. De quorum numero erat ille vnus pharisæus, nomine Simon, qui cum inuitasset dominum ad domum suam, & vidisset mulierem peccatricem lachrymis pedes eius rigantem, & capillis suis tergētem, dicebat in corde suo: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est hæc mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Quē præueniens dominus, ait illi: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille dixit: Magister, dic. Ait illi: Duo debitores erant cuidam fœnoratori, vnus debebat denarios quingētos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligere habuit? At ille hoc, quod negare non potuit, respondit, dicens: Aestimo quia is cui plus donauit. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquā pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi nō dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti, hæc autē vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa. Sed illis murmurātibus, dñs talē similitudinē adhibuit, vt & eorum murmurationē ex rōne cōpesce-

ret, & ipsa similitudo ad ipsum autorem oim specialiter pertineret.

Ait enim ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex uobis homo, qui habet cẽtum oues, & si perdideret unã ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam, quę perierat, donec inueniat illam?

Acsi diceret: *Si* vos ouem perditam studio tanto & labore inquiritis, non oui, sed vestrę auaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem debeo ad imaginem dei factum quęrere, & de perditione liberare? Quia non veni quenquam perdere, sed omẽs saluare. Spiritaliter homo iste ille est, de quo propheta ait: Ecce veniet deus & homo de domo Dauid, scilicet dominus Iesus Christus, qui habuit centum oues, quando angelicam & humanam naturam perfectam creauit. Centenarius enim numerus perfectus est, & ipse cẽtum oues habuit, quando ad obtinendam ęternam perfectionem angelorum & hominum naturam condidit. Vna enim ouis tunc perijt, quando primus homo peccauit. Sed ille, cuius misericordia est ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum, nolens humanam naturam perpetuo perire, relictis nonagintanouem ouibus in deserto, abijt illam q̃rere quæ perierat. Desertum hic cælum intelligitur. Quia enim desertum dicitur derelictũ recte in hoc loco cælum desertum vocatur, quia primus homo peccando illud deseruit. Quod manifestius significare volẽs alius euangelista pro deserto, in montibus posuit, vt intelligas, in excelsis. Reliquit ergo nonagintanouem in deserto, quando illos angelicos spiritus in cęlo relinquẽs, propter nos & propter nostram salutẽ humanam naturã suscepturus, intrauit terram. Notandum tamen quia nõ sic eos deseruit, vt semper per diuinitatis potentiam cum illis non esset, per quam vbique est præsens, vbique est totus, sicut & nos deseruit, quãdo ad illos redijt. Quæ fuit eñ ouem se non quærentem, quia natura humana cum non posset accedere ad eius diuinitatem, factus est nobis vicinus per humanitatem, teste Apostolo, qui ait: Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus. Et item: At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suũ factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Et cum inuenerit eam, imponet in humeros suos gaudens.

Per humeros dei, labor passionis eius exprimitur. Quoniam ergo habet homo maiorem fortitudinem in humeris ad onera portanda, quàm in cæteris membris: merito per humeros virtus passionis designatur, sicut Isaias ait: Et factus est principatus eius super humerũ eius. Quia eñ in humeris onera portare solemus, inuentã ouem in humeris posuit, quando nos per laborem suæ passionis ad cælestem gloriam reuocauit. De quo per beatum Petrum dicitur: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati sumus. Eratis eñ sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopũ animarum vestrarum. Siue impositam in humeris ad gregem reportauit, quando nos ad suam similitudinem reformauit. Hoc est ergo ouem inuentam in humeris imponere, quod iuxta aliam parabolam) hominem à latronibus vulneratum, imponere in iumentum & ducere in stabulum.

Et ueniens domum.

Domus, ad quam inuenta ouis reportatur, cælestis est patria, ad quam illa spiritalis ouis pij pastoris humeris se reportari optabat, cũ dicebat: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meę, Vt videam voluptatem domini, & visitem templum eius. Et iterum: Erraui sicut ouis quæ perijt, require seruum tuum domine. Inuenta ergo oue, ad dominum reuertitur, quia post liberatam humanam naturam, post triumphum suæ passionis, ad cælum redijt per gloriã ascensionis. Quanta aũt gloria de hominis liberatione angelis in cælis orta sit, manifestatur cum subditur:

Vocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.

Amici & vicini angelorum spiritus sunt, qui amici recte vocantur, quia ab eius veritate nunq̃ discordant. Vicini, quia visionem claritatis illius e proximo contemplantur. Notandũ autẽ quod non ait, congratulamini inuentæ oui, sed mihi, ostendens quia nostra salus illius est gaudium. Pijssimus enim deus, cum sit immutabilis, sicut humano more cõtristari pro hominum perditione dicitur, sic de eius salute gaudere. Quod autem de hominum perditione doleat, ipse per prophetam declarat, cũ enumeratis Ierusalem peccatis, adiungit, dicens: In omnibus istis contristabas me. Quantum autem de eius salute gaudeat, euangelista declarat, dicens: In illa hora exultauit Iesus spiritu, & dixit: Confiteor tibi domine, pater cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Cuius gaudij perfectionem dominus declarat, cum exponens similitudinem subiungit, dicens:

Dico uobis quod ita gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Maius ergo gaudium est in cælo de cõuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis: quia & nos terrenam substantiam perditam cum maiori gaudio recuperamus, quam ante perditionẽ possideremus. Quod manifeste illa parabola euangelij indicat, vbi prodigum filiũ reuertentem pater cum magno gaudio suscepit, dicens: Proferte cito stolam primã, & date anulum in manu eius, & calceamenta in pedes, & occidite vitulum saginatum, & epulemur & iucundemur: & quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Sed forte mouet aliquẽ, quomodo angeli dei, in quibus summa pfectio est, magis de cõuersione peccatorum, quàm de statu iustorum gaudere possint? Ad quod dicẽdum, quia sunt nonnulli electi, qui deo se protegẽte nulla capitalia crimina commiserunt, & tñ nullis virtutibus principalibus se exercẽt. Et quia suo iudicio sibi iusti esse videntur, tanto securius viuunt, quanto se minus peccatores cognoscũt. Qui vero post publica flagitia & scelera ad pœnitentiam cõuersi, tanto se acrius affligunt, quanto grauius se peccasse meminerunt: & sibimet irati, carnem suam per abstinentiam & vigilias macerant: voluntates proprias abnegant, ieiunijs & eleemosynis inseruiunt, in orationibus & lachrymis compunguntur, & mortificantes semetipsos, crucifigunt membra sua cũ vitijs & concupiscentijs. De talium ergo peccatorum cõuersione maius gaudium est in cælo, quàm de illorum iustorum statu, qui (vt diximus) tanto minus se in bonis exercent operibus, quanto minus se obligatos sentiũt in malis grauioribus: quia & rex eum militem in prælio plus diligit, qui post fugã reuersus aduersarios viriliter premit, quam illum, qui nunquam iniit fugam, nec tamen aliquando aliquid fortiter gessit. Similiter & agricola eam terram plus diligit, quæ post exceptionem veprium & spinarum huberiores fructus reddit, q̃ illam quæ nunquam spinas protulit, nec tamen huberes fructus fecit. Sunt etiam alij iusti, qui cum iustitiæ opera habeant, se tamen minime ipsi iustos arbitrantur, & quasi conscij sibi sint magnorum peccatorũ, ita semetipsos accusant, affligentes se ieiunijs, vigilijs, orationibus: & sicut alij culpas operis, ita illi plerunq; deplorant culpas cogitationis. Considerandum ergo est, quia si de conuersis peccatoribus gaudium sit in cælo, multo magis maximum gaudium est de talium iustorum operatiõe. Neque angeli in quibus perfecta est charitas, sine gaudio salutem hominũ videre possunt, de quorum interitu dolere dicuntur.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unã, nonne accendit lucernam, & euertit domum & quærit diligenter donec inueniat?

Qui superius per pastorem, ipse nunc signatur per mulierem, dominus scilicet Iesus Christus, dei virtus & dei sapientia. Quæ mulier habens drachmas decem, quia angelorũ & hominum rationalem creaturam creauit. Nouem enim sunt ordines angelorum, id est, Angeli, Archangeli, Throni & Dominationes, Virtutes, Principatus & potestates, Cherubim & Seraphim. Decimus enim enim per superbiam cecidit. Sed vt electorum numerus compleretur, ad illius restaurationem homo decimus creatus est. Quia tantũm multitudinem ex animabus fidelium cælum credimus ascensuram, quantos illic contigit angelos remansisse, iuxta illud quod scriptum est: Statuit terminos hominum iuxta numerum filiorum Israel. Et sicut dominus ait in euangelio, In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt æquales angelis in cælo. *Luc. 20.* In drachma enim imago regis exprimitur: & quia angelorum & hominum spiritus ad imaginẽ dei creati sunt, recte in drachmarum nomine exprimuntur: Vnam drachmam mulier perdidit, quando primus homo peccauit. Sed dei sapientia, nolens hominem perire perpetualiter, accendit lucernam. Lucernam quippe accendit, quando humanam naturam, quam ex nobis assumpsit, virtute miraculorum per suam diuinitatem clarificauit. Lucerna enim lumen est in testa: lumen in testa, diuinitatis in humanitate. Sicut enim lumẽ in testa conualescit, ita dei caro per ignem passionis ad immortalitatem transiuit, sicut ipse per prophetam ait: Exaruit velut testa virtus mea. *Psal. 21.* Sed postquam mulier accendit lucernam, domũ euertit, quia cum dominus in humanitate apparuit, statim cor humanum ad pœnitẽtiam agendam conuertit, ipso dicente: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. *Matt. 3.* Euertitur quippe domus, quando homo illud quod nequiter gessit, grauiter in seipso puniens destruit.

Et cum inuenerit, cõuocat amicas & uicinas, dicẽs: Congratulamini mihi, quia inueni drachmã quã perdiderã.

Amicæ & vicinæ, supernæ ciuitatis virtutes sunt, & angelorum i. spiritus, qui ab eius voluntate nunquam discordant, nec ab illius visione aliquo interuallo tẽporis separantur.

Congratulabuntur nanque angeli in inuentione ouis & drachmę, quando numerum suum, quem per apostatam angelum imminutum viderunt, per recuperationem hominis compleri cernent. Notandũ autem, quia non ait, congratulamini inuētæ drachmæ, sed mihi, ostendens quia nostra liberatio, liberatoris est exultatio. Magna est enim spes cõuersis peccatoribus, magna fidutia pœnitentibus tribuitur, cum subinfertur:

Ita dico uobis, quia gaudiũ erit coram angelis dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentiis.

Quis igitur habet tam durum pect⁹, & impœnitens cor, vt hæc audiens non conuertatur? Vt ergo gaudium habeant de nostra cõuersione angeli, vtiq; dignum est, vt luctum
Psalm. 6. in terra teneamus, dicentes cũ Psalmista: Lauabo per singulas noctes lectum meũ, vt impleatur in nobis, quod dominus dicit in euā-
Matt. 5. gelio: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sed videdum est, qualis debeat esse pœnitentia, quia multi sunt, qui se peccatores assidue dicunt, & tamen adhuc delectat eos peccare. Alij à vino & carne se abstinēt, alij largas eleemosynas tribuunt: sed quia à peccato non cessant, fructus dignos pœnitētiæ non faciunt. Quoniam veram pœnitentiam facere non potest, nisi qui peccatum odit & deum diligit. Ille est enim pœnitens dicēdus, qui sic præterita deflet, vt iterum flenda non committat. Vnde bene pœnitentia dicta est, quasi punientia: quia ita præterita mala punire pœnitendo debemus, vt ea iterum pœnitēdo non committamus. Quia qui p̄terita plangit, & futura cauet, securus ad deum venit. Qui enim delectabiliter & sine cessatione malis operibus inhæret, & à cibis, quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarũ actione, se abstinet, magis irrisor quàm pœnitens dicendus est. Vtrunq; enim pœnitentibus necessarium, vt & pro peccatis amaritudinem habeant corde, & afflictionē in corpore, vt caro, quæ lęta nos traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, iuxta illius exemplum qui ait: Conuersus sum in ærũna mea, dum configitur spina. Vnde alibi voce pœnitentis dicitur: Manducabam sicut cinerem panem meum, & poculum meum cum fletu miscebam. A facie iræ indignationis tuæ. Et iterum: Ego autem dum mihi molesti essent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam. Hinc ecclesiastica cõsuetudo publicam pœnitentiam in cinere & cilicio indicere consueuit, vt in asperitate cilicij afflictio sentiatur exterius, & in visione cineris recordatio sit humanitatis interius. Hinc in voce beati Iob in persona pœnitentium dicitur: Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla in cinere. Nullus de magnitudine peccatorum desperet, quia etsi magni morbi animarum, omnipotens est medicus, qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Nullum enim vulnus peccati tã magnum est, vt per pœnitentiam sanari nõ possit, si tamen medicina pœnitentiæ non negligatur. Non enim ille mentitur q ait: In quacunq; die peccator conuersus fuerit, & ingemuerit, peccata illius obliuioni tradentur. Et iterum: Viuo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ezech. 18
Hinc peccatricem animam ad pœnitentiam prouocans, per prophetam dominus dicit: Nunquid potest mater obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Humana enim natura sicut facile cadit, sic facile surgere potest. Quia sicut ait saluator in præsenti lectione: Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiã agēte.

DOMINICA QVINTA post Pentecosten. Lucæ. VI.

In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Et reliqua.



IN cæteris virtutes quibus dominus Iesus Christus cęlestem gloriam quærere monuit, præcipue misericordiam commēdauit. Deniq; cum in monte sedens octo beatitudines discipulos suos doceret, ait inter cætera: Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiã consequentur. Quisquis ergo ad hoc præmium beatitudinis pertingere desiderat, virtutē misericordiæ studeat habere. Vt aũt ostēderet nõ solũ gratis, sed etiã ingratis misericordiam impendendam, postquam sententiam de dilectione inimicorum protulit, adiunxit hoc quod in capite huius lectionis audiuimus, dicens:

Estote ergo misericordes.

Primum ergo etymologiam huius nominis videamus, vt virtutes illius perfectius cognoscere valeamus. Misericordia eñ ex corde & miseria compositum est nomen, in qua compositione ostenditur, quia vbicunq; est miseria, ibi necesse est misericordia. Duobus autem modis misericordiam intelligimus: vna ē corporalis, & altera incorporalis: vna visibilis, & altera inuisibilis. Ad corporalem

tanq; misericordiam pertinet, esurienti ci-
bum, sitiēti potum tribuere, vestire nudum,
suscipere hospitem, visitare infirmum, sepeli
re mortuum, & peccantibus in nobis ex cor-
de dimittere, & necessitati proximorū iuxta
vires succurrere, & cætera his similia pietatis
opera impendere. Aut vero spiritalis miseri
cordia est insipientem docere, consolari dolē
tem, exhortari bene agentem, corripere ne-
gligentem, & superbientem ad humilitatem
& satisfactionem prouocare, & cætera talia.
Vna est ergo bona, & altera melior: q̄a tan-
to est melior misericordia spiritalis quā cor
poralis, quāto est anima melior quàm cor-
pus. Per vnam enim reficitur corpus, quod
est moriturum, per alteram anima sine fine
mansura. Igitur qui vtranq; potest impende
re, perfectus est. Si quis autem spiritalem im
pendere non valet, saltē corporalem non ne
gligat, vt in retributiōe iustorum audire me-
reatur. Venite benedicti patris mei, percipi-
te regnum, quod vobis parātum est ab origi
ne mundi. Hanc habere volebat Paulus apo
stolus discipulos suos, quibus dicebat: Indui
Colo.3 te vos, sicut electi dei, viscera misericordiæ,
estote inuicem benigni. Ad hanc habendam
Petrus apostolus per epistolam fideles ex-
hortatur, dicens: Omnes vnanimes estote in
oratione, compatientes, fraternitatis amato-
1.Pet.3. res, misericordes, modesti, humiles. Tanto
ergo studiosius hanc requirere debemus, q̄-
to in eius executione cælestis patris imitato-
res esse desideramus. Quantum enim perfe-
cta sit virtus misericordiæ, hinc liquido ostē
ditur, cum ad eius exhibitionem ipsius domi
ni prouocamur exemplo. Vnde & subditur:

Sicut & pater uester misericors est.

Vbi notandum quia ⌊sicut⌋ aduerbium si
militudinis, non semper ad æqualitatem, sed
aliquando pertinet ad similitudinem. Neque
enim sicut dominus est, nos per omnia esse
possumus, & tamen iuxta quandam similitu-
dinem, vt Iohannes apostolus ait: Sicut ille ē
1.Iohā.4 & nos sumus in hoc mundo. Iuxta hunc mo
dum locutionis & in hoc loco, sicut, ad simili
tudinem pertinet. Dignum est enim, vt sicut
nos patrem gloriamur habere in cælis, iuste
& pie viuamus in terris, intantum vt ipsa bo
na nostra opera filios dei nos esse demon-
strent. Sicut enim in humana natiuitate pa-
terni vultus similitudinem frequēter in filio-
rum facie inspicimus, ita si filij dei esse volu-
mus, cælestem patrem in terris imitari debe
mus. Vnde Apostolus ait: Si portauimus
1.Co.15. imaginem terreni, portemus & imaginē cæ-
lestis. Et sicut filijs regum cult⁹ preciosior &
dignitas sublimior commendatur, sic in no-
bis, qui filij sumus dei, in bonis operibus vir
tutes florere debent, vt charitate fulgidi, in
humilitate præcipui, castitate lucidi appare
amus, vt impleatur quod dominus ait: Sancti
eritis, sicut ego sanctus sum. Estote perfecti,
vt sicut ipse pius & misericors est, qui solem
suum oriri facit super bonos & malos, & plu
it super iustos & iniustos, ita non solum ami
cis, sed etiam inimicis & extraneis bona quę
possumus, impendamus, sicut dominus ait:
Diligite inimicos vestros, benefacite his qui
oderunt vos, quatenus in sorte filiorum dei
computari mereamur, vt impleatur in nobis
quod ipse ait in euangelio: Beati pacifici, quo
niam filij dei vocabuntur. Nec superfluum
videri debet, si ad hanc imitationem cælestis
patris subtilius indagandam, ex rebus visibi
libus aliquod exemplum sumamus. Tradunt
enim physiologi naturam esse aquilarum, vt
pullos suos contra iubar solis suspendant: &
quos more parentum irreuerberatis oculis
intueri viderint claritatem solis, cum omni in
digentia fouent & nutriunt. Quos autem ter
ram inspicere viderint, quasi adulterinos de-
ijciunt & contemnunt. Similiter de coruis di
cunt, quod tandiu pullos suos negligāt, quo-
usque similitudinem suam nigrescētibus plu
mis in illis inspiciant. In quibus similitudini
bus nos mystice mouemur, vt si filij dei esse
cupimus, æternæ claritatis gaudia mentis o-
culo contemplemur, & superni parentis simi
litudinem in bonis actibus ostendamus, vt
impleatur in nobis illud, quod ipse ait in euā
gelio: Luceat lux vestra coram hominibus, Matt.5.
vt videant opera bona vestra, & glorificent
patrem vestrum qui in cælis est. Teste enim
apostolo Petro: Cuius opera facit quis, eius
filius appellatur. Vnde Paulus nos admonet
dicens: Estote imitatores dei, sicut filij charis
simi. Hinc Iohannes ait: Filij dei sumus, sed 1.Iohā.3.
nondum apparuit quid erimus. Scimus autē
quia cum apparuerit, similes ei erimus, quo-
niam videbimus eum sicuti est.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.

Queris, q̄re dicat: ⌊Nolite iudicare & nō iu
dicabimini, cū ipse alibi dixisse legat: Si vide
ris fratrem tuum peccantem, increpa illum.
Et alio loco: Si peccauerit in te frater tu⁹, va Luc.17.
de & corripe eum inter te & ipsum solum. Si
te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si au-
tem te non audierit, adhibe tecum vnum vel
duos. Ad quod respondendum, quia in cor-
reptione fraterna, hæc discretionis regula te-
nenda, vt scilicet manifesta & aperta mala, &
vitentur & reprehendātur: ea vero, quæ quo
animo fiant à proximis, ignorantur, nō sunt
iudicanda, sed potius extra increpationem ac
cipienda. Sunt enim quædam opera, quæ &

bono & malo animo fieri possunt, de talibus periculosum est iudicare, maxime ne condemnemur. Sicuti verbi gratia, vides aliquem frequenter non ieiunantem, noli multum laudare, neq; multum detestari, quia potest fieri vt propter infirmitatem stomachi ieiunare non possit, aut propter appetitum gulæ ieiunare non velit. Hæc & his similia facile non sunt iudicanda, sicut apostolus Paulus dicit: Qui manducat, non manducantem, non iudicet: & qui non manducat, manducantem
1.Cor.4 non spernat. Et iterum: Noli ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à deo. Et alibi, vbi prohibet eos iudicare, qui carnibus vescebãtur, ab his qui
Coloss. 2 non vescebantur, dicens: Nemo vestrum iu-
Rom. 14 dicet in cibo aut in potu. Et item: Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Et rursus: Melius est non manducare carnem, neque bibere vinum, & cæt. Quoniam qui alium iniuste iudicat aut condemnat, iuste iudicabitur & condemnabitur. Sunt vero alia opera, quæ per semetipsa manifesta & aperta mala sunt, sicut sunt adulteria, furta, homicidia, rapinæ, ebrietates, & cætera talia, hæc à fidelibus non solũ reprehẽdenda sunt, sed & corrigenda ab illo, qui locum regiminis tenet, atque iudicanda, maxime propter illud quod dominus per prophetam dicit: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Est & aliud discretionis genus in correctione fraterna obseruandum, vt si verbi gratia occultum est peccatum, occulte corrigas & emendes, propter hoc quod dominus dicit: Si videris fratrem tuum peccantem, corripe eum inter te & ipsum solum. Si autem manifestum, & publicum est peccatum, publice argue & emenda, propter illud quod Apostolus ait:
1.Tim.5 Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Et sicut per Salomo-
Prou.26 nem dicitur: Qui corripit palam, pacem facit. Et iterum: Responde stulto iuxta stultitiam suam. Ad hoc enim diuina iustitia statuit in ecclesia, vt esset pastor in populo, princeps in seculo, vt vnus peccantes corrigat, alter vero corrigendo negligentes puniat. Quando autem in te frater tuus peccat, cum leui correptione dimitte ei. Vnde & subditur ita. Sed quia non sufficit declinare à malo, nisi quisque studeat facere bonum, postquam de non iudicandis proximis præceptum dedit, formam cui imprimamus, ostendit, dicens:

Dimittite, & dimittetur uobis.

Quod est dicere: Dimittite peccantibus in vobis, & dimittentur vobis peccata vestra. Non solum enim alios temere iudicare non debemus, sed etiam his qui nos iniuste iudicant, ex corde dimittere. Igitur dimittere ad ignoscẽda peccata pertinet, iuxta quod dominus alibi ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester dimittet vobis peccata vestra. Et item: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem. Quod autem adiungit:

Date & dabitur uobis.

Ad dandam eleemosynam pertinet, domino alibi dicente: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Dimittere enim iniurias debemus & eleemosynas dare, vt detur nobis vita æterna secundum quod domi- Luc. 11.
nus dicit: Facite vobis amicos de mammona Luc. 16.
iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Et forte quod daretur à vobis si quæreres, subiũxit, dicens:

Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem.

Mensura enim bona à bonorum omnium remuneratore dabitur, quando pro minimis maiora rependet, pro terrenis cælestia, pro transituris mansura. Quæ bene conferta dicitur, id est, plena & perfecta, & coagitata, quia ex nulla parte inanis erit & vacua. Superfluentem, id est, superabundantem. Hæc enim mensura plena, perfecta, & superabundans fideli seruo dabitur, quando dicetur: Euge serue bonæ & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Et quia de gloria beatæ patriæ, postquã accepta fuerit, nullus loc⁹ amittendi erit, recte dictum est:

Dabunt in sinum uestrum.

Sicut enim de ea re, quam in sinu habemus, certi securiq; sumus, ita postquã in gremio regni cælestis collecti fuerimus, æterna securitate firmi erimus, Iohanne in Apocaly- Apoc. 21
psi dicente: Absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et quia deus redditurus est vnicuiq; secundum opera sua, ad hue subinfertur:

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur uobis.

Si enim in nobis peccantibus libenter dimittimus, & deus omnipotens clementer dimittet nobis peccata nostra. Vnde quotidie in oratione eum poscimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui ergo peccanti in se dimittere non vult, vane & superflue à domino postulat, sicut ipse dicit: Si non dimi-
seritis hoibus peccata eorũ, nec pr vester cæ- Matt. 6.
lestis dimittet vobis peccata vestra. Vnde & Salomon: Homo homini seruat iram, & cæt.

Et iterũ, Dimitte proximo nocẽti te, Et. De præcanti redimitte ei, & peccata soluentur. Qui enĩ pro deo in præsenti vita maiorẽ laborẽ assumpserit, & huberiores eleemosynas tribuerit, maiorem remunerationem in æterna vita recipiet, teste Apostolo, qui ait: 2.Co.9. Qui parce seminat, parce & metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam.

Dicebat autem illis & similitudinẽ: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueã cadũt?

In hac similitudine dominus scribas & pharisæos specialiter percutit, qui locum magisterij indignè vsurpant, dominum deserentes, vt dominus alibi ait: Mãdatum dei trans Matt.15. gredimini propter traditiones vestras. Qui cum cæci essent, ita vt se cæcos esse nescierẽt, magistri fieri in populo non erubescebant: non lucrum animarum quærentes, sed suæ iactantiæ & cupiditati consulentes, non vt populo prodessent, sed honorabiliores & doctores in eo apparerent, amantes primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Quia enim illum videbant, qui dixit, Ego sum lux mundi, & non eum agnoscebant, proculdubio cæci erant, sicut dominus dicit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cumq; populum docerent quod nesciebant, & ipsi cæci cæcis ducatum præbentes vtriq; in foueam cadebant, sicut dominus alibi exprobrat eis, dicens: Væ vobis Luc.11. scribæ & pharisæi legisperiti, qui tulistis clauem scientiæ. Et alio loco sic: Væ vobis scri- Matt.23 bæ & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnũ cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec alios intrare sinitis. Sed cauẽdum nobis est, ne vitia scribarum & pharisæorum ad nos transeant, vt quod in illis reprehẽdimus, in nobis inueniatur. Sunt enim nonnulli, qui antequàm discipuli fiant, magistri fieri appetunt: & quibus non est sanctitas in moribus, nec maturitas in ætate, neq; doctrina in sermonibus suffragatur, inuerecunde locum regiminis appetunt, & ideo magistri erroris fiunt quia discipuli veritatis esse noluerunt. Cum enim aliquis per se viuens docendi officium indigne suscipit, quasi cæcus cæco ducatum præbere præsumit, & ideo ambo in foueam cadunt, quia & ille indigne præest, & iste malum exemplum sequitur, ac per hoc vterq; in errorem incidit. Vnde Iacobus dicit: Nolite fieri plures magistri. Omnis enĩ qui in viam veritatis alijs ostẽdere desiderat, cautissime cauere debet, ne aliter viuat quam doceat, nisi qualiter vixit Christus & docuit. Vnde & subditur.

Non est discipulus super magistrũ: Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

Solet nanq; in humanis disciplinis contingere, vt discipulus per acumen mentis antecellat magistrum. Magister ergo in hoc loco ille intelligitur, qui alibi ait: Vos vocatis Iohã.13. me, magister & domine, & bene dicitis: Et Matt.23 item: Nec vocemini magistri, vnus enim est magister vester, qui in cælis est. Quæ sententia à superioribus pendet, vbi dictum est: Dimittite, & dimittetur uobis. Date & dabitur vobis. Ac si diceret: Si magister vester, cum possit vt deus, suas noluit vindicare iniurias, & vos perfecti esse poteritis discipuli, si inter persecutiones non iniurias repẽdatis, sed patientiam exhibeatis, non quod ita perfecti esse possimus, sicut ipse ait, sed pro modulo nostræ capacitatis humilitatem & mansuetudinem illius imitari debemus, illius veri magistri exemplum sequentes, qui ait: Discite à me quia mitis sum & humilis Matt.11. corde. Sunt aliquanti, qui in aliorum vitijs corrigendis duriores & districtiores apparent, cum in suis blandiores & leniores existant. Vnde & subditur.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?

Quantum inter festucam & trabem, tantum inter peccatum maius & minus distat. Quod vt manifestius intelligatur, vnum e cunctis in medium proferamus: Verbi gratia, ira subitanea, festuca est: inueterata autẽ, trabes efficitur. Et ira quidem subitanea oculũ mentis perturbat, sicut per Prophetam dicitur, Turbatus est præ ira oculus meus. Odiũ autem mentẽ excæcat, teste Iohãne apostolo, 1.Iohã.2 qui ait: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat: quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius. Qui enim odium in corde seruans, fratrẽ subito irascentem durius reprehendit & diiudicat, quasi de alterius oculo festucã eijcere nititur, in suo trabem non videns. Sed quia cuius vita despicitur, illius prædicatio cõtemnitur, recte subiungitur:

Et quomodo potes dicere fratri tuo Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo, trabem nõ uidens?

Qui enim alterius minima peccata vult corrigere, necesse est vt primum sua corrigat & emendet, ne quando dicat illis deus, Psal.49 Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Qui enim alterius vitam discu

tere debet, purum oculum metis necesse est vt habeat, sicut Apostolus ad Timotheũ scri
1.Tim.3. bit: Oportet episcopum irreprehensibilem esse tanquam dei dispensatorem. Vnde dominus adhuc admonendo subiungit, dicens:

Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo,& tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

Hypocrita græce, latine simulator dicitur vel subauratus, quo nomine illi censentur, q aliud ostendunt exterius, & aliud seruant interius. Tales dominus in euangelio increpat,
Matt.23 dicens: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quoniam similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorũ & omni spurcitia. Sic & vos quidem à foris paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Quàm graue namque vitium sit hypocrisis, beatus Iob osten-
Iob.13. dit, cum ait: Non enim veniet in cõspectu domini omnis hypocrita. Et iterum. Congregatio hypocritarum sterilis. Et: Simulatores &
Prou.11. callidi prouocant iram dei. Et Salomon: Simulator ore decipit amicum suum. Pessimũ quippe genus est hypocritarum, qui hoc seculo carnem macerant, & in futuro mercede priuantur: quia sicut dominus ait: Receperũt mercedem suam Sunt enim nonnulli, qui cũ serui sint vitiorum, vt appareant hominibus iusti, aliena peccata acriter corrigunt, de quibus scriptura dicit: Est correptio mẽdax in ore contumeliosi. Talibus conuenit quod dominus ait: Hypocrita, ejice primum trabẽ de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui. Neque hæc dicentes aliquem à fraterna correptione prohibemus, maxime cum sicut Iacobus Apostolus ait: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Sed quotiescunq; fratrem peccare videmus, nostræ fragilitatis memores, benigne & leniter corrigere debemus, monente Paulo apostolo: Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Cum autem aliquem incorrigibiliter vitijs inhærere conspicimus, zelo rectitudinis accensi, durius increpare debemus, exemplo illius q ait: Vidi præuaricantes, & tabescebam. Et iterum: Nonne qui oderunt te domine, oderã? Perfecto odio oderam illos. Tunc enim sine culpa irasci videmur, quando talem asperitatem non ira, sed zelus format, in exemplo Moysi, qui exijt à Pharaone iratus nimis, qa eius nequitiam incorrigibilem vidit.

DOMINICA SEXTA post Pentecosten.

.I.Petri.III.

Charissimi, Omnes unanimes in oratione estote. Et reliqua.



FRaternitatis vnanimitas veluti vrbs inexpugnabilis, hostium non patet insidijs. Habet enim sancta, vt Salomon ait, castrorum aciem ordinatam, quàm tyranni & persecutores vnà cum autore suo diabolo non valent erumpere: quia in vniente Christo nec martyres persecutio, nec virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporales gloriæ de uincit ambitio.

Compatientes. Sicut enim gaudere debemus cum gaudentibus, ita & flere cum flentibus, sicut Paulus faciebat apostolus, qui dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? 2.Co.2.

Fraternitatis amatores.

Qui ergo amat homines, aut quia iusti sunt, aut vt iusti sint, amare debet, sicut & seipsum amare debet, aut quia iustus est, aut vt iustus sit. Dilectionem autem fraternã quantum commendat Iohannes apostolus, attendamus: Qui diligit, inquit, fratrem suum quẽ videt, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Et item: Dilectissimi, diligamus nos inuicem, quia dilectio ex deo. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognouit deum. Et dominus inquit: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Et in hoc scient om̃es quia mei estis discipuli, si vos inuicem dilexeritis. 1 Ioh. 2

Misericordes. Scriptum quippe est: Facere misericordiam, magis placet deo, quàm victimæ. Et qui pronus est (inquit scriptura) ad misericordiam, benedicetur: Et dominus ait: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.

Humiles. Scriptum quippe est: Perdit deus memoriam superborum, & non derelinquit memoriam humilium. Et dominus inquit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et ad quem respiciam, dicit dominus, nisi ad humilem & quietum? Matt. 11

Non reddentes malum pro bono.

Scriptum quippe est: Ne dicas, reddam malum pro malo, expecta deum, & liberabit te. Et item: Qui vindicari vult, à deo inueniet vindictam, & peccatum illius seruãs seruabitur.

Nec maledictum pro maledicto.

In hoc enim exemplum domini tenẽdum est, qui cum malediceretur non maledicebat.

Sed e contrario benedicentes.

Vt illud: Benedicite maledicentibus vobis, benedicite & nolite maledicere.

Quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.

Benedictio est hæreditatis omnis virtutũ copia cælestis, in qua sancti hæredes quidem dei, cohæredes autem efficiantur Christi, cũ Matt.25 audierint: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

Qui enim uult uitam diligere.

Id est, vitam æternam, beatam, & in futuro sine fine mansuram.

& uidere dies bonos, in quibus sancti cum sanctis iucundentur in cælis, q dies non propter interruptionem noctis, sed propter perpetuitatem dicuntur luminis.

Coerceat linguam suam a malo.

Id est, à malo detractionis, maledictionis, ac murmurationis, siue generaliter, omnino lingua refrenanda est à malo. Ait enim Iacobus: Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Nam & qui custodit linguam suam, inquit scriptura, custodit animam suam.

Et labia eius ne loquantur dolum.

Dolus, non dolor, sed fraus intelligitur: quando aliud cor de tenetur, & aliud ex ore profertur.

Declinet aũt a malo, & faciat bonũ.

Id est, destruat vitia, & virtutes ædificet: relinquat quæ instigat diabolus, vt operetur quæ præcipit Christus.

Inquirat pacem & sequatur eam.

Id est, diligenter orando & humiliter interrogando perquirat Christum, qui factus est pax nostra, & imitetur eum, sequi etenim imitari est. Siue secundum Apostolum, pacẽ sequatur & sanctimoniam, sine qua nemo videbit deum.

Quia oculi domini super iustos.

Id est, aspectus diuinitatis.

& aures eius in preces eorum.

Id est, auditio diuina, qua dignatur preces audire iustorum.

Vultus autem domini super facientes mala.

Vt quid vultus domini super faciẽtes mala? Audi sequentia: Vt perdat de terra memoriam eorum, i. de terra viuentium. Et illud: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.

Et quis est qui uobis noceat?

Subauditur nullus. Iuxta huius sententiæ locum, passiones vel persecutiones non faciunt esse miseros, sed præstant esse beatos.

Si boni æmulatores fueritis.

Id est, si boni dei, de quo scriptum est: Nemo bonus nisi solus deus. Siue generaliter, si ue omnium bonorum æmulatores, i. imitatores fueritis virtutum. Matt.19

Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati, subauditur eritis.

Hanc sententiam dominum dicentem Petrus audierat, vbi ait: Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorũ est regnum cælorum.

Timorem autem eorum, id est, persecutorum, ne timueritis, ut in fide non turbemini.

Et hoc dominus admonuit, vbi ait: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui habet potestatem corpus & animam perdere in gehennam.

Dominum autem Christum sanctificate in cordibus uestris.

Vbi dominus qui cuncta creando sanctificat, nisi corde pio & corpore casto? Sic dominus Iesus sanctificãdus est in cordibus nostris, vt nomine eius vocemur Christiani, & vt nihil sanctius eius nomine sentiamus. Sanctificemus eum in fide, spe, & charitate, credendo, colendo, & adorando, vt ab illo saluari pariter mereamur & sanctificari.

DOMINICA SEXTA post Pentecosten.

Lucæ. V.

In illo tempore: Cum turbę irruerent in eum ut audirent uerbum dei & ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et reliqua.

De piscib⁹, quos apostoli ad iussionem domini laxatis retibus ceperunt, locuturi, primum de situ loci videamus. Ait enim euangelium:

Cum turbæ irruerent ad Iesum ut audirent uerbum dei, & ipse stabat secus stagnũ Genezareth. Et uidit duas naues stantes.

Stagnũ Genezareth idẽ est, qđ & mare Tiberiadis, & mare Galilææ. Sed mare Tiberiadis à Tiberiade ciuitate est dictum: mare Galilææ ab adiacente sibi prouincia, quæ & Galilæa nominatur. Stagnũ Genezareth à Græ-

eo vocabulo dictum est, quasi auram generans, eo quod flantibus ventis, crispantibus vndis, auram ex se generare videatur. Tenet autem hoc mare siue stagnum centum quadraginta stadia in longitudine, quadraginta vero in latitudine. Nec propter hoc mare vocatur, quod amaræ sint aquæ eius, sed Hebrææ linguæ consuetudo est, omnes congregationes aquarum, siue salsæ sint, siue dulces vocare mare, sicut in Genesi scriptũ est: Cõgregationesq; aquarum appellauit maria. Spiritaliter autem hoc mare mundum significat, id est, mundi amatores. Quia sicut mare semper fluctuat, nec quietum stare valet, ita mundus diuersis perturbationibus & fluctuationibus, commouetur, sicut per Psalmistam dicitur: Commouisti domine terrã, &
Psal. 59 conturbasti eam. Crescit enim nascendo, decrescit moriendo: eleuatur in prosperis, deijcitur in aduersis. Dominus secus stagnũ stetit, quando (sicut ait Apostolus) semetipsum
Philip. 2. exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et pulchre non in stagno, sed secus stagnum stare dicitur, quia venit in mũdum per naturam, sed alienus fuit à mundo per culpam teste apostolo Petro: Qui pecca
1. Pet. 2. tum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Recte quoq; non ambulasse, nec pertrãsisse, sed stetisse dicitur, nimirum ostendens seipsum esse, qui per diuinitatis potentiã semper incommutabilis permanet, qui vbiq; est præsens, vbiq; totus, nec mouetur, nec de loco ad locum transit, cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt, sed semper illi æqualiter atque æternaliter esse est, qui ait per prophetam: Ego deus, & non mutor. Siue certe
Malac. 2 secus stagnum stat, qui resurgens à mortuis, carnem quam ex nobis assumpsit, in littore incorruptionis constituit. Ac per hoc sicut ipse incommutabilis est, ita electos suos æterna incommutabilitate firmat. Turbæ autem quæ ad eum irruerunt amore verbi dei, multitudinem fidelium significant, qui ei credendo & amando appropinquant, de quibus per
Isaie. 2. Isaiam dicitur: Venient ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine domini. Et per Psalmistam: Omnes gentes quas-
Psal. 35. cunque fecisti, venient & adorabunt coram te domine. Sed quia ista turba credentium, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus futura erat recte, subditur: Et vidit duas naues stantes secus stagnum. Duæ naues, duos ordines significant credituros, vnum ex Iudæis, alterum ex gentibus, non quod in vnitate fidei diuisio sit, sed quia ex vtroque populo in ecclesia colligitur. Bene autem vtrasque Iesus vidisse dicitur, quia ex vtroque populo præsciuit, qui in eum credituri essent.

Nouit enim dominus qui sunt eius. Nam videre, eligere est, sicut Nathanaeli à domino dicitur: Cum esses sub ficu, vidi te. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ibidem. 1.
Piscatores sunt ecclesiæ doctores, quorum priores Apostoli fuerunt, qui retia suæ prædicationis in mundum extendentes, multos ex vtroq; populo in fide ceperunt, de quibus per prophetam dicitur: Mittam piscatores meos, & piscabuntur eos &c. Retia doctrinã Iere. 16.
prædicatorum significant, quæ dum diuersis patrum sententijs roboratur, quasi varijs filis contexta ligantur. Et pulchre retia prædicatorum doctrinam significant, quia sicut retia pisces quos capiunt, retinent, ita prædicatio veritatis, quos in fide capit, facile non amittit. Vnde bene retia, quasi retinentia sunt vocata. Lauant autem piscatores retia, quando sancti prædicatores castigant corpus suum, & seruituti subijciunt: nec aliter viuunt, nisi quomodo alios viuere docent, cauentes, ne alijs prædicantes, ipsi reprobi inueniantur, illius exemplum imitati, de quo scriptum est: Cœpit Iesus facere & docere. Vel lauant piscatores retia sua, quando prædicatores suam Actuũ. 1.
doctrinam subtiliter examinant & discutiũt, ne aliquid in ea hæreticum aut peruersum sonet.

Ascendens autem in unam nauem, quæ erat Simonis, rogabat eum ut a terra reduceret pusillum. Et sedẽs, docebat de nauicula turbas.

Nauis Simonis, primitiua ecclesia, ex Iudæis collecta. Quæ ideo Simonis dicitur, quia specialiter ei est commissa: quoniam in initio suæ prædicationis, multi Iudæorum per eum crediderunt, quando eo prædicante vna die crediderunt tria milia, & multa turba sacerdotum obediebat fidei. Illi enim à domino dictum est: Tu es Petrus, & super hãc Matt. 16
petram ædificabo ecclesiam meam. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Vnde & Paulus apostolus ait: Qui operatus est Petro in apostolatum circuncisionis, operatus ẽ & mihi inter gentes. Galat. 2.
Siue certe nauis Simonis, ecclesia ex gentibus intelligi potest, quæ nunc ei à domino commendata est, quando audiuit: Tu es Petrus &c. Et iterum: Simon Iohannis, diligis me plus his? Pasce oues meas. Iohã. 20.
Bene autem dicitur.

Vna. Quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Nec quisquam eorum quæ possidebat, suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Docebat autem de nauicula turbas, quia prædi-

catores sancti nō aliam quàm ecclesiasticam debent insinuare doctrinam.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum.

Notandum, quod primum à terra nauem pusillum reducere iussit, nūc autem in altum ducere iubet, ostendens temperandū esse sermonem doctoribus in prædicatione. Infirmi enim auditores non subito ad profunda mysteriorum sunt introducendi, sed prius pusillum à terra submouendi, id est, à terrenis curis & carnalibus actibus separandi. Horū fragilitatem dominus tolerādam insinuat, cum Simoni præcipit vt nauem pusillum à terra reducat. Nec propter tales deferendi sunt perfecti, sed ad alta mysteriorum dei pronocandi, quod dominus significare voluit, quando Simoni dixit: ⌊Duc in altum.⌋ Aliter: Cum autem pusillum à terra reducere iubet, prædicationem apostolorum in proximas nationes esse extendendam ostendit. Cum vero ait: Duc in altum, eandem prædicationem vsque ad fines terræ esse peruenturam demonstrat. Quod tunc impletum est, quando apostoli Iudæis dixerunt: Vobis quidem oportuerat primum loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce couertimur ad gentes. Bene autem subdit:

Laxate retia uestra in capturam.

Captura enim locus est capiendis piscibus aptus, vnde & nomen cōgruum habet. Cum ergo dicit: ⌊Laxate retia vestra in capturam,⌋ ostendit illic prædicationem apostolorum esse laxandam, vbi nouerat esse electos, qui caperentur in fide, quod liber Actuum apostolorum declarat, cum dicit. Quia cum vellent apostoli ire Bithyniam, non permisit eos spiritus Iesu. Non enim ibi erat tunc locus capturæ aptus. Cum autem in Macedoniam pergere non disponerent, apparuit in somnis Paulo vir Macedo, deprecans eum & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos. At ille intelligens visionem sibi à deo esse ostensam, pertexit Macedoniam, laxans ibi retia sua in capturam. Notandum uero, quia alio tempore retia plicantur, alio capturæ laxantur, quia non est om̄e tempus aptum doctrinæ, sed alio tempore retia prædicationis extendūtur, alio doctores suinet curam habent. Actu. 16

Et respondens Simon ait illi: Præceptor, per totam noctē laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete.

Bene præceptorem eum appellat, quia cum per totam noctem in piscationis officio frustra laborasset, statim vt ad eius iussiōem retia laxauit, multitudinem piscium cepit. Nox in scripturis aliquando pro ignorantia vel cæcitate mentis ponitur. Per totam ergo noctem laborantes nihil ceperunt, quia nisi dominus illuminet mentem auditoris interius, in vacuū laborat sermo doctoris exterius, scriptura dicente: Nisi dominus ædificaue rit domum, & cæte. Et: Nisi dominus custodierit ciuitatem, & reliqua. Qui enim aliis prædicat, non in sua sapientia vel eloquentia confidere debet, sed in virtute dei. Vnde bene per Simonem dicitur: ⌊In verbo autem tuo laxabo rete.⌋ Psal. 126

Et cū hoc fecissent, cōcluserunt multitudinem piscium copiosam.

Bis in sancto euangelio legimus, quod ad iussionem domini laxata retia copiosam multitudinem piscium ceperunt, nunc ante passionem, & secundo post resurrectionem. Sed hoc inter vtranque piscationem distat, quia in hac piscatione retia laxari iubentur, sed tamen, in qua parte mitti debeant, non designatur: in illa autem, specialiter in dexteram partem missa perhibentur. In hac piscatione, præ multitudine piscium rete rumpitur: in illa vero multi & magni capti sunt, & retia rupta non sunt. In hac numerus piscium non exprimitur, in illa certus numer⁹ designatur, cum centum quinquaginta tres capti memorātur. Vnde per hanc piscationem ecclesia designatur, qualis est modo. per illam vero, qualis erit in futuro. Quandiu enim ecclesia in præsenti vita manet, vtriusque partes ciues retinet: quia bonos simul & malos recipit. Multi enim (vt ait Apostolus) confitentur verbis se nosse deum, factis autem negant, de quibus per Psalmistam dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Et pulchre in illa piscatione, quæ post resurrectionem facta est, in dexteram partem nauigii retia missa esse leguntur: quia sicut per sinistram præsens vita, ita quoq; per dexteram sempiterna figuratur, sicut per Salomonem dicitur: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. In hac piscatione, quæ ante resurrectionē facta est, boni & mali pisces capti dicuntur, in illa vero soli boni: qa in præsenti ecclesia boni & mali inueniuntur, in sempiterna autem vita nemo malus inuenitur. Nusquam enim soli boni nisi in cælo, & nusquam soli mali nisi in inferno. Hæc autem vita, sicut media est inter cælum & terram, ita vtriusque ciuitatis ciues in se continet. Titi. 1. Psal. 39 Cant. 2

Rumpebatur autem rete eorum.

Quia ipsi ecclesiam variis hæresibus scin-

dere conati sunt, qui in ea per fidem capti tenebantur, qualis fuit Iudas proditor, & Simō magus, & quales erant illi, de quibus Iohan
1. Iohā.2 nes apostolus ait: Exierunt ex nobis, sed nō erant ex nobis. Sed quia numerus electorū non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus colligendus erat, recte subinfertur:

Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent eos.

Alia nauis (vt superius diximus) ecclesia ē ex gentibus vocata. Annuerunt ergo socijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos, quia plures inter gentiles inuenti sunt, qui apostolis in prædicatione adiutores existerent.

Et uenerunt & impleuerūt ambas nauiculas, ita ut pene mergerentur.

Impletio nauium, perfectionem significat ecclesiæ, quæ quotidie ex conuersione credētium impletur, & vsque in finem seculi implebitur. Periclitantur autem naues, sed nō merguntur, quia sæpe persecutionibus hæreticorum ecclesia concussa est, sæpe falsorum fratrum iniqua operatione commota, sed mergi non potuit, quia Christum in funda-
Matt.16 mento habuit, ipso dicente: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & cæt. Et sic-
Mat. 7. ut alibi ait: Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enī erat supra firmam petram.

Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi a me, quia hō peccator sum domine.

Sunt nonnulli infirmi intra sanctam ecclesiam, qui peccatorum suorum magnitudine pressi, vias vitæ quasi difficiles ingredi metuunt, & tamen in suis iniquitatibus iacere non formidant. Quorum personam Petrus hic in se exprimit, cum viso miraculo piscium procidit ad faciem Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum domine. Sed q se peccatorem considerat, deum desperādo à se repellere non debet, sed pijs gemitibus & assiduis fletibus eius misericordiæ appropinquare, nihil dubitans de eius promissione, q ait: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sunt etiam & alij, qui carnaliter viuentes, spiritualium rectorum disciplinam imperium esse arbitrātur, & dum eis spiritale magisterium onerosum videtur, iugum ecclesiastici regiminis à suis ceruicibus excutere conantur. Cumq; peruerse viuant, aliquando voce, nōnunquam etiam morum prauitate spiritales magistros, quibus nolentes subiecti sunt, à se recedere persuadent. Horum ergo subiectionem significauit Petrus, eo quod procidit ad genua Iesu: morum vero prauitatē, in eo quod ait: Exi à me, quia homo peccator sum domine. Sed quid spiritales magistri agere debeant, ille pastor pastorum exemplo suo docet, quia non à rogāte Simone discessit, sed spiritalem doctrinā impendit. Non enim propter abiectos super bos deserendi sunt humiles, sed quia potius cum bonis corrigēdi & tolerandi sunt mali, dicente Salomone: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.

Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erāt, in captura piscium quam cœperant. Similiter autem Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis.

Quia isti discipuli diuini mysterij adhuc capaces minus erant, subitanea captura piscium non solum stupore, sed etiam timore circundati sunt. Sed eorum fragilitatem dominus consolatur, cum pauentem Simonē confortans dicens:

Noli timere.

Imo in pauente Simone, omnes pœnitentes confortare videt, ne de magnitudine peccatorum desperent. Vbi manifeste ministerium prædicandi, quod ei commendaturus erat, prædicit, cum ait:

Ex hoc enim iam homines eris capiens.

Non enim officium piscādi vetuit, sed spiritaliter commutauit. Nam post domini resurrectionem legimus eum isse piscatum. Et pulchre, qui piscator erat piscium, piscator hominum futurus prædicitur, vt sicut materiali reti pisces de profundis gurgitibus ad littus trahere solebat, ita spiritali prædicatione homines de amaris mundi fluctibus ad fidem traheret.

Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt illum.

Non putandum est hanc eandem esse vocationem, qua Matthæus binos de nauiculis discipulos ad Iesum sequendum vocatos narrat. Non enim hic ab illo vocati esse dicuntur, sed viso miraculo piscium, subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti illū esse memorantur. Vbi intelligendū est, quia post hæc ad propria redierunt, & fuimet curam gesserunt. Postea vero ab illo vocati, vt Matthæus Marcusq; commemorant, relictis nauibus & reti, secuti sunt illū, ita vt vlterius ad propria non redirent.

DOMINICA SEptima post Pentecosten.
Matthæi V.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Amen dico uobis, nisi abundauerit imstitia uestra plus quã scribarum & phariseorum. Et reliqua.



Vi putant præcepta veteris testamẽti districtiora esse quàm noui, discant ex præsenti lectione suam ignorantiam confiteri, audiantq; ipsum saluatorem discipulis dicentem:

Amen dico uobis, nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Iustitia scribarum & pharisçorum erat, hominem non occidere: iustitia vero eorum, q regnum cælorum intrare desiderant, maior esse debet, vt non solum homines non occidant, sed ne irascantur, aut odio habeant. Iustitia scribarum & pharisæorum erat, diligere amicum & odio habere inimicum: iustitia autem eorum, qui intraturi sunt in regnũ cælorum, maior esse debet, vt non solum amicum in deum, sed etiam inimicum diligant ꝓpter deum, dicente domino: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Iustitia scribarum & pharisæorum erat, non mœchari cum vxore proximi sui: iustitia eorum qui regnum cælorum intrare desiderant, maior esse debet, vt non solum adulterium non perpetrent in corpore, sed etiam nec delectent in corde, propter illud qđ dominus ait: Qui viderit mulierem ad concu-
Hebr. 13. piscendum eam, iam mœchatus est eã in corde suo. Et propter illud Apostoli: Fornicatores & adulteros iudicabit deus. Iustitia scribarum & pharisæorum erat, aliena non rapere: iustitia eorum qui ingredi desiderant regnum cælorum, maior esse debet, vt & propria largiantur, & raptoribus non resistant, domino dicente: Nolite resistere malo, & si quis quod tuum est tulerit, ne repetas. Quib⁹ exemplis profecto patet, quia pręcepta noui testamenti tanto sunt districtiora, quãto spiritalia. Illa enim quasi paruulis & carnalibus carnalia sunt data, in quibus perfectio nõ est manifestata, sed malitia resecata. Hæc vero spiritalibus spiritalia sunt dona, quæ non terrenam possessionem, sed cælestem præparãt mansionẽ. Illius temporali iustitia temporale prẽmiũ expectabaẜ, dicẽte dño: Obserua & audi præcepta dñi dei tui, vt bene sit tibi & lõge viuas tẽpore, & ingressus possideas terrã lacte & melle manantem. Perfectio noui testamenti vitam pollicetur æternam, quã nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se. Quibus ergo maius præmium promittitur, maior debet esse iustitia. Aliter: Iustitia scribarum & pharisæorum esse putabatur, quanquam non esset iustitia, quod exterminabant facies suas, vt apparerent hominibus ieiunantes, intus autem pleni erant rapina & iniquitate. Iustitia vero eorum, qui regnum dei intrare desiderant, maior esse debet, vt sanctitas quæ apparet in corpore, multo magis seruetur in corde. Iustitia scribarũ & pharisæorum videbatur esse, quod alligabant onera grauia & importabilia, & imponebant in humeros hominum, digito autem suo nolebant ea mouere. Iustitia eorum, qui regnum cælorum intrare volunt, maior esse debet, vt mandatum dei primi custodiãt, nec prætermittant quæ alios custodienda docẽt vel docuerunt. Iustitia scribarum & pharisæorum esse cernebatur, quod decimabant mentham & anethum & cymium & omne olus horti, maiora autem legis prætermittebant. Iustitia eorum qui regnum dei intraturi sunt magis abundare debet, vt sic minima præcepta dei custodiant, quatenus maiora non prętermittant.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Antiquis dictum est.i. populo Iudæorum cui à domino per Moysen præceptum erat, vt non occideret: aut si quis occideret, & ipse occideretur.

Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

Id est, ego nouus homo qui nõ veni soluere legem, sed adimplere, quiq; elegi vos de mundo, & mandatum nouũ do vobis, vt vos inuicem diligatis, ego autem dico vobis: quia oĩs qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Tanta ergo pœna punitur ira in nouo testamento, quanta homicidium in veteri, secundũ quod Iohannes apostolus ait: Omnis qui odit fratrem suũ, homicida est. In nonnullis aũt codicibus ita scriptum legitur: Oĩs qui irasciẜ fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Quod quidam ita intelligendũ putauerũt, q̃si tunc ira non esset peccatum, qñ ab alijs læsi vel prouocati irascimur. Sed radendum ẽ, sine causa. Non enim sine causa, vel cum causa Christiano fratri irasci permittitur, cui à domino præceptũ est: Noli resistere malo, sed ꝑcutienti maxillã, p̃be ei & alterã, & ꝓ ꝑsecutoribus exora. Seruũ eñ dñi (vt ait Apostolus) non oportet rixari, sed mãsuetum esse ad

omnes, etiam ad eos qui contraria sapiunt. Et sicut Iacobus apostolus ait: Ira viri iustitiam dei non operatur. In magna obseruantia charitatis stimulus iræ circuncluditur, quia nemo eum quem veraciter diligit, occidere potest.

Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio.

Racha nec græcum est, nec latinum, sed proprie Hebraicum. Dicitur enim [illegible], id est inanis & vacuus, quē nos sine sensu vel absque cerebro possumus appellare. Quidā autem etymologiam huius nominis de græco trahere voluerunt, putantes dici pannosum. Græce enim pānus [illegible] dicitur. Sed nos vim huius verbi subtilius perspicientes, nihil aliud intelligimus esse racha, nisi vocem incondıtam irati animi, commotionem significantis. Quales sunt interiectiōes apud grammaticos, sicut dicitur a dolente heu, ab irascente hei, à cadente atat. Et pulchre dicitur: Qui di xerit fratri suo racha. Frater enim nos[illegible] qui eodem precio nobiscum redemp[illegible] eodem baptismo ē regeneratus. Si e[illegible] dominus ait) de ocioso sermone [illegible] dituri sumus in die iudicij, mu[illegible] de contumelioso.

Qui autē dixerit fatue, [illegible] gehennæ ignis.

Notandum autem in ho[illegible] gradatim de minimis ad maio[illegible], quoniam pro qualitate [illegible] etiam comminatur. [illegible] o c[illegible] solummodo [illegible]am: in [illegible]ndo, duo. i. iram & v[illegible] iræ commotionem significātis: in Matt. 12 terti[illegible] ia: iram, vocem & contumeliam. Sicut [illegible]o maius peccatum est, dicere fatue, quā so[illegible] dicere racha: sic grauius est reum [illegible]m reum iudicio, vel co[illegible] di scutitur: & is qui reus e[illegible] quam innocens inuenitur, in con[illegible] reus conuictus est, qua pœna puniatur ab alijs tractatur, & adhuc euadere solet. In gehenna autem ignis, nulla ē liberatio. Et ideo in retributione pœnæ, quantitas peccati designatur. Gehennæ nomē in tota serie scripturarum veteris testamenti non reperitur, sed à saluatore primum in euāgelio positum cognoscitur. Compositum autem nomē est gehenna ex ge & ennon, quia vallis gratuita interpretatur. Fuit enim vallis filiorum Ennō iuxta Ierusalem, vbi propter scelus idololatriæ multa iacuerunt cadauera mortuorum. Et ideo vbicunq; nomen gehennæ ponitur, inferni pœna designatur. Sed ne asperam videretur saluator protulisse sententiam, cum dixerit reum esse gehennæ ignis eum, qui di xerit fratri suo fatue, statim remedium recon ciliationis subiunxit, dicens:

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuū ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum.

In quibus verbis solicite considerare debemus, quantum ipse in nobis fraternū amorem diligat, q̄tumve malum discordiæ odio habeat, cum munera ante altare nō oblata relinquere iubet, & prius reconciliari fratri. Cū enim dominus nostra non nisi propter nos quærat, illi pacis hostiam nequaquam offerre possumus, quàm diu fratribus impacifici sumus. Nec putandum est quod ei tātummodo munera offerimus, cum manibus oblationem ante altar[illegible]us, sed quādo orationi insistim[illegible]m & vigilias car[illegible] cum [illegible]mosynas tribui[illegible]cipi[illegible]udum cooperi[illegible] cætera his similia [illegible]is opera implemus, tunc munera deo o[illegible]mus. Cauendum ergo summopere est, ne [illegible]m discordiæ contra aliquem in corde [illegible]us, & propter hoc nostra munera in co[illegible] dei accepta non sint, quomodo d[illegible]lem hostiam (vt dictum est) o[illegible]ssumus, quandiu proximis impla[illegible]us. Notandum autem qui non ai[illegible]bes aliqd aduersus fratrem [illegible]ter tuus habet aliquid ad[illegible] enim frater noster [illegible] aliquid, quando [illegible]m ergo est ad recon[illegible]iam petere voluerit, quæ [illegible], clementer est dimittendū, [illegible]oc quod dominus [illegible]stabi[illegible]ndum, dimittit[illegible] [illegible]ulare noluerit, [illegible] [illegible]mittendi sunt, q[illegible]m ad humilitat[illegible] satisfactionem prouoc[illegible] iuxta præceptum domini dicentis: Si te [illegible] noluerit frater tuus, adhibe tecum vnum [illegible] duos, vt in ore duorum vel trium testi[illegible] oīe verbū. Matt. 18. Si autem contumax & superbus perseuerauerit ille, qui in te peccauit, nō necesse est vt tu ei veniam postules, sed tamen propter deum ex corde dimitte, vt securus [illegible]cedens ad altare, dicere possis: dimitte nobis [illegible], sicut & nos dimittim⁹ debitoribus nostris. Matt. 6. Et vt impleatur in nobis quod dominus ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Quod si ex vtraque parte negligentia contigit, ab vtraque veniæ satisfactio procedere debet. Hæc tamen discretio in hac reconciliatione obseruanda est, vt si ille qui alium læsit, temporale damnum intulit, quod

iniuste abstulit, iuste restituat. Si autem verbo aut conuitio tantum proximo fecit iniuriam, sufficere creditur sola veniæ postulatio ad satisfactionem. Vnde post reconciliationem à domino dicitur:

Et tunc ueniens offeres munus tuum. Esto consentiẽs aduersario tuo dum es in uia cum eo.

Forte mouet aliquem ad quærendum, quis sit aduersarius noster, cum quo concordare nos iubet dominus noster. Cui respondendũ est, quia aduersarius iste sermo dei intelligitur, non quia rectè aduersarius sit nostræ salutis, sed quia contradicit nostræ carnali voluntati. Verbi gratia: Carnalis delectatio ꝑtrahere nos cupit ad adulterium, contrarius autem tibi sermo dei clamat: Adulteri regnũ dei non possidebunt. Et alibi: Fornicatores & adulteros iudicab[illegible] Et iterum: Qui viderit mulierem ad [illegible]endum eam, iã mœchatus est e[illegible] Si autem audita hac voce, vi[illegible]eris [illegible]nem, id est, ar[illegible] libidi[illegible]tiæ restrinxe[illegible] concordasti cum ad[illegible] tuo in bon[illegible]. Dicamus & aliud, suggerit tibi ebrie[illegible] immittit faucibus tuis siccitatem, vs[illegible] peruenias ad ebrietatem, sed cõtradi[illegible] sermo diuinus: Videte, ne grauentur c[illegible]stra crapula & ebrietate. Et iterum: [illegible]num dei non possidebũt. Vince er[illegible]onem potandi, & cõcorda cum a[illegible]. Sic de cæteris vitijs sentiendum [illegible]aro cõcupiscit aduersus spiritum[illegible] carnem. Et hæc sibi [illegible] nõ ea quæ volumus faci[illegible]sens est vita. Quamdiu e[illegible]ta manemus quasi in via & in [illegible] & n[illegible] [illegible]iam peruenimus. [illegible]g[illegible] cum aduer[illegible] nostro concorda[illegible]mur, quia post m[illegible]m, nec audiend[illegible]bum dei, nec emen[illegible]di locus erit. Salom[illegible]ne testante, qui ai[illegible] Quodcũq; potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos quo tu properas. Vnde & de his, qui tarde conuerti negligunt, dicitur: Inuocabũt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me, eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem domini non assumpserint, nec acquieuerint consilijs meis, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Valde autem timendum est, quod infertur:

Ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.

Si audire nolueris, & cum aduersario tuo concordare neglexeris, ipse tradet te iudici, id est, ipse sermo dei erit in testimonium tuæ damnationis, qui prohibitor fuit tuæ correptionis. Et non solum sermo dei erit tibi testimonium, sed & ipsæ cogitationes aduersum te consurgent, sicut Apostolus ait: Cogitationum inuicem aduersantium, aut etiã defendentium in die, quando iudicabit deus occulta hominum. Nam & ipsa terra in qua peccamus, nobis in testimoniũ erit, nisi prius medicina pœnitentiæ sanati fuerimus, teste beato Iob qui ait: Et terra aduersum me clamat. Minister autem cui traditur is, qui cũ aduersario suo concordare noluit, diabolus intelligitur, qui super eos ministeriũ accipiet iustæ damnationis, qui sponte se [illegible]runt prauæ actioni. Ipsos enim [illegible] habebunt in pœna, quos persuasores habuerunt in culpa. Carcer autem inf[illegible]nus est, vbi ẽ vermis, qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, de quo per Iohannem in Apocalypsi dicitur: Omnes blasphemi, forn[illegible]res, & adulteri mittentur in stagnum ignis & sulphuris. [illegible]utem subiungit:

[illegible] dico tibi, non exies inde donec [illegible]ddas nouissimum quadrantẽ.

[illegible]duerbium finitum pro infinito pos[illegible], quod non solum hoc in loco sacra [illegible], sed etiam plurimis in locis facere [illegible] sicut dominus per Prophetã ait: Do[illegible]is, ego sum. Et Psalmista: Sicut oc[illegible] in manibus dominæ suæ, ita oculi [illegible]dominum deum nostrũ, donec [illegible] Numquid aut post illorum [illegible]erat, aut postquam [illegible]stri cessabunt respicere illum? Non, sed [illegible] diximus) finitum pro infinito posuit. [illegible]cus Origenianos destruit, qui fals[illegible] dixerunt post iudi[illegible]dos. Sic[illegible] præparatum [illegible] supplicium re[illegible]te: Ite maledicti in ignẽ [illegible], qui paratus est diabolo & angelis eius. Et iterum: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam ęternam. Hinc per Salomonem dicitur: Lignum in quacunque parte ceciderit, siue ad austrum, siue ad aquilonem, id est, siue in infernum, siue in regnũ dei, ibi erit.

DOMINICA OCTAua post Pentecosten. Marci VIII.

In illo tempore: Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod mãducarent, conuocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam. Et reli.



DOminus Iesus Christus deus ante secula, & homo factus in fine seculorum, ita sua opera tẽperare dignatus est, vt in vno eodemq́; miraculo se verę deũ, verumq́; hominem esse declararet. Quod in huius lectionis serie cito cognoscimus, si hãc diligenter consideremus. Quód enim super turbã esurientem misericordia motus dr̃, humanæ compassionis est indicium: quod autẽ de septem panibus quatuor millia hoĩm reficit, diuinæ potestatis est declaratio. Nec putandum est, hanc eandem esse lectionẽ, vbi alij euangelistę de quinq; panibus quinq; millia hominum satiata fuisse referũt: quia ibi discipuli dominum cõmonent, vt dimittat turbas emere quæ sibi necessaria sunt, hic autem dominus supra turbam esurientem misericordia motus dicitur, ibi quinq; panes, hic septẽ fuisse memorantur: ibi hordeacei, hic cuius generis annonæ fuerint, non declaratur: ibi quinq; millia hominum de quinque panibus satiati sunt, hic de septem panibus quatuor millia refecta: ibi supra fœnum discubuerũt, hic super terram. Vnde ibi per turbam, quæ ex quinq; panibus satiata est, populus sub lege veteris testamenti positus esse designatur, qui quinq; libros Moysi ad suam eruditionẽ accepit: hic autem per turbam, quę ex septem panibus reficitur, multitudo hominum fidelium, quæ per gratiam noui testamenti quotidie pascitur, designatur. Hanc turbam Isaias in spiritu à domino pascendam præuiderat, cum dicebat: Venient ad eum om̃es gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine domini. Et Psalmista: Omnes gentes, quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum in ęternum. Et bene in illa refectione, quæ ex quinque panibus facta est, per quam populum Iudæorum diximus significari, discipuli dominum commonuisse dicuntur, vt dimitteret turbas emere sibi necessaria, quia idem populus ante aduentum domini patriarchas & prophetas suos intercessores habuit. In hac autem ipse dominus ad misericordiam commouetur, quia gentilis populus non suis meritis, nec aliquo interueniente, sed sola gratuita domini misericordia saluatus est, sicut Paulus apostolus ait: Gratia dei salui facti est. Et pulchre dominus turbam, quam amore verbi dei esurientem vidit, etiam cibo corporali reficit, vt in illis adimpleret, quod ipse alibi promisit, dicẽs: Quærite primum regnũ dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Recte ergo de hac turba dicitur:

Esa.2.

Psal.85.

Quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.

Turba enim dominum triduo sustinet, cũ fidelis populus in confessione sanctæ trinitatis incessabiliter perseuerat. Sustinere enim homo deum dicitur, cum etiam nec inter aduersa ab eius deficit amore, imitans illum qui dicebat: Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es deus saluator meus, & te sustinui tota die. Aliter: Turba triduo dominum sustinet, cum electi intellectum, memoriam & voluntatem in bono opere occupãt. Siue certe dñm triduo sustinet, cum fidem & spem & charitatẽ inuiolabilem seruat, de quibus Apostolus ait: Maneant in vobis fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem his est charitas:

Et si dimisero eos ieiunos in domũ suam, deficient in uia.

Domus electorum proprie cælestis est patria, de qua dominus ait: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Ad quam ardentissimo amore peruenire optabat ille, qui dicebat: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Via autem præsens est vita. Quandiu enĩ viuimus, in via sumus, nec dũq; ad patriam peruenimus. Non vult ergo dominus turbam ieiunam dimittere, ne deficiant in via: quia electi ne in præsenti vita à bono opere cessent, pabulo verbi dei pascendi sunt: quia sicut deficit corpus sine cibo, ita anima sine verbo dei. Quo cibo refici desiderabat ille, qui dicebat: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Quod autem subiungitur:

Quidã aũt de longe uenerunt ex eis.

Si ad vtrunque populum referre voluerimus, populus Iudæorum de prope uenit, qa legis notitiam & dei cognitionem habuit: de longe autem gentilis venit, quando post idolorum culturam ad dei cognitionem conuersus est. Vnde Apostolus ait: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum. Quotidie vero in conuersione fidelium, alij de prope, alij de lõge ad fidem veniunt. Qui enim in nullis criminalibus peccatis cõtaminatus dei volũtatẽ sequitur, sine dubio de prope venit. Sed & is, qui licito coniugio expertus ad deũ conuertitur, ex proximo venit. Qui autem post publica flagitia, adulteria, furta, homicida, ebrietates, rapinas, per pœnitẽtiam ad deum cõuertitur, de longe venit. De prope autem venit, q ab ipsa infantia vel pueritia, in seruitio dei se mancipat: de longe vero, qui in senectute ad deum conuertitur. Promittit ergo dominus cibum se daturum etiam his, qui de longe veniunt, quia non solum iustos, sed etiam peccatores conuersos recipit & amat, siut & ipse ait: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et Apostolus ait: Veniens euangelizauit pacem his qui erant pro-

pe, & his qui longe. Talibus ergo nec veniã, nec cibum abnegat ille, qui per prophetã ait: Viuo ego, dicit dominus deus, quia nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et iterũ: Peccator in quacunq; die conuersus fuerit, & ingemuerit peccatum suum, omnia peccata eius obliuioni tradentur. Et rursus: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Et in euãgelio: Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.

Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine?

In alia refectione Philippus specialiter dixisse narratur: Ducẽtorum denariorum panes non sufficiunt turbę, vt vnusquisq; modicum quid accipiat. Nunc autem generaliter om̃es discipuli dicũt: [Vnde poterit istos quis hic saturare panibus in solitudine?] Quanto ergo discipulis difficilior res visa est, tanto magis miraculum domini clarescit. Fragilitate quippe carnis grauati apostoli, nondum adhuc perfecte diuinitatẽ Christi intelligebant, quando eo pręsente, qui educit panẽ de terra & vinum, quod lætificat cor hominis, ex paucis panibus multitudinem hominum posse satiare dubitabant. Sed dñs non solũ vt dubitationem discipulorum auferret, verũetiã vt multitudinẽ fatigatã ieiunio reficeret, ex paucis panibus multitudinẽ hoĩm reficere voluit.

Et interrogauit eos: Quot panes habetis?

Non ignorans dominus discipulos interrogat, qui omnia scit antequã fiant, sed vt ex sua interrogatiõe illorum animos erudiat, & discant per eius præsentiam de paucis panib⁹ multas turbas hominum satiari posse in solitudine, qui per quadraginta annos sine aratri labore immensas populi catervas cibo mannæ aluit in deserto.

Qui dixerunt: Septem.

In alia refectione quinq; panes hordeacei fuisse referuntur, per quos (vt diximus) scriptura veteris testamẽti significata est, sub tegmine literæ latens. Nunc autem hic septem panes fuisse memorantur, propter septiformem gratiam spiritussancti, cuius gratia illuminati apostoli eorumq; successores, & fidẽ sanctæ trinitatis, & quatuor euangeliorũ doctrinam mundo annunciauerunt. Quod bene septenarius numerus signat, qui cõstat ex primo pari & primo impari, id est, ex ternario & quaternario. Siue quia septenarius numerus frequenter pro plenitudine ponitur, quia per sanctispiritus gratiam perfectiõem iustitiæ consecuti sunt sancti.

Et præcepit turbæ discumbere super terram.

In alia refectione turba super fœnũ discubuisse legitur, quia lex carnalia tantum prohibebat peccata. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri. In hac autem, per quam gratiam noui testamenti diximus figurari, recte turba super terram discumbit: quia gratia noui testamenti non solum culpas operis, sed etiam culpas cogitationis restringit: nec solum aliena rapientibus contradicit, sed etiam ad perfectionem tẽdentes proprias facultates cũ ipsa terra relinquere monet, domino dicente: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Et sicut ipse alibi ait. Nisi quis renunciauerit om̃ibus quæ possidet, patrem, matrem, vxorem, liberos, fratres & sorores, seruos & ancillas, & agros propter nomẽ meum, non potest meus esse discipulus. Moraliter autem turba super terram discubuit, cum fidelium animæ suæ fragilitatis memores, terram se iugiter & puluerem esse considerãt, dicentes cum Psalmista: Adhæsit pauimẽto anima mea, viuifica me secũdum verbum tuum. Et iterum: Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, cõglutinatus est in terra vẽter noster. Taliter ille super terram discubuerat, qui dicebat: Loquar ad dominum meũ, cum sim puluis & cinis.

Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerũt turbę.

Iam superius per septem panes, septem dona spiritussancti figurari diximus. Dominus ergo septem panes accepit, quia præ om̃ibus hominibus specialiter septẽ dona spiritussancti in se habuit, dicente propheta: Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Fregit autem panes & dedit discipulis suis, quia eiusdẽ spiritussancti dona vnicuiq; sanctorum, prout vult, distribuit, alijs largiens sermonem sapientiæ, alijs sermonẽ scientiæ, alijs genera linguarum, alijs interpretationem sermonum, alijs discretionem spirituum. Siue dedit septẽ panes discipulis vt apponerent turbæ, quando post resurrectionem apparens illis, insufflauit & dixit eis: Accipite spiritumsanctum. Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Discipuli autem apposuerunt turbæ, quia per eorum prædicationem notitiam sacri mysterij mũdo voluit innotescere. Pulchre refecturus turbam gratias egisse dicit, vt ostenderet in omnibus

bonis operibus deum à nobis esse glorificandum.

Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi.

Per pisciculos, quos benedixit & apposuit turbæ, sanctorum imitabilis conuersatio designatur, qui non solum more piscium saltus super aquas dare consueuerunt, contemnentes terram & amantes cælum, sed etiam inter fluctus variarum persecutionum spiritualiter crescunt & proficiunt, dicentes cum Apostolo: Etsi exterior homo noster corrūpitur, sed is qui interior est, renouatur. Cum septem ergo panibus paucos pisciculos iussit apponi, quia sanctorum exempla cum prædicatione verbi ad imitandum nobis quotidie prædicatores proferunt. Bene autem pauci pisciculi fuisse memorantur, quia sanctorum conuersatio, suo iudicio humilis est & despecta, quibus saluator ait: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. De quibus per Salomonem dicitur: Lepusculus plebs inualida, collocat in petre cubile sibi. Et recte in illa refectione, quæ ex quinq; panibus facta est, duo pisces fuisse memorantur, & hic incertus numerus ostendit: quia ad comparationem illorum, qui ex populo Iudæorū credituri erant, & infinita multitudo ex gentili populo ad fidem venit, domino dicente: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam, Isaac & Iacob in regno cælorum.

Et manducauerunt, & saturati sunt.

Non omnes æqualiter manducauerunt, sed omnes ad vnam satietatem peruenerunt: quia scripturæ sacræ intellectum non omes æqualiter capiunt, sed tamen omnes pro modo & persona sua spiritalem refectionem in ea inueniunt. Vnde bene de manna dicitur: *Exodi. 16* *2. Cor. 8* Qui plus habuit nō abundauit: & qui minus, non minorauit, sed omnes mensi sunt ad mēsuram gomor. Est enim scriptura sacra fluuius quidam, magnus & paruus, excelsus & humilis, in quo elephas natat, & agnus pedibus ambulat: qa spiritales & doctissimi viri, quanto plenius eius intellectum degustant, tanto amplius est quod in eo esuriant: & humiles & paruuli, secundum modulum suę capacitatis, vnde satientur, in ea inueniunt. De quibus p Psalmistam dicitur: Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominum qui requirūt eum, viuent corda eorum in seculum seculi.

Et sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas.

Hic domini miraculum augmentatum est. Magnum enim esset miraculum, si de septem panibus, quatuor millib9 hominum satiatis, nihil superesset. Sed creuit signum, auxit admirationem. Non solum enim de septem panibus quatuor millia hominum satiata sunt, sed etiam de fragmentis, iuxta numerum panum, septem sportæ repletæ sunt. Quod ergo turba non capit, apostoli in sportis sustollunt: quia obscuriores sentētias sacræ scripturæ, quas simplices capere nequeunt, magistri & doctores ecclesiæ in proprijs pectoribus recondere debent, vt tempore doctrinę vnicuiq; personæ cibum spiritalem tribuere possint: quia turpe est eo tempore discere, quādo quis debet docere: & sint de illis, de quibus dominus ait: Fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mēsuram. *Luc. 12.* Pulchre in illa, quæ ex quinq; panibus facta est, duodecim cophini fragmentorum remanserunt: quia Iudaicus populus duodecim apostolos plenos spiritusancto, ad suam erudinonē habuit. In ista autem, iuxta numerum panum, septem sportæ sustolluntur: quia ecclesia ex gētibus collecta, per septiformem gratiam spiritussancti celebratur, regitur atq; reficitur. In cuius typo Iohānes in Apocalypsi sua septem ecclesias enumerat, necnon & septē candelabra aurea, & septem cornua agni. Vnde Zacharias propheta ait: In lapide vno septē oculi sunt. *Zach. 9.* Recte autem septem sportas præcordia sanctorum significātur, qui spiritussancti gratia illuminati, & viriditatem fidei immarcessibilem seruant, & tela neqssimi ignea spiritalibus armis extinguentes, ad trophæū perpetuæ victoriæ tendunt. Sporta enim ex iunco & palma contexitur, & iuncus quidem iuxta humorem aquæ nasci consueuit, palma vero dicta est quasi pacis alma, quæ victricē solebat ornare manū. Sancti ergo viri, quasi iuncus iuxta aquam viridescunt, quando meditationi sacræ scripturæ insistūt, ne à fide & bonis actibus arescere possint, de quibus scriptum est: Benedictus vir qui cōfidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit tanquā lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, *Ieze. 17* quod ad humorem emittit radices suas, & nō timebit cum venerit æstus, sed erit folium eius viride, & in tempore siccitatis nō erit solicitū, nec aliquando desinet facere fructum. Quasi autem cum iunco palma in sporta contexitur, quando ijdem sancti viri cōtra carnis vitia & cogitationū spiritale bellū suscipiunt, scientes quia caro cōcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Et hæc sibi inuicem aduersantur, vt non quę volumus, illa faciamus. *Galat. 5.* Quorum cōstantissima perseuerantia manifestatur, cum subditur:

Erant autem qui manducauerunt, q̄si quatuor millia, & dimisit eos.

Non frustra quatuor millia hominum à

domino reficiuntur. Quaternarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus diuisus, perfectionē obtinet. Diuiditur enim in vnū, duobus & tribus. Vnum nanq; ad deum pertinet, quia vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deus & pater omnium, qui super omnes & per omnia & in omnibus nobis. Duo, ad geminam dilectionem vel duo testamenta. Tres, ad sanctam indiuiduamq; trinitatem, patris s. & filii & spiritussancti. Quatuor autem ad gratiam noui testamēti, vel ad quatuor libros euangelii, quæ maxime in his describitur. Quia ergo in quatuor libris euangeliorum inuenimus, qualiter vnum deū credamus, & qualiter geminam dilectionem habeamus, necnon qualiter sanctam indiuiduamq; trinitatem confiteamur, recte quatuor millia hominum à domino satiata esse dinoscimus. Siue recte, quia quatuor millia hominum à domino refici audiuimus, nos mystice docemur, vt si spiritaliter refici volum⁹, quatuor principales virtutes, prudentiam s. temperātiam, fortitudinem atq; iustitiam, quibus nihil est vtilius in vita hominis, habeamus. Quia enim quadratus lapis non fluctuat, sed in quācunq; partem versus fuerit, æqualiter iacet, recte quaternario numero cōstantia sanctorum designatur, qui non circumferuntur omni vento doctrinæ, sed vt firmi lapides, siue in prosperis, siue in aduersis, in bonis actibus & in fide constantissime perseuerant, considerantes illud quod dominus ait: Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Siue, quia & fidem bene credendi, & cōstantiam recte viuendi per quatuor euangeliorum doctrinā discimus, recte quatuor millia hominum de septē panibus refecta fuisse memorantur. Non enim aliter credere aut viuere debemus, nisi quomodo quatuor euangelia docent. Vnde Iohannes in Apocalypsi quatuor animalia ante thronū dei plena oculis ante & retro se vidisse testatur, clamantia: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth, qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Ephe. 4.

DOMINICA NONA post pentecosten. Matt. VII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouiū. Et reliqua.

Præuidens dominus doctrinā hæreticorum contra electos in ecclesia futuram, necnon & malitiam falsorum catholicorum sæuiturā, indicium cogitationis eorum prius ostendere voluit, vt tāto facilius caueri possint, quanto manifestius cognosci. Ait enim:

Attendite a falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Quod specialiter de hæreticis intelligendum est, qui falsi prophetæ sunt, dum de substantia diuinitatis & humanitatis multa mētiuntur, scripturas sacras, quæ diuinitus inspiratæ sunt, ad suum sensum pertrahere cupientes. Vt enim simplicium fratrum corda facilius decipere possint, quasi ouium vestimētis se induunt, dum catholicorum patrum sententias suæ doctrinæ interserunt. Sciunt enim q; si semper mala dicerent, citius cogniti cauerentur. Et ideo bona malis miscent, vt dum libēter auditur id quod verum est, non facile discernatur hoc quod falsum est: morem venenificorum seruantes, qui dum cuilibet venenū porrigere volunt, ora calicis melle liniunt, vt dum gustatur id quod dulce est, absq; retractione perueniatur ad id, quod mortiferū est: ad similitudinem scorpionum aculeos in caudis gestantes, q̄m hæretici in primis verbis bona ostendunt, in nouissimis autē peruersa dogmatizant, vnde & pungunt. Tales ergo lupis rapacibus comparantur, quia cū exterius lingua blandiantur, interius animo sæuiunt. Quia sicut lupus gregem dispergit, dilaniat atq; dilacerat, ita & hæretici venenosum animum habentes, mentes simplicium dilaniare non cessant. Et quos in occulto decipere non possunt, publice insequuntur. Et ideo se bonos esse simulāt, vt simplicium animos ad suam hæresim rapere possint, vel certe eorum substantias quasi boni magistri accipere. Qd̄ Paulus apostolus in epistola sua scribit, dicēs: Hi sunt qui penetrāt domos viduarum, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Tales lupos futuros idem Apostolus prauidebat, quando dicebat: Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi graues, lupi rapaces, nō parcentes gregi. Ex vobis consurgent viri iniqui, loquentes mendacium, & abducent discipulos post se. Hos etiam caueri ab apostolis volebat dominus, quibus dicebat: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Monet ergo dominus tales lupos cauere, quia sicut doctissimi viri & catholici hæreticis resistere debent, sic ab eorū consortio simplices declinare, ne dum eorum doctrina auditur, mētes audientium commaculentur, Iohanne apostolo admonente, qui ait: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinā nō affert, nolite recipere eum in domo, nec aue ei dixeritis. Si quis dixerit ei, aue, communicat operib⁹ illius indignis. Hinc & apostolus ad

Matt. 10.

2. Ioh. 1.

Timotheum scribit, dicens: hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi. Huic conuenire potest illud Maronis:

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Aliter: Lupi rapaces, falsi catholici intelliguntur, qui confitentur se nosse deum, factis autem illum negant. Qui dum habitum Christianitatis assumunt, quasi ouinis pellibus induti apparent. Bene autem lupis rapacibus comparantur, quia dum carnaliter uiuunt, aliquando alios suo malo exemplo ad malum pertrahunt, aliquando aliorū substantias more luporum diripiunt, de qualibus per prophetam dicitur: Facti sunt principes tui vt lupi vespertini, ad vesperum non relinquentes, in mane. Tales ergo dominus iubet cauere, quia sicut bonorum consortium multum adiuuat, sic malorum societas frequenter multum nocet, teste propheta qui ait: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum
Prouer.13 peruerso peruerteris. Et Salomone dicente: Qui cum sapientibus gradit, sapiens erit. Amicus stultorū, efficietur similis. Hinc idem Sa-
Prouer.22 lomon nos admonet, dicens: Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Hinc Paulus discipu-
1 Cor.5. lis scribit, dicens: Si quis frater nominatur, & est fornicator aut adulter aut auarus, quod est idolorum seruitus, cum huiusmodi nec cibū sumere. Sed nunquid semper latent hæretici, aut falsi catholici sub ouina pelle, aut semper possunt abscondi? Non. Nam qualiter cognosci valeant, dominus aperuit cum adiungit.

A fructibus eorum cognoscetis eos.

Fructus enim à fruendo nomen accepit, vnde per fructum opera significantur. Si ergo interrogas qui sunt boni fructus, à quibus
Galat.5. hominem cognoscere possis, apostolus Paulus manifestat, dicens: Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Noli ergo in hæretico quærere folia verborum pulchra, sed fidei puritatem. Noli attendere in Christiano solummodo famam bonæ opinionis, sed fructum inquire rectæ operationis. Noli attendere linguam, sed manum. Quia sicut non laudatur arbor ex pulchritudine foliorum vel florum, sed ex abundantia frugū, ita quoque hæretici vel falsi catholici, non sunt ex simulatione laudandi, sed ex fructu boni operis. Non est enim (vt dominus alibi ait) arbor bona, faciens fructus malos, neque arbor mala faciēs fructus bonos. Vnaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. Vnde & subdit:

Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus?

Spina & tribulus arbores sunt plenæ aculeis, ita vt vix absque læsione tractari possint. Quibus contrariæ sunt ficus & vitis, quæ & fragrantiam suauissimi odoris, & fructum dulcissimi saporis reddunt. Per spinas ergo & tribulos, vitia & peccata signantur, de quibus à domino primo homini dictum est: Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi. Per vuam vero & ficum dulcis atque suauis fructus charitatis accipitur, quem palato mentis senserat ille, qui dicebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Sicut ergo spina & tribulus intractabiles sunt, ita hæretici & falsi catholici amari & aculeati proximis inueniuntur: & ideo illorum falsa doctrina, & istorum praua exempla fugienda sunt, quia sicut ait Salomon: Qui tenget picem, inquinabitur ab ea: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Vel (vt quidā tradunt) per vuam & ficum, dulcedo memoriæ regni cælestis accipitur. Igitur de spinis non colligitur vua, neque de tribulis ficus, quia si requiritur in hæretico fructus charitatis, spinæ dissensionis inueniuntur: & si in falso catholico amor cælestis, amor terrenus reperitur: & si fructus castitatis, fructus libidinis intuetur. Sed quamuis spina vuā non gignat, solet tamen vitem cum botro sustinere. Quia hæretici & falsi catholici, cum in multis mali sint, solent tamen quædam bona docere, & quędam religiosa ostendere. Quid ergo de talibus faciendum erit? Nunquid propter spinam relinquendus est botrus, id est, propter mala bona? Absit. Sed vt pater Augustinus ait, Sic carpendus est botrus, vt tamen caueatur spina. Sicut enim hæreticorum doctrina à simplicibus viris penitus fugiēda est, sic à catholicis & orthodoxis patribus, qui sciunt discernere inter verā & falsam doctrinam, mala respuenda sunt, vt bona in auctoritate ecclesiastica assumantur. Quod dominus in lege figuraliter ostendit, quando egredientibus filijs Israel ex Aegypto, præcepit eis, vt mutuarent à vicinis suis vasa aurea & argentea non pauca, vt expoliarent Aegyptum. Quid per argentum, nisi sacræ scripturę præclarus sensus accipitur? Eloquia enim domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Per aurum vero, vitor eloquij exprimitur, Salomone dicente: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Quasi ergo vasa aurea & argentea à vicinis mutuo accipimus, quando ab hæreticis & paganis necessarias sententias vel nitorem eloquentiæ ad nostrā vtilitatem assumimus. Vnde in eadem lege alibi figuraliter præcipitur: Si egressus fue-

ris ad bellum contra hostes tuos, & tradiderit eos dominus deus tuus in manus tuas, captiuosq; eos duxeris, & videris in numero mulierum puellam pulchrã quæ placet oculis tuis, volueris'q; eam habere vxorem, introduces eam in domum tuam, ita tamen, vt prius cæsariem capitis eius radas, & summitates vnguium illius præcidas, lugeatq; patrẽ suum & matrem in domo vno mense, & post hæc introduces eã ad te, & erit tibi vxor. Spiritaliter autem ad bellum procedimus, quando cum hostibus ecclesię (id est, hæreticis) de fide Christiana & religione conflictum habemus. Cumq; diuina autoritate superati, tradiderit eos dominus deus noster in manus nostras, si inuenerimus in numero disputationum sententias ad nostram fidem roborandam necessarias, assumamus eas nobis in vxores, quia vt ait Salomon: Vxor viri, sapientia est: ita tamen, vt prius cæsariem capitis eius radamus, & summitates vnguium præcidamus. i. quicquid superfluum, quicquid hæreticum, quicquid nostræ fidei prauum & contrariũ est, discernamus & abijciamus. Si quis aũt ex his ad nostram fidem catholicam conuerti voluerit, non est repellendus, sed recipiendus, ita tamen, vt lugeat prius patrem suũ & matrem vno mense. i. de pristina conuersatiõe & hæretica prauitate, qua inquinatus vel nutritus est, pœnitentiam agat, & anathematizet & diluat.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.

Quod arbores in scripturis homines significant, dominus manifestat cũ alibi dicit: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum ei⁹ malum. Et cæcus, qui à domino illuminatus fuerat, aiebat: Video homines quasi arbores. Daniel quoq; in visione Nabuchodonosor regis, magnam arborem ipsum regẽ interpretatur. Et per Psalmistam de iusto dicitur: Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Quod ergo ait, L Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autẽ arbor fructus malos facit, ⅃ tale est ac si diceret: Sicut nec spina vuam, nec tribulus generat ficũ, sic ex radice vitio sa malus fructus procedit, & ex bona intentione bona operatio nascitur. Vnde & subditur:

Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.

In quo loco quæstio animum pulsat, quare dicat, L Nõ potest arbor bona fructus malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere, ⅃ cum legamus Paulum apostolum arborem vtiq; bonam fructum malum fecisse, quando ecclesiam dei persecutus est: & Iudã arborem malam, fructum bonũ fecisse, quando cum cæteris apostolis secutus est dominũ. Ad quod respondendum, quia sicut ex radice arboris fruct⁹ procedit, & ex ipso fructu, cuius generis vel saporis sit cognoscitur, ita ex intentione cordis opus profertur. Et sicut dominus dicit: Qualis fuerit intentio tua, tale erit & opus tuum. Ideoq; bonus homo tandiu malos fructus facere non potest, quãdiu in radice bonæ intentionis pseuerat: nec malus homo tãdiu fructus bonos facere potest, quandiu mala intentio perdurat. Iuxta quem sensum legimus & Petrum apostolum arborem vtiq; bonam, malos fructus fecisse, quãdiu dominum negauit. Et Iethro cum prius mala arbor esset, bonum fructum fecit, quando Moysi vtile cõsiliũ dedit. Similiter & Dauid, bona vtiq; arbor, fructum malum fecit, quando per concupiscentiam carnalem adulterium & homicidium perpetrauit. Nabuchodonosor autem, cum esset mala arbor, bonũ fructum fecit, quando deum Danielis in toto orbe adorari iussit. Potest tamen & malus homo effici bonus, si deseruerit malum: & q videbatur bonus, effici malus, si recesserit à bono. Sed quia vnus idemq; homo, in vno eodemq; tempore, bonus simul & malus esse non potest, nõ potest arbor bona fructus malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere. Valde aũt terribile est, quod subinfert:

Omnis arbor quę non facit fructum bonũ, excidetur & in ignẽ mittetur.

Non dicit, quæ facit fructum malum, sed quæ non facit fructum bonum. Vbi ẽ diuerso colligere possumus, quæ pœna præparata sit mala operantibus, quando pœna prædicitur etiam à bono opere torpentibus. Si enim in ignem mittitur, qui nudum nõ vestiuit, in quem ignem mittendus est, qui vestitum exspoliauit? Et si ad pœnam vadit ille, qui propria non dedit, ad quam pœnam iturus est q aliena rapit? Nullus ergo à bono opere torpens, falsa securitate se decipiat: quia omis arbor quæ non facit fructum bonum, excideť & in ignem mittetur, iuxta illud quod dominus alibi ait: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, oportet abcidi & in ignem mitti. Non enim sufficit declinare à malo, nisi quisq; studeat facere bonum. Vnde dominus vineæ quærens fructum in ficulnea, & nõ inueniens, ait colono: Ecce anni tres sunt, ex q venio quærens fructum in ficulnea, & nõ inuenio. Excide ergo illam, vt quid etiam terrã occupat? De hac arbore per Iohannem Baptistam dicitur: Iam securis ad radicem arboris posita est. Exciditur enim arbor, quando homo moritur. Excisa autem in ignem mittitur,

quando quisque peruersus per mortẽ gehennę concremationem inuenit, qui dum viueret, fructum boni operis facere recusauit. Ingeminat namq; dominus bonarum malarumq; arborum cognitionem, cũ adhuc subiungit, dicens:

Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Quasi enim fructus, in quibus malæ arbores à bonis discernant, Paulus apostolus ostẽdit dicẽs: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiões, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comesationes & his similia. Talia qui agunt, regnum dei non consequentur. De q̃libus per Ieremiam prophetam dicitur: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & nõ videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in solitudine, in terra salsuginis & inhabitabili. At vero bona arbor quales fructus proferat, idem propheta declarat, dicens: Benedictus vir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit tanquam lignum quod transplantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cũ venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquãdo desinet facere fructũ. Tales fructus bona arbor proferebat, quæ dicebat: Ego autẽ sicut oliui fructificaui in domo dei, speraui in misericordia dei in æternum, & in seculum seculi. Tales dominus suos discipulos, bonas vtiq; arbores, proferre volebat, quib⁹ dicebat: Ego vos elegi de mundo, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Inaniter autem quidam folia habent verborum, qui recusant proferre fructus operum. Vnde & subditur: Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Dicere enim domine domine, fructus boni operis esse videtur: nõ autem facere voluntatem eius, non ad bonam arborem pertinet. Non enim sufficit sola confessio, si defuerit bona operatio, domino alibi dicente: Quid autem vocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Hinc Iacobus apostolus ait: Fides sine operibus mortua est. Vnde eos, qui de sola fide gloriabantur, exemplo dæmonum terruit, dicens: Tu credis quoniam vnus deus est, bene credis, & dæmones credunt, & contremiscunt. Quos autem dominus per prophetam reprobat, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longe est à me. Tales tempore iudicij, quia sine fructu boni operis, clamabũt: Domine domine, aperi nobis, audire merebũtur: Amen dico vobis, nescio vos. Qui ergo vult intrare in regnum cælorum, non solum scire desideret quid velit deus, sed etiã implere quod iubet, quia sicut dñs ait in euangelio: Beati qui audiunt verbũ dei, & custodiunt illud. Et iterum discipulis: Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea.

DOMINICA DECIMA post pentecosten. Lucæ XVI.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hãc: Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum. Et reliqua.



Sus sacræ scripturæ est, vt aliquando iuxta literam sic quædam facta commemoret, vt tamen intellectum spiritualem in eis requirat, aliquando vero solummodo per similitudinem quędam proferenda commemoret, vt audientis animum ad intelligendum inuisibilia emolliat. Quod in euangelio frequentius inuenitur, vbi ex p̃cedẽti admonitione similitudo nascitur, & ex eadem similitudine admonitio subinfertur: Quod vtrunq; in hac similitudine cognoscimus, si præcedentia & subsequentia diligentius consideremus. Nam cũ accessissent publicani & peccatores ad Iesum vt audirent illũ, & murmurarent scribæ & pharisæi, vt supra euangelista retulit, proposuit eis similitudinẽ centum ouium, & vnius perditæ & inuentæ. Deinde adiunxit similitudinem decem drachmarum, gaudiumq; dixit esse in cęlo sup vno peccatore pœnitentiã agente. Tertiam quoque addidit similitudinem de prodigo filio, q dissipauit substantiam suam cũ meretricibus: postea vero quàm egere cœpisset, misericorditer ac benigniter à patre susceptus est. Vbi cum ostendisset peccatores conuersos nõ solum non esse contemnendos, sed etiam recipiendos, vt animos discipulorum ad misericordiam prouocaret, cõuersus ad illos, dixit: ⌊Homo quidam erat diues, & habebat villicum.⌋ Ex qua similitudine exhortatio nata est, quum illa finita, dicitur:

Et ego uobis dico: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Et rel.

Sed quia hæc per similitudinem dicta sunt, quid spiritualiter significent, breuiter commemorare libet. Spiritualiter, homo iste de⁹ omnipotẽs est, de quo scriptũ est: Homo est, & quis cognoscet eum? Et, Ecce veniet deus Iere.17.

& homo de domo Dauid. Qui bene diues esse dicitur, quia apud illum sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Cuius diuitiarum magnitudinem nec ille considerare valebat, qui postquam ad tertium cælum ductus fuerat, dicebat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, q̃ incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Rom. 11. Illius villici nos sumus quos ad imaginem & similitudinem suam creauit, quibus etiam sensum & intellectum præbuit. Villicus enim à villa nomen accepit, qui alienæ villæ curā habere dinoscitur, quem nos œconomum, vel diuulgato sermone dispensatorem possumus appellare. Et reuera magnas suas diuitias deus omnipotens nobis commisit, quando rationalem sensum & intellectum communem cum angelis præ cęteris creaturis tribuit. Male autem diuitias domini nostri dispensamus, quando sensum discretionis, quem ad vsum boni accepimus, in vsum conuertimus vitiorum. Diffamamur autem apud dominum, q̃d dissipemus bona ipsius, quia non solum corda nostra conspicit, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, vt videat, si est intelligens, aut requirens deum, sed etiam ab angelis deputatis nostra opera die noctuq; illi nũciantur, sicut viro iusto ab angelo dictū est: Cum orares, ego obtuli orationes vestras ante deum. Thob. 12 Siue certe diffamamur apud dominum nostrum, quando ex nobisipsis malam opinionem damus, intantum, vt pudorem vel reuerentiam pijs mentibus ingeramus, vt simus de illis, quibus ait Apostolus: Nomē dei per vos blasphematur inter gentes. Sed nũquid semper male diuitias domini tractabimus? Non. Audi sequentia.

Et uocauit illū, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem uillicationis tuæ. Iam enim non poteris uillicare.

Dupliciter nos vocat deus in præsenti ad pœnitentiā, & in futuro ad iudiciū. Vocamur ergo ad reddendam rationē villicationis nostræ, cum de præsenti vita ad eius iudiciū ducimur, vbi non solum de opere, sed etiam de ociosô sermone rationem reddituri sumus. Et post hæc non poterimus villicare, q̃a post mortem (vt ait Salomon) nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud inferos erit. Vnde per Psalmistam deo dicitur: In inferno autem quis confitebitur? subauditur, nullus. Quibus exemplis territi, imitemur uillicum, qui in futuro sibi prudenter præuidit, dicens intra se:

Quid faciā, quia dominus meus aufert a me uillicationem? Fodere non ualeo, mēdicare erubesco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a uillicatione, recipiant me in domos suas.

Fodere rusticorum est, mendicare confusionis. Fodiendo enim agitur, vt species terræ, quæ infra latet, extra appareat: & quæ exterius apparet, deorsum iaciatur. Quid autem g fossionem, nisi confessio peccatorum designatur? Sicut ergo fodiendo terræ speciem vertimus, ita vomere compūctionis corda nostra exarantes, peccata quæ interius latent, p confessionē aperimus. Et inde ea ante oculos domini abscondimus, quod per cordis compunctionē ea ministris dei cōfitendo pandimus, sicut voce pœnitentis in psalmo legitur: Delictum meum cognitum tibi feci. Et iterū: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meā dño, & tu remisisti impietatē peccati mei. Psal. 31. Vñ in lege figuraliter pręcipit, vt Israelitæ pgentes in itinere paxillos iuxta balteos ferrēt, & egressi ad requirenda necessaria naturæ, fodientes in terram stercora humo operirēt. Deut. 23 Sicut ergo per paxillos cordis compunctio, sic per stercora peccata designantur, dicēte propheta: Computrueruut iumenta in stercore suo. Ioel. 1. Iubemur ergo paxillos habere iuxta balteos, vt quotidiana peccata quotidiana pœnitentia & compunctione fodiendo cooperiamus. Mendicare enim, vt diximus, confusionis est, maxime illo pessimo genere mendicādi, quo fatuas virgines legimus mendicasse, q̃n prudentibus dixerūt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Matt. 25 Quibus dictum est: Ne forte nō sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes & emite vobis. De quo genere pessimo mendicandi etiam per Salomonem dicitur: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Ait ergo villicus: Fodere non valeo, mēdicare erubesco. Quia post mortem nec fructuosam pœnitētiam de malis agere licebit, nec in bonis exercere, sicut voce sapientiæ per Salomnem de reprobis dicitur: Inuocabunt me, & non exaudiam. Mane consurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorē dñi non susceperint, nec acqeuerint consilijs meis, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Igitur quia in die iudicij nullus locus pœnitendi, corrigendi vel emendandi esse poterit, vt diximus, necesse est vt dū in hoc seculo sumus & viuimus, & nobis vacat, secundū Apostolū. Dum tēpus habemus, operemur bonū ad omnes, maxime autē ad domesticos fidei. Vnde nos dominus in euāgelio admonet, dicens: Currite dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Et iterum: Concorda cum aduersario tuo in uia. Et per Prophetam: Quærite dominū dum inueniri po-

teſt, inuocate eũ dum prope eſt. Hinc & Apo- *1. Cor. 6.* ſtolus ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate nõ ficta. Et *Eccle. 6.* Salomon: Quodcunq; poteſt manus tua facere, inſtanter operare. Ante enim omnia & ſuper omnia, diem mortis ante oculos ponere debemus. Facile nanq; contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Vnde per eundem ſapientem dicitur: In die malorum *Eccle. 11.* ne immemor ſis bonorum. Et iterum: In omnibus vijs tuis memorare nouiſſima tua.

Conuocatis itaque ſingulis debitoribus dñi ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam & ſede, cito ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Dixitq; illi: Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta.

In hoc villico, quem dominus de villicatu ejciebat, non omnia debemus ad imitandum aſſumere. Neq; enim aut dominis, aut extraneis fraudem aliquã facere debemus, vt inde eleemoſynas faciamus, ſed (vt ſuperius diximus) iſta per ſimilitudinem dicuntur, vt intelligamus, quia ſi laudari potuit is, qui fraudem fecit, eo quod in futurum ſibi prudenter pręuiderit, multo magis nos laudabiliores erimus, ſi de proprijs ſubſtantijs largas eleemoſynas fecerimus: & dum in præſenti viuimus, in futurum nobis proſpexerimus, ſicut etiã de iudice iniquitatis, qui interpellabatur à vidua, comparationem duxit ad iudicem dñm, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus eſt, κάδος enim græce, latine menſura eſt, tres vrnas continẽs. Corus uero triginta modijs impletur. Quod ergo de centum cadis olei quinquaginta, & de centũ coris tritici octoginta à debitoribus ſcribere fecit, hoc innuit, quia omnis qui de præteritis peccatis pœnitentiam agit, non ſolum in ſe peccantibus clementer dimittere debet, ſed etiam ex ſubſtantijs iuſte acquiſitis eleemoſynas erogare, nec ſolum decimas & primitias (vt in lege præceptum eſt) dare, ſed ex reliqua parte indigentibus miniſtrare. Vel certe dimidium rerũ ſuarum tribuere, ſicut fecit Zachæus, qui ſuſcepiſſet dñm Ieſum in domum ſuam, ait: Dimidium rerum mearum do pauperibus, & ſi quid alicui tuli, in quadruplum reſtituã. *Luca. 19*

Et laudauit dominus uillicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. Quia filij huius ſeculi, prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.

Non laudauit dominus villicum iniquitatis, quod fraudem fecerat, ſed quod ſibi in futurum prudenter præuiderit, vt nos eius exẽplo diſcamus, non hic habere manentem ciuitatem, ſed futuram toto deſiderio inquirere. *Hebr. 13* Filij ſeculi dicuntur, qui hoc ſeculũ mente & deſiderio inhabitant. Sicut enim filij lucis dicuntur, qui inacceſſibilem lucem, id eſt, deum toto corde diligunt: ſic filij ſeculi huius vocãtur, qui in ſeculi huius amore radices cordis plantauerunt, in quibus voluntas eſſet ſine fine viuendi, teſte Petro apoſtolo, qui ait: Cuius quis opera facit, eius filius appellat. Ergo filij ſeculi, prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt, quia cum illi ſint callidi, aſtuti & ingenioſi, deceptores, duplices animo: iſti econtrario ſimplices, humiles, puri, benigni, neſcientes malum pro malo reddere: & ſicut iſti ſimplices ſunt in malo, prudẽtes vero in bono: ſic illi ſapientes ſunt vt faciat mala, bene autem facere neſciunt. De quibus dominus ait: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſipſis prudentes. Qui recte in generatione ſua prudentes dicuntur, quia tales nõ in generatione dei, ſed in ſua cõputantur, quia prudentia huius ſeculi, ſtultitia eſt apud deum. De qua prudentia Paulus apoſtolus ait, Prudentia carnis, mors eſt. Nõ enim de illis dicitur: Generatio rectorum benedicetur, ſed potius inter eos enumerantur, de quibus ſcriptũ eſt, Generatio praua & adultera. At vero de prudentia filiorum lucis dictum eſt: Illa autem quę ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, in bonis conſentiens. Finita autem ſimilitudine, pius dominus ad noſtram admonitionem ſermonem conuertit, dicens:

Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

Quam ſententiam quidam ita intelligendã putauere, vt aliena rapere, & inde pauperibus tribuere, hoc eſſet amicos facere de mammona iniquitatis. Quod quantum ſit abſurdum, & à religione alienum, manifeſte patet. Non enim deus omnipotens aliena rapere iubet, qui propria præcepit largiri: nec dignatur de

rapiuis eleemosynam suscipere, qui per prophetam clamat: Qui aufert sacrificiũ de substantijs pauperis, quasi qui victimat in conspectu patris sui filium. Vnde per quendam sapientem dicitur: Vnus ædificãs, & alter destruens: vnus orãs, & alter maledicẽs: cuius vocẽ exaudiuit deus? Mammona Hebraice vel Syriace, latine diuitiæ interpretantur, quia Punice mammon, lucrum dicitur. Mammona ergo iniquitatis, istæ diuitæ vocantur, etiam ex iustitia acquisitæ, & quæ ex iure parentum succedunt: quia cum labore acquiruntur, & cum magna solicitudine custodiuntur, & sine iniquitate aut vix, aut raro haberi possunt. Iubet ergo dominus amicos faecere de mammona iniquitatis. i. de diuitijs cum labore acquisitis eleemosinam dare, vt (secundum quod ait Apostolus) in præsenti vita pauperum inopiam diuitum abũdantia suppleat: vt iterum in alia vita diuitum inopiæ, pauperum abundantia sit consolatio. Amici, quos de mammona iniquitatis facere iubemur, pauperes sunt & indigentes, quos deus permisit egere ad illorum purgationem & nostram probationem. Quos nobis amicos facimus, qñ eorum nuditatẽ operimus, esuriem reficimus, sitim extinguimus, & in omnibus eorum necessitatibus subuenimus. Qui nos recipere dicuntur in æterna tabernacula, quia ille pro eis nos recepturus est, qui ait: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus & in carcere, & visitastis me. Et illis dicentibus: Domine, qñ te vidimus esurientem, & pauimus: & sitientem, & dedimus tibi potum: hospitẽ, & suscepimus te: nudum, & cooperuimus te: infirmũ & in carcere, & venimus ad te? rñdet: Amen dico vobis, quandiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Hos amicos quia noluit habere ille diues, non in ęterna tabernacula, sed in æterna pœna positus, aiebat: Pater Abraam, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Aeterna tabernacula, diuersæ retributiones sunt meritorum, quod dominus alibi declarat, dicẽs: In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Audiat ergo hoc diues, audiat Christianus, discat tribuere minima, vt possit accipere magna. Quia qui in minimo fidelis est, vt dominus ait, & in magno fidelis erit. Discat dare transitoria, vt mereatur accipere æterna. Suscipiat pauperem in domum suam, vt suscipi mereatur Christo in tabernacula sua. In his tabernaculis locum sibi optabat inuenire, qui dicebat: Dñe, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Cui diuina voce protinus respondetur: Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam, q loquitur veritatẽ in corde suo, q nõ egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malũ, & opprobrium nõ accepit aduersus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes aũt dñm glorificat. Qui iurat proximo suo, & nõ decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera sup innocentes nõ accepit. Qui facit hæc, nõ mouebitur in æternũ. Beatus enĩ (ait propheta) qui intelligit super egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eum dominus. Nam quantum virtus eleemosynæ valeat, dominus manifestat, dicens: Date eleemosynã, & omnia munda sunt vobis. Et iterum: Cum facis prandium aut cœnam, noli inuitare eos qui te remuitent, sed voca pauperes, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi. Et alibi: Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatum. Vnde iusti viri voce dicitur: Fiducia magna erit coram summo deo eleemosyna, in omnibus facientibus eam. Et iterum: Fili, eleemosyna à morte liberat, & non patitur hominem intrare in tenebras. Et rursum: Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum cui tradas eã. Et pauperes ergo iuxta possibilitatem suã eleemosynas tribuere debent. Vnde bonus pater erudiens filium suum, ait: Fili, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si autem exiguum, etiam exiguum libenter impartire. Neq; enim apud iustum iudicem excusatio de eleemosyna erit, quando etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se promisit daturum. Aliter. Quidam autem hanc similitudinem in Paulo apostolo impletã intelligi voluit hoc mõ: Homo iste deus est potens est, qui habuit villicum, s. Paulum apostolum, cui diuitias suas dispensandas commisit, qñ secus pedes Gamalielis legis doctoris, iuxta veritatẽ paternæ legis eum erudiuit. Sed male diuitias domini sui tractauit, qñ legem carnaliter intelligens, Christianos persecutus est intm̃, vt acciperet epistolas à principibus sacerdotum, vt quoscunq; inueniret huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalẽ. Diffamatus est aũt apud dñm suum, quando dictũ est de eo: Dñe, audiui à multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Ierusalem: & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomẽ tuũ. Cumq; fama persecutionis eius ad dñm ascendisset, pergente eo Damascum, vocauit illum dominus suus de cælo, & ait illi: Saule Saule, qd me persequeris? Durũ est tibi cõtra stimulũ calcitrare. Quod ẽ dicere: Quid hoc audio de te? Redde ratiõem villicationis tuæ, iam non poteris villicare, id est, iudaizare. Ac si diceretur: Quia vsq; hodie legis doctor

Psal. 14.
Psal. 41
Luce. 11
Eccl. 3.
Thob. 4

fuisti carnaliter, discipulus veritatis incipies esse spiritaliter. Villicus dicitur, qui super alienam villam curam gerit. Super alienam quippe villam curam gerebat Paulus, quando legem per Moysen datam carnaliter docebat. Sed ablata est ab eo villicatio, quando carnalis lex non carnaliter, sed spiritualiter ei intelligi præcepta est. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia domin⁹ meus aufert à me villicatiōem? Quasi diceret: Quid faciam, qui magister fui in carnali doctrina legis, & villicus & discipulus cogor esse & operarius spiritalis legis? Fodere non valeo, id est, doctrinā legis perscrutari p memetipsum nequeo. Mendicare erubesco, quia fidem Christianitatis ab Anania, quem discipulum habui, discere vereor. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me Christiani in domos suas, quos persecutus sum. Vocauitq; duos debitores domini sui, Iudæorum scilicet populum & gentium, qui ambo sub debito seu iugo peccati constricti tenebātur, sicut ait Apostolus: Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Et vni præcepit de centum cadis olei, quinquaginta: & alteri de centum coris tritici, octoginta scribere. Octogenarius numerus ad fidem resurrectionis pertinet, quia dominus Iesus Christus octaua die à mortuis resurrexit. Quinquagenarius ad pœnitētiam, quoniam quinquagesimus psalmus in pœnitentiam est decantatus. Et quinquagesimus annus in lege Iubile⁹ est dictus, id est, annus remissionis. Iudæorum ergo populo de centum coris tritici octoginta scribere fecit, quia resurrectionem Christi eum credere docuit. Gentilē vero de cētenario ad quinquagenarium vocauit, quia per pœnitētiam pristina mala illius corrigere, & deo appropinquare docuit. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, videlicet Paulum apostolum, ex persecutore p̄dicatorem factum, in doctrina factum, in doctrina & prædicatione magnificauit, dicēs de illo ad Ananiam: Vade, quia vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israel, impleta prophetia, quam Iacob olim, cum benediceret filios suos, prophetauit, dicens: Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia. De tribu autem Beniamin Paulus apostolus fuit, vt ipse testatur. Qui velut lupus rapax in persecutione Christianorum exarsit. Mane comedit prædam, quia in adolescentia ecclesiam dei persecutus est. Vespere diuisit spolia, quia postquam ad fidem Christi conuersus est, eos quos, de potestate diaboli victor obtinuit, ad prædicandam fidem, quam prius persecutus fuerat, in diuersas nationes destinauit.

DOMINICA VNDECIMA post pentecosten. Lucæ XIX.

In illo tempore: Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, uidēs ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu. Et reliqua.



N huius lectionis serie dominus Iesus Christus vtranq; suā naturam commendat, diuinam s. & humanam. Humanæ quippe naturæ indiciū est, cū perituræ ciuitati vsq; ad fletum compatitur: diuinæ, cum eidem ciuitati, quæ ventura erant, vt deus prædicit. Quasi homo templum ingressus est, sed qua deus vendentes & ementes de illo eiecit, dicens: Domus mea domus orationis vocabitur. Quantum autem de salute hominum gaudeat, quantumve de eorum perditione doleat, in exordio huius lectionis demonstrat, cum perituram ciuitatem intuens, fleuit super illam, dicens: ⌊Quia si cognouisses, & tu.⌋ Fleuit, non pulchritudinem domorum, non altitudinem turrium, non ædificia murorum, sed metaphorice homines. Dicitur autem & à flente domino: ⌊Quia si cognouisses, & tu,⌋ vbi subaudiendum est, quia si cognouisses mala, quæ tibi imminēt, fleres, quæ modo, quia nescis cito peritura, exultas. Intenta enim solummodo in prosperitatibus, quæ præsentialiter ei affluebant, quod futurū erat, minime præuidebat. Vnde & à dn̄o dr̄:

Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Quasi enim in die sua pacem habebat, cum extollebatur in honoribus, gloriabatur in facultatibus, lætabatur in fœcunditate prolis, & ideo periculum, quod sibi venturum erat, nullo modo agnoscebat. Quæ autem illi ventura essent, dominus breui sermone comprehendit, cum adiungit:

Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo: & circundabunt te, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquēt in te lapidem super lapidem.

Dies venturos dicit, tribulationis & angustiæ, calamitatis & famis, obsidionis & mortis. Inimicos Romanos nominat principes, qui eandem ciuitatem vallo circundantes, vndiq; coangustauerūt, & eam ad literam prostrauerunt, & filios eius necauerūt. Quæ oīa, qualiter ciuitati contigerint, Iosephus historiographus Hebræorum pleniter narrat. Sed

propter ſimpliciores, qui fortaſſis pręfati viri hiſtoriam ignorant, ex multis pauca commemoranda ſunt. Poſt domini enim aſcenſionẽ, poſt necem Iacobi, qui iuſtus eſt appellatus, Iudæorum populo in malitia perſeuerante, ſuſcitauit aduerſus eos dominus duos Romanorum principes, Veſpaſianum ſcilicet & Titum, patrem & filium, iuſto dei iudicio agente, vt qui patrem & filium negauerant, a patre & filio necarentur. Cumq; Iudæorum regionem Romanus vaſtaret exercitus, imminente ſolennitate paſchali, cucurrit omnis populus in ciuitatem quaſi vir vnus, iuſto dei iudicio exigente, vt qui in paſchali ſolennitate Chriſtum occiderant, in eadem ſolennitate obſidionibus circundarentur. Nam repente ab hoſtibus vallata eſt vrbs, ita vt nullus ingredi aut egredi poſſet, & tandiu obſeſſa, q̃adusq; omnia quæ ſecum ad edendum detulerant, conſumpta viderentur. Quæ autẽ extra ciuitatem reliquerãt, omnia Romanus vaſtauerat exercitus. Longa ergo obſidione afflicti, multo grauius fame interius, quàm ab hoſtibus premebantur exterius. Quod idem hiſtoriographus oſtendit, cum dicit diræ & diuturnæ famis inopia etiam delicata viſcera aruiſſe intantum, vt nonnulli nec ab ipſis calceamentis edendis ſe abſtinuerint. Alij quiſquilias fœni veteris & purgamenta frumenti dentibus ruminanda tradebant. Nonnulli portarum indumenta detrahebant, vt hoc ſaltem edulio famis inopiam temperarent. Si q̃s autem pro colligendis herbis vrbem egredi voluiſſet, quaſi qui ad Romanos fugere vellet, tenebatur. Menſam vero nullus ex more apponere audebat, ſed propria quaſi furtiua edebant. Nam quicquid ad verecundiam vel pudorem naturalem pertinet, in hac neceſſitate contemnebatur, quia hoc totum ſibi vendicauerat fames. Denique & mulieres de virorum manibus, & filij de parentũ, & (quod infelicius eſt) matres à faucibus filiorum ſuorũ cibos abſtrahebant. Nulla ſenibus pro canitie reuerentia, nulla paruulis pro innocentia miſeratio ſeruabatur, ſed verberabãtur ſenes, ſi cibum occultare voluiſſent. Sparſis etiam crinibus mulieres per plateas trahebantur, cibum celare tentantes. Iacebant autem ꝑ plateas iuuenum corpora, magis fame quàm ætate conſumpta. Sepelire autem mortuorum corpora, nec morientium multitudo, nec virium debilitas permittebat. Multi enim, dum charorum corpora ſepelire vellent, ſpiritus emittebant. Cumq; fœtor intolerabilis de mortuorum cadaueribus in ciuitate creſcere cœpiſſet, extra muros eadem eijciebant. Et cum quadam die Titus, quem pater Romam reuerſus in obſidione Hieroſolymorum reliquerat, cum militibus vrbem circuiret, vidẽs cadauera mortuorũ penè muro ciuitatis æquari, cum ingenti gemitu eleuatis oculis in cælum, deum inuocat teſtem, hoc ſuum opus non eſſe. Conuerſusq; militibus ait: Arbitror, quia ſi ab hac peſtilẽtia vrbis paululum Romanus receſſiſſet exercitus, aut aquis diluuij necarentur, aut Sodomitanis ignibus cremarentur, aut certe hiatu terræ abſorberentur. Et cum in proximo receſſurus eſſet, iterum aduerſus ciuitatem confortat milites, cuſtodias munit, armat exercitum, & ſuper hæc omnia mala prædones ex ipſis viris conſurrexerant, qui ab ipſis faucibus (vt ita dixerim) cibos rapiebant. Et ſi cuiuſpiam fores clauſas vidiſſent, indicium eſſe credebant, quod intus poſiti ederent: & repente confractis foribus inſilientes, quicquid inuenire poterant, rapiebant. Sed quia longum eſt enumerare omnia mala, quæ Iudæis pro effuſione dominici ſanguinis contigerunt, qualiter eadem ciuitas capta ſit, breuiter commemorandum videtur. Erat enim quædam mulier Maria nomine, Eleazari filia, nobilis genere, facultatibus diues, hæc cum cætera multitudine ad diem feſtum conuenerat: cumq; diuturna obſidione omnia quæ ſecum detulerat conſumpſiſſet, & iam delicata viſcera fames torqueret, contra ipſam agitur naturam. Erat enim ſub huberibus paruulus filius, hunc ante oculos ſuos conſtituens, ait: Infeliciſſima mater, o infelicior fili, in bello, fame & direptione prædonũ, cui te reſeruabo? Nam & ſi vita ſperari poſſet, iugo tamen Romanæ ſeruitutis vrgemur. Veni ergo o mi nate, eſto matribus ſeculi fabula, prędonibus furor. Et hæc dicẽs, filium iugulat, partem igne torrens comedit, & partem in poſterum reſeruauit. Cumq; ob odorẽ aduſtæ carnis prædones ex more affuiſſent, mortem minari cœperunt, niſi quos abſconderat, oſtenderet cibos. At illa truculento vultu ex ipſis prædonibus triſtior, partem ait, optimam vobis reſeruaui. Et hæc dicens, mẽbra quæ ſupererant detexit infantis. Cumq; prædones ſtupefacti tantum facinus pertimuiſſent, ait: Meus eſt partus, meus filius, meus eſt cibus & facinus, mecum edite. Nã ego prior comedi, quæ genui. Nolite eſſe aut matre religioſiores, aut fœmina molliores. Q̃d ſi vos pietas vincit, execramini meos cibos. Ego quæ talibus paſta ſum, ego his iterum paſcar. At illi dolentes, quod miſeræ matri ex omnibus facultatibus hoc ſolummodo reliquiſſent, perpetratum facinus nunciauerunt vrbi. Factus eſt clamor magnus in ciuitate dolentium atque lugentium, & in ipſo clamore apertis portis, ingreſſus eſt Titus cũ Romano exercitu, alios gladio trucidauit, alios igne combuſſit, iuuenes quoq; in captiuitatem deſtinauit. Ipſam vero vrbem à fundamẽtis ita deſtruxit, vt iuxta domini vocem, non relinqueret in ea lapis ſuper lapidẽ. In cuius

destructione impletum est, quod dominus olim figurate per Iezechielem prophetā prædixerat, dicens: Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, & duces eum per caput tuum & barbam, & tertiam partem igni combures, & tertiam partem gladio concides, tertiam vero partem in ventum disperges, & euaginabo gladium meum post eos. Concordat autem huius historiographi descriptio cum verbis saluatoris, qui cum mœnia ciuitatis vidisset, ait: Cū videritis ciuitatem hanc ab exercitu circundari, scitote quia prope est desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Et alibi legimus, quia cum discipuli ostēdissent ei ædificia ciuitatis, dixit: Videtis hęc oīa? Amē dico vobis, nō relinquetur lapis sup lapidem, qui non destruatur. Ex qua autem causa ruina prædictæ ciuitati contigerit, dominus manifestat, cum adiungit:

Ezec. 5.

Luc. 21

Luc. 18.

Eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ.

Hanc quippe dominus per incarnationis suæ mysterium visitauit, quando excelsus de us humilis hō inter homines apparens, multa signa, & miracula ostendit. Quam visitationem optabat videre, qui dicebat: Memento nostri domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo. Hāc etiam in proximo prospexerat, qui aiebat: Benedict⁹ dominus deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Sed tempus visitationis suæ superba ciuitas non cognouit, quia quem ho minem vidit, deum credere despexit. Ad cuius duritiam incredulitatis conuincēdam, etiam aues cæli in testimonium deducūtur, cū per Prophetam dicitur: Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudiciū domini. Et iterum: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit, populus meus me nō intellexit. Nec solummodo per præsentiam suæ incarnationis eam visitauit, sed post suā ascensionem multa signa & portenta, vt eorū cor ad pœnitentiam emolliret, ostēdit. Nam vt idem historiographus refert, cum quandā festiuitatem celebrarent, subito commotione facta in populo Iudęorum, triginta millia ex eis se mutuo interfecerunt. Nocte vero quadam sera templi domini, quæ vix à viginti viris moueri poterat, sponte reserata est. Die quadam vitula sacrificijs admota, enixa est agnam. Media nanque nocte ita lux in templo clara refulsit, vt à nonnullis media dies esse putaretur. Quod cernentes ignari, æstimabant sibi prospera esse ventura. Sed

Psal. 105

Ierem. 8

Isaie. 1

sapientes minime latuit interitum ciuitatis significari. In die quoque sancto Pentecostes, sacerdotibus sacrificia offerētibus, auditæ sunt voces in tēplo dicentiū: Trāseamus ex his sedibus. Duobus aūt annis ante obsidionē, cū ad celebrandā quandā festiuitatem Hierosolymis cōuenissent, quidā Ananiæ filius, noīe Iesus, repletus spū clamare cœpit: Vox ab oriēte, vox ab occidēte, vox à q̄tuor vētis seculi. Vox sup Hierosolymā & tēplū, vox super sponsos & sponsas. Cūq; verberibus hunc cōpescere vellent, magis ac magis clamabat. Et cū inter manus flagellantiū spiritū exhalaret, ait: Væ væ Hierosolymis. Stella q̄q; per oīa gladio similis p integrū annū sup Hierosolymā pependit, interitū ciuitatis indicans. Et currus igneus, & equi ignei visi sunt p aera ferri, & multa alia misericors dñs, vt eorum cor ad pœnitentiā prouocaret, ostē dere dignatus est. Sed illis secundū duritiam & impœnitens cor thesaurizantibus iram sibi in die iræ, missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & eorum ciuitatem succendit. Quoq; interitus etiam in libris Regū præfiguratus est, q Elisæo ascendente de Galgalis, pueri paruuli illudebant ei, dicentes: Ascēde calue, ascende calue. At ille maledixit eos in nomine dñi, & statim egressi sunt duo vrsi de saltu, & deuorauerunt ex illis quadraginta duos pueros. Elisæus enim figuram domini tenuit. Qui cum in caluariæ loco crucifixus esset, pueriliter illuserunt ei Iudæi, dicentes: Si filius dei est, descendat de cruce & credimus ei. Et iterum: Flectentes genua, dixerunt: Aue rex Iudæorū. Sed illis credere nolentibus, post quadraginta duos annos egressi sunt duo vrsi de syluis gentium. Vespasianus scilicet & Titus, qui eundem populū varijs cladibus dilaniauerunt intātum, vt idem historiographus cōmemoret vndecies centena millia in obsidiōe ciuitatis esse mortua, centum quoq; millia iuuenum in captiuitate esse dispersa.

Rom. 2

Et ingressus in templum, cœpit eiicere uendentes & ementes de illo.

Cum dominus ruinam ciuitatis prædixit, & ingressus in templū, vendentes & emētes de illo eiecit, ostendit quia maxime ruina tēpli ex culpa sacerdotū venit. Ipsi nanq; q in populo doctores & ductores esse debuerant in bonum exemplum, facti sunt in malum. Ad hoc enim in templo residebant, vt eos q munera dabant, vanis fauoribus, extollerēt. & qui dare nolebant, varijs modis affligerēt. Auaritiæ quoq; suæ consulentes, quoddam ingeniosum inuenerant, & filijs Israel de longinquo veniētibus persuadebāt, ne secū hostias deferrēt, vt ab illis carius emerēt, quod in templo dei offerrent. Et ob hanc causam

vt alij euangelistæ testantur, oues & boues,
& columbæ in templo domini vendebãtur.
Neque enim ea quæ domino oblata erant, iu
xta ritum legis sacrificabant, sed alijs atq; ali-
is venundabant. Et vt omnem occasionem
non habentibus auferrent, nummularios cũ
ære in templo præparatos habebant, & ideo
domum orationis speluncam latronum fece-
runt. Sed dominus ingressus templum, ven-
Isaiæ. 56 dentes & emẽtes de illo cœpit eijcere, dicẽs:

Scriptũ est, quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illã speluncam latronum.

Et his factis, erat quotidie docens in tem-
plo. Sed quod ad destructionem visibilis ci-
uitatis pertinere diximus, potest moraliter &
ad perituram animam referri. Fleuit enĩ do-
minus per semetipsum perituram ciuitatem,
deflet quotidie per doctores, eos qui de bo-
no opere labuntur in malum. Frequenter nã
que doctores ecclesiæ eos, quos admonendo
corrigere non possunt, qui lætantur cum ma
Prou. 2. lefecerint, & exultant in rebus pessimis, con-
dolentes deflent, sicut faciebat Paulus aposto
lus, qui lapsum discipulorum suorum flebat,
Galat. 4 quando dicebat: Filioli mei, quos iterum par
turio donec formetur Christus in vobis, vel
lem apud vos esse modo, & mutare vocẽ me
am, quoniam cõfundor in vobis. Et iterum:
Lugeo multos ex his, qui ante peccauerunt.
2. Cor. 12 Conuenit autem perituræ animæ, quod à flẽ
te domino dicitur: Quia si cognouisses & tu.
Si enĩ mala quæ reprobis parata sunt, cogno
sceret, si æterni supplicij pœnas ante mentis
oculos reducerent, non se falsa securitate de-
ciperet, sed potius se cum electorum lachry-
mis defleret. Sed cum exultat in ꝓsperis, gau
det in honoribus, lętatur in facultatibus, ipsa
prosperitas transeuntis vitæ, ante mẽtis ocu
los mala abscondit futuræ pœnæ. Vnde &
bene dicitur:

Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscõdita sunt ab oculis tuis.

Quasi enim suam diem infelix anima ha-
bet, dum in mundi facultatibus totam spem
suam collocat, ac per hoc scãdalum in die iu
dicij patietur. Non præuidet siquidem futu-
ram tribulationem, quia excæcat oculos cor
dis amor terrenus. Quoniam sicut puluis o-
culos corporeos excęcat, ne clare videre pos
sint: ita amor huius seculi & præsentes diuitię
oculum mentis, ne futurum iudicium valeat
Luc. 12. cauere. Talis erat ille diues, q dicebat in cor-
de suo: Destruam horrea mea, & maiora ho
rum ædificabo, & dicam animæ meę: Anima
multa bona habes reposita per annos pluri-
mos, epulare ergo & gaude. Hunc diem pro
nihilo ducebat ille eximius propheta Ieremi
as, qui dicebat: Diem hominis non concupi- Iere. 17.
ui. Et Paulus apostolus hanc contempserat,
cum discipulis suis aiebat: Mihi autẽ pro mi- 1 Cor. 4
nimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano
die. Quid autem mali torpenti animæ ventu-
rum sit, manifestatur cum subditur:

Quia uenient dies in te, & circundabunt te, & coangustabũt te undiq;. & ad terram consternent te, & filios tuos qui in te sunt.

Dies tribulationis miseræ animæ veniunt,
quando dolore mortis constringitur, quę in
præsenti vita male gaudebat, & tunc incipi-
et secum rixari & dicere: Quare in malis ope
ribus memetipsam dilataui? Quare ex præte
ritis peccatis pœnitentiam non egi? Cur in
bonis operibus memetipsam non exercui?
Tunc inquam incipiet pœnitere, cum nullus
fructus pœnitentię remanebit, sed sola distri
ctio vindictę. Inimici vero eius nulli peiores
quàm immundi spiritus sunt, de quibus se e-
ripi cupiebat Psalmista, cum dicebat: Eripe Psal. 58.
me de inimicis meis deus meus, & eripe me
de operantibus iniquitatem. Quam vallo cir
cundant, & vndiq; coangustant, quãdo egre
diente anima à corpore, mala quæ commisit
enumerant, & ipsos habet exactores in pœ-
na, quos habuit persuasores in culpa. Tunc
enim infelix anima consternitur ad terram,
quando à carne, quæ terra & cinis est, soluta,
ad pœnam ducitur, vel quicquid virtutis se
habere putat, amittit. Filios, aliquando bo-
nas, aliquãdo malas cogitatiões accepimus.
De bonis legimus: Et vide filios filiorum tu- Psal. 127
orum. De malis autem hic dicitur:

Et ad terram consternent te.

Valde aũt terribile est quod subinfertur:

Et non relinquent in te lapidem super lapidem.

In destructiõe autem ciuitatis lapis super
lapidem non relinquitur, quia in damnatio-
ne peruersæ animæ, non solum de malis ope
ribus, sed etiam de peruersis cogitationibus
ratio exigetur. Et ideo necesse ẽ vt, dũ in hoc
seculo sumus & viuimus & nobis vacat, non
solum à malis abstineam⁹, sed etiam bonum
in omnibus operari studeamus. Ante omnia
autem diem mortis ante oculos ponam⁹, qa
facile cõtemnit omnia, qui se semper cogitat
moriturum. Vnde Salomon hortatur, dicẽs: Eccle. 7
In omnibus operibus tuis memorare nouis 12. & 94.
sima tua. Et iterum: In die malorum ne im
memor sis bonorum. Et quodcunq; põt ma
nus tua facere, instanter operare. Hinc pius
dominus, quia hic patienter expectat, & di-
stricte nos in iudicio iudicabit, si conuersi

nō fuerimus,nos admonere dignatus est,cū dixit:Currite dum lucem vitæ habetis,ne te nebræ vos comprehendant.Et item:Cōcor-
1.Cor.2 da cum aduerſario tuo. Et Apoſtolus: Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies ſalutis.Cur autem infelici animæ hæc mala cōtigerint,manifeſtatur cum dicitur: L.Eo q̄d non cognoueris tempus viſitationis ſuæ.
Tempus viſitationis in præſenti eſt vita,vbi nos deus omnipotēs varijs modis viſitare dignatur,aliquādo admonendo leniter, aliquā do minando terribiliter, aliquando proſperis,aliquando aduerſis. Sed tempus viſitationis ſuæ peruerſa anima non cognoſcit,quando nec in proſperis humilitatem, nec in aduerſis ſeruat patientiam:q̄a nec peccata perpetrare metuit,nec perpetrata fletibus punit. Quod autem ſubiūgitur: L.Et ingreſſus templum,cœpit eijcere vendentes & ementes de illo. hoc quotidie in eccleſia fieri cernitur. Templum dei ſpiritaliter eccleſia eſt, quę domus orationis dici poteſt, dum quotidie deo mundas orationes offerre non ceſſat, dicens
Pſal.140 cum Pſalmiſta:Dirigaṫ oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Qui enim ſpiritalia dona quæ gratis acceperunt, aut propter præmium,aut propter temporalem laudem tribuunt, venditores ſunt. In quibus autē maxime hoc negotium fiat, alius euāgeliſta manifeſtare curauit,dicēs quod in templo oues & boues & columbæ vendebantur. Per bouem,prædicatores ſignificantur,domino dicente ad Moyſen: Non arabis in boue ſimul
Deut.22 & aſino,hoc eſt, noli coniugere in prædicatione ſiue doctrina prudentem cum ſtulto. Et iterum:Non alligabis os boui trituranti. Q̄d exponens Paulus apoſtolus ait:Nunquid de bobus cura eſt domino? Non. Sed propter nos hæc ſcripta ſunt. Quicunq; ergo verbū dei ideo in eccleſia prædicat, vt ſolummodo humanam gloriam aut temporale pręmium accipiat,quaſi bouem venalem in templo mittat. Per ouem mitiſſimum animal,innocentia deſignatur. Et qui deo ſanctitatem, vel ab hominibus laudetur oſtendit,quaſi ouem venalem in templo inducit. De quibus dominus dicit:Omnia opera ſua faciunt vt videā-
Matt.23 tur ab hominibus. Et alibi: Amē dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Per columbam vero ſpiritusſancti gratia figuraṫ, quod ipſe manifeſtare dignatus eſt, quando ſuper baptizato domino in ſpecie columbæ apparuit. Igitur qui gradum eccleſiaſticum,aut manus impoſitionem,per quam ſpiritumſanctū credimus dari,ideo tribuit, vt temporale lucrū acquirat,quaſi columbam venalem in tēplo portat.i.in eccleſia non conſiderans illud q̄d
Deut.16 domin⁹ ait:Gratis accepiſtis,gratis date. De quibus ſcriptum eſt: Ignis deuorabit tabernacula eorum,qui munera libenter accipiūt.

Et item: Non accipias in iudicio perſonam pauperis,quia munera occæcant oculos ſapientium,& verba rectorum ſubuertūt. Tales enim dominus à templo ſuo eiecit, quia quāuis in præſenti ſeculo corpore eccleſiæ coniuncti videantur,tamē in die iudicij ab eccleſia ſeparabuntur,quando illis dicetur: Diſcedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Nō ſolum dominus vendentes de templo eiecit, ſed etiam ementes: quia non ſolum illi rei ſunt, & ab eccleſia alieni, qui ſpiritalia dona vendunt,ſed etiam qui emunt, quod carius vendere poſſint. Vnde magna & ſancta ſynodus decreuit,etiam laicum,ſi in huiuſmodi negotijs mediator fuerit,ab eccleſia alienum fieri. Tales domum ſpeluncam latronum faciunt, quia in eo quod ſpiritalia dona vendunt,abominabilem fructum faciunt. De quibus ait ſaluator. Qui non intrat per oſtium in ouile ouium,ſed aſcēdit aliūde,ille fur eſt & latro. Iohā.10.
Quod vero ſubiungit:

Et erat docens quotidie in templo.

Hoc ſemper agit in eccleſia ſpiritaliter, & tunc per ſemetipſum fecit corporaliter. Ipſe enim in templo docet,cum exterius per prædicatores doctrinam format, & interius cor auditoris illuſtrat.

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN. LVCÆ XVIII.

In illo tempore dixit Ieſus ad quoſdam,qui in ſe confidebant tanquam iuſti,& aſpernabantur cæteros, parabolam hanc. Duo homines aſcenderunt in templum. Et reliqua.



IN multis locis ſacra ſcriptura, quantū virtus humilitatis hominibus proſit,quantūve morbus ſuperbiæ noceat,oſtendit: pręcipue tamen in hac lectione,ſub duorum hominum exemplo hoc dominus declarat,phariſæi ſcilicet, de ſuis meritis inaniter ſe extollentis: & publicani ſua peccata humiliter confitentis. Ait enim:

Duo homines aſcenderunt in templum.

Supra retulit Euangelica lectio, qualiter dominus ad conſtantiam orandi diſcipulos ſuos hortaretur,ſimilitudinem propoſuit de iudice iniquitatis, quem interpellabat quotidie quædam vidua, dicens: Vindica me de aduerſario meo, & nolebat per multum tem- Luc.18.
pus. Poſt hæc dixit intra ſe: Et ſi deum

non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc mulier, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me. Et tædio victus præstitit, quod beneficio præstare noluerat. Sed quod omnis, qui ad adorandum accedit, non solum humanitatem in corde, sed etiã seruare debet in corpore, finita similitudine dicebat ad eos, qui in se cõfidebant tanquã iusti essent: ⌊ Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus pharisæus, & alter publicanus. ⌋ Pharisæus namque diuisus interpretatur, quo nomine illi in Iudæorum populo censebantur, qui vt iustiores apparerent, à cæteris se diuidebant quaidam obseruationes & superstitiones doctentes, quorum vitia dominus in Euangelio non solum detegit, sed etiam frequenter increpat, dicens: Væ vobis scribæ & pharisæi
Matt. 23. hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent quidẽ hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Ita & vos quidem à foris apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis iniquitate & hypocrisi. Et iterum: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis facite, secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Ex quorum numero erat iste pharisæus, qui cum ascẽdisset in templum vt oraret, dicebat:

Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus.

In quo loco colligere possumus, quia quatuor modis tumor arrogantium diuidit. Primo, cum se existimat habere homo, quod non habet. Secundo, cum hoc quod habet, ꝓpria virtute se habere putat. Tertio, cum hoc quod habet, à deo quidem se accepisse, sed ꝓ prijs meritis credit. Quarto, cum cæteris despectis, singulariter se habere æstimat quod habet. Quo morbo iactãtiæ iste pharisæus laborabat, qui non solum publicano humiliter oranti se præferebat, sed etiam cæteris hominibus, dicens: ⌊ Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. ⌋ Adhuc etiam ipsam mentis iactantiam pharisæus verbis aperit, cum subiungit:

Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.

Quod ait: ⌊ Ieiuno bis in sabbato, ⌋ intelligendum est in hebdomada. Vbi eorum tepiditas redarguitur, qui etiam indictum ieiunium in ecclesia violare præsumunt. Frustra tamen decimas de omnibus quæ possidebat dabat, qui mentem suam in fundamento humilitatis non collocauerat. Erat enim de illis, de quibus dominus ait: Væ vobis scribæ & Matt. 23
pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham Luce. 11
& anethum & cyminum & omne olus horti: maiora autem legis prætermittitis. i. iudicium & æquitatem. Solicita ergo consideratione præuidendum est, vt quotiescunq; bona agimus, virtutem humilitatis in fundamento ponamus, ne si exterius inanem gloriam quærimus, interius mercede priuemur. Vnde Iezechiel, cum quatuor animalium corpora describeret, ait: Erant capita animaliũ plena oculis ante & retro. Quoniam sanctorum actio vndiq; circunspecta, vndiq; debet esse munita. Ecce enim pharisæus iste ad referendas deo gratias apertas oculos habuit, sed ad humilitatis custodiam clausos, cũ dixit. ⌊ Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum. ⌋ Nos autem in eo quod bonum agimus, oculos apertos habem⁹, sed si de bono opere inanem gloriam quærimus, in ea parte nihil videmus. Et quid prodest, si tota ciuitas munita sit, & muris vndiq; circundata, & vnum foramen in ea relinquatur, per q̃ ab hostibus capiatur? Aut quid valet, si nauis in medio pelagi posita, clauis & tabulis firmiter confixa fuerit, & paruum foramẽ in ea remaneat, per quod aquæ ingrediantur, & nauis demergatur? Nihil. Sic nõ sufficit bonum agere, nisi quis humilitatem studeat seruare. Quia qui sine humilitate virtutes colligit, q̃si in ventum puluerem portat. Nam humilis dicitur, quasi humi accliuis. Quam humilitatem ille habebat, qui dicebat: Loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis. Et do- Gene. 18
minus ad humilitatis custodiam nos prouocat, cum dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et Salomon: Quanto magnus es, hũilia te in omnibus. Et Petrus apostolus: Humiliamini sub potenti manu dei. Hanc humilitatem habebat Psalmista, cum dicebat: Bonum mihi domine, quod humiliasti me. Et item: Humiliatus sum vsquequaque domine. Solet enim contingere, vt cum auis laqueo capitur, sana toto corpore & integris alis, summitate paruissimæ vnguis teneatur. Quoniam antiquus & callidus auceps diabolus, quos per adulteria, homicidia, & cætera manifesta mala capere non potest, per inanẽ gloriam decipere conatur, vt de bono quod agunt, & sibi placeant & cæteros despiciant. Sed his de superbi pharisæi tumore breuiter dictis, ad pœnitentis publicani verba veniamus. Nam subditur:

Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Publicanus dicitur, qui amisso pudore pu
blice peccat, vel qui tributa & vectigalia pu-
blice exigit. Sicut enim pharisæus mentis ia-
ctantiam aperuit verbis, ita & publicanus do
lorem cordis in ipso situ ostendit corporis.
Primo à longe stando, non audẽs appropin-
quare sanctis, à quorum consortio se peccan
do diuiserat. Secundo, nolens oculos ad cæ-
lum leuare, timens illum respicere, quem se
offendisse recolebat. Tertio, tundẽdo pectus
quod proprie illorum ẽ, qui de peccatis eru-
bescunt. In tunsione quippe pectoris, dolorẽ
ostendit mentis. Sed quia nemo præ facino-
rum magnitudine veniam desperare debet,
recte voce publicani dicitur: ⌊ Deus, propi-
tius esto mihi peccatori. ⌋ Nouerat enim il-
Ezec. 18. lum esse, qui per prophetam ait: Viuo ego,
dicit dominus, nolo mortem peccatoris, sed
vt conuertatur & viuat. Et iterum: Peccator
in quacunq; die conuersus fuerit & ingemu-
erit, omnia peccata eius obliuioni tradẽtur.
Imitemur ergo & nos, qui peccatis constrin
gimur, hunc publicanum: & recolentes ma-
la quæ gessimus, longe stemus. i. à consortio
sanctorum nos indignos iudicemus. Respici
emus terram. i. terram & cinerem nos iugi-
ter consideremus. Tundamus pectora, vt de
lectatio carnalis in amaritudinem vertatur
mentis. Neq; enim pœnitentes de venia de-
speremus, sed ad illum, qui veniæ largitor ẽ,
humiliter accedamus, orantes cum prophe-
ta & dicentes: Adiuua nos deus salutaris no
Psal. 78. ster, & propter gloriam nominis tui domi-
ne libera nos, & propitius esto peccatis no-
stris, propter nomẽ tuum. Sed quia iuxta vo
cem Salomonis: Ante ruinam exaltatur cor,
Prou. 16. & ante gloriam humiliatur, bene subiungit:
Amen dico vobis, descẽdit hic iustificatus in
domum suam ab illo, hoc est, magis quam
pharisæus. Iste enim se accusando iustificatus
est, ille se excusando reprobatur. Sicq; in his
adimpletum ẽ, quod alibi ait: Amen dico vo
bis, quia gaudium est in cælo coram angelis
dei super vno peccatore pœnitentiam agen-
te, quàm super nonaginta nouem iustis, qui
non indigent pœnitentia. Allegorice autem
per pharisæum & publicanum, vtrunq; po-
pulum intelligere possumus, Iudæorum scili
cet & gentium. Ergo per pharisæum, qui di-
uisus interpretatur, Iudæorum populus signi
ficatur, qui in circuncisione & legalibus cere
monijs à cæteris nationibus erat diuisus. Per
publicanum intelligitur gẽtilis populus, qui
à cognitione dei alienus, absq; vlla reuerẽtia
publice peccare non erubescebat, non solum
in idolorum cultura, sed etiam in varijs im-
munditijs. Sed pharisæus de proprijs meri-
tis confidens, reprobatus ẽ, quia sicut ait apo
Rom. 10. stolus: Iudæorũ populus volens statuere suã
iustitiã, iustitiæ dei non est subiectus. Publi-
canus autem vel gentilis, accepta dei notitia,
tanto citius ad veniam peruenit, quanto ve-
hementius dolens de peccatis erubuit, Apo-
stolo teste, qui ait: Quod quærebat Israel, nõ
est consecutus, electio autem consecuta est. Rom. 11.
Sic ergo vnus exaltãdo meruit humiliari, &
alter humiliando meruit exaltari. Superbum
enim (ait Salomon) sequitur ignominia, & hu
milem spiritu sequitur gloria. Vñ & subdit: Pro. 29.

**Quia omnis qui se exaltat, humilia-
bitur: & qui se humiliat, exaltabitur.**

Sed quia simpliciter non ait, Qui se exal-
tat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabi
tur: sed cum additamento: Omnis qui se ex-
altat, humiliabitur: & qui se humiliat, exalta
bitur: dicendum est, quia varijs modis homi
nes in hoc seculo & in futuro exaltantur, &
humiliantur. Alij hic & in futuro exaltantur,
sicut fuit rex Dauid, Iob, Iezechias, Iosias, &
cæteri tales, qui gloriosi in hoc seculo fue-
runt, & gloriosiores in futuro. Alij hic & in
futuro humiliantur, sicut sunt superbi homi-
nes, qui sunt paupes: vel certe illi, qui in hoc
seculo de peccatis vindictam recipiunt, & in
futuro ad pœnam perpetuã transeũt, quales
fuerunt Herodes & Antiochus, Nabuchodo Iere. 17.
nosor & Pilatus, & multi tales, de quib⁹ scri-
ptum est: Duplici contritione cõtere eos do
mine. Nonnulli enim hic exaltantur, sed in
futuro humiliantur, sicut sunt superbi diui-
tes, qui iuxta scripturæ vocem, ducunt in bo-
nis dies suos, & in puncto ad inferna descen Iob. 21.
dunt. Alij autem hic humiliantur, sed in futu
ro exaltantur, sicut sunt pauperes, & illi præ-
cipue, qui propter deum oĩa sua relinquen
tes, semetipsos spontanea voluntate humili-
ant, vt in futuro à domino exaltari merean-
tur. Ad quorum nos consortium perducere
dignetur ille, qui viuit & regnat in secula se
culorum, Amen.

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN. Marci VI.

**In illo tempore: Exiens Iesus de fini-
bus Tyri, uenit per Sidonem ad ma
re Galilææ. Et reliqua.**



Vpra retulit Euangelica le-
ctio, qualiter dominus fines
Tyri & Sidonis appropin-
quans, filiam mulieris Cha-
nanitidis à dæmonio libera-
uit. Nunc autem & aliud mi-
raculum de scripturis; non frustra ipsa loca,
per quæ ambulauit, commemoranda puta-
uit, dicens:

Et iterum exiẽs Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

Tyrus & Sidon ciuitates fuere gentilium, quę quondam filijs Israel in sortẽ datæ sunt, sed ab eis minime possessæ. In corde eñ maris sitæ, non facile ab hostibus capiuntur. In hac Tyro fuit rex Hiram potentissimus, qui Salomonem in constructione domus domini plurimum iuuit. Contra quam Iezechiel propheta multa locutus est, dicens eã in corde maris sitam, diuitijs locupletem, sed nec à vitijs vacuam. Nabuchodonosor quoq; regem Babyloniæ, ad eius destructionem festinantem describit. Decapolis autem regio est trans Iordanem, decem vrbes habens, vt ipso nomine comprobatur. Nam δέκα græce, latine decem: πόλις vero, in hoc loco ciuitas dicitur, ex quibus (vt diximus) nomen regionis decapolis est compositum. Sicut ergo Tyrus & Sidon ciuitates gentilium, gentilem significant populum, sic Decapolis Iudæorũ, qui ad suam eruditionẽ decalogum legis acceperat. Quod autem ait: Venit per Sidonẽ ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, non ipsos fines eum intrasse, sed iuxta transisse significat. Quod etiam à mysterij significatione non vacat. Quasi enim fines Decapolis spiritaliter appropinquauit, quando carnem ex Iudæis assumpsit, sicut dicit Apostolus: Quorum patres, ex quibus Christus
Romæ. 9. secundum carnem, qui est benedictus in secula seculorum. Non autem ipsos fines ingressus est, quia ab eis nec cognitus, nec receptus est, sicut ipse eis improperans dixit: Ego veni in nomine patris mei, &
Iohan. 5 non recepistis me: si alius in nomine suo venerit, ipsum suscipietis. Vnde per Iohannem dicitur: In propria venit, & sui eum non receperunt. Vel certe fines Decapolis appropinquauit, quando consortium humanæ naturæ accepit. Non autem ipsos intrauit, quia communionem culpæ non habuit.

Et adducunt ei surdum, & mutum.

Surdus iste & mutus, allegorice genus significat humanum, quod constat tam ex Iudæis, q̃ ex gentibus. Non est enim distinctio (vt Apostolus ait) Iudæi & Græci. Oẽs eñ
Romæ. 3. peccauerunt, & egent gloria dei. Tũc autem genus humanum obsurduit, quando in primo parente verbis serpentis auditum aperuit. Post surditatem tunc loquendi officiũ perdidit, quando à laude dei cessauit. Non est enim speciosa laus (vt ait scriptura) in ore pec-
Eccl. 15 catoris. Hi autem, qui surdum & mutum domino ad curandum adducunt, patriarchas & prophetas significant, qui spiritaliter domino ægrotum ad sanandum detulerunt. Quia ad eius liberationem, non solum domini incarnationem prædixerunt, sed etiam totis viribus eam optauerunt. Vnde & subditur:

Et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

Manus domini in scripturis, aliquãdo potentiam diuinitatis significat, aliquãdo incarnationem humanitatis. Potentiam significat
diuinitatis, sicut scriptũ est: In manus tuas do Psal. 143
mine commendo spiritum meum. Incarnationis humanitatem, sicut alibi legitur: Emitte manũ tuam de alto. Ergo in hoc loco non incongrue manus domini, incarnationis mysterium significat. Deprecatur autem eum, vt ei manum imponat, quia per hoc quod nostram mortalitatem accepit, genus humanũ ab infirmitate animi liberauit.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius.

Quid est quod dominus sanaturus surdũ & mutum, seorsum apprehendit? Nunq̃d nõ coram hominibus eum sanare poterat, q cuncta creauit ex nihilo? Poterat vtiq;. Sed prius ipsum à turba separat, & postea sanat, vt intelligat genus humanum se aliter sanitatem animæ nõ posse recipere, nisi prius pristinos errores relinquens, à turba immundorũ spirituum, & tumultu vitiorũ sese redderet alienum. Digitus autem dei in scripturis spiritũsanctũ significat, sicut dominus alibi ait: Porro si in digito dei ejcio dæmonia. Quod alius euangelista manifestius declarat, dicẽs: Si ego in spiritu dei ejcio dæmones. Iste est digitus, quem magi in Aegypto confitebantur
dicentes: Porro digitus dei est iste. Hoc digi- Exodi. 8
to tabulæ testamenti scriptæ sunt. Et pulchre per digitum dei spiritussanctus figuratur, q̃a sicut digitis aliquid constringimus, vt operemur, ita pater & filius omnia per spiritumsanctum operantur, Psalmista testante, qui ait: Verbo domini cæli firmati sunt, & spũ oris eius omnis virtus eoꝝ. Huius digiti mirabilem operatiõem aspexerat qui dicebat: Qm̃
videbo cælos tuos, opera digitorum tuorũ. Psalm. 8.
Siue certe per digitum dei, recte spiritussanctus designatur, quia sicut vt in nullis alijs membris tãtam partitionem habemus, quantam in digitis, & tamen vna est manus, sic eiusdem spiritussancti dona cum sint in singulis diuisa, in eodem tamen sunt indiuisibilia. Vnde Paulus, enumeratis eiusdem spiritussancti donis, adiunxit dicens: Hæc om̃ia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singu-
lis prout vult. Mittit ergo digitos in auricu- 1. Cor. 12
las, vt surdo auditum restituat, quia vt aures cordis verbũ dei audire & spiritaliter intelligere possint, p spũsancti grãm aperiuntur.

Expuẽsq; tetigit linguam eius.

Sputum ex capite descendit. Ergo per ca-
put diuinitas, per spiritum humanitas desi-
gnatur, Apostolo dicente: Caput Christi de
us est. Sputo igitur linguam tetigit vt loque
lam reciperet, quando altitudinem suæ diui-
nitatis vsque ad nostram inclinauit humani-
tatem. Quod alibi manifestius demonstrauit,
quando oculos cæci nati aperuit. Lutũ siqui-
dem ex sputo fecit, & liniuit oculos eius

Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire.

Marc.7 Sanaturus dominus ægrotum, in cælum
suspexit, vt ostenderet omnia bona & sancta
à deo esse petenda. Inde enim surdis auditus,
inde mutis redditur loquela, quia sicut Iaco-
Iacob.1 bus apostolus ait: Om̄e datum optimum, &
omne donum perfectum desursum est, descē
dens à patre luminum. Et sicut in Euangelio
dicitur: Non potest homo à se facere quicq̃,
nisi ei datũ fuerit desuper. ⌊Ingemuit.⌋ Nun
quid indigeret aliquid postulare, à patre, cũ
gemitu, qui cuncta postulata dat cum patre?
Non. Sed vt exemplum nobis ostenderet ge
mendi, quoties vel pro nostris, vel pro alie-
nis peccatis intercedimus. Quod autem ait,
Ephera, euangelista exposuit, cum adiunxit:
⌊quod est, adaperire.⌋ Consuetudo est em̄
euangelistarum, vt aliquando ipsa verba vel
nomina hebraica cum ipsa sua expositiōe po
nant, sicut in euangelio Iohannis dicitur: Va
de ad natatoriam Siloæ, quod interpretatur
missus. Et in Euãgelio Marci, Bartimæus Ti
mæi filius scribitur. Et Iudas Zelotes idē est
qui & Iudas Chananæus, quoniam Chana-
an zelus interpretatur. Epheta ergo, quod ē
adaperire, proprie ad aures pertinet. Et pul-
cherrimo ordine domin' prius digitos in au
riculas surdi mittit, deinde linguam sputo te
tigit, & postremo ait: Epheta, quod est adape
rire, vt ordinatissimum officium baptizandi
sacerdotibus demōstraret. Quoniam hi qui
baptizantur, prius spiritussancti gratia sunt
illuminãdi, deinde à doctoribus sunt instru-
endi, & postremo ad confessionem fidei vo-
candi. Vnde consuetudo est sacerdotum, vt
eorum linguam & nares, quos cathechizãt,
sputo tangant, ipsius domini verba dicētes:
Epheta, quod ē, adaperire. Sed quia inter di-
cere domini & facere nulla est distinctio (Di
Psal.148 xit em̄ & facta sunt, mandauit & creata sunt)

Statim vt dixit, Epheta quod est, adaperire, apertæ sunt aures eius, & solutum ē uinculum linguæ eius, & loquebatur recte.

Non enim erat dignum, vt is qui à domi-
no creatus fuerat, aliter loqueretur, quàm re
cte. Iuxta vero superiorem intelligentiam,
postquam dominus per immissionem spiri-
tussancti cor humani generis ad pœnitenti-
am emolliuit, postquã incarnationis suæ my
sterium patefecit, linguam, quam prius infi-
delitas vinxerat, fides absoluit, & deũ lauda-
re cœpit, dicens cum Psalmista: Domine la-
bia mea aperies, & os meum annunciabit lau
dem tuam. Et cum Isaia: Dominus deus de- Isa.50
dit mihi linguam eruditam, vt possim susti-
nere eum, qui lapsus est, verbo.

Et præcepit eis ne cui dicerent.

Quid est, quod qui ad hoc in mundum ve
nerat, vt miracula faciendo se deum esse os̄-
deret, miraculum à se factum occultare præ
cepit? Nimirum bonis exemplum ostendit,
vt etiam in bono opere inanem gloriam &
iactantiam caueamus, iuxta quod alibi ipse
præcipit, vt intremus in cubiculum, & clau-
so ostio oremus patrem nostrum. Et pa-
ter noster, qui videt in abscondito, red-
det nobis. Est autem hæc discretio in hac ta-
citurnitate obseruanda, vt is qui nouellus est
in conuersatione, non solum ab officio præ-
dicationis cesset, sed etiam sua bona opera ab
aliorum aspectibus ascondat, nesciente sini-
stra sua, quid faciat dextera sua, ne forte radi-
cem cordis, quam profunditas terræ nōdum
fortiter ligauit, vētus elationis eradicet. Qui
autem diuturna conuersatione probatus est,
non solum in prædicatione proficere debet,
sed etiam exemplo, implens quod dominus
alibi ait: Luceat lux vestra coram homini- Mat.5.
bus, vt videant vestra bona opera, & glorifi-
cent patrem vestrum qui in cælis est. Quod
vtrunq; dominus suo exemplo ostendit, quã
do præcepit vni: nemini dixeris, alteri vero
ait: vade in ciuitatem ad tuos, & eniǔcia illis,
quanta tibi fecerit deus.

Quanto autem eis pręcipiebat, tãto magis plus pręedicabant.

Hic tempora eorum redarguũtur, quibus
officium prædicationis iniunctum est, & ta-
men à prædicatione cessant. Considerãdum
nanq; est, quæ culpa sit doctoribus, post prę
ceptum domini se sub silentio ponere, quan-
do etiam nec illi tacere possunt, quibus præ-
ceptum est, ne cui dicerēt. Quid autem dicãt
audiamus:

Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Non solum in hoc bene fecit, quod sur-
dos fecit audire & mutos loqui, sed etiam o-
mnia quæ ab initio creauit, bñ fecit sicut scri-
ptum est: Et vidit deus cuncta quæ fecit, &
erant valde bona. Moraliter añt per surdum
& mutũ, quilibet pctõr designaẗ. Qui em̄ a-
uertit aures suas ne audiat legē, surd' ē. Qui
añt loquiẗ iniquitatē in excelso, & seminat in
ter fratres discordias, etiam officia loquendi

mutus est. Tales vt auditum & loquelam spi
ritalem recipere possint, à magistris & docto
ribus ecclesiæ domino adducuntur. Quasi eñ
ægrotum dño adducunt, quãdo in sua doctri
na & exhortatione peccatores conuerti faci
unt: & pro his, quos conuerti velle videtur,
ad dñm preces fundũt. Nec differt pietas dñi
tales sanare, qui animarum vulnera venit cu
rare, tñ vt fides & satisfactio pœnitentium
non desit. Nam satisfaciendi ordinem domi-
nus ostendit, cum surdum & mutum curatu
rus seorsum eum extra turbam educit, osten
dens nimirum quia si peccatores fructus di-
gnos facere volunt, necesse est vt societatem
dæmonum & tumultum vitiorum & carna-
lem hominum communionem deferant. Sic
ut enim bonorum societas multum adiuuat,
sic communio carnalium hominum infirmis
mentibus plurimum nocet, teste Psalmista
Prou.13. qui ait: Cum sancto sanctus eris, & cum viro
innocente innocens eris. Et cum electo ele-
ctus eris, & cum peruerso peruerteris. Et sic-
ut Salomon ait: Qui cum sapientibus gradi-
tur, sapiens erit. Amicus stultorum efficitur
similis. Vnde & ipse alibi nos admonet, di-
Pro.22. cens: Noli esse amicus homini iracundo, nec
ambules cum viro furioso, ne forte discas se-
mitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.
Quasi enim dominus fideles suos spiritaliter
ab infidelium turba separabat, cum per Isaiã
Isa.52 dicebat: Exite de medio eorũ, & immundum
ne tetigeritis. Perfecti in medio prauorũ posi
ti, seorsum manẽt, dum eorũ prauis operibus
nec corde cõsentiunt, nec ore parcunt. Qua-
lẽ solicitudinẽ habebat ille, qui in solicitudi-
Psal.54 ne regali positus, aiebat: Quis dabit mihi pẽ-
nas sicut columbæ, & volabo & requiescam?
Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudi-
ne. Sed quia nullus dignam pniam agere po
test, nisi spũs sancti grã cor eius ad pœniten
dum emolliat, recte subditur: ⌊Misit digitos
suos dominus in auriculas, & expuens teti-
git linguam eius.⌋ Quasi enim dominus di-
gitos suos in auriculas surdi misit, qñ per ar
dorem spiritussancti cor peccatoris ad pœni
tentiam emollit. Quia (vt ait Apostolus) quid
Rom.8 oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spi-
ritus postulat pro nobis gemitibus inenarra
bilibus. Quasi enim sputo linguam muti tan
git, cum saporem diuinæ sapientiæ cor pecca
toris degustat. Quantum autem dñs ergo cõ
uersos peccatores misericors existat, manife
statur cum subinfertur: ⌋ Et statim apertæ
sunt aures eius, & solutum est vinculum lin-
guæ eius, & loquebatur recte. Nullum enim
peccatum tam magnum est, quod medicamẽ
to pniæ sanari nõ possit. Non eñi mentitur il
le qui ait: Viuo ego, dicit dñs, nolo mortem
peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. Et: Pec
cator in quacunq; die conuersus fuerit & in-
gemuerit, omnia pctã eius obliuioni traden-
tur. Recte aũt post curationem peccator loq
tur, quando linguam, quæ conuitijs & detra
ctionibus tortuosa fuerat, ad laudandum dẽ
um & exhortandum proximum commutat.
Sed quia post publicam pœnitentiam aliqs
non statim ad prædicandum prodire debet,
bene dicit: ⌊Et præcepit illis ne cui dicerẽt.⌋
Prius enim semetipsum curare debet, qui ali
ena vulnera vult tergere. Vnde Apostolus,
cum de ordinandis ministris ecclesiæ loque
retur, ait: Non nuper cõuersum, nõ neophy-
tum, ne forte elatus in iudicium incidat dia- 1.Tim.3
boli. Quem autem diuturnitas temporis &
perfectio pœnitentiæ idoneum reddit, de fo
uea peccati etiam alios extrahere debet, iuxta
illud quod in Apocalypsi dicitur: Qui audit,
dicat, Veni. Vnde & bene dicitur: Quanto
autem eis præcipiebat, tanto magis plus præ
dicabant, & eo amplius admirabantur dicen
tes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, &
mutos loqui.

DOMINICA DECIMAQUARTA post Pentecosten.

Lucæ .X.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi qui uidẽt quæ uos uidetis. Et reliqua.



IN exordio huius lectionis quæ
ritur, quare dominus oculos se
videntium beatificet. Nũquid
omnes oculi beati fuerunt, qui
eum corporaliter videre potu-
erunt? Nunquid beati oculi Pilati & Caiphæ
& cæterorum qui eum viderunt & crucifixe
rũt? Aut nunquid oculi Iudæ beati, qui eum
vidit & tradidit? Non. Alioquin & oculi be-
stiarum & volucrum beati esse possent. Sed
beatos dicit oculos apostolorum, quibus se
& patrem reuelare dignatus est, pro quibus
superius patrem glorificauerat, dicens, Con- Luc.10
fiteor tibi domine, pater cæli & terræ, qui ab
scondisti hæc à sapientibus & prudentibus,
& reuelasti ea paruulis. Quod euidenter euã
gelista manifestare curauit, cum postea, quæ
superius scripserat, adiunxit dicens: Et con-
uersus ad illos, dixit:

Beati oculi qui uident quæ uos uidetis.

Illorum scilicet oculos beatos ostendens,
qui hominem videntes, deum crediderunt.
Nam quid in illo hoĩe spiritalibus oculis in-
terius viderunt, alibi ostendunt, cum requi-
siti viuis voce respondent, dicentes: Tu es
Chrs filius dei viui. Et talis visio, talisq; con- Mat.16

fessio quod beatitudinem mereatur, ipse dominus ostendit, eum protinus respondit, dicens: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Neq; hac beatitudine fraudabimur, qui eum corporaliter non vidimus, & tamen spiritaliter credimus, sicut cuidam se videnti dixit: Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

Dico enim uobis, quod multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

Si reges iuxta literam accipimus, agnoscere possumus quia sancti reges, qualis fuit David, Iezechias, & Iosias, voluerunt videre quæ apostoli videbant, sed non viderunt. Sed quia rex à regendo nomē accepit, spiritaliter eos reges accepimus, qui quamuis sint paupertate tenues, tamen actus suos & cogitatiōes iuste regere & disponere nouerunt. De quibus
Prou. 21. per Salomonem dicitur: Cor regis in manu domini. Vnde bene alius euangelista pro regibus iustos posuit, dicens: ⸤Multi iusti & prophetæ voluerunt videre quę vos videtis, & non viderunt.⸥ Sicut enim amittit regiam potestatem, qui tyrannidem exercēs, nec se, nec sibi subiectos regere nouit: sic pauper & exiguus regis nomine censetur, qui seipsum regere nouit bene. Quod Fortunatus breuiter versiculo comprehendit, dicens:

Pauper in occulto regnat, habendo deum.

Sed quæritur quare dominus dicat: ⸤Multi reges & prophetæ voluerūt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt,⸥ cum Iacob patriarcha
Gen. 32. dicat: Vidi dominum facie ad faciem, & salua
Isa. 6. facta ē anima mea. Et Isaias: Vidi dominum sedentem super solium excelsum & eleuatū. Et ipse Abrahæ testimonium perhibeat, dicēs: Abraam pater vester exultauit vt videret diē meum, vidit & gauisus est. Sed ad hoc dicendum est, quia aliud est figura, & aliud ipsa res quæ figuratur: aliud speculum, & aliud species. Sancti ergo pphetæ per spm̄ sanctū in carne ꝑuiderunt deū futurū, sed corporaliter se eū conuersantem, colloquentē, conuescentē, sicut apostoli videbant, videre desiderauerūt sed minime viderūt. Et ideo de præsentia sua corporali dixit: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.⸥ Nam quantum antiqui sancti eum in carne voluerunt videre, indicat venerabilis Iacob, qui cum moriturus filios benediceret,
Gen. 49 ait. Salutare tuum expectabo domine. Et Isai
Isai. 64. as hoc desiderio ardebat, cum dicebat: Vtinā disrumperes cælos & descenderes. Et Dauid eodem feruens amore, dicebat: Domine inclina cælos tuos & descende. Hoc etiam æstuabat desiderio ille Iustus Simeon in Euangelio, qui pro magnitudine sui amoris responsum accepit, non visurum se mortem, priusquam videret Christum domini incarnatū.

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebo?

Fortassis legisperitus iste, vt ad tentādum dominum surgeret, ex ipsius verbis occasionem sumpsit, quibus superius dominus dixerat: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt Luc. 10
in cælo. Voluit enim scire, vtrum & nomen suum scriptum diceret in cælo, ideo tam solicite interrogat, quid faciendo vitam æternā possideat. Sed quia imperite est loqui, bonū non recta intentione proferre, legisperitus iste imperite interrogasse comprobatur. Quod enim non recta intentione dominum interrogauerit, euangelista manifestat cum dicit: ⸤Surrexit tentans eum.⸥ Surrexit autē, non solum corpore ad interrogandum, sed etiam mentis elatione ad tentandum. Quod ipsis suis aperit verbis, cum hunc non quasi dominum, sed quasi magistrum inquirit, dicens: ⸤Magister, quid faciendo vitam æternā possidebo?⸥ Sed dominus quem occulta cordis non fallunt, & quem nulla latet cogitatio, ita suam responsionem temperat, vt ad interrogationem scribæ respondeat, & à tentatore reprehendi non possit. Misit enim eum statim ad legem, quam in ore & non corde gestabat, dicens:

In lege quid scriptum est? Quomodo legis?

At ille, quod legerat, nec negare poterat, respondens dixit:

Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.

Quam respōsionem, quia dominus suam esse recognouit, protinus collaudauit dicens:

Recte respondisti, hoc fac, & uiues.

Sed interrogatio hæc scribæ magnam nobis vtilitatem parit, si quod hoc respōdit verbis, seruemus operibus. Ait enim: ⸤Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.⸥ In quibus verbis ostenditur, quia si vitam volumus possidere ęternam, debemus deum diligere non ex parte, sed ex integro, toto corde, tota anima, totis virib⁹, tota mente, vt locus nullus remaneat vacuus,

qui non dei dilectione repleat, sed mẽs, manus & lingua, eius dilectionem resonent. Vbi notandum quia in dilectione dei mensura non ponitur, cum dicitur: ⌊Diliges dominum deũ tuum ex toto corde tuo, & rel.⌋ Quia enim immensus est deus, sine mensura est diligendus: vt cum multum eum diligimus, parum nos diligere fateamur. In proximi vero dilectione mensura ponitur, cũ dicitur: ⌊Et proximum tuum sicut teipsum.⌋ Debemus igit deũ diligere plus q̃ nos, & proximũ sicut nos. I. sicut nostræ sanitati volumus subueniri, sic subueniamus & proximo: & sicut nostræ infirmitati volumus compati, sic compatiamur & proximi: & sicut ad vitã volumus venire æternam, sic optemus nobiscum peruenire & proximum: & hoc est vere diligere proximũ, sicut nosmetipsos. Considerandum est autem in hoc loco, quia vere non diligitur deus sine proximo, nec vere proximus sine deo. Si quis enim ita deum diligit vt proximi curam negligat: vel ita proximũ diligit, vt dei dilectionem postponat, nõ habere veram dilectionem credendus est. Qd in diuina lege figuraliter demonstratur, quã do in ornamento põtificis coccus bis tinct⁹ poni præcipit. Quasi em̃ in ornamento pontificis coccus bis tinctus ponitur, cum in nostro opere dilectio geminatur. Sicut enim auis sine duabus alis ad alta sese sustollere nõ potest, sic nos ad perfectionem venire nequimus, nisi duo pręcepta principalia seruemus dilectionem videlicet dei & proximi, testante Iohanne Apostolo qui ait: Si quis dixerit,
1. Ioh. 4 quũ diligo deum, & fratrem suum oderit, mẽdax est. Et iterum: Qui non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt, quõ potest diligere? Et hoc mandatum habemus à deo, vt qui diligit deũ, diligat & frẽm suũ.

Ille autem uolens iustificare seipm̃, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?

Erat enim de ill s, de quibus dominus ait: Quęsierunt gloriam hominum magis quam dei. Sed dominus ita suam responsionem tẽperauit, vt & se nobis proximum per misericordiam ostenderet factum esse, & pharisęo quem imitari deberet, declararet.

Suspiciẽs autem Iesus, dixit: Homo quidam descẽdebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones.

Qui in scripturis literam sequuntur, congrue dicunt, quia dominus cum similitudinẽ vulnerati hominis poneret, recte hunc ab Ierusalem in Iericho descẽdisse commemorat. Siquidem ab Ierusalem in Iericho pergentibus rupes sunt magnæ & valles concauæ & loca latronum insidijs apta. Huius rei testis ẽ Iosephus, qui multitudinem latronum ab Herode in eodem loco necatam esse narrat. Nos spiritaliter hunc hominem Adam cum stirpe sua intelligim⁹, qui bene de Ierusalem in Iericho descendisse dicitur: quia visionem supernæ pacis amittens, in præsentem vitam miserijs & ærumnis plenam decidit. Ierusalẽ quippe visio pacis: Iericho aũt luna interpretatur. Luna vero in sacro eloquio, humanæ fragilitatis defectum significat, quæ dum mẽstruis horis crescit & decrescit, nostræ calamitatis mutabilitatem exprimit, q crescimus nascendo, decrescimus moriẽdo. Tunc ergo primus homo de Ierusalem in Iericho descẽdit, quando societatem angelorum, cum quibus deum contemplabatur, relinquens, præsentis vitæ miserias expertus ẽ. Latrones vero, in quos incidit, immũdi spiritus sunt, qui sedent in insidijs in occultis, vt interficiant innocentes. Ab horum insidijs orabat se liberari propheta, cum dicebat: Custodi me à laqueo quẽ statuerunt mihi, & à scandalis ope- Psal. 140
rantium iniquitatem.

Quia etiam despoliauerunt eum.

Despoliauerunt quippe eũ, quia post peccatum veste immortalitatis, qua vestitus erat nudauerunt. Vnde & ilico cognoscentes se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerũt sibi perizomata.

Et plagis impositis, abierunt.

Plagas imposuerũt, quando post inobedientiam genus humanum de paradiso expulsum varijs vitijs & peccatis vulnerauerunt. Abierunt autem non à tentatione cessando. sed non tantum quantum voluerunt nocendo. Vnde bene dicitur:

Semiuiuo relicto.

Quasi enim semiuiuus est, qui ex alia parte est viuus, & ex alia mortuus. Semiuiuum ergo reliquerunt, quia veste immortalitatis eum nudauerunt, sed spem redeundi ad veniam, penitus auferre non potuerunt.

Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem uia, & uiso illo, præteriuit.

Sacerdos iste Aaron intelligitur ordine suo, cui honor sacerdotij legalis à deo concessus est. Et ipse ergo eadem via descendens, vidit hominem vulneratũ, & pertransit, quia de eadem mortalitate natus, intellexit genus humanum sub primæ præuaricationis peccato teneri, sed nec se, nec alios potuit liberare.

Similiter & leuita, cum esset secus locum, & uideret eum, pertransiit.

Leuita ordinem significat prophetarum: quia ipse vidit hominem vulneratum, & pertransiit, quia intellexerunt prophetæ sub vinculo primi reatus hominum genus esse ligatum, sed nec se, nec alios absoluere potuere.

Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secus eum, & uidens eũ, misericordia motus est.

Samaritanus, qui custos interpretatur, dominum significat Iesum Chr̃m, de quo p̃ ꝓpheram dr̃: Nisi dñs ædificauerit domũ, in vanum vigilant qui custodiũt eã. A quo se custodiri optabat, ille, qui dicebat: Custodi me dñe vt pupillam oculi, sub vmbra alaꝝ tuaꝝ protege me. Iste eñ est ille custos, cui p̃ Isaiã ꝓphetã dr̃: Ad me clamat ex Seir: Custos
Isa. 22. q̃d de nocte? Ait custos: Venit mane, & nox. Si quæritis, quærite: cõuertimini, & venite. Nã & in euangelio, cum Iudæi improperando ei dicerent: Nonne bñ dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? negauit se dæmoniũ habere, sed nõ negauit se Samaritanum eẽ. Huius Samaritani iter fuit de cęlo in vterum, de vtero in crucem, de cruce in sepulchrum, de sepulchro iterum in cælũ. Sed cum iter faceret, venit sec⁹ vulneratum, quando similitudinem nostrę carnis accepit. Videns autem vulnera ei⁹, misericordia motus est, quia quod nos de perpetua morte liberauit, & q̃ pro nostra redemptiõe deus hõ factus, vsq; ad nr̃am humanitatẽ se inclinauit totũ misericordia fuit, & nõ meritum, q̃ inspexerat propheta cũ dicebat: Misericordia
Psal. 102. autem domini ab æterno, & vsq; in æternum super timentes eum.

Et appropiãs alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum.

Vulnera alligauit, qñ peccare prohibuit. Siue vulnera alligauit, qñ pœnitentibus veniam repromisit, dicens: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam. Et iterũ:
Matt. 9. Non est opus sanis medico, sed male habentibus. Et recte dicitur: Infundens oleũ & vinum. Hæc eñ duo liquamina (vt medici ferunt) curandis vulneribus sunt apta: quia vinum purgat, oleum fouet. Spiritaliter autem dñs quasi plagis vulnerati vinum infudit, qñ asperitatẽ pn̄iæ indixit. Oleũ infudit, cũ pœnitentibus suauitatẽ venię repromisit. Quasi vinũ infundit, cum dixit: Pœnitentiam agite. Quasi oleum, cum adiunxit: Appropinquabit enim regnum cælorum.

Et imponẽs illum in iumẽtum suum, duxit in stabulum, & curã eius egit.

Iumentum hic, immaculatũ domini significat corpus. Quasi ergo vulneratum hoiem iumento imposuit, qñ per sacram passionem suæ carnis, nos dñs à peccatis liberauit. Vnde bene iumentum dictum est, quasi adiumẽtum, quia inde nostram infirmitatem iuuit, q̃ pro nobis passionem carnis sine peccato sustinuit, sicut per Petrum dicitur: Peccata nr̃a
ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati sumus. Hoc etiã iuxta aliã euangelij parabolã significare voluit, qñ errantem ouẽ inueniens, humeris suis imposuit, & sic reportauit, ad gregem. Positum autem hominem vulneratum in iumẽto, duxit in stabulũ, quia redemptum genus humanum duxit ad ecclesiam. Hæc enim spiritaliter stabulũ dr̃, vbi q̃tidie sancta animalia pabulo diuini verbi reficiũtur, vbi iuxta Isaiæ prophetiã, accubat lupus cũ agno, & bos cũ leõe, paleas comedit. 1. Pet. 4.

Et altera die protulit duos denarios & dedit stabulario.

Altera dies, tempus est post domini resurrectionem. Quasi enim vna dies fuit ante passionem, & altera post resurrectionẽ. Duo denarij, duo testamenta, nouum & vetus: siue duo præcepta charitatis, dilectio s. dei & proximi. Tunc enim duos denarios dedit, stabulario, quando duo testamenta siue duo pręcepta charitatis, primum apostolis, deinde seq̃cibus eorum (.i. magistris ecclesiæ) docendo tradidit. Quantum autem dominus de nr̃a salute, curã habeat, manifestat cum adiungit:

Et ait illi: Curam illius habe.

Quasi enim curam vulnerati hominis habendam stabulario iniunxit, quando in persona omnium pastorum specialiter Petro dixit: Si diligis me, pasce oues meas. Cui recte Ioh. 7.
in præmio promittitur:

Et quodcũq; supererogaueris; ego cum rediero reddam tibi.

Supererogat quippe stabularius, quando hoc agit homo doctor ex voto, quod nõ accepit ex pręcepto. Quod fecit Paulus apostolus, quando habens licentiam, vt euãgelium annuncians, de euangelio viueret, noluit vti hac potestate, sed die prædicabat, & noctib⁹ laborabat, vnde sibi suisq; victum & vestimentum tribueret. Samaritanus cum redierit, quod supererogauerit reddet ei, quando in iudicium veniens, pro maiori labore prædicationis, maiorem retribuet retributiõem, dicẽs fideli seruo: Euge serue bone & fidelis, q̃a sup̃ pauca fuisti fidelis, supra multa te cõstituam, intra in gaudium domini tui. Finita autem similitudine, interrogationem scribæ dominus pulcherrime conclusit, dicens:

Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

Ille vero quod negare non poterat, & qđ euidentissima ratio demonstrabat, respōdit:

Qui fecit misericordiam in illum.

Cuius responsionem dominus confirmat adiungens.

Vade, & tu fac similiter.

Ac si diceret: *Sicut Samaritanus alienus natione, proximus factus est vulnerato homini charitate, ita & tu omnem hominem p̄ximum tuum iudicans, omnia bona opera quæ potes, quibuscunque vales impende, & implesti vtique charitatem, quæ ad vitam ducit æternam.*

DOMINICA DECIMAQUINTA post Pentecosten.

Lucæ XVII.

In illo tempore: Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et reliqua.



Vi Iudææ terræ cōfinia nouit, facile intelligit, quod pergens dominus Ierusalem ex his locis, in quibus eum supra euangelista docuisse commemorauit, etiam ad literam per mediam Samariam & Galilæam transitum habuit. Et quia propter nos, & propter nostram salutem homo factus, non solum ad se venientibus regnum dei euangelizabat, sed etiam per diuersa loca pergens, plurimis sanitatem tribuebat.

Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi, qui steterunt a longe, & leuauerunt uocem, dicētes: Iesu præceptor, miserere nostri.

Non enim prope accedere audebant, quibus quamuis fides suaderet affectū, lepra tamē prohibebat accessum. Excludebātur enī à castris, qui huiusmodi sustinebant passionem. Neq; enim solo visu vel sermone ab illo se recipere sanitatem dubitabant, cuius à longe stantes auxilium humiliter flagitabāt. Spiritaliter autem, castellum quod dominus ingressus est, mundum significat. Quasi enim castellum intrauit, quando ex Maria virgine carnem assumens, mundo visibilis apparuit. Decem viri leprosi, qui ei occurrerunt, populum significant Iudæorū. Qui bene decem fuisse referuntur, quia idem populus decalogū legis acceperat ad suam eruditionē. Decē aūt sed leprosi fuerūt, qa eiusdē decalogi pręcepta transgrediēs apparēte dño in carne, varijs doctrinis diuisus, diuersis erat iniq

Rom. 2. tatibus pollutus, Apostolo teste, q ait: Non est distinctio Iudæi & Græci, omnes enī peccauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiā ipsius, p redēptionē q̄ est in Chřo Iesu. Et iterū: Tribulatio & angustia in oēm aīam hoīs operantis malū, Iudæi primum & Græci. Cōuenit aūt his, q ex Iudæis in Chřm crediderunt, q̄ leprosi à lōge stantes clamabant, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Iesus Hebræo sermone, latine saluator siue salutaris dicitur. Et ideo à quo salutē sperabant, non solū saluatorem noiabant, sed etiam misericordiam poscebant. Et quia in eius præceptis se offendisse recolebant nō solum saluatorē, sed etiam hūc pariter & præceptorem vocabāt. Nec de suis meritis quicquam præsumebant, qui in eius miam tā humiliter deposcebant: Iesu præceptor, miserere nostri. Aliter: Per leprosos nō incongrue hæreticos intelligere possumus, quia sicut lepra varios colores exprimit in cute, sic hæreticorum doctrina varios errores generat in sermone. Non solum enim à catholica ecclesia sunt diuisi, sed etiam aduersum seipsos diuersa sentiunt. Dum enim alius Christum deū tantum credit, & non hominem: alius vero hominem tm̄, & non deum: alius eū veram carnem suscepisse negat, alius ē contrario veram animā non assumpsisse affirmat, quasi lepra varium colorem in cute exprimit. Hi tales longe stare debent, qui ab ecclesia repellēdi sunt, ne lepra suæ immundiciæ simplicium corda commaculēt, sicut per Apostolum dr̄:

Tit. 3. Hæreticum hoiem post vnā & secundā correptionē deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi. Vn̄ & Iohānes ait: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eū excipere in domum, neq; aue ei dixeritis, vt non communicetis operibus illius malignis.* Quod si ad ecclesiam redire voluerint, non prius recipiendi sunt, quam coram sacerdotibus orthodoxis suam hæresim anathematizent. Vnde & bene subditur:

Quos ut uidit, dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus.

De nullis alijs legimus, quibus dominus hæc beneficia corporaliter pręstitit, quod miserit eos ad sacerdotes, nisi tantum leprosos. Quod non solum in hoc loco fecisse legitur, sed etiam alibi, iuxta Matthæum, cum descēderet de monte, leprosum perhibetur curasse, cui dixit: Vade & ostende te sacerdotibus, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Quod varias ob causas eū fecisse credimus. Primum, vt sacerdotibus honorem deferret. Secundo, vt non contradictor legis videretur, quia legis pręceptum erat, vt si quis à lepra mundatus esset, veniret ad sacerdotem, & offerret hostiam pro sua emundatione. Tertio, vt sacerdotes vi- Matt. 8.

dentes leprosos mũdatos, si crederent in mũdatorem, inuenirent salutem: si autem credere nollent, excusabiles essent. Siue certe leprosos ad sacerdotes misit, vt ostenderet quia illud carnale sacerdotium, spiritale sacerdotiũ, quod nunc in ecclesia agitur, præfigurabat. Est enim inuisibilis lepra in anima, quãdo varijs peccatis inquinatur cõscientia. Dum enim alius homicidium, alius furtũ, alius adulterium, alius rapinã, alius sacrilegium & cætera his similia perpetrat, quasi diuersis coloribus inuisibilis lepræ animam fœdat. Tales si mũdationem animæ accipere volunt, necesse est vt longe stent, id est, à cõsortio sanctorum se indignos iudicent, magnisq́ clamoribus Iesum interpellent .i. cum magna contritione cordis diuinam clementiam exorent, dicentes cum Psalmista: Ne memineris iniquitatũ

Psal. 78. nostrarum antiquarũ, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos de^9 salutaris noster, & propter gloriam nominis tui domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Et quia non solum sacerdotibus peccata sua confiteri debent, sed etiam secundum eorum consilium pœnitentiam & satisfactiõem veniç suscipere, recte dicitur: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Vice enim dei peccata sacerdotibus pandenda sunt, & iuxtá eorum consilium pœnitentia agenda. Quod in diuina lege præfiguratũ est, qñ Moysi de leprosis tale præceptum est datũ: Vir,

Leui. 13. in cuius cute varius color apparuerit, veniat ad sacerdotem & ostẽdat se illi. Qui recludat eum in domo per septem dies separata seorsum. Post septem autem dies eum intuitus, si viderit creuisse lepram, addat & alios septem. Post quatuordecim vero dies, adhuc si viderit crescere lepram, sciat quia lepra perseuerans est. Et tunc iudicet eum leprosum, & eijciat extra castra, maneatq́ intonsa barba, scissa veste, operto capite, aperto ore, immundũ se iudicans omnibus diebus separationis suç. Quod si sanatus fuerit, qui huiusmodi passionem sustinet, veniat ad sacerdotes, & offerat pro emundatione sua hostiam .i. tortam panis, & sextarium olei ad luminaria concinnãda: duosq́ passeres viuos, vnũ pro peccato, & alterum in holocausto. Quæ omnia qualiter nunc in ecclesia agenda sunt, breuiter videamus. Lepra (vt diximus) peccatum significat. Qui ergo habet lepram peccati in anima, debet venire ad sacerdotẽ, & ei humiliter sua peccata confiteri. Qui eum intuitus, recludat septem diebus in domo separata seorsum, id est, secundum qualitatem & quantitatem peccati pœnitentiam ei iniungat. Post septem autem dies eum intuitus, si viderit creuisse lepram, addat & alios septem: quia vbi additur peccatum, necesse est vt augeatur vindicta peccati. Post quatuordecim vero dies, si lepram crescere viderit, id est, peccatum in cõsuetudinem venire, sciat quia lepra perseuerans est. Et tunc iudicet eum esse leprosum, & eijciat extra castra, id est, extra ecclesiam eum repellat, vel à consortio sanctorum indignũ iudicet. Maneatq́ intonsa barba, qđ ad squalorem pœnitentiæ pertinet. Scissa veste, vt per confessionem manifestam habeat pœnitentiam, vel conscientiam. Operto capite, qa à prædicatione cessare debet, qui peccatis inhæret. Aperto ore, non in peccati defensione, sed in sua accusatione. Si autem mundatus fuerit, qui huiusmodi passionem sustinet, hoc est, si digne pœnitendo à consuetudine peccati cessauerit, offerat pro emundatione sua tortam panis, id est, dulcedinem charitatis, quibuscunq́ potest, impendat, nõ solum amicis, sed etiam inimicis, & sextarium olei .i. misericordiæ viscera indutus in se peccãtibus clementer ignoscat: & hoc ad luminaria concinnanda, vt sicut plures suo malo destruxit exẽplo, perdite viuendo: ita plures reædificet sua satisfactione, digne pœnitẽdo. Offe. at quoq; duos passeres viuos, vnum pro peccato, & alterum in holocausto .i. vel duo genera compunctionis, timoris s. & amoris: vel certe corpus & animam, vt sicut exhibuit membra sua seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita & exhibeat seruire eadem iustitiæ in sanctificationem. Quæ omnia quia ad iudicium sacerdotis agenda sunt, recte leprosis dicitur: Ite, ostẽdite vos sacerdotibus. Qui locus eorum opinionem destruit, qui erubescentes pctã sua sacerdotibus cõfiteri, quoddam occasionis ingenium inuenerunt, dicentes sibi sufficere, vt soli deo peccata sua confiteantur, si tñ ab ipsis peccatis in reliquo cessent. Quorũ opinio si vera esset, nequaq̃ dñs leprosos, quos per semetipsum mundauerat, ad sacerdotes mitteret. Nec Paulum, quem p semetipsum in via allocutus fuerat, ad Ananiam sacerdotẽ destinaret. Nam vt ostenderet ad iudiciũ sacerdotũ peccata esse liganda atq; soluenda, Lazarum quem quatriduanũ mor- Ioan. 11.
tuum per semetipsum à mortuis resuscitauerat, nõ prius abire permisit, q̃ à discipulis solueretur, sicut scriptum est in euãgelio: Et surrexit ligatis manibus & pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus. Tunc ait discipulis suis: Soluite eum & sinite abire. Ad quã etiam autoritatem confirmandam, quum Petro apostolo, collatis clauibus regni cælorum, pontificiũ ligandi soluẽdiq́ tradidisset, ait: Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Et factum est dũ irent, mũdati sunt.

Non solũ diuina potestate, sed etiam p[illegible]

ma dispositione, leprosi antequam ad sacerdotes venirent, in via mũdati sunt, vt & ipsi mũdatorem suum cognoscerent, & sacerdotes illo mundationi nihil se contulisse sentirent. Iuxta vero spiritalem intelligentiam, leprosi, antequam ad sacerdotes veniant, mundãtur: quia non sacerdotes, sed deus peccata dimittit.

Vnus aũt ex illis, ut uidit quia mundatus est, regressus est, cum magna uoce magnificans deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agẽs.

Vnus iste qui ad referendas gratias mundatori suo reuersus est, vnitatem significat ecclesiæ, quæ cum sit longitudine terrarum diuisa, quia vnum credit, vnum sapit, vnum desiderat, in vnitate tenetur, de qua scriptum ẽ: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Et iterum: Qui facit vnanimes habitare in domo. Et alibi: Ecce quam bonũ & quam iucundũ habitare fratres in vnum: Nõ enim longitudo terrarum separat, quos eadẽ fides & charitas sociat. Magna enim vox, nõ tantum sonum oris, quantum intẽtionem significat cordis. Magnus enim clamor sanctorum magnũ est desiderium, quia vnusquisq;
Exo. 14 quantum amat, tantum clamat. Hinc Moysi à domino dicitur: Quid clamas ad me? cum tunc nihil locutus fuisse legatur. Hunc clamorem se nouerat habere in corde propheta, qui
Psal. 118. pro magnitudine amoris dicebat: Clamaui in toto corde, exaudi me domine. Et iterũ: Domine, clamaui ad te, exaudi me, intende voci meæ cum clamauero ad te. Et pulchre iste, qui ad referendas deo gratias mundatori suo rediit, in faciem cecidisse dicitur. Qui enim in faciẽ cadit, ibi cadit, vbi non videt. Cadere ergo in faciẽ, adorantis est siue deprecantis. Cadere retro, est superbientis siue contemnentis. Denique Abraam, postquã vidit diẽ Christi, cecidit in faciem suam, & adorauit. At vero de persecutoribus domini scriptũ est, quia abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.
1. Reg. 4 Heli vero, quia filios non corripuit, cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est. Et de Antichristo scriptura figurate lo
Gen. 49 quitur: Vt cadet ascensor eius retro. Et ideo ante cadere, electorũ est retro aũt reproborũ.

Et hic erat Samaritanus.

Cum hũc, qui ad referendas gratias mũdatori suo rediit, euangelista tam solicite Samaritanũ nominauit, reliquos, qui ingrati remãserunt, Iudæos tacite notauit. In multis enim locis euãgelii prõptior fides gentiũ, quã Iudæorum ostendit, sicut dominus alibi fidẽ centu
Mat. 9. rionis collaudauit, dicens: Amẽ dico vobis, nõ inueni tantam fidem in Israel. Sed quia Samaritanus interpretatur custos, recte iste, per quem vnitatem ecclesiæ diximus figurari Samaritanus nominatur, quoniam inde ecclesiæ suæ mundationem vel virtutẽ firmiter custodit, quia non in se, sed in deo firmiter cõ
fidit, dicẽs cum Psalmista: Custodi me domine vt pupillam oculi sub vmbra alarum tuarum protege me. Psal. 16.
Et iterum. Nisi dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam. Vel alias virtutes habere posset, custodiã humilitatis retinere studuit, sicut faciebat qui dicebat: Humiliatus sum vsquequaque Psal. 118
domine, viuifica me secundũ verbum tuum.

Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem ubi sunt?

Non ideo dominus interrogat, vt aliquid ignoret, ante cuius oculos nuda & apta sunt omnia, quique scit antequam fiant, sed vt ostẽderet se illos nescire. Scire vero dei, eligere ẽ: nescire vero, reprobare. Nouit dñs quos elegit, sicut cuidam iusto viro dictum est: Noui
te ex nomine. Et sicut Apostolus dicit, nouit 2. Tim. 2
dominus qui sunt eius. Quos autẽ reprobat, nescit, sicut in fine reprobis dicturus est: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, nescio vos vnde estis. Eos ergo, qui ad referẽdas deo gratias ingrati remanserunt, quasi incognitos vbi sint requirit, dicens:

Nonne decem mundati sunt? & nouẽ ubi sunt? Non est inuentus qui rediret & daret gloriam deo, nisi hic alienigena.

Et pulchre hi qui ingrati remanserunt, nouenario numero continent. Nouenarius nãque numerus imperfectus est, & ad suam perfectionẽ explendam vno indiget. Numerus vero vnitatis perfectus est, & diuidi nõ potest: & ad suam perfectionẽ explendam nullo indiget, quia vnus dominus, vna fides, vnũ baptisma, vnus deus, & pater omnium. Bene ergo per illos, qui in nouenario continentur, illi significantur, qui ex perceptis donis dominicis gratias deo non referunt. Per illum vero, qui mundatori suo gratias retulit, illi, qui ex perceptis beneficiis gratias ei referunt, dicentes cum Psalmista: Benedicam dominum in omni tẽpore. Quia neq; hic decalogi præcepta perfecte custodiunt, neq; in futuro denarium remunerationis, qui in vinea laborãtibus promissus est, percipient.

Et ait illi: Surge, uade.

Qui humiliter ante pedes dñi ceciderat, recte audire meruit: Surge, vade. Quia sicut ipse ait in euangelio: Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Et sicut per Salomonem dicitur:
Humilem spiritu sequitur gloria. Tũc autem Psal. 26.
peccator surgere & abire permittit, quã per dignam satisfactionem à peccatis absoluitur. Et

Et quia sine fide impossibile est placere deo, recte subditur:

Quia fides tua te saluum fecit.

Fides enim principalis est virtus, quia sicut ait scriptura: Iustus ex fide viuit. Et sicut
1.Co.13. Apostolus: Nunc aũt manent fides, spes, charitas, tria hæc. Vera est aũt fides quæ hoc credit mente, quod nõ videt corpore, teste Apostolo, qui ait in epistola ad Hebręos: Est fides
Hebr.11. sperandarum rerum substantia, argumẽtum non apparentium.

DOMINICA XVI. POST pentecosten. Matt. VI.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis seruire. Et reliqua.

CVm ad vnius dei culturam dñs Iesus Christus mentes hominũ prouocaret, sciens humanã naturã deo simul & diabolo subditam esse non posse, ait inter cætera: Nemo potest duobus dominis seruire. Duo dñi, deus & diabolus intelliguntur. Dñs enim à dominatu nomen accepit, quod nomen illi specialiter conuenit, qui non solũ gubernator, sed etiam conditor est totius creaturæ, qui est rex regum & dñs dñantiũ. Diabolus enim non proprie, sed abusiue dñs dictus est, eo ꝙ dñium suæ tyrannidis in eorũ mentibus, qui ei per mala opera subduntur, exerceat. His ergo duobus dñis vnus idemq́ꝫ homo, vno eodemq́ꝫ tẽpore seruire simul nõ potest: quia valde inter se contraria sunt & diuersa, quæ dñs pręcepit, & diabolus suggerit. Verbi gratia, dñs præcepit humilitatem, & diabolus suggerit superbiam: dñs vocat ad castitatem, diabolus ꝑsuadet luxuriam: dñs largitatis eleemosynam imperat, diabolus auaritiam: dñs pacem, diabolus discordiam: dñs dilectionem, diabolus odium. Et vt cuncta breuiter concludam, dominus vocat ad virtutes, diabolus ad vitia. Et ideo nõ est humana mẽs tam ampla & capax, vt vtranqꝫ voluntatem, vtrãqꝫ seruitutem in se simul retinere possit. Dedignatur enim Christus eorum suscipere seruitia, qui mentis collum iugo diaboli supponunt, teste Apostolo, qui ait: Quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ societas luci ad
1.Co.6. tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? Nulla. Et sicut alia scriptura ait: Nemo est, q vtrunqꝫ valeat simul, & mittere manum suam in ambobus. Hinc per Iacobum dicitur:
Iacob.1. Vir duplex animo, incõstans est in omnibus vijs suis. Et per Isaiam prophetam: Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.

Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.

Odiet videlicet diabolum, & diliget Christum. Qui enim diligit deum, odit malum. Nemo enim tam feræ mẽtis est, qui se deum verbis odire fateat. Sed odire deũ dicitur, q eum non diligit, id est, qui eius præcepta non custodit, de qualibus ipse dicit: Quia viderũt me, & odio habuerunt me gratis. Qui autem contemnit deum, sustinet diabolum durum & perniciosum dñm, qui non solũ in ꝑpetua pœna, sed etiam in præsenti vita, q ei seruiũt, multa dura & aspera sustinẽt. Sicut eñi onus Chři leue est & iugũ suaue, ita ecõtrario seruitus diaboli dura est & aspera. Vnde de his qui eius voluntatem sequuntur, per Salomonem dicitur: Non enim dormiunt, nisi male- Prou.4.
fecerint: nec rapitur somnus ab oculis eorũ, Iere.9.
nisi supplantauerint. Et per prophetam: Vt inique agerent, laborauerunt. Sed quia diabolus hanc seruitutem maxime in eorum mẽtibus inuenit, qui auaritiæ æstibus ardent recte subditur:

Non potestis deo seruire & mammonæ.

Mammona autem Hebraice vel Syriace, Latine diuitiæ interpretatur. A quarum proprietate non longo societas Punicæ linguæ distat, quia Punicę mammon, Latine lucrum dicitur. Audiat hoc auarus, audiat qui Christiano censetur nomine, & intelligat se deo simul & diuitijs seruire nõ posse. Aliud est eñi habere diuitias, & aliud seruire diuitijs. Qui enim diuitiarum dominus est, eas vt dominus distribuit, implens illud quod per prophetam dicitur: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem earum seruus est, non solum in acquirendis, sed etiam in custodiendis solicita seruitute torquetur. Et ideo dum seruitute diuitiarum implicatus tenetur, à Christi seruitute euacuatur. Quia fluuius dum in multis riuulis diuiditur, à proprio alueo siccatur. Vnde dominus ait in euangelio: Diuitiæ & voluptates suffocant verbum, vt non ferat fructũ. Iacob.4
Hinc per Iacobũ apostolum dicitur: Omnis qui voluerit amicus esse seculi hui⁹, inimicus dei constituitur. Vnde eos, qui Christo seruire desiderant, dominus ad spontaneam paupertatem inuitat, cum subiungit, dicens:

Ideo dico uobis, ne soliciti sitis animæ uestræ qd mãducetis, neqꝫ corpori uestro quid induamini.

Acsi diceret: Quia non potestis deo seruire & mammonæ, ideo dico vobis, ne soliciti sitis animę vestræ. Beati eñi pauperes spiritu quoniam ipsoꝝ est regnum cæloꝝ. Vbi fortassis

simpliciores quærunt, vtrũ cibus iste ad animam pertineat, cum anima incorporea sit inuisibilis, cibus autẽ visibilis. Quibus respondendum est, quia anima in hoc loco pro præsenti vita ponitur, cuius sustentaculum est cibus & potus, somnus & vestimentum. Quæritur autem quare dixerit, Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, cum in laude viri sancti dictum sit per Prophetam: Labores manuum tuarum quia mãducabis, beatus es & bene tibi erit. Ad quod dicendum quia in hoc loco dominus non laborem prohibuit, sed solicitudinem vetuit. Laborare enim debet homo vnde viuat, non vnde diues efficiatur, sicut primo homini dictum est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hinc Apostolus discipulis suis præcepit: Magis autem laboret vnusquisq; operando manibus suis q̃d bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patientibus. Et ne mens humana de præsentis vitæ sustẽtaculo dubitaret, adhuc subiunxit, dicens:

Ephe. 4.

Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam uestimentum?

Acsi diceret: Qui maiora præstitit dñs, minora nõ negabit: qui dedit animam, dabit & cibum: & qui tribuit corpus, adijciet vestimẽtum. Et ne mens humana sub fragilitatis occasione de præsentis vitæ necessitate causaretur, dominus de volatilibus cæli exemplum adhibuit, dicens:

Respicite uolatilia cęli, quoniam nõ serunt, neq; metunt, neq; congregãt in horrea, & pater uester cælestis pascit illa.

Acsi diceret: Si deus volatilia cæli, quę animã irrationalem habent, absq; aratri labore & sine solicitudine metendi atq; in horrea cõgregandi pascit, nequaquã hominem ad imaginem & similitudinem suã factum, fame perire patietur. Vnde & subditur:

Nonne uos magis pluris estis illis?

Quod nõ ad numerum, sed ad imaginem ptinet, quod est dicere: Pluris estis illis. i. rationales, quia meliores estis illis. Alius enim euãgelista pro volatilibus cęli specialiter coruos posuit, dicens: Respicite coruos. Tradũt enim physiologi, quia qñ coruorũ pulli procreati fuerint, tandiu à parẽtibus aluntur, quoadusq; nigrescentibus plumis similitudinem eorum in se formare cœperit. Sed quia à parentibus relinquuntur, dei prouidentia pascũtur, teste Psalmista q ait: Qui dat iumẽtis escã ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eũ. Vnde diuina voce ad beatũ Iob dr̃: Quis præparat coruo escam suam, qñ pulli eius ad deũ clamãt vagientes eo q̃d non habeant cibos? Si ergo tam vilia volatilia, quæ etiã hominibus superflua esse videntur, deus fame perire non patitur, nullo modo hominẽ ad imaginem & similitudinem suam factũ fame perire patietur, nisi forte peccatis abũdantibus sterilitas terræ iusto dei iudicio cõtra naturã accidat, Psalmista teste qui ait: Non vidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panem. Et iterũ: Nihil deest timentibus deum. Quia dominus superius solicitudinẽ prohibuerat, nunc etiam vestimentorum superfluam curã vetat, cum adiungit:

Psal. 146

Psal. 36.

Quis autem uestrum cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? & de uestimento quid soliciti estis

Si ergo omnibus patet, quia nullus ad staturam suam cubitum vel minimam partẽ adijcere potest: ille qui in mensura & pondere & numero cuncta disposuit, sicut dedit mensuram corporis prout voluit, sic dabit & vestimenti necessitatem. Vnde etiam ad carnalium hominum superfluitatem cõuincendã, de reb⁹ minimis similitudinẽ adhibuit, dicẽs:

Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neq; nent.

Hic lilia agri pro omnibus herbis posuit, quas deus omnipotens sine textricum labore mira varietate depingit, alijs candidum colorem præbens, vt lilijs: alijs rubicundũ, vt rosis: alijs purpureũ, vt violis, tantũ vt ne Salomõ in omi gloria suo coopertus sit, sicut vnũ ex istis. i. lilijs. Quoniam cum esset nõ solum potentissimus, sed etiam omnium regum sapientissimus, & disputasset de omnibus herbis terræ à cedris Libani vsq; ad hyssopum, q egreditur de pariete, in omni gloria sua nõ potuit inuenire tale genus vestimenti, quod esset candidum vt lilium, rubicundum vt rosa, purpureum vt viola. Sed quod temporalis Salomon non potuit inuenire in omni gloria sua, spiritalis noster Salomon, id est, dominus noster Iesus Christus, qui est verus pacificus, habet in sua ecclesia, scilicet lilium in virginibus, rosam in martyribus, violam in continentibus. Et prudentissima comparatione dominus iactantiam hominum redarguit, cum adiungit:

Si autem fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanũ mittitur, deus sic uestit, quãto magis uos minimę fidei?

Acsi diceret: Si fœnum agri. i. herbas terræ, q̃ ad abundantiam pluuiæ crescũt, & in ardore solis arescunt, deus tãta varietate & decore vestit, nec vos nuditate vel frigore perire patietur, quos ad imaginem suam & similitudinem creauit. Sed cum eos, quibus loquitur, minimos fidei vocat, oñdit quia fides augmẽtũ

habet. Qui enim non credit, infidelis est: qui autem perfecte credit, rectæ fidei est: qui vero ex parte credit, & ex parte non credit, minimæ est fidei. Et talis fides augmentum desiderat, sicut apostoli domino dixerunt: Domine, adauge nobis fidem. Et centurio ille, qui pro puero rogaturus venerat, cum audisset à domino: Credis ? omnia possibilia sunt credenti, respondit: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Finita autem similitudine, ad nostram admonitionem iterum sermonē conuertit, cum ait:

Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc oia gentes inquirunt.

Gentes dicit, alienos à fide, ethnicos & paganos, qui deum nesciunt, & vitam æternam non credunt, & ideo tantum de præsentibus soliciti sunt, vt habeant quid manducent vsq; ad crapulam, & quid bibant vsq; ad ebrietatem, & quid induantur vsque ad iactantiam & superfluitatem. Nam preciosa vestis non nisi propter inanem gloriam requiritur: Vnde dominus in hoc loco bene iuxta alium euangelistam fertur dixisse: Et nolite in sublime tolli. Nobis autem, q soliciti seruare debemus vnitatem spiritus in vinculo pacis, & quorum spes in altera vita est, in quo nostram solicitudinem ponere debemus, manifestat cū adiungit:

Luc. 12

Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis.

Pater noster ille est, qui non solum nos dignatus est creare, sed etiam redimere, & per spiritumsanctum suum regenerare. Cui quotidie in oratione dicimus: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Ille enim qui nos creauit, sciens figmentum nostrum, & considerans fragilitatem nostram, si nos pro æterna vita solicitos esse viderit, absque magna solicitudine victum & vestimentum ministrabit. Ipse enim scit quid nobis necesse sit, antequam petamus eum. Nam in quo velit nos esse solicitos, & quid ab eo petere debeamus, ostendit cum ait:

Quærite ergo primum regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Primum autem, id est, præcipue regnum dei & iustitiam eius quærere monet, quia ante omnia & super omnia hoc petere, hoc quærere, hoc amare & desiderare debemus, vt regni cælestis participes simus. Notandum autem quod non ait: Hæc omnia dabuntur vobis, sed adijcientur, ostendens illud esse principale bonum quod datur. i. regnum dei & iustitiam eius: hæc omnia quæ adijcientur, tm̄ in p̄senti vita esse necessaria. i. victū & vestitū.

DOMINICA DECIMAseptima post pentecosten. Lucę VII.

In illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem, quę uocatur Naim. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ. Et reliqua.



Ediator dei & hominum Iesus Christus, homo pro nobis factus, ita in homine, quē ex nobis assumpsit, sua opera temperauit, vt frequenter in vno eodemq; miraculo, se verū deum verumq; hominem declararet. Quod in huius lectionis serie aperte demonstratur, cum prius misericordia motus dicitur, ac deinde iuuenem resuscitasse narratur. Qui enim ad fletum viduę misericordia mouetur, verus est homo: q autem sola iussione iuuenem à mortuis resuscitauit, proculdubio verus est deus. Sed quid hæc significent spiritaliter, uideamus, vt vnde vnus resuscitatur in corpore, inde multi resurgant in mente. Ait enim euangelista:

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ uocatur Naim.

Naim ciuitas est Galilææ, duobus millibus distans à monte Tabor. Interpretatur autem in nostra lingua fluctus, siue commotio, & significat spiritaliter mundum, qui amissa tranquillitate, in fluctuationibus & commotionibus est, sicut p Psalmistam dicitur: Commouisti domine terram, & conturbasti eam. Dominus autē quasi Naim appropinquauit, qñ humanitate nostra assumpta, visibilis mundo apparuit. Suscitaturus autem mortuum, non solum discipulos, sed etiam turbam copiosam secum voluit comitari, vt ex visione miraculi, non pauci, sed plures ad credulitatem & fidem eius vel laudem vocarentur.

Psal. 59.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.

Defunctus iste, qui extra ciuitatem ad sepeliendum delatus fuerat, hominem significat mortifero crimine soporatum. Moritur enim anima per peccatum, quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Tribus enim modis peccatum agitur, suggestione, delectatione, cōsensu. Fit em̄ suggestio per hostē, delectatio per carnē, consensus per spiritū. Quē enim in corde peccare delectat, quasi infra ci

uitatem mortuus iacet. Cum vero delectatio
non solum vsque ad consensum, sed etiam vs
que ad operationem pducis, quasi extra por-
tas ciuitatis mortuus expellitur. Quia sicut in
ciuitatē homo inhabitat, ita anima ad tempus
corpus ingreditur, per quod bonum vel ma
lum operari potest. Portas autem ciuitatis,
non incōgrue sensus corporeos accipimus,
scilicet visum, auditum, gustum, odoratum,
tactum: Per has enim portas aut vita, aut
mors ad nostram animam ingreditur. Qui
enim sublimes habet oculos & elatos, & ad
concupiscentiam mulieris apertos, quasi per
portas oculorum suorum extra ciuitatē mor
tuus expellitur. Qui autem aures suas liben
ter detractionibus, maledictionibus & falsi-
tatibus aperit, quasi per portas aurium sua-
rum mortuus educitur. Qui vero propter
carnalem delectationem satisfaciendam va-
rios odores per illecebras sequitur, quasi ex-
tra portas narium suarum mortuus deporta
Pro.6. tur. Et qui loquitur iniquitatē in excelso, & se
minat inter fratres discordias, quasi per oris
sui portas mortuus effertur. Qui autem prō-
ptas habet manus ad effusionem sanguinis, &
læsionem proximis inferēdam, quasi per por
tas manuum suarum mortuus rapitur. Qui-
Iere. 9. bus per Prophetam dicitur: Intrauit mors
per fenestras vestras, ingressa est domos ve-
stras. Sed nos talium exempla contemnen-
tes, spiritales nostræ ciuitatis portas munia-
mus, vt non ad animas nostras mors, sed po
tius vita introeat. Muniamus portas oculo-
rum ab illicito visu, vt cum Psalmista dicere
Psal. 120 valeamus: Leuaui oculos meos ad montes.
Iob.31. Et cum beato Iob: Pepigi fœdus cum oculis
meis, ne cogitarem quidem de virgine. Et
Iob.48. cum Psalmista: Oculi mei semper ad domi-
Psal.24. num. Muniamus aures, ne libenter audiant
verba detractionis, maledictionis, falsitatis &
scurrilitatis, vt cum beato Iob dicere possi-
mus: Auditu auris audiui te domine. Et cum
Propheta: Audiam quid loquatur in me do-
minus deus. Muniamus nares ab illicitis odo
ribus, vt (secundum Apostolum) simus Chri
sti bonus odor deo in omni loco. Muniamus
linguam à maledictione, detractione, falsita-
te & odioso sermone, vt cum Psalmista dice
re valeamus: Dixi, custodiam vias meas, vt
nō delinquam in lingua mea. Posui ori meo
custodiam. Muniamus manus ab effusione
sanguinis & læsione proximi, semperq́; eas
ad eleemosynam largiendam & bona opera
facienda paratas habeamus, vt cum Psalmi-
sta dicere queamus: Lauabo inter innocen-
tes manus meas, & circundabo altare tuum
domine. Et cum ecclesia: Manus meæ distil-
lauerunt myrrham, & digiti mei pleni myr-
Cant.5. rha probatissima. Custodiamus etiam pedes,

ne sint veloces ad currendum in malum, sed
potius ad pacem euangelizandam, vt imple
atur in nobis illud, quod in Isaia scriptū est:
Beati pedes pacem portantes. Et cum Psal-
mista: Lucerna pedibus meis verbum tuum
domine. Si enim hos quinque sensus bene cu
stodierimus, spiritualiter à domino resuscita
ri merebimur, & erimus in illis, de quibus Isa
ias ait: Qui ambulant in iustitijs suis, & reli-
qua.

Et hæc uidua erat, & turba ciuita-
tis multa cum illa.

Vidua hæc spiritualiter sanctam significat
ecclesiam, quæ pro eo vidua dicitur, quia pr̨e-
sentia domini sui viduata est, eiusq́; reditum
ad iudicium expectat, de qua scriptum est:
Viduam eius benedicens benedicam. Hæc
est illa vidua, quæ quotidie in euangelio iudi
cem interpellat: quoniam ecclesia instantissi-
me in oratiōe perseuerat, de qua scriptum est:
Nōne lachrymæ viduæ ad maxillas eius de- Eccle.35
scendunt, & exclamatio eius vsque ad de-
ducentem eas? Huius quoque viduæ filius,
vnusquisque credentium est, qui tunc mori-
tur in anima, quando peccat in corpore. Fle-
bat autem mater vnicum filium suum, quia
ecclesia spiritalium filiorum suorum mortem
quotidie flere non cessat, sicut faciebat Paulus
apostolus, quando dicebat: Filioli mei, quos Gala.4.
iterum parturio, donec formetur Christus in
vobis, vellem enim apud vos esse modo, &
mutare vocem meam, quàm vt confundar
in vobis. Et iterum: Lugeo multos ex his qui 2.Cor.12
ante peccauerunt, & non egerunt pœniten-
tiam, super impudicitijs quas gesserunt. So-
let autem contingere vt aliorum orationibus
& exhortationibus multi resuscitentur ad vi
tam, qui proprijs meritis tenebantur in mor-
te. Vnde & subditur:

Quam cum uidisset dominus, mise-
ricordia motus super eam, dixit illi:
Noli flere.

Sanctorum enim fletu dominus ad mise-
ricordiam commouetur, vt peccatoribus mi-
sereatur. Quod in operibus Moysi & Eliæ di
scimus, quorum alter pro peccatis populi in-
tercedens, ac dicens: Aut dimitte eis hanc no- Exod.32
xam, aut dele me de libro tuo, quem scripsi-
sti, audire meruit: Ecce placatus feci secundū
verbum tuum. Ad alterius vero orationē plu
uiam terræ dedit, quam peccatoribus per tri-
ennium negauerat.

Et accessit, & tetigit loculum.

Loculus in quo mortuus portabatur, con
scientiam peccatoris male desperatam signi-
ficat. Quasi enim in loculo mortuus ad sepe-
liendum portatur, quando peccator pro ma

gnitudine sui sceleris seipsum desperās, quasi securus absque timore peccat. Sed dominus loculum tangit, quando cor durum peccatoris per diuinam gratiam ad pœnitentiam emollit.

Hi autem qui portabant, steterunt.

Hi qui mortuum ad sepeliendum portabant, vitia & peccata significant, qualia sunt adulteria, homicidia, furta, rapinæ, sacrilegia, & cætera talia, quæ dum in opere peccatoris vicissim sibi succedunt, quasi mortuum ad sepulturam deferunt. sed domino tangente loculum, hi qui portabant, steterunt: quia cum cor peccatoris ad pœnitētiam conuersum fuerit, consuetudo peccandi cessat. Mutantur enim opera, prior iniquitas refrenatur, & pro luxuria castitas, & pro odio charitas, pro ebrietate amatur sobrietas. Aliter: Hi qui mortuum portabant, adulantium linguas significāt. Quasi enim super mortuum adulatores terræ congeriem iaciunt, quando peccantem vanis fauoribus & blandimentis demulcent. Sed domino tangente loculum, hi qui portabant steterunt: quia postquam peccator spiritussancti gratia fuerit illuminatus, adulantium blandimenta fugere incipit, iuxta illius Psal. 140 exemplum qui ait: Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleū autem peccatoris non impinguet caput meum.

Et ait illi: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.

Tunc ad diuinam iussionem mortuus resurgit, quando per pœnitentiam peccator reuiuiscit, ab illius misericordia vocatus, qui ait: Viuo ego, dicit dominus deus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Incipit loqui, cū & sua mala opera accusare & deum discit laudare. Redditur matri, cum per sacerdotale ministerium reconciliatur ecclesiæ, à qua peccando ante abcesserat. Frequenter enim illorū restitutione diuinæ misericordiæ largitas glorificatur, de quorum vita prius fuerat desperatum. Vnde & rectè subdit:

Accepit autem omnes timor, & magnificabant deū, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia deus uisitauit plebem suam.

Cuius enim gradus altior est, eius peccatū grauius. Sed quo magis de maioribus peccatis à deo liberatur, eo amplius liberatoris gratia glorificatur. Quia & medicorum opus tanto magis laudabile apparet, quanto & difficiliores morbos curare potuerint. Possumus etiam aliter per hunc mortuum allegoricè genus humanum intelligere, quod tunc in mortem incidit, quando præcepta vitæ cō tempsit, dicente domino: In quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini. Mater autem vidua, quæ vnicum filium flebat, synagoga intelligitur, quæ in patriarchis & prophetis generis humani interitum deflebat. Et quia prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, rectè subditur: ⌊ Quam cum vidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. ⌋ Ac si diceret: Define flere mortuum, quem post paulatum resurgentem videbis. Ne timeas mortem, cum præsentem habeas vitā. ⌊ Et accessit & tetigit loculum. ⌋ Tunc enim spiritaliter loculum dominus tetigit, quando homo factus, per semetipsum corda hominum ad pœnitentiam prouocauit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Loculus namque à quatuor deportatur. Quatuor enim modis genus humanum ante aduentū domini astrictum tenebatur, amore scilicet & timore, gaudio & mœrore. Amore, in acquirēdis rebus: timore, in custodiendis: gaudio in acquisitis: mœrore, in amissis: quia qui prius gaudebat in abundantia rerū, post modum exultabat in paupertate: & qui tunc gratulabatur in acquisitis, post lætabatur in amissis. Hi autem qui portabant, immūdos spiritus significant, qui non solum per præuaricationem primi hominis, sed etiam per multa mala opera genus humanum ad mortis sepulturam trahebāt. Sed domino tangente loculum, hi qui portabāt, steterunt: quia postquam corda hominum per pœnitentiam ad deum conuersa sunt, potestas immundorum spirituum cessauit. ⌊ Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. ⌋ Rectè per adolescentem genus designatur humanū, quia sicut in adolescentia forte & robustum est corpus, ita genus humanum prioribus temporibus velut in iuuentute viguit, in procreatione prolis fœcundū in longitudine vitæ diuturnū, in abundantia rerum huberrimum. Resedit autem qui erat mortuus, quando genus humanum ad vitam rediit. Cœpit loqui, i. qui prius opa manuum suarum laudabat, deum confiteri cœpit, dicens cum propheta: Dominus deus dedit mihi linguam eruditam. Et cum Psalmista: Domine, labia mea aperies. Dedit illum matri suæ, quando eū ecclesiæ restituit. ⌊ Accepit autem omnes timor. ⌋ Hi qui timore & admiratione concutiebantur, immundi spiritus intelliguntur, qui videntes genus humanum, per aduentum domini de sua potestate eripi, tota intentione concussi sunt intantum, vt p obsessione hoiem dicerent: Quid nobis & tibi fili dei? venisti ante tēpus torquere nos

Isai. 50.

DOMINICA XVIII. POST pentecoſten. Lucæ XIIII.

In illo tempore : Cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis phariſæorum ſabbato manducare panem. Et reliqua.



Voties legimus dominũ ad nuptias vel ad conuiuium veniſſe, non gulæ illecebris deputare debemus, ſicut ſcribæ & phariſæi faciebant, dicentes eum vini potatorem eſſe, & amicum publicanorum, ſed ob certi gratiam myſterij eum veniſſe credere debemus, id eſt, pro lucrandis animabus. Sicut enim doctus piſcator & peritus venator, ſiue auceps, in eo loco retia ſua tẽdit, vbi multitudinem piſcium vel auium ſiue beſtiarum conuenire nouit, vt ex multis aliqui capiantur: ita dominus retia ſuæ prædicationis in eo loco extendere voluit, vbi plures conueniebant, vt ex multis aliqui caperentur in fide. Et ob iſtiuſmodi cauſam, vel ad conuiuia, vel ad nuptias vocatus, venire non renuit. Vnde (ſicut præſens lectio narrat.)

Cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis phariſæorum ſabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.

Vbi notandum quia panis nomine omnia, quæ ad victum pertinent, euangeliſta ſignificare voluit: qa vſus ſcripturæ eſt, vt à principali parte, quæ eſt in vita hominis, id eſt, pane, cætera ſignificet, ſicut de Ioſeph fratribus

Gen. 43. dictum legimus: Quia iſti hodie mecũ comeſturi ſunt panem, qui tamen poſtea cum eo inebriati fuiſſe leguntur. Et ſicut in eadem Geneſi legimus de puero Hebræo, qui vxorem domino ſuo quærebat, Et appoſitus eſt

Gen. 24 coram eo panis. Quod autẽ ait, Et ipſi obſeruabant eum, non ad ſabbatum, ſed ad ipſum dominum pertinet. Obſeruabant quippe eum, ſi in ſabbato curaret hominem, aut aliquod opus faceret, ſiue aliquem ſermonem protuliſſet, in quo merito eum reprehẽdere poſſent. Neque enim obſeruatores ſabbati erant, qui ipſum ſabbati ſanctificatorem reprehendere cupiebant, ſi poſſent. Obſeruatio ergo & in bono & in malo ponitur. In bono, ſicut domini voce Iſraelitis dicitur: Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat ſemper. Obſerua ergo, & audi vo

Phil. 3. cem eius. Et ſicut Apoſtolus ait: Obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram, id eſt, eos imitamini, quos iuxta formam, quam vobis oſtendimus, ambulare videtis. In malo ponitur, ſicut ait Propheta:

Obſeruabit peccator iuſtum & ſtridebit ſuper Pſal. 36.
eum dentibus ſuis, vel quæret mortificare eũ. Sic in hoc loco, non in bono, ſed in malo ponitur, cũ dicitur: Et ipſi obſeruabãt eum. Igit obſeruabant eum, non vt imitari vellent, ſed reprehendere cupiebãt, ſi poſſent. Obſeruatio ergo & in bono, & in malo ponitur.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Hydropiſis grauis eſt infirmitas, quæ naſcitur ex vitio veſicæ, cum inflatione turgente & anhelitu fœtido. Proprium eſt hydropici, vt quo amplius biberit, eo magis ſitiat. Ergo per hydropicum auarus quilibet deſignatur, quia ſicut hydropicus quo eſt groſſior, eo eſt infirmior: ita auarus quo plus abundat diuitijs, eo plenior eſt vitijs. Et ſicut hydropicus quo amplius bibit, eo amplius ſitit: ſic auarus quanto magis diuitias, quas concupiſcit, acquierit, tanto magis in eis acquirendis exardeſcit. Quod pulchre quidã de ſapientibus breui verſiculo cõprehendit, dicens:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Eccle. 5.

Et ſicut quidam ait: Auarus obolo indiget. Sicut enim ſapienti totus mundus diuitiarum eſt, ſic auaro totus mundus auaritiæ: quia quicquid videt oculis, concupiſcit mente & habere deſiderat. Alienum damnum ſuum lucrũ deputat, teſte Salomone: Auarus non implebitur pecunijs, nec anima eius ſatiabitur bonis. Poteſt quoq; non inconuenienter p hydropicũ qlibet luxurioſus intelligi: quia ſicut hydropicus quo plus bibit, plus ſitit, ita luxurioſus quo plus ad petulantiam carnis deditus fuerit, eo plus ad petulantiã libidinis exardeſcit. De quibus per prophetã dicitur: Quo Iere. 5.
rum carnes ſunt vt carnes aſinorum, & flu Ioel. 1.
xus eorum vt fluxus equorũ. Et iterũ: Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.

Et reſpondens Ieſus, dixit ad legiſperitos & phariſæos, dicẽs: Si licet ſabbato curare? At illi tacuerunt.

Reſponſio iſta domini ad illud pertinet, quod ſuperiùs dictum eſt: Et ipſi obſeruabant eum. Non enim hic ab alijs interrogatus legitur, ſed ad eorum cogitationes reſpõdit. Et prudentiſſima ratione dñs obſeruatores ſuos hinc inde concluſit, ne aptam inuenirent reſponſionẽ. Si enim dicerent, Licet ſabbato curare, reprehenſibiles eſſent, vt quid eũ obſeruarent, vtrum ſabbato curaret hominem: Si vero dicerent, Non licet, arguerent, quare ſabbato aſinum vel bouem ſoluentes à præſepio, ducerent ad aquare, & ideo non inuenientes quid dicerent, tacuerunt. Nec ſolum in hoc loco reprehenſores ſuos ita concluſit, ſed etiam in alijs frequenter locis, ſicut

de quadam muliere in adulterio deprehensa, vel de denarij redditione, & sicut fecit quãdo interrogauerunt eum, dicentes: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? At ille respondẽs, dixit: Dicite & vos mihi vnum verbum, & ego dicã vobis in qua potestate hæc facio. Quod si hæc non dixeritis mihi, nec ego dicam vobis in qua potestate hæc facio. Dicite mihi: Baptismum Iohannis de cælo erat, an ex hominibus? At illi cogitauerunt intra se, dicentes: Si dixerimus è cælo, dicet nobis: Quare ergo non suscepistis illud? Si dixerimus ex hominibus, turba quæ à Iohanne baptizata est, lapidabit nos. Et ideo non habentes quid dicerent, siluerunt. Sic & in hoc loco nullam aptam inuenientes responsionem, tacuerunt, impleta prophetia, quæ ait: Rex vero lætabitur in deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua. Sed quia dominus etiam ingratis beneficium suæ largitatis frequenter præstat, recte subditur:

Ipse uero apprehensum eum sanauit, ac dimisit.

Et pulchre coram auaris hydropicum curauit, vt cum in vno sanaretur infirmitas corporis, in multis morbus curaretur mentis. Quorum auaritiam dominus prudentissima comparatione redarguit, cum ait:

Et respondẽs ad illos dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.

Acsi diceret: Si vestrum animal in puteum cadens cum tãta festinatione eripere curatis, non propter animalis curam, sed propter vestram auaritiam consulendam: multo magis ego hominem, qui melior est pecore, & q̃ ad imaginem dei factus est, ab infirmitate in sabbato debeo liberare, cum facilius sit hominẽ verbo sanare, quàm animal de puteo abstrahere. Iam enim per hydropicum auarum diximus designari. Pulchre ergo auarus animali in puteo cadenti comparatur, quia hydropicus humore inordinato abundat. Dum enĩ quis morbo auaritiæ succumbit, quasi sitiens in puteum cadit. Vnde & dominus mulierẽ, quæ decem & octo annos incuruata fuerat, nec sursum aspicere poterat, assimulauit animali, quod ad aquam ducitur. Malum est ergo vitium auaritiæ, quod fidem tollit, cõcordiam dissipat, charitatem violat, & innumerabilia mala generat, teste Apostolo qui ait: Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, circa fidem naufragauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. In- 1 Tim. 6.

flatus autem diuitijs, per arctam & angustam viam in regnum cælorum intrare nõ potest, domino dicẽte: Difficile, qui pecunias habẽt, in regnum cælorum intrabunt. Amen dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, q̃ diuitem in regnum dei intrare. Vnde Apostolus ad Timotheum ait: Præcipe diuitibus huius seculi, non sublime sapere, nec incerto diuitiarum sperare, sed in domino, q abunde præstat omnibus ad fruẽdum. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, quę mergunt hominem in interitum & perditionem. Duplici enim pœna auarus constringitur, quando & hic infelix diuitias cum labore acquirit, & in futuro earũdem diuitiarum rationem cum dolore in tormentis exoluet, Iacobo teste qui ait: Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs quæ superueniẽt vobis. Diuitiæ vestrę putrefactę sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimoniũ vobis erit, & mã ducabit carnes vestras sicut ignis. Auaritia enim visceribus pietatis caret, patrem nescit, matrem ignorat, fidem & amicitiam non custodit, proximo vel propinquo non miseretur, sed propinquos velut extraneos efficit, dicente Salomone: Bene facit animæ suæ vir misericors, auarus autem etiam propinquos abijcit.

Luc. 18.

Iacob. 5.

Prouer. 12

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, nõ discumbas in primo loco.

Quantum ad literam pertinet, prudentis & eruditi viri vitam & mores cõponit, quoniam honestissimum genus est viuendi in cõuiuijs vel nuptijs, siue alijs conuentibus, fideles vt se alterutrum præferant, & honore se inuicem præueniant, præcipiente Petro apostolo qui ait: Om̃es inuicem humilitatem insinuate. Sicut enim honor est aliquem superius vocari, sic dedecus, eum qui primum locum imprudenter aperit, ad vltimum reuocari. Melius est enim (ait Salomon) vt dicatur tibi, Ascende superius, quàm vt humilieris cam principe. Et iterum: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Et iterum: Ad mensam magnam sedisti &c. Et rursum: Superbum sequitur ignominia. Spiritaliter autem coniunctionem Christi & ecclesiæ, nuptias vocari in scripturis vsitatissimum est, sicut est illud in euangelio: Simile est regnum cælorũ homini regi, qui fecit nuptias filio suo. In nuptijs duo coniungunt, sponsus 1. Pet. 5. Prouer. 2. Ecclesi. 3 Eccle. 31. Prou. 19

& sponsa. Sponsus ergo Christus est, de quo
Osee .2. per Iohannem dicitur: Qui habet sponsam, sponsus est. Sponsa vero est sancta ecclesia, cui per prophetam dicitur: Sponsabo te mihi in iustitia & veritate. Thalamus huius sponsi, vterus virginis fuit, sicut per Psalmistam dicitur: Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Celebratores harum nuptiarum apostoli fuerunt, de quibus scriptum est: Non possunt filii sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus. In his ergo nuptiis ille feliciter discumbit, qui in fide vocatus, humiliter, pie, iusteque in ecclesia viuit. Bene autem dicitur, Non discumbas in primo loco. Nouissimus enim locus ad mentis humilitatem pertinet. Ille ergo spiritaliter nouissimus discumbit, qui se omnibus inferiorem & indigniorem in mente iudicat, considerans non solum sanctiores, sed & multos se esse sapientiores. Vnde & subditur:

Ne forte honoratior te sit inuitatus ab eo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum.

Sæpe enim per mentis elationem de superiori gradu ad inferiorem quisque descendit, quandum mente tumidus est & inflatus, aut in carnis petulantiam, aut in aliquod facinus cadere permittitur, per quod ab hominibus vituperetur. Vnde & subditur:

Et tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.

1. Re. 15. Quod Sauli contigit, cui superbienti à domino dictum est: Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel constitutus es? Nunc quia eleuaris, deieci te ne sis rex. Sed postquam quid agere non debeas prohibuit, quid agendum sit, pius redemptor manifestare curauit, cum subiunxit:

Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius.

Quem ergo humilem inuenit, amici nomine beatificat, atque vt superius ascendat vocat:
1. Pet. 5. quia vt ait Petrus apostolus, Superbis deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Et pulchre subdidit:

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

Ne nunc in præsenti quærere incipias. Hæreditas enim (ait Salomon) ad quam in principio festinatur, in nouissimo benedictione carebit. Exponens dominus quid in similitudine proposuerat, adiunxit, dicens:

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Vbi notandum quia non ait simpliciter, Qui se humiliat, exaltabitur: sed cum additamento. Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Alii ergo in hoc seculo & in futuro exaltantur, qualis fuit Dauid, Iezechias & Iosias, & cæteri tales qui in præsenti seculo gloriosi fuerunt, & in futuro gloriosiores sunt. Alii hic in futuro humiliantur, quales sunt superbi pauperes, & illi qui pro peccatis in præsenti vita vindictam recipiunt, & in futuro ad perpetuam pœnam transeunt, qualis fuit Herodes, Antiochus, & multi tales, de quibus scriptum est: Duplici contritione contere eos domine. Nonnulli hic exaltantur, & in futuro humiliantur, quales sunt Iere. 17. superbi diuites, qui iuxta scripturæ vocem, Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Iob. 21. inferna descendunt. Alii hic humiliantur, sed in futuro exaltantur, sicut sunt sancti pauperes, & præcipue illi, qui propter deum omnia sua derelinquunt, & spontanea paupertate semetipsos humiliant, vt in futuro exaltari mereantur. Amemus ergo virtutem humilitatis in præsenti vita, vt à domino exaltari mereamur in altera vita, illius vestigia sequentes qui ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Humilis autem dictus est quasi humi acclinis. Ille ergo vere humilis esse cognoscitur, qui se terram & cinerem iugiter esse considerat, dicens cum beato Abraam patriarcha: Loquar ad dominum meum, cum sim Gene. 18. puluis & cinis. Humilitas non solum in corpore, sed etiam in mente conseruanda est, iuxta exemplum illius, qui in regali solio constitutus, aiebat: Humiliatus sum vsquequaque domine, viuifica me secundum verbum tuum. Humilitas quippe magistra est sapientiæ, teste propheta qui ait: Bonum mihi domine quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Quanto enim vnusquisque hic propter deum fuerit humilior, tanto in futuro erit excellior, Petro apostolo teste qui ait: Humiliamini sub potenti manu dei, vt vos exaltet in 1. Pet. 5. tempore visitationis.

FERIA QVARTA QVATUOR temporum.

Marci IX.

In illo tempore: Respondens unus de turba, dixit ad Iesum: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubicunque eum apprehenderit, allidit eum. Et reliqua.



OTandum quod semper loca rebuscongruunt. In monte do minus orat, transformatus, discipulis arcana suæ maiestatis aperuit: in inferiora descendens, turbæ occursu excipitur, miserorum fletu pulsatur. Sursum, discipulis mysteria regni cælestis referat: deorsum, turbis peccata infidelitatis exprobrat. Sursum patris vocem, his quibus poterat, pandit: deorsum spiritum malum ab his qui vexabantur, expellit. Qui etiam nunc pro qualitate meritorum, alijs ascendere, alijs vero non desistit descendere. Nam carnales adhuc & incipientes, quasi ima petentes confortat, docet castigat: perfectos autem, quorum conuersatio in cælis est, sublimius extollendo glorificat, liberius de æternis instruit, & sæpe quæ à tur bis nec audiri quidem valeant, docet. Dæmoniacum autem hunc, quē descendens de monte dominus sanauit, Marcus quidem surdum mutumq;, Matthæus vero lunaticum fuisse commemorat, significat autem eos, de quibus scriptum est: Stulti vt luna mutantur, qui nunquam in eodem statu permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutati, crescunt atque decrescunt. Qui muti sunt, non confitendo fidem: surdi, nec ipsum aliquatenus veritatis audiendo sermonem. Spumant autem, cū stultitia tabescunt. Stultorum & languentium atque hebetum est, spumas saliuarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiæ furore flammescunt, & nulla virtutis industria confortati, eneruiter viuūt. Qd autem ait:

Et dixi discipulis tuis, ut ejcerēt eū, & non potuerunt,

Patenter accusat apostolos, cum impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curādi sunt fidem referatur, dicente domino: Fiat tibi secundum fidem tuam.

Qui respondens, dixit eis: O generatio incredula, quandiu apud uos ero? quandiu uos patiar?

Non hoc tædio superatus ait mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondente os suum, nec in verba furoris erupit, sed quasi in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: Vsquequo accedam ad domum tuam? quousq; artis pdam industriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrante? Iratum autem non est iratus homini, sed vitio: & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis, vt statim intulerit:

Afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum uidisset eum, statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram, uolutabatur spumans.

Allatum dominio puerum spiritus conturbat & elidit, quia sæpe dum conuerti ad deum conamur, maioribus nouisq; antiqui hostis pulsamur insidijs. Quod ob id vtique callidus facit aduersarius, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet iniuriam. Hinc est enim (vt de specie transeamus ad genus) quod ecclesiæ sanctæ primordijs tot grauissima inferebat certamina persecutionum, quot suo regno dolebat subtro anima rum illata fuisse dispendia.

Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit? At ille ait: Ab infantia. Et frequē ter eum in ignem & in aquas misit, ut eum perderet.

Erubescat Iulianus, qui dicere audet omes homines absq; vlla contagione peccati nasci in carne tam innocentes per omnia, quàm fu it Adam quando creatus est. Quid enim habuit ille puer, vt ab infantia à dæmonio vexaretur acerbissimo, si nullo originalis peccati vinculo tenebatur, quem constat nullum adhuc proprium potuisse habere peccatū? Confiteatur catholicus quia nemo immunis à noxa primæ præuaricationis nascitur, & innocet gratiā dei, qua liberetur de corpore mortis per Iesum Christum dominum nostrum. Intelligat scriba doctus, in hoc dæmoniaco à domino curatò, saluationem omnium fidelium esse designatam, qui originalis culpæ reatu astricti veniunt in mundum, vnius redēptoris Iesu Christi fide & gratia saluandi. Quod autem dictum est, ⌊ Et frequenter eū in ignem & in aquas misit, ⌋ maxima humanæ vecordiæ facinora designat. Ignis nanq; ardor, ad feruorem iracundię referendus est: aqua, ad voluptates carnis, quę dissoluere mē tem per delicias solēt. Vel certe in ignem fertur dæmoniacus, quo adulterantium corda succensa sunt: & in aquas, quæ solent extinguere charitatem.

Sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia credēti.

Aptum dominus responsum dedit pœnitenti. Ipse enim ait, ⌊ Si quid potes, adiuua nos: ⌋ & dominus, ⌊ Si potes, inquit, credere, ⌋ possum vos misertus adiuuare: qa fides non ficta omnia quæ salubriter petit, impetrare meretur. Quo contra leprosus, qui fideliter clamabat: Domine, si vis potes me mun

dare, congruum suæ fidei accepit respõsum: Volo, mundare.

Et continuo exclamans pater pueri cum lachrymis, aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam.

Nemo repente fit summus, sed in bona cõuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Alia nanque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, iste interrogatus an crederet, non respõderet: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Si enim credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se nouerat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratię, meritorum suorum gradibus fides crescit, vno eodemque tempore is, qui nec dum perfecte crediderat, simul & credebat, & incredulus erat.

Et cum uideret Iesus concurrentem turbam, cominatus est spiritui immũdo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.

Comminatio domini, diuini est virtus imperij. Non autem puero qui vim patiebatur, sed dæmoni qui inferebat, comminatus est: quia qui peccantem emendare desiderat, vitium vtique increpando & execrando debet exterminare, sed hominem amando refouere. Bene autem dominus, qui spiritum immundum pellit ab homine, simul ne amplius in eũ ingrediatur imperat: quia ille veraciter à dæmoniaca dominatione liberatur, qui ad peccata, à quibus semel pœnitendo mundatus est, vitat male uiuendo reuerti.

Et clamans, & multum discerpens illum, exijt ab eo.

Exiturus ab homine spiritus immundus, discerpsit eũ, ac furenti clamore terruit intuentes: quia plerunque diabolus, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitauerat, quando hoc quietus possidebat.

Et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit illum, & surrexit.

Quem hostis impius iam fugere compulsus strauit, ac mortuo similem reddidit, hunc pius saluator mitti suæ dexteræ tactu eleuauit. Qui sicut verum se esse deum potentia saluandi docuit, ita etiam veram se habuisse carnis naturam more tactus humani declarauit. Negat nanque Manichæus insanus, veraciter eum carne indutum fuisse sed ipse cum tot languentes suo tactu erexit, mundauit, illuminauit, hæresim illius, & antequam nata esset, damnauit.

Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant illum: Quare non potuimus eijcere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.

Dum docet apostolos quomodo dæmon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitã, vt scilicet nouerimus grauiora quæque peccata vel immundorum spirituum tentamenta ieiunijs & orationibus esse superanda: iram quoque domini, cum in vltione scelerum nostrorum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Ieiunium autem generale est, non solum ab escis, sed à cunctis illecebris abstinere carnalibus, imo ab omnibus vitiorum continere passionibus. Sic & oratio generalis, non in verbis solum est, quibus diuinam clementiam inuocamus, verumetiam in omnibus quæ in obsequium nostri conditoris fidei deuotione gerimus, teste Apostolo qui ait: Semper gaudete, sine intermissione orate. 1.Thes.5
Quomodo enim quis omnibus horis atque momentis sine intermissione deum potest inuocare sermonibus? Sed tunc sine intermissione oramus, cum ea solũ opera gerimus, quæ nos pietati nostri commendent autoris. Quo nimirum ieiunio & oratione, iuuante domino, cunctas antiqui hostis debellabimus ac propulsabimus insidias.

FERIA SEXTA QVATVOR temporum. Lucæ XVIII.

In illo tempore dicebat Iesus parabolam hanc ad discipulos. Et reliqua.

DIcit & Apostolus, Semper gaudete, sine intermissione orate. 1.Thes.5
Quis autem potest ita semper orare, sine defectu vel intermissione precibus insistere, vt nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum ecclesiasticę traditionis, psalmodijs precibusque consuetis dominum laudare & rogare non desistit, & hoc est quod Psalmista dicit: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Aut certe, omnia quę iustus secundum deum

gerit,ad orationem esse reputanda. Quia eñ iustus sine intermissione quę iusta sunt agit, per hoc sine intermissione orabit,nec vnquã ab oratione cessabit,nisi iustus esse desistat.

Iudex quidam erat in quadam ciuitate qui deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quędam erat in ciuitate illa,& ueniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Et si deum non timeo, nec hominem reuereor,tamen quia molesta est hæc uidua mihi, uindicabo illam, ne in nouissimo ueniēs,suggillet me.

Parabolas dominus aut secundum similitudinem aliquam ponit,sicut de homine,qui habebat duos filios,maiorē in agro sibi propin quarrem,minorem autem in longinquo luxuriantem: aut ex ipa dissimilitudine aliqd
Matt. 6. probat,veluti est illud:Quod si fœnum agri quod hodie & cras in clibanum mittitur, deus sic vestit,quanto magis vos minime fidei? Itaq; illud superius genus,his verbis adiungi potest:Sicut illud,ita & illud. Hoc autem posterius his verbis: Si illud, quanto magis illud? Aut si illud,quanto minus illud? Sed alibi obscure,alicubi aperte ista ponuntur. Hic ergo iniquus iudex, non ex similitudine,sed ex dissimilitudine adhibitus est. Non enim vllo modo ille iniustus iudex personam dei allegorice tenet,sed tamen quantum deus, q bonus & iustus est,curet deprecātes se, hinc cognosci dominus voluit,quod nec iniustus homo eos, qui illū assiduis precibus tundūt, vel propter tædium deuitaudum potest contemnere. Nam hoc est quod ait: Ne veniēs suggillet me. Ipsa vero vidua potest habere similitudinem ecclesiæ,quæ desolata videtur,donec veniat dominus,qui tamē in secreto etiam curam eius gerit.

Ait autem dominus: Audite quid iudex iniquus dicit: Deus autem non faciet uindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico uobis quia cito faciet uindictam illorum.

Si quem mouet, cur electi dei se vindicari deprecentur,quod etiam in Apocalypsi Iohannes de martyribus dicit, cum apertissime moneamur,vt pro inimicis & persecutoribus oremus,intelligendum est eam vindictā esse iustorum,vt omnes mali pereant. Pereunt autem duobus modis, aut cõuersione ad iustitiā, aut amissa per supplicium potestate, qua nūc aduersus bonos, quãdiu hoc ipsum bonis expedit, vel temporaliter aliquid valent. Quod in finem iusti conuenire desiderant,quamuis pro inimicis suis orent, tamen non absurde vindictam desiderare dicūtur.

Veruntamen filius hominis ueniēs, putas inueniet fidem in terra?

Quamuis omnipotens conditor semper electos suos ad se clamantes sit vindicare paratus,in die tamen iudicij(quod trementi est corde retinendum)cum idem cõditor in forma filij hominis apparebit, tanta erit raritas electorum,vt non tam ob clamorem fideliū iniuste damnatorum totius iam mundi sit accelleranda ruina. Quod autem dominus quasi dubitatiue dicit: Putas inueniet fidem in terra,non dubitat,sed arguit. Verbo quippe dubitationis increpatur infidelitas,non opinatur diuinitas. Nam & nos aliquando de rebus,quas certas habemus, increpatiue verbum dubitationis ponimus,cum corde non dubitemus: velut si indigneris seruo tuo, vt dicas: Contemnis me?considera,forsitan dominus tuus sum. Et Apostolus ad quosdam cõtemptores suos: Puto autem, inquit,quod & ego spiritum dei habeam. Qui dicit puto, dubitare videtur,sed ille increpabat,non dubitabat. Ita ergo & dominus scit quidem oia per quem facta sunt omnia,& tamen dubitā do increpat infidelium corda.

SABBATO QVAtuor temporum. Lucæ XIII.

In illo tempore dicebat Iesus turbis similitudinem hanc: Arborem fici habebat quidam plantatā in uinea sua. Et reliqua.



Otest quidem hæc arbor fici generis humani designare naturam per vineam gen' humanum, per ficum doctores,siue principes huius mundi. Quæ bene plantata est,hoc est,ad autoris sui similitudinem creata est. Sed domino per triennium fructum dare negauit, quia ante legem, sub lege, sub gratia obedire despexit. Verum si ad superiora respexeris, animaduertes significari per vineam plebem Iudæorum,per ficum scribas & phariseos: & si generaliter omnium, speciali-

ter tamẽ synagogæ typum portare. Nam cũ præmissa illa terribili tremendaq; sententia: Si non pœnitentiam egeritis, omes simul peribitis, mox de infœcũda arbore parabolam subiungit, apertissime docens eos quibus loquebatur, instar infructuosæ ficus, si non pœniterent, esse succidendos. Vinea domini sabaoth domus Israel est, vt Isaiæ cantico doce-

Isai. 51 mur; synagoga autem in eadem domo condita, fici est arbor in vinea. Sed qui vineam suam permisit à viatoribus diripi, hic etiam ficum iussit excidi.

Et uenit quærens fructum in illa, & non inuenit.

Id quod sequi synagogam per Moysen instituit dominus, in carne natus aperuit, & crebrius in synagoga docens, fructum fidei quę fuit, sed in pharisæorum mente non inuenit.

Dixit autem ad cultorem uineæ. Ecce anni tres sunt, ex quo uenio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio.

Per cultorem vineæ apostolorum doctorumq; ordo exprimitur, quorum precibus ac monitis assidua plebi dei cura suggerit. His etenim dominus sæpissime de infructuosa Iudæorum gente quęrebatur, quod per tres annos suæ visitationis, hoc est, in legalibus edictis, in propheticis contestationibus, in ipsa coruscantis euangelij gratia negligens extiterit.

Succidite ergo illam, ut quid etiã terram occupat?

Non ab apostolis, sed à Romanis gens Iudæa succisa, & à terra repromissionis eiecta est. Sed succide, inquit, illam .i. succisionis ei futuræ cladem, pœnitentiam suadendo, propone. Quæ iusto iudicio terram cum regno perdidit, pro cuius amore cęli ciues persequi ipsumq; cæli & terræ regem occidere non metuit, dicens per suos pontifices & pharisæos: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani & tollent locũ nostrum & gentem. Potest etiam per terrã sterili ficu occupatam, Iudaicæ plebis turba figurari, quæ noxia præpositorum vmbra, ne veritatis lumẽ recipere posset, est depressa: & ne supernæ dilectionis sole calefieret, exemplo ẽ eorum prauitatis impedita, iuxta quod eisdem alibi saluator: Væ, inquit, vobis scri-

Mat. 23. bæ & pharisęi hypocritę, qui clauditis regnũ cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

At ille respondens, dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usq; dũ fodiam circa illam.

Vox apostolorum est, qui post passionem domini pro Iudæis summopere precabãtur, ne absq; pœnitentia dominicæ crucis vltionem paterentur. Vsque dum fodiam, inquit, circa illam, id est, radicem infructuosæ mentis ligone bis acutæ infectionis humiliẽ, præsentium videlicet pressurarum horrorem & perpetuæ damnationis incutiens. Omnis quippe fossa in imo est, & nimirum increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat.

Et mittam stercora.

Id est, malorum quæ fecit abominatiõem ad animum reducam, & compunctionis gratiam quasi de putredine stercoris suscitem.

Et siquidem fecerit fructũ, sin aũt, in futurum succides eam.

Cum diceret: Et siquidem fecerit fructum, non subiunxit aliquid, sed suspendit sententiam. Cum vero adderet, sin autem continuo iudicium venturæ damnationis adnexuit, dicens: in futurum succides eam. Quia videlicet multum procliuiorem ad negandum, quàm ad confitẽdum dominus synagogã videbat. Vnde & alibi rebus eãdem figuram, quam hic verbis agens, infœcundã ficum æternæ sterilitatis maledictiõe damnauit, ostendens videlicet eam, & si fodiant apostoli corripiendo, & si stercus aduehant peccata improperando, nulla tamen pœnitentiæ fruge cumulandam, sed districte bipennis seueritate tollendam.

Erat autem docens in synagoga Iudæorũ sabbatis. Et ecce mulier quę habebat spiritũ infirmitatis annis decem & octo.

Dicta de ficu parabola, dominus in synagoga docuisse narratur, vt videlicet intimetur, non alio parabolam tẽdere, sed hoc esse fructum in ficulnea quærere, & non inuenire, verbum synagogæ commodare, nec recipi. Quam tamen ne totam funditus ob culpã sterilitatis extirpandam putares, sed reliquias per electionem gratię scires esse saluãdas, mox ibidem ecclesiæ primitiuæ sanatio, sub incuruatæ mulieris specie subsequitur. Quæ bene decem & octo annis fuit curuata, q numerus ternario sexies ducto perficitur, quia videlicet eam in testimonio legis, in vaticinio prophetiæ, & in reuelatione gratiæ per infirma opera languere ostendit. Senarius enim numerus, in quo mundi est creatura perfecta, operum perfectionem significat. Tria vero sunt (vt dixi) tempora dominicæ visitationis, in quibus Iudæa, quæ terrena magis quàm cælestia nouerat operari, quasi decem

& octo annis à suæ mentis erat rectitudine curuata.

Et erat incuruata, nec omnino poterat sursum respicere.

Quia terrena sapiens, infima requirens, cœlestia cogitare nondum sciebat, audiens per prophetam: Si volueritis & audieritis me, bona terrena comedetis. Quo contra membris ecclesiæ dicit Apostolus: Quę sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Quam cum uidisset Iesus uocauit, eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta ē, & glorificabat deum.

Vidit, prædestinando per gratiam: vocauit, illustrando per doctrinam: imposuit manus, spiritalibus donis adiuuando: erexit ad glorificandum deum in operibus bonis, vsq; ad fidem firmam prouehendo. Quos (inquit) prædestinauit, hos & vocauit, quos autē vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit.

Respondens autem archisynagogus indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari. In his ergo uenite & curamini, & non in die sabbati.

Sabbato curauit Iesus, ostendens iam esse tempus, vt secundum prophetiā Cantici canticorum aspiraret dies, & remouerentur vmbræ. Sed nesciebat archisynagogus, vel hoc vel illud multo excellētius sacramentum, q̄d sabbato curando dominus intimabat, quia s. post sex seculi huius ætates, perpetua vitę immortalis erat gaudia daturus, in cuius figura Moyses sabbato nō à bono, sed à seruili, hoc est, noxia præcipit actione feriandum, illud vtiq; tempus præfigurans, quo secularia nostra opera, non autem religiosa, hoc est, deū laudandi acta cessarent. Fallitur ergo & fallit archisynagogus, quia lex in sabbato nō hominem curare, sed onera ferre, hoc est, peccatis grauari prohibuit.

Respondēs autem ad illos dominus, dixit: Hypocritæ, unusquisq; uestrū sabbato non soluit bouem suum aut asinū a pręsepio, & ducit adaquare?

Infidelitatis quidem arguit principes synagogæ, & merito hypocritarū, id est, simulatorum nomine notat, quos, cum magistri plebium esse appeterent, hominis sanationē pecoris curæ postponere puderet. Sed altiore sensu bouis & asini vocabulo, Iudæū Græcumq; significat, de quorum vocatione scriptum est: Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: qui vterq; peccati vinculis absoluti, sitim æstumq; mundi huius dominici fontis haustu deposuit.

Hanc autem filiam Abraæ, quam alligauit satanas, ecce decē & octo annis, nō oportuit solui a uinculo isto die sabbati?

Filia Abraæ, est anima quæq; fidelis. Filia Abraæ est ecclesia, de vtroq; populo ad fidei vnitatem collecta, quæ tempore legis & dominicæ resurrectionis impleto, per gratiam spiritussancti septiformem, à vinculo longæ captiuitatis erupit. Nam & hoc modo fortasse, mysterium sabbati decem & octo annorū potest non incōuenienter intelligi. Idem est ergo mystice, bouem vel asinum solutos à præsepio ad potū agi, quod & filiam Abraæ à vinculo noxiæ inclinationis erigi, ecclesiam videlicet ex Iudæis & gentibus congregatam, laqueis peccatorum per aquam baptismatis absolui, atq; ad cælestia speranda sublimari. Notandum sane, quod nefandissima hæresis, ex eo quod domin⁹ ait, adalligatam à satana, conatur astruere, corporum humanorum vitia, non ad dominum autorem, sed potius ad diabolum pertinere: quasi diabolus, cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam possit, nisi ab omnipotente acciperet potestatem. Nam quid aliud nō solū in lib. beati Iob, quē memorata hæresis cum cæteris veteris testamenti libris, & cum ipso deo qui dedit, quasi maligno mūdi principe, vt insanos exufflat, sed etiam in euangelio declaratum, vbi dæmonia nec in porcos ire potuisse, nisi hoc illis ipse concederet, legitur?

DOMINICA DECIMANONA post Pentecosten.

Matthæi XXII.

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. Et reliqua.

PRædicante Domino nostro Iesu Christo, duæ præcipuæ hæreses erant inter Iudæos, vna Saducæorum, & altera Pharisæorum. Saducæi autem dicuntur, qui Saducum quendam magistrum legis sequentes, neque resurrectionem credebant, neq; angelos, neq;

spiritus esse. Hi tantum quinq; libros Moysi recipientes, oracula prophetarũ respuebant. Et contra pharisei, qui diuisi interpretantur, eo quod à cæteris in quibusdam obseruationibus se separent, & resurrectionem credebant corporum, & angelos & spiritus esse fatebantur, & non solum quinq; libros Moysi, sed etiam oracula prophetarũ recipiebant. Saducæi ergo, vt resurrectionis veritatẽ negare possent, turpitudinis fabulam composuerunt de muliere, quę septẽ fratres habuerit.

Vnde & interrogauerunt eum, dicẽtes: Magister: Moyses dixit. Si qs mortuus fuerit nõ habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, ut suscitet semen fratris sui. Erant autem apud nos septem fratres, & primus uxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo, Similiter secundus & tertius usque ad septimum. Nouissime autem omniũ & mulier defuncta ẽ. In resurrectione ergo cuius erit de septem uxor? Omnes enim eam habuerunt.

In quibus verbis patet, quod non solũ spiritaliter, sed etiam nec iuxta literam recte se intelligere demonstrabant. Potuit quadam infelicitate accidere, vt in eodem populo, qui à legis obseruantia defecerat, septem fratres vnam habuerint vxorem: sed hoc Moyses in lege non præcepit. Qui enim de primo & secundo legem dedit, & de cæteris tacuit, nequam septem fratres vnam vxorem habere iussit. Sed hoc mandatum spiritaliter potius, quàm carnaliter est intelligendum. Frater enim noster, dominus est Iesus Christus, qui cum sit creator & dominus noster per diuinitatẽ, nobis fieri dignatus est frater per humanitatem, sicut ipse ait in euangelio: Quicũque fecerit voluntatem patris mei, qui est in cælis, ipse meus frater, soror & mater est. Et per prophetam: Narrabo nomen tuum fratrib' meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Huius vxor ecclesia sancta est, cui ipse per prophetam ait: Spõsabo te mihi in iustitia & veritate. (Ose. 2) De qua per Iohannem In Apocalypsi dicitur: Vidi ciuitatem sanctam Ierusalẽ, nouam, descendentem de cælo, tanquam sponsam ornatam viro suo. Mortuus est sine liberis, quia ante passionem suam paucos Iudæorum per suam prædicationem & bonum exemplum filios spiritaliter deo generauit. Primogenito quoq; fratris nomen imponit, qa à Christo Christiani vocamur, vt intelligant doctores non suos esse proprios, sed dei, qs per prædicationem generant. Sed Saducæi, quia scripturas spiritaliter non intelligebant, resurrectionem negare volebant. Vnde congrue à domino audierunt:

Erratis, nescientes scripturas, neque uirtutem dei.

Quia eñ scripturarum sensus ignorabãt, consequenter Christum, qui est dei virtus & dei sapientia, minime cognoscebãt. Quid autem de resurrectione credere vel sentire debeamus, manifestat cum ait:

In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei in cælo.

In quibus verbis proprietas latinæ linguę cum græca eloquentia non cõcordat. Apud latinos enim propriæ fœminæ nubere, & viri vxores esse dicuntur. Sed hanc proprietatem gręci sermonis sequimur, cum dicimus: ⌊Non nubent⌋ scilicet viri: ⌊neq; nubent⌋ scilicet vxores. Non ergo nubent in resurrectione viri, neq; nubentur vxores, quæ habebunt quidẽ corpora vera, quæ possunt nubi & nubere, sed tamen immortalia, & absq; infirmitate. Et ideo non solum à pollutione, sed etiam ab omni corruptione aliena. Quales autem sint, qui in hoc seculo digni habentur, manifestat dicens: ⌊Sed erunt sicut angeli dei in cælo⌋ .i. immortales effecti:

De resurrectione autem mortuorũ nõ legistis quod dictum est a deo dicente uobis. Ego sum deus Abraam & deus Isaac, & deus Iacob?

Ad comprobandam resurrectionis veritatem, multa apertiora testimonia dominus de oraculis prophetarum proferre poterat, ex quibus est illud: Expecta me, dicit dominus, (Sopho. 3) in die resurrectionis meæ in futurum. Et iterum in Osee: Viuificabit nos post duos dies, & viuemus in conspectu eius. Et in Daniele: Multi quidem de terræ puluere consurgent, alij in vitam ęternam, alij in opprobriũ sempiternum. Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me. Sed (sicut superius dictum est) quia Saducæi, contra quos de resurrectione sermonẽ habebat, oracula prophetarum non recipiebant, ideo superfluũ erat ex illis libris ꝓferre testimonia, quos illi non recipiebant. Quod si diligẽter consideremus, hoc testimoniũ euidenter ad resurrectionem pertinere cognoscimus. Cũ enim quadringentesimo circiter anno post mortem Abraæ hæc dominus Moysi loqueretur, non dixit: Ego fui deus Abraam, deus Isaac, deus Iacob: sed, Ego sum, ostendens animas non simul cum corporibus (vt Saducæi putabant) interijsse, sed viuere & esse.

Vnde & subditur:

Non est deus mortuorum, sed uiuentium.

Illorum autem deus esse nõ posset, si non subsisterent.

Et audientes turbæ, mirabãtur in doctrina eius. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in unum.

Cum reprobi inter se discordes sint, frequenter in bonorum oppressione concordare solet, sicut de Herode & Pilato legimus, quia cum essent inimici adinuicem, in domini passione amici facti sunt. Ita Saducæi & Pharisæi duæ hæreses Iudæorum, cum inter se diuersa sentirent, ad dominum calumniandum pari mente conueniebant. Dolebant enim pharisæi Saducæos, mirantibus turbis atque gauisis, à domino esse superatos, quos si ipsi vicissent, vtique gauderent, & ideo inuidia ducti, conuenerunt in vnum.

Et interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnũ in lege?

Vnus eum interrogauit pro omnibus. Quod enim tentãdo eum interrogauerit, ex ipsis suis verbis demonstrat, cum ait: Magister. Si enĩ vere interrogasset, magis dominum, quàm magistrum appellasset. Ex qua interrogatiõe pharisæi, intelligimus grauem quæstionem inter Iudæos illo tempore fuisse versatam, de præcepto legis contendentes, & alijs hoc, alijs illud præferentibus. Alij enim circuncisionem meliorem esse dicebant, alij sabbati obseruationem magis valere arbitrati sunt, alij hostiarũ & victimarũ oblationem præferebant, alij Calendas & festiuitates præponere volebant. Interrogauit ergo pharisæ9 dominum, quod sit magnum mandatum in lege, vt dum vnum magnum diceret, cætera mandata infamare videretur, ac per hoc illorum odium incurreret, qui aliud mandatum legis laudare volebant. Sed dominus ita suam responsionem temperauit, vt quod esset magnum mandatũ ostenderet, & ipse irreprehẽsibilis permaneret. Ait enĩ:

Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est enim maximum & primum mandatum.

Dilectio ergo dei dicitur maximũ & primum esse mandatum, non tantum pro ordine, quantum pro dignitate. Vsus enim scripturæ est vocare primum, quod est melius, sicut populus Israeliticus primitias auri & argẽti iussus est offerre .i. quod preciosius erat in auro & argento. Et Ieremias propheta de eodem populo dicit: Sanctus Israel domino, primitiæ frugum eius. Maximũ igitur & primum mandatum charitas est, quia ipsa & in nouo & in veteri testamento primatum obtinet, sicut ait apostolus Paulus: Maneat in vobis fides, spes, charitas, tria hęc, maior autem his est charitas. Nobis autẽ interrogatio pharisæi proficit, quibus dicitur: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. In quibus considerandũ est, quia in dilectione dei mensura non ponitur, quum toto corde, tota anima, tota mente eũ diligere præcipimur. Quia enim immensus est deus, sine mensura est diligendus, vt cum eum multum diligimus, parum nos diligere fateamur, nullusq; locus in nobis remaneat vacu9, qui dei dilectione nõ repleatur, sed mens, lingua & manus eius dilectionẽ resonent. Sed quia deum nemo perfecte diligere potest, nisi diligat & proximũ, recte subdidit:

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Debemus igitur diligere deum plus quã nos, & proximum tanquam nos. i. sicut volumus nostræ necessitati subueniri, sic subueniamus & proximi: & sicut nostræ volumus infirmitati compati, sic compatiamur & proximi: & sicut ad vitam volumus peruenire æternam, sic optemus & proximum nobiscũ peruenire. Et hoc est diligere proximum tanquam nosipsos: quoniam tunc diligitur deus, si ex dilectione proximi eius dilectio concipiatur. Frustra enim se deum diligere asserit, qui proximum suum non diligit. Hinc per Iohannem apostolum legitur: Si quis dixerit quoniam diligo deum & fratrem suũ oderit, mendax est. Et iterum: Qui non diligit fratrem suum, quem videt: deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à deo, vt qui diligit deum, diligat & fratrem suum. Sicut enim auis ad alta se sustollere non potest sine duabus alis, sic nos ad perfectionem veræ charitatis venire non possumus, nisi geminam dilectionem, dei videlicet & proximi, seruemus. Vnde & in ornamento pontificis coccus bis tinctus poni præcipitur, vt videlicet in nostro bono opere dilectio dei & proximi coniungatur, quoniam hoc cõfirmat dominus, cum subiungit:

In his duobus mãdatis uniuersa lex pendet & prophetæ.

Si cui nõ vacat oẽs libros legere, teneat dilectionẽ dei & proximi, & vniuersa impleuit

teste Apostolo qui ait: Qui diligit proximũ, legem impleuit. Nam, non adulterabis, non furtum facies, non occides, non falsum testimoniũ dices, non cõcupisces vxorẽ proximi tui, & si qđ est aliud mandatũ, in hoc verbo instauratur: Diliges proximũ tuũ sicut te ipsum. Et item: Plenitudo legis est dilectio. Mandatum charitatis latũ & breue. Latũ, exhibitione opis, sicut p Psalm. dr: Latũ mãdatũ tuũ nimis. Breue, in descriptiõe sermonis, sicut in hoc loco: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Sicut p prophetã dr: Abbreuiatum sermonẽ faciet dñs sup terrã. Duo ergo sunt erga dilectionẽ proximi obseruãda. Primo, ne quenq̃ lædas: secundo, vt bona q̃ vales impẽdas, quia qui dixit: Qđ tibi nõ vis fieri, alij ne facias, ipse alibi ait: Quod vultis vt faciant vobis hoies, & vos facite illis. Vt eñi multi arboris rami ex ima radice prodeunt, sic & cæteræ virtutes ex dilectiõe dei & proximi procreant. Sed sine causa gloriat habere ramos boni opis, qui nõ habet radicẽ charitatis. Qđ dñs alibi ondit, cum ait: Omni habenti dabitur, & abundabit: ei aũt qui nõ habet, & qđ videt habere, auferetur ab eo, quia qui habet charitatem, adijciẽtur ei cæteræ virtutes: qui aũt eam nõ habet, frustra de eleemosyna, abstinentia & vigilia gloriatur, teste Apostolo: Si linguis hoim loquar & angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & reli. Quam dñs in euangelio collaudans, ait discipulis: In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et item: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicẽ. Vultis scire quid sit hoc? Audite Iohannem apostolũ dicentẽ: Deus charitas ẽ, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo.

Cõgregatis aũt pharisæis, interrogauit eos Iesus dicẽs. Quid uobis uidetur de Chr̃o, cuius filius est? & reli.

Cum dominus alibi ait: Nolite sanctũ dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, quid est ipse Iudæos, qui suis interrogationibus eum dilaniabant, illa quæ iusta & sancta sunt, docet? Ad quod dicendum, quia non dedit sanctum canibus, neq; misit margaritas suas ante porcos, sed ideo prædicationem suam oĩbus patefecit, quia tales erãt in turba, qui per eius prædicationẽ credituri: & vt illi, qui credituri erant, haberent quod crederent: qui vero credere nollent, inexcusabiles essent, sed pharisæis p varias interrogationes errantibus, dominus q ad credulitatem & salutem pertinet, interrogauit eos, dicens: ⌊Quid vobis videt de Christo? cuius filius est?⌋ At illi quod legerãt nec negare poterant, responderunt, dicentes: ⌊David.⌋ Sic eñ ad eundem David dictum nouerant. Et erit postq̃ dormieris tu cum patribus tuis, suscitabo nomẽ tuũ post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliã regnũ eius. Et iterum: Ecce dies veniũt, dicit dñs, & suscitabo David germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. Interrogatio saluatoris multũ nobis hodie proficit contra Iudæos, eos s. q eũ tm̃ hoiem, & non deum credunt. Nos autẽ ab illo docti, interrogemus eos: Si Christus tm̃ homo est, & non deus, quomodo David in spiritu uocat eum dominum, dicẽs: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David uocat eum dominum, quomodo filius eius est?

Et cũ non habuerint qd rñdeant, nos fiducialiter rñdeamus, hunc & dñm David, & filiũ David, dñm David in diuinitate, filiũ David in hũanitate: dñm David, p hoc qđ in principio erat verbũ, & verbũ erat apud deũ, & deus erat verbũ: filiũ David p hoc qđ verbũ caro factũ est, & habitauit in nobis. Nec mirũ si vnus idẽq; mediator dei & hoim dñs Iesus Chr̃s, & dñs dr David, & filius David, cũ hodie in plurimis cõtingere soleat, vt aliqs episcopus ordinatus patris sui dicat pater, nõ nascẽdi ordine, sed honore. Sed illud nõ est prętermittendũ, q Iudæi de scripturis multa mẽtiẽtes, hunc psalmũ in psona Abrae tradunt fuisse decãtatum à puero eius Damasco Eliezer, vt sit sensus: Dixit dñs. i. deus oĩpotens: dño meo. i. Abrae, sede à dextris meis, qñ eũ à cæde quinq; regũ reuertentẽ triumpho victoria glorificauerit, qm̃ sessio victori parat. Interrogemus ergo eos quõ Abrae conueniat, quod in eodem Psalmo sequitur: Ex vtero ante Luciferũ genui te. Et item: Tu es sacerdos inæternum secundũ ordinẽ Melchisedec. Dicãt ergo, quõ Abraã ex vtero dei ante Luciferũ sit genitus, cum eius ortum & natiuitatẽ legamus: & quõ fuit sacerdos scđm ordinẽ Melchisedec, cum ipse potius prædã eidem Melchisedec obtulerit, & ab eo benedictionẽ postulauerit. Et cum respondere nõ potuerint, nos firmiter credamus, hunc Psalmum in persona Christi esse decantatum. Et est sensus: ⌊Dixit dñs,⌋ i. deus pater: ⌊domino meo,⌋ i. deo filio. Quod autẽ ait: ⌊Dixit dominus domino meo,⌋ geminatio vnius nominis, nõ diuisionem ostendit substantiæ, sed proprietatem vniuscuiusq; personæ: quia in natura q est pater, hoc ẽ filius, sed tñ alia ẽ persona patris, alij filij. Dixit aũt quod nec ille ore protulit, nec iste aure intẽtus audit, sed quod vult pater, nouit filius: & quod

vult filius, nouit pater, quorum dicere, uelle est. Quod vero ait. ⌊sede à dextris meis,⌋ victori filio dicitur, quia sessio victori debetur. Qui postq̃ per suam passionem & resurrectionem antiquum hostẽ superauit, humanitatem, quam ex nobis assumpserat, in dexterã patris collocauit, Marco euãgelista teste, qui ait: Dñs quidem Iesus postq̃ locutus est eis, assumptus est in cęlum, & sedet à dextris dei, non quod deus pater dexteram vel sinistram habere credẽdus sit, sicut & nos, sed totus est dexter, quia totus est sanct⁹. Quod vero subiungit, ⌊donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuoℛ.⌋ Aduerbium finitum pro infinito posuit tempore. Vsus enim scripturę est, hoc aduerbium finitum aliquãdo pro finito, aliquando pro infinito ponere. Pro finito,
Isaie 26. sicut per Isaiam prophetam dicit: Popule meus, intra in cubicula tua, abscondere modicũ ad momentum, donec pertrãseat indignatio. Pro infinito, sicut ait Psalmista: Oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri. Et propheta: Donec senescatis ego sum. Nũquid post illorum senectam deus futurus non erat, aut oculi nostri cessabunt respicere ad eum, postquam misertus fuerit nostri? Non. sed, vt diximus, finitum pro infinito posuit. Sic & in hoc loco dũ dixit, ⌊donec ponam inimicos tuos, &c.⌋ Hoc aduerbium infinitum æternitatem Christi sonat. Scabellum enim à scandendo dicitur: pedes autem, æternitatem eius perpetuæ stabilitatis designant. Inimici vero, qui sub scabello pedum ponuntur, non perseuerantes inimici intelligendi sunt, sed illi, qui quondam inimici, per conuersionem reconciliati facti sunt amici. Quod in eo facile intelligitur, quia filius, sub cuius scabello pedum ponũtur, in dextra sedere dicitur. Soli enim electi in dextera ponendi sunt, ipso domino dicente: Statuet quidem oues à dextris, hœdos autẽ à sinistris. Tunc dicet illis, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Et nemo poterat ad hęc respondere ei uerbum, necꝫ ausus fuit ex illa die amplius quisquam interrogare.

Videntes pharisæi in suis interrogationibus domini laudem crescere, & suam vituperationem, non ausi sunt eum amplius interrogare: quia quicquid dixerint, contra se dictũ sentiebant. Sed quem interrogare non audebant, manifeste comprehẽsum Romanæ tradiderũt potestati, vt intelligamus quia liuor & inuidia superari potest, sed qescere nescit.

Tunc locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: Super cathedrã Moysi sederunt scribę & pharisæi: Omnia ergo quæcũqꝫ dixerint uobis, facite & seruate, secundum uero opera eorum nolite agere. Dicũt enim & non faciunt.

Grandis in hoc loco domini ostẽditur patientia, sed nõ minor eius declaratur beneuolẽtia. Scribe ergo & pharisæi grauissimis hũc quæstionibus lacessere cupiebant, ipse autem ad eorum subiectionem & venerationẽ turbas hortabatur, dicẽs: ⌊Super cathedrã Moysi, & reli.⌋ Cathedra autem sedile est ligneũ, sustentationi corporis vndiq; aptum, & ideo magistris & doctoribus congruum. Per cathedrã nanqꝫ aliquando bona, aliquando mala significatur doctrina: mala, sicut in primo psalmo legitur, In cathedra pestilentiæ nõ sedit: bona, sicut Psalmista alibi ait: Exaltent eũ in ecclesia plebis, & in cathedra seniorũ laudẽt eũ. Sic & in hoc loco in bono ponit, cum dicitur: ⌊Super cathedram Moysi.⌋ Hic cathedra Moysi, doctrinam legis significat, quæ pro eo Moysi dicitur, quia à domino data specialiter populo per Moysen est administrata. Super cathedram ergo Moysi sederũt scribæ & pharisæi, quia in doctrina legis quieuerunt. Et ideo dñs ad eorum doctrinam audiendam turbas hortatur, quia quàmuis male viuerent, tamen bona dicebant. Quia quam vulgaris populus intelligere non poterat, illi specialiter à domino ad docẽdum populum acceperant. In eo enim, quod bene docebant audiẽdi erant: in eo ꝙd male viuebãt, nec audiendi, nec imitandi erant. Vnde & bene dicit: ⌊Oĩa ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite.⌋ Quia enim non suam doctrinam, sed dei prædicationem docebant, ideo ad eorum doctrinam audiendam vel obseruandam populum inuitabat: & quod ad eorũ prædicationem obseruandam populum prouocauerat, nunc ab eorum imitatione obseruanda reuocat, cum subiungit: ⌊Secundum vero opera eorum nolite facere.⌋ Quicunqꝫ enim hodie in ecclesia bene docet, & male viuit, scriba est & pharisæus. Sed cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur, tamen propter mala opera, bona prędicatio non est relinquenda. Vnde Paulus apostolus dicit: Siue ex occasione, siue ex veritate Christus annuncietur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.

Onera grauia & importabilia, pręcepta legis fuerunt, quæ propter duritiam Israelitici populi, dura & aspera sunt data, intantum vt

mm

nullus ea iuxta literam implere potuisset, sicut Petrus apostolus testat: Quid vultis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi. Sed onera grauia & importabilia scribæ & pharisęi grauiora fecerant, quasdam obseruationes & superstitiones addentes in lege; vt per hæc simplicem turbam ad suam venerationē inclinarent, sicut eis dn̄s alibi exprobrat, dicens: Hypocritæ, quare transgredimini mandatū dei propter traditiōes vestras? Nam deus dixit: Honora patrem tuum & matrem. Vos autē dicitis: Munus quodcunq; est ex me, tibi proderit, & nō honorificatis patrem, & irritum fecistis mandatū dei propter traditiones vestras. Digito autem suo nolunt ea mouere, quia non solum maiora legis præcepta non obseruabāt, verumetiam minora digito operationis tangere nolebāt. De quibus alibi ait: Væ vobis scribę & pharisęi hypocritæ, qui tulistis clauem scientiæ. Sed quia hæc nō amore dei, sed cupiditate laudis humanæ faciebant, recte subiungitur:

Omnia uero opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.

Erant enī tales, vt illud audire mererenī, quod dn̄s alibi ait: Vos estis q iustificatis vos coram hominibus, deus autē nouit corda vestra. De quibus alibi dicitur: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Vnde alibi fortiter eos increpat, dicēs: Væ vobis scribę & pharisęi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, & reliqua. Quorum vitia dn̄s detegit, cum adhuc subiungit: dicens:

Dilatāt enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

Cum dedisset dominus legem per Moysen, ad extremum intulit: Ligabis eam in digitis tuis, & erunt immota ante oculos tuos, & meditaberis in eis die ac nocte. Et est sensus: Ligabis eam in digitis tuis, id est, opere adimplebis. Et erunt immota ante oculos tuos, hoc est, iugiter meditaberis in eis. Scribæ ergo & pharisęi vanę glorię amatores, decem verba legis in membranulis scribebant, & ea frontibus suis circumligabant, vt inuicem se salutantes, atq; obuiantes, p ęceptorum legis recordarentur, & ipsa pictatiola phylacteria vocabant. Iusserat quoq; dominus in lege, vt in quatuor angulos palliorum hyacinthinas fimbrias ponerent, ad Israeliticum populum dinoscēdum. Scribę ergo & pharisęi, auaritię sectatores, lucrum de mulierculis captantes, longissimas fimbrias faciebant, in quarū summitatibus acutissimas spinas ligabant, vt in conuiuijs vel in synagogis sedētes inuicem se pungerent, & per hoc legis recordarentur, & qui hoc haberet, religiosior putaretur. Iuxta hanc similitudinem fuit illa fimbria domini, non superstitione pharisaica superflua, sed modica & parua secūdum præcepta legalia, quam mulier, quæ duodecim annis fluxū sanguinis passa erat, accedens retro tetigit, & nō est secundum superstitionem pharisęorū compuncta, sed domini misericordia sanata. Ad quid autem has & huiusmodi superstitiones inuenissent, manifestatur cum subditur:

Amant autem primos recubitus in cœnis.

Quod pertinet ad ventris ingluuiem,

Et primas cathedras in synagogis.

Quod pertinet ad inanem gloriam.

Et salutationes in foro, & uocari ab hominibus rabbi.

Quod pertinet ad indebitam reuerētiam. Sed eorum vitijs patefactis, dominus ab eorum imitatione suos compescuit, dicens:

Vos autē nolite uocari rabbi. Vnus est enim magister uester.

Ac si diceret: Vos enim estis electi, qui vnum & verum habetis magistrum, illum scilicet, à quo procedit omnis sapientia, & cum quo fuit semper, & est ante æuum, quorum fiducia deus est, & qui terrena vobis tribuit, vt cælestia adipisci possitis. Nolite vocari rabbi, id est, magistri, vt honorē ei debitum ad vestram gloriam inflectatis.

Omnes autem uos fratres estis.

In quibus verbis ostenditur, non tantum carnalem, quantum spiritalem natiuitatem esse laudandam cum ait: Omnes enim vos fratres estis.

Et patrem nolite uocare uobis super terram. Vnus est enim pater uester, qui in cælis est. Nec uocemini magistri, quia magister uester unus est Christus.

Quibus est enim vnus pater deus, & vna mater ecclesia, & vna est fides catholicorum, consequenter fratres esse debent, non carne, sed spiritu, vt vnum credant, vnum sapiant, vnum desiderent, & impleat in illis, quod scriptum est: Ecce q̄ bonum & q̄ iucundum, habitare fratres in vnum. Quales erant, de quibus alibi dicit: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Nec quisq̄ eorū quę possidebat, aliquid esse suum dicebat, sed erāt illis omnia cōmunia. Vnde Apostol' omnes credentes fratres appellat. Et Iohannes: Charissimi filij dei sumus. Quęrif, quare aliqui eos qui sibi pręsunt in doctrina vel regimine, patres vel magistros audeant appellare, & maxime in monasterijs, cum dn̄s dicat: Vos autē

nolite vocari rabbi, & patrem nolite vocare vobis super terram, & Paulus apostolus magistrum gētium se nuncupet, dicens: Quàm diu sum magister gentium, ministerium meum honorificabo. Ad quod dicendum, quia aliud est essentialiter esse patrē & magistrū, & aliud nuncupatiue. Verus nanq; ille magister & pater est, qui omnia scit anteq̃ fiant, & cuius sapientia cuncta regit & ordinat. Cęterum sine culpa eos, qui nobis præsunt, magistros vel patres appellamus, quia in hac appellatione reuerentiam eoꝝ sanctitati & ætati atq; sapientiæ deferimus, non tamen auctores nostræ confitemur naturæ. Sicut enim nemo bonus nisi solus deus, & tamē ab eius bonitate multi boni vocantur: ita vnus est pater qui omnia creauit, & vnus magister qui omnia docuit, tamen ab eius magisterio vel imitatione multi magistri & patres appellantur. Sed iste (vt diximus) essentialiter, illi vero abusiue. Sed quia ad hanc dignitatem, vt magistri vel patres vocent, non per superbiam, sed per humilitatē ascenditur, rectè subdit.

Qui maior est uestrū, erit minister uester.

In quibus verbis illorum superbia retunditur, qui non per vitæ meritum, sed propter temporalem honorē altiorem gradum ascēdere cupiūt. Hoc quippe inter secularem potētiam & ecclesiæ humilitatem distat, quia in illis potētia, in istis humilitas eligitur. Et quāto quisq; in illis fuerit potentior, eo & reuerentior: in istis autem quanto humilior, tanto vtiq; melior. Cum ergo ait: [Qui maior est vestrum, erit minister vester.] Tale est, ac si diceret dominus: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare: & factus est inter vos, non quasi recumbens, sed sicut qui ministrat: quanto magis magistri discipulis viam humilitatis debent demonstrare? scilicet vt quo altiores sunt gradu, eo & humiliores sint exemplo. Quod dominus alibi ostendere voluit, cum discipulis inter se conquirētibus, quis eorum maior esset in regno cælorum, ait: Reges gentium dominant eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. In vobis autem nō sic. Sed qui voluerit esse maior, sit omnium minimus: & qui præcessor, tāquam qui ministrat. Et iterum: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quam virtutem prebuit, dicens: Nam quis maior est, qui recūbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autē in medio vestrum sum tanquam qui ministrat. Sicut alibi dixisse legit: Vos vocatis me, magister & dñe, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo dominus & magister vobis laui pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Qd'

Lucæ 22

propriè illoꝝ est facere, q magis æterni gloriā, q temporalē diligūt vitā. Vnde & subdit.

Qui aūt se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Quæritur quare dicat: Qui se exaltauerit, humiliabitur: cum multos videamus in præsenti seculo exaltatos, & vsq; in finem ipsorū in ipsa exaltatione permanere: rursum videmus alios in paupertate & egestate, & in ipsa paupertate vsq; ad exitum animæ consistere. Ad quod dicendum, quia qui se in præsenti seculo superbe exaltauerit, in futuro humiliabitur: & qui se in hoc seculo veraciter propter dominum Christum humiliauerit, in futuro exaltabitur. Sicut ergo inter superbos semper iurgia sunt, sic inter humiles pax & concordia inuiolata conseruatur. Quoniam qui se humiliant in præsenti, exaltabuntur in futuro, quādo illam desiderabilem vocem audire merebuntur: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

DOMINICA VIGESIMA post Pentecosten. Matth. IX.

In illo tempore. Ascendens Iesus in nauiculam, trāsfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et reliqua.



Aepius cōtingere solet, vt vna eademq; res in scripturis, duplicem vel triplicem habeat significationem, sicut est nauis, quæ aliquādo vexillum sanctæ crucis, aliquando sanctā ecclesiam, aliquando vterum intemeratæ virginis significat. Vexillum sanctæ crucis, sicut in alio loco legimus: Ascendēte Iesu in nauiculam, secuti sunt cum discipuli eius: sanctam ecclesiam, sicut in Psalmo legi: Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderūt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Vterum intemeratæ virginis, sicut in hoc loco: Ascendēs Iesus in nauiculam. Quasi enim dominus spiritaliter nauem ascendit, quādo ex intemeratæ virginis vtero carnem assumpsit. Transfretauit, quia natus docuit, mirabilia fecit, passus est, & resurrexit, sicut per Petrum apostolum dicitur: Qui pertransiit benefaciendo, & sanādo omnes oppressos à diabolo. Venit in ciuitatem suam, id est, sanctam ecclesiam, non quod ad eam veniēs suam inuenerit, sed quod subueniēdo eam suam fecerit. In cuius typo eius ciuitas Nazareth dicta est, quæ munda vel custodita interpretatur, significans ecclesiam, quam sibi elegit non habentem maculam vel rugam: quoniam dominus mundauit iam ecclesiam suo

sanguine,& custodit sua protectione. Cui in amoris cãtico loquitur: Tota pulchra es ami ca mea,& macula non est in te. Et item: Vna es amica mea, formosa mea, columba mea, imaculata mea. Quæritur autem, quare Mattheus dicat dominũ venisse in ciuitatẽ suam, cum Marcus hoc signum sanitatis nõ in Nazareth, quæ eius ciuitas dicta est, sed in Capharnaum fuisse referat. Ad quod breuis & facilis patet respõsio, quia videlicet Nazareth & Capharnaum in Galilæa regione sitę sunt. Sicut enim tota Galilæa eius patria est vocata, eo quod ibi sit cõceptus vel nutritus, vnde & Galilæus appellatur, sic non solum Nazareth, sed etiam Capharnaum, quæ in Galilæa sita est eius ciuitas intelligi potest. Nihil enĩ Matthæus & Marcus inter se discordãt, cum vnus ipsum nomen posuit, alter vero in ciuitatem suam absolute dixit. Vel certe Capharnaum eius ciuitas dici potest, non quod in ea natus vel nutritus sit, sed quod eam miraculis illustrauerit. Rursum quæritur, quare nauim ascẽderit. Nunqd nõ poterat super vndas maris ambulare, qui quondã Petro præstitit, vt super vndas maris ambularet? Aut non poterat coram suis vestigiis mare siccare, qui coram filiis Israel egredientibus ex Aegypto mare Rubrum siccauit, & eos trãsire per siccum fecit? Poterat vtiq;. Sed ideo nauem ascendit, vt oĩa quę hominis sunt agens, verũ hominẽ pro nostra salute se venisse demõstraret.

Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentem.

Paralysis non solum grauissima, sed etiam acutissima est passio, quę subito vt hominem attigerit, ad omne opus inutilem efficit. Fit autem dum calor naturæ vel sanguinis in frigus versus, naturales meatus venarum præcludit, intantũ vt si totum hominẽ attigerit, inualidum reddat: si autẽ quodlibet membrũ arripuerit, inflexibile & inutile faciat. Ergo per paralyticum quilibet peccator designat, qui à calore diuini amoris recedens, in tepore vel frigore iniquitatis conuertitur, intantum vt si aliquando grauissima mala perpetret, nec ea velut minima pertimescat, qualibus per prophetam dicitur: Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidã facit stultus malitiã suam. Lectus in quo paralyticus portabatur, vel corpus hominis peccatis assuetum, vel conscientiam desperatam significat. Hi autem qui paralyticum domino ad curandum obtulerunt, doctores & magistros ecclesiæ significant. Offerunt enim paralyticum dño ad sanandum ecclesiastici viri, quando peccantem verbis corrigunt, & orationibus iuuãt, vt ab ipsis peccatis resipiscat. Qui bene, Marco narrãte, quatuor fuisse referuntur, quia quatuor sunt libri sancti euãgelij, in quibus omnis prædicantiũ doctrina nõ solum instruitur, sed etiã roboratur. Sed quia omnis, qui alienas animas suscipit regendas, non terrenis desideriis inhærere debet, sed cęlestia concupiscere, recte hi qui paralyticum domino ad curandum obtulerunt, iuxta alium euangelistam, non inuenientes qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt cum cum lecto in medium ante Iesum. Omnis nanque anima quæ à paralysi suæ iniquitatis vult liberari, necesse est vt turbas dæmonũ & tumultus vitiorum repellat, & sublimia appetat. Tectum quippe ascendit, qui terrena contẽnens cæléstia concupiscit. Per tegulas autem infirmum ante dominũ ponit, cum humanæ fragilitatis memor, sic contra peccantes irascitur, vt pœnitentibus compatiatur. Vel certe hi, qui paralyticum domino ad curandũ obtulerunt, recte quatuor fuisse memorantur: quia quatuor sunt principales virtutes, de qbus in æternæ sapientiæ laude canitur, sobrietas & sapientia, iustitia & virtus: quas nonnulli verbis nominibus, prudentiam, temperantiam, fortitudinem & iustitiam appellant, quibus (vt ait scriptura) nihil est vtilius in vita hominis. Prudentia enim est, deum cognoscere & eius voluntatem intelligere. Quæ quàm necessaria & vtilis sit virtus, domin⁹ manifestat quum discipulis ait: Estote prudẽtes sicut serpentes, & simplices sicut columbę. Qualis est ista prudentia, si fortitudo desit? Scire enĩ bonum & non posse facere, magis pœna est q̃ virtus. Addatur ergo ad prudentiam fortitudo, vt bonũ quod per prudẽtiam cognoscit, per meriti fortitudinẽ infatigabiliter teneatur, scriptura dicente: Viriliter agite, & confortetur cor vestrũ omnes qui speratis in domino. *Psal. 30.* Porro fortitudo tunc laudabilis erit, si iusta fuerit: quoniam fortiter agere, & nõ iuste, non virtus est, sed vitium: Multi enĩ fortiter agunt in præliis, in luctaminibus, in oneribus portandis, sed quia non iuste faciunt, talis fortitudo nõ virtuti, sed vitio deputatur. Addatur autem ad fortitudinem iustitia, vt quod iustum & rectum est, & opere seruetur, & memoria teneatur, scriptura monente: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. *Sapiẽ. 1.* Tunc enim iustitia deo accepta & dulcis erit hominibus, si discreta & temperata fuerit, quia bona virtus, quæ sine temperantia agitur, frequenter in vitiũ vertitur. Vnde scriptura admonet: Ne sis multum iustus, neq; plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas. *Eccle. 7* Addatur ergo ad iustitiam temperantia, id est, discretio, quę (vt ait scriptura) mater est omnium virtutum, vt in ipso bono opore non sit aliquis nimius vel superfluus, sed discretus & temperatus: quia frequenter virtus, quæ sine obseruatione agitur, in vitium conuertitur. Et quia

has quatuor virtutes habere debet, qui ſuam ac alterius animam deo offerre vult, rectè hi, qui paralyticum domino ad ſanandum obtulerunt, quatuor fuiſſe narrantur. Sed ne cuiquam impoſſibile videať, vnũ eundemq; hominẽ has quatuor virtutes ſimul habere poſſe, ex multis, qui eas & opere ſeruauerunt, & ſermone docuerunt, vnum in medium libet deducere, videlicet ſanctum Abraam patriarcham. Ipſe vero prudentiam habuit, qui cæteris à cultura dei aberrantibus, creatorem ſuum deum credidit & cognouit: quia ſicut inſipiens eſt, qui dicit in corde ſuo, non eſt deus: ſic prudens qui cognoſcit deum. Addidit autem ad prudentiam iuſtitiam, quando illius præceptis, quem deum cognouit, abſque vlla mora obediuit, exiens de terra ſua, & de cognatione, & de domo patris ſui. Vnde ſcriptura ipſa protinus ſubiunxit, dicens: Credidit Abraam deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Sed iſte tam prudens, tam iuſtus, quàm fortis ſit videamus. Cum enim ſenex ex dilecta coniuge vnicum filium per repromiſſionem accepiſſet, audiuit à domino: Tolle filiũ tuum quem diligis Iſaac, & offeres eum mihi in holocauſtum ſuper vnum mõtium, quem mõſtrauero tibi. At ille de nocte conſurgẽs, ſtrauit aſinũ ſuum, & cætera. Et iterũ: Cumq; die tertio, eleuatis oculis, vidiſſet locum procul, dixit pueris ſuis: Expectate hic cũ aſino, ego & puer illuc vſq; properãtes, poſtquam adorauerim⁹, reuertemur ad vos. Cumq; ad locum perueniens, altare ædificaſſet, & colligatum puerum ſuper ſtruem lignorum impoſuiſſet, nõ paruum dolorem & anguſtiam in corde ſuſtinuiſſe credendus eſt, non tãtum pro morte dilecti filij, ſed etiam timens & verens, ne puer teneræ ætatis, cum dolore mortis ſaltem contra deum in corde murmuraret: ſed magnum dolorem maior fortitudo vincebat. Sed iſte tam prudẽs, tam iuſtus, tam fortis, quàm diſcretus & temperatus ſit aſpiciamus. Cum enim iamiam immolaturus filium, gladium euaginatum in manibus teneret, audiuit à domino: Ne extendas manum tuam ſuper puerũ, neq; facias illi quicquam. At ille diſcretus & temperatus, ſicut fuit fortis in immolãdo, ſic factus eſt temperatus in relinquendo. Vnde diuina voce metuit conſolari, cum protinus audiuit: Nunc cognoui quod timeas deum, eo quod non peperceris filio tuo vnigenito propter me. Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli. Hæc de operibus Abrææ breuiter commemorare libuit, vt intelligamus & nos has quatuor virtutes habere poſſe, ſi eas à deo poſtulare non pigeat.

Videns autem Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Hic conſiderandum eſt, quantum vnumquenque propria fides adiuuet, vbi tantum profuiſſe aliena monſtratur. Non enim ait euangeliſta: Videns Ieſus fidem illius qui offerebatur, ſed illorum qui offerebant. Paralyticus enim quia per ſe venire non poterat, alienis manibus deportatur, aliena fide ſanatur. Vnde intelligere poſſumus, quia ſunt nõnulli in eccleſia, qui & ſi ſuis meritis nõ ſaluantur, tamen aliorum interceſſione ſaluari merentur. Vbi non ſolum domini adoranda potentia oſtenditur, ſed eius humilitas veneranda, atq; pro viribus imitãda declaratur. Multum namq; diſtat inter ſuperbiam Iudæorum & domini humilitatem. Infirmum enim, & totis membrorum compagib⁹ diſſolutum, quem ſcribæ & phariſæi non ſolum tangere, ſed etiam vix reſpicere dignabantur, dominus non ſolum ab infirmitate curauit, ſed etiam filium vocauit, dicens: ⌊Confide fili.⌋ Fides quoq; operibus exornata, magna eſt virtus, ſicut ait Iacob⁹ apoſtolus: Fides ſine operibus mortua eſt, & ſine fide impoſſibile eſt placere deo. Quam dominus diſcipulis commendãs ait: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, & cætera. Et pulchre filium appellat, quem à peccatis liberauit: nimirum vt qui ante fuerat filius malitię & nequitiæ & filius diaboli, poſt peccata dimiſſa factus eſt filius dei. Sequitur: ⌊Remittuntur tibi peccata tua.⌋ Notandum autem, quia prius eius peccata dimittuntur, & ſic ſanitas corporis tribuitur. Sed cum prius peccata dimiſit, vt diximus, & poſtmodum ſanitatem tribuit, oſtendit propter peccata pleriſque hominibus infirmitates accidere. Quinque enim modis diuina flagella homines in præſenti vita tanguntť. Alij propter ſolam probationem flagellãtur, qualis fuit Iob, & Thobias, quorũ patientia cum ſibi ipſis & deo tantummodo eſſet cognita, ideo flagellati ſunt, vt probatiores fierent, & eorum patientia ad aliorũ exemplum perueniret. Alij, vt curantis virtus glorificeť, qualis fuit ille cæcus, de quo cum diſcipuli dominũ interrogaſſent: Rabbi, quis peccauit? hic, aut parẽtes eius, vt cæcus naſceretur? audierunt: Neq; hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera dei in illo. Alij ob humilitatis cuſtodiam, ne ſe de acceptis virtutibus extollant, flagellantur, quod Paulo apoſtolo cõtigit, qui de ſeipſo ait: Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſathanæ, vt me colaphizet. Propter quod ter dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Alij propter enormitatẽ ſcelerũ flagellantur, vt hic pœnas experiri incipiant,

emplo, qui ait: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea. Et iterum: In deo sperauit cor meum, & adiutus sum, & refloruit caro mea. Et rursum: Cor meum & caro mea exultauerũt in deum viuum. Domus ad quam post curationem ire iubemur, paradisus est. Ad hoc vero conditi fueramus, vt si primus homo non peccasset, absq; vlla incorruptione in eo permaneremus, sed quia peccãdo ab illa recessimus, æquum est, vt pœnitendo ad illam redeamus. Ad quam ardentissimo amore peruenire optabat ille, qui dicebat: Vnam petij à domino, hãc requiram. Et iterum: Introibo in domũ tuam domine, adorabo ad templum sanctum tuum. Et rursus: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum dei. In hac domo tanto quisque mansionem inueniet ampliorem, quanto in præsenti vita iustius vixerit, ipso domino dicente: In domo patris mei mansiones multæ sunt.

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

In hoc loco declaratur, quantum inter doctam malitiam, & sanctam simplicitatem distet. Scribis enim deum blasphemantibus, turbæ, quæ minus eruditæ erant, eius opera videntes, cum timore & admiratione glorificauerunt deum. Sed & hoc quotidie fit in ecclesia in cõuersione peccatorum, quia dum quilibet facinorosus publice ad deum conuertitur, & per pœnitẽtiam curatur, multi in eius conuersione immensam dei pietatem glorificant. Iuxta superiorem sensum turbæ quæ timent, immundi spiritus intelligi possunt, qui videntes peccatores per domini incarnationem de sua potestate eripi, timore & admiratione concussi sunt. Vnde & per obsessum hominẽ loquebãtur: Quid nobis & tibi fili dei? venisti ante tempus torquere nos? Et vt euãgelista ait: Multum rogabant eum dæmonia, vt non eos mitteret in abyssum.

DOMINICA VICESIMAPRIMA post Pentecosten. Matthęi XXII.

In illo tempore. Loquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Et reliqua.


Vm frequenter regnum cælorum in euãgelio nominatur, nõ incongrue semper vnam eandemq; habet significationẽ, sed aliquando cælestem dominum Iesum Christum, aliquãdo doctrinam sancti euangelij, aliquãdo cælestem patriam, aliquãdo præsentẽ significat ecclesiam. Dominum Iesum Christũ, sicut ipse ait. Regnum dei intra vos est. Doctrinam sancti euangelij, sicut ipse Iudæis hanc recipere nolẽtibus dixit: Auferet à vobis regnũ dei, & dabit genti facienti fructus eius. Cęlestẽ patriã, vt est illud: Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sanctam ecclesiã, sicut alibi ait: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabit in regno cęlorum. Ergo in hoc loco regnum cælorum præsentem significat ecclesiã, id est, congregationẽ iustorum, in qua dñs non solum regnat, sed etiã quiescit, sicut scriptum est in Salomone: Anima iusti, sedes sapientiæ. Sunt nonnulli, qui hanc eandẽ lectionem esse putant, quam Lucas sub appellatione cœnæ descripsit, sed quædam inter se diuersa cõtinere videntur: quia ibi cœna, hic prandium nominatur: ibi nullus qui intrauit, egressus legit: hic qui cum veste nuptiali non intrauerat, cũ magno dedecore expulsus narratur. Nam quàmuis cõsuetudo antiquis fuerit, semel in die prandere, & hoc cõuiuium & prãdium & cœna vocaretur, apud nos tamẽ vsitatius post prãdium cœna restat, post cœnam vero nullum cõuiuium remanet. Vnde per illam cœnã ecclesia figuratur, qualis erit in futuro: per hoc vero prandium, qualis est in præsenti. Homo iste rex spiritaliter deus omnipotẽs est, filius eius dñs Iesus Christus, de quo per Psalmistam dicitur: Deus iudiciũ tuum regi da, & cętera. Qui fecit nuptias filio suo, quando per incarnationis mysterium ei sanctam ecclesiam sociauit, non habentẽ maculam neque rugam, de qua per Apostolum dicitur: Despondi enim vos vni viro virginẽ castã exhibere Christo. In nuptijs vero duo iunguntur, sponsus & sponsa. Sponsus enim Christus est, de quo per Iohannem dicitur: Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Sponsa sancta ecclesia est, cui per prophetam dicitur: Sponsabo te mihi in iustitia & veritate. De his nuptijs Iohannes in Apocalypsi loquitur dicẽs: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Et iterum: Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentẽ de cælo. Thalamus huius spõsi, vterus genitricis fuit, de quo ad coniungendam sibi ecclesiam, velut sponsus de thalamo suo processit. Vnde cũ Apostolus exponeret testimonium, quod primo homini

dictum fuerat: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhęrebit vxori suę, & & reliqua. Cōtinuo adiecit: Sacramentū hoc magnum est. Ego autē dico in ecclesia & in Christo.

Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias.

Si seruum legerimus, vt nonnulla habent exēplaria, Moysen intelligere debemus: si autem pluraliter seruos, patriarchas & prophetas accipere possumus. Misit ergo seruos vocare inuitatos ad nuptias, quia incarnationis suæ mysterium per patriarchas & prophetas longe ante dicere voluit, q plurimos ad Christi nuptias vocauerunt, quia per spiritum sanctum aduentum Christi præuidentes alijs annunciauerunt. Sed valde dolendum est quod subdidit:

Et nolebant uenire.

Et pulchre dicitur: ⌊Nolebant venire.⌋ Quia plurimi per prophetas annūciatum audierunt, sed tamen venturum minime crediderunt. Offert deus quod rogari debuerat, non rogatus dare paratus est, quod vix credi potuit, vt largiri dignaretur etiam postulatus. Sed reprobi ad nuptias venire nolunt, quia eius iussionibus permulta opera contra dicunt. Quia sunt nonnulli, qui non solum ea quæ sibi conueniunt, à deo non postulant, verumetiam oblata sibi accipere renuunt. Nec tamen diuina pietas contemnentes se contemnit, cum ad eos, qui venire nolebant, iterū misit alios seruos. Serui, qui secundo mittuntur, apostoli sunt intelligendi, qui post domini incarnationem ad prædicandum euangelium sunt missi. Qui tanto securius aduentum Christi annunciauerunt, quanto ab ipso ore veritatis huberius verbū diuinum audierūt. Sed quia plerunque apud auditorum mentes plus exempla quàm verba proficiūt, recte in secunda inuitatione dicitur:

Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & oīa parata, uenite ad nuptias.

In tauris & altilibus vtriusq; testamenti sanctos patres accipim⁹, veteris scilicet ac noui. Taurus enim erectæ ceruicis est animal, cornua in capite gerēs, quibus se defendat & minora animalia terreat. Vnde & per tauros non incongrue patres veteris testamenti accipimus, qui dum ex promissione legis acceperant, vt dei suosq; inimicos corporaliter ferirent, quasi in capite cornua gestabant. Sed in præparatione nuptiarū tauri occisi sunt, quia cum incarnationem Christi patres veteris testamenti prædicerent, nōnulli interfecti sunt: alij secti, vt Isaias: alij lapidati, vt Ieremias. Altilia autē dicta sunt quasi alitilia, quæ nos vulgari locutione manu pasta, id est, saginata appellare consueuimus. Ergo per altilia apostoli eorumq; successores figurātur, qui dum terrenas diuitias cōtemnere, & cæleste regnum amare didicerunt quasi altilia penna contemplationis sese ad alta sustollere nouerunt, dicentes cum Apostolo: Nostra autem conuersatio in cælis est. Qui cū ab ipsius domini ore doctrinæ pabulum acceperunt, quasi manu pasti sunt, tantoq; breuius spirituali pinguedine sunt saginati, quanto manifestius & perfectius eiusdem spiritus sancti dono sunt repleti, vt cum Psalmista dicere possint: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et iterū: Impinguasti in oleo caput meum. Sed in prǽparatione nuptiarum Christi cum tauris, altilia sunt occisa, quia patres noui testamenti pro prædicatione euangelij corporaliter interierunt. Alij crucifixi sunt, vt Petrus: alij decollati, vt Paul⁹: alij lapidati sunt, vt Stephanus: alij igne cremati, vt Laurentius: alij lacerati, & secundum Apostolum, Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Omnem autem occasionem excusandi aufert rex, cum dicit: ⌊Omnia parata.⌋ Omnia enim parata sunt, quia ille singularis agnus occisus est, in cuius figura omnia præcesserunt. Siue certe omnia parata sunt, quia nullum exemplum virtutis est sanctorum, quod ad nostram imitationem in operibus eorum manifestatum iam non sit. Iam enim innocentiam Abel audiuimus, obedientiam Abraæ, castimoniam Isaac, tolerantiam Iacob, mititiam Moysi, misericordiam Dauid, patientiam Iob audiuimus, & finem domini vidimus. Sed reprobi omnes, dum terrenis diuitijs acquirendis studiose inhiant, non solum seruorum dei exempla imitari contemnunt, sed etiam ipsius domini verba inuitantis audire negligūt. Vnde & subditur:

Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam.

Quid per villam, nisi terrena substantia designatur? Ad uillam quippe vadit, qui terrena & superflua diligens, cælestem patriā non requirit. Cumq; naturalem intellectū non in seruitio dei, sed in terrenis cōmodis occupat, non solum ad villam, sed etiam ad negociationem suam pergit. Vnde bene subditur: Alius vero ad negociationem suam. Quid per negociationem, nisi calliditates & ingenia figurantur? In negociatione vero hoc agitur, vt quod vilius emitur, carius venundetur. Quicunque ergo arte vel ingenio iniusta lucra appetit, quasi ad negociationem pergens, ad nuptias dei venire contēnit. De talibus sine dubio ait Apostolus: Qui volūt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum

diaboli,& desideria multa inutilia, quæ mergũt hominem ad interitum & perditionem. Et quisquis his deditus fuerit, necesse est vt non solum mendacia, verumetiã periuria incurrat. Qui autem eis deseruerit, ad nuptias Christi(vt diximus)venire contemnit. Vnde Apostolus ait: Nemo militans deo, implicat se negotijs secularib⁹, vt placeat illi cui se probauit. Et Iacobus: Qui voluerit amic⁹ esse seculi huius, inimicus dei constituitur.

Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos occiderũt.

Inter eos qui verbũ dei audire negligunt, & eos qui nuncios persequuntur, magna distantia est. Sunt nonnulli, qui nec verbum dei audire dignantur: & sunt alij, qui verbũ dei audiunt, sed opere implere contemnũt. Sunt alij etiam, qui non solum verbum dei despiciunt, sed etiam prędicatores verbi odijs & gladijs persequuntur. Illi vero districte damnandi sunt, qui verbum dei nõ audiunt: sed illi districtius, qui auditũ implere negligunt. Quia sicut dominus ait in euangelio: Seruus nesciens voluntatem domini sui, & non faciẽs, plagis vapulabit paucis: sciens autem & non faciens digne, plagis vapulabit multis. Seuerius nanq; illi adhuc iudicandi sunt, qui manus à persecutione prædicatorum continere non possunt. Vnde & subditur:

Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorũ succendit.

Quæ similitudo, si specialiter ad populum Iudæorũ referatur, manifeste patet quia seruos dei cõtumelijs affecerunt, quãdo (sicut ait liber Actuum apostolorũ) Ibant gaudentes discipuli à conspectu cõcilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati. Stephanum quoq; lapidauerunt, & Iacobum Iustum præcipitantes, de pinnaculo templi, occiderũt. Quod cum audisset rex, illis in malitia perseuerantibus, mittẽs duos Romanorũ principes cum exercitibus suis, Vespasianũ scilicet & Titum, patrem vtiq; & filium, perdidit homicidas illos: ciuitatem quoq; illorũ, id est, præcipuã Ierusalem igne succenderũt, ita vt iuxta domini vocem, non sit relictus in ea lapis super lapidem. Si autem generaliter hæc parabola ad omnes reprobos referatur, datur intelligi quia non solum in animabus, sed etiam in corporibus damnandi sunt, qui verba inuitantis dei audire negligunt. Exercitus enĩ regis nostri, angelici sunt spiritus, vnde dñs sabaoth, id est, dñs exercituũ dicit. De quibus ait Daniel: Millia milliũ ministrabãt ei, & reli. Missis ergo exercitibus suis, perdidit homicidas illos, quia omne iudicium in hominibus per angelos suos impleturus est, sicut ipse ait in euangelio: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scãdala, & mittent ea in caminũ ignis ardentis. Ciuitas nanque reproborũ, propria sunt illorũ corpora: quia sicut ad tempus homo in ciuitate manet, ita anima inhabitat in corpore. Non solum ergo homicidæ perduntur, sed etiam ciuitas succenditur, quia usque ad iudicium reprobi in animabus, & post iudicium etiam cum corporibus damnabunt. Sed quia superius hunc regem dei omnipotẽtis speciẽ tenere diximus, quæritur, quomodo iratus dicatur, cum in natura dei nulla ira, nulla mutabilitas cadat, teste Psalmista, q aitː Deus iudex iustus, fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies? Ad quod dicendũ quia multis in locis scriptura sacra more nostro loquitur, vt occulta dei iudicia per visibiles res intelligantur. Sicut enim rex terrenus iratus dicitur, quando in subiectis vindictam exercet, sic deus omnipotens illis iratus videtur, quos iusto iudicio propter peccata damnat & punit: cæterum in sua natura semper immutabilis, semperq; trãquillus permanet. Cui per quendam sapientem dicitur: Tu autem domine sabaoth cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. Sapiẽ. 2. Mala. 3.
Et per Prophetam: Ego sum deus, & nõ mutor.

Tunc ait seruis suis: Nuptię quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erãt, nõ fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscũq; inueneritis, uocate ad nuptias.

In his verbis domini manifeste Iudæorũ repulsio, & gentium vocatio designatur. In via enim quondam Iudæi stabant, quando deum cęli cognoscentes, legalia præcepta obseruabant. Sed domino veniẽte in carne, hi qui inuitati erant, nõ fuerunt digni, quia non credendo in eum, quem promissum habebãt, fecerunt se esse indignos. Sed nunquid quia Iudæi venire nolunt, locus nuptiarum dei vacuus remanebit? Absit. Nam protin⁹ serui ad gentium vocationem mittuntur, cum dicitur: [Ite ergo ad exitus viarum.] De exitibus ergo viarum gentilis populus vocatus est, quando nullam dei cognitionem habens, ab idolorum cultura ad credulitatem dei adductus est. Sed quia non ad solos Iudæos hãc parabolam, sed ad nos pertinere credimus, sicut vias actiones accipimus, sic exitus viarum defectus dicimus actionum. Sunt enim nonnulli, qui non facile ad deum conuertuntur, nisi prius prosperitas huius seculi eis deficiat, sicut scriptum est: Et tantummodo vexatio intellectũ dabit auditui. Et Psalmista: Isa. 28.

Cum occideret eos, quærebant eum, & cętera. Frequenter enim nonnulli diuinis flagellis percussi ad salutem redeunt, qui si in prosperitatibus seculi permansissent, vtiq; perirēt, quibus per prophetam dicitur: Virga & flagello castigaberis filia Sion, vt non discedat zelus meus à te. Tales significauit ille puer Amalechites, de quo in Regnoꝝ libris legitur: quia Amalechitis fugientibus, infirmus in via remansit, quem Dauid persequens, Amalechitas reperit, eiq; cibum & potum tribuit, atq; postea ducem sui itineris fecit. Amalechites autem, qui lambēs populus interpretaꝭ, mundi significat amatores, qui alienis diuitijs locupletari, & extraneis facultatibus cupiunt augeri. Cumq; nonnulli electi cum talibus præsentis vitæ cursum cōmunem ducere desiderant, misericordissima dei bonitate, aut flagellis atteruntꝭ, aut paupertate attenuantur, aut aliqua necessitate cōstringuntur, vt etiam nolentes ad deum conuertantꝭ. Tales nō de vijs, sed de exitibus viarū ad domini nuptias vocātur, quibus cōuenit, quod per Osee prophetam dicitur: Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam ea maceria: & sequeris amatores tuos, & non apprehendes eos: quæres, & nō inuenies eos, & dices: Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

Et egressi serui eius in uias, congregauerunt oēs quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptię discumbentium.

In quibus verbis manifeste ostendiꝭ, quia (sicut superius diximꝰ) per has regis nuptias pręsens ecclesia significaꝭ. Ecce enim dicitur: Egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos. Boni nanq; soli nusq̄ sunt, nisi in cælo: mali soli nusq̄, nisi in inferno. Præsens autem ecclesia, quę inter cęlum & infernū cōsistit, vtriusque partis ciues recipit: quia multi per fidem in ecclesiam intrant, qui per vitæ meritum in regnū cęloꝝ minime intrare possunt, de quibus per prophetam dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerū. Nec mirum si reprobi super numerum multiplicantur, cum inter multitudinē palearum grana tritici saluātur, & rosa quæ redolet, inter spinas quæ pungunt, nasci soleat.

Intrauit autem rex ut uideret discumbentes.

Discumbere in nuptijs, est fide in ecclesia quiescere, sicut dominus alibi dicit: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam & Isaac & Iacob in regno cæloꝝ. Quotidie autem iste rex ad suas nuptias intrat, quia deus omnipotens actus moresq; hominū subtili examine dijudicat, & qua intentione quisq; viuat, pensat: & si aliquē bonis operibus viderit esse adornatū, hunc quasi spiritalem conuiuam secum sedere & conuiuari gaudet. Solet autem contingere, vt talis in ecclesia inueniaꝭ, qualis & iste fuit, de quo adhuc subditur:

Et uidit hominem ibi, non uestitum ueste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestē nuptialem?

Quæritur autē quæ sit vestis nuptialis, sine qua quisquis ecclesiā intrauerit, nō recipieꝭ ad conuiuiū, sed cum magno dedecore ejcieꝭ. Vestē nuptialem nō recte fidē intelligere possumus, qa sine illa ecclesiā intrare nō valemus. Nam & baptismū vestē nuptialem nō accipimus, qa sine illo ecclesiā non intramus. Fiducialiter ergo & absq; vlla cōtradictione, vestē nuptialē intelligamus charitatē, sine qua quisque in vacuū ecclesiā intrat, etiāsi rectā fidem se habere simulat. Recte ergo vestē nuptialē intelligimus charitatē, quia sicut vestis duobꝰ filis texiꝭ, superiori & inferiori, sic charitas duobus pceptis impleꝭ, dilectione dei videlicet & proximi. Filū ergo inferius, dilectionē proximi: filū superius, dilectionem significat dei. Minus enī, q̄ inter duos haberi charitas nō potest, qa nec vere diligimus deum sine proximo, nec vere proximū sine deo diligere possumus. Vnde inter cætera ornamēta in veste pōtificis coccus bis tinctus poni præcipitur, vt scilicet in nostro bono opere charitas gemineꝭ, vt diligamus deū toto corde, tota anima, tota mēte, & pximos sicut nosmetipsos, sicut Iohānes apostolus ait: Filioli, hoc mandatū habemꝰ à deo, vt q diligit deū, diligat & fratrē suum. Et qui dixerit, qm̄ diligo deū, & fratrē suum oderit, mēdax est. Vel certe aliter per vestē nuptialē recte charitas figuraꝭ, qa sicut vestis plurimis filis cōtexitur, sic charitas diuersis virtutibus adornatur. Ex ipsa enī nascitur prudentia, eleemosynarū largitas, hospitalitas, inimici dilectio, & cætera his similia. Si qs vult scire qbus filis vestis charitatis contexitur, legat Paulū apostolū. Qui cum dixisset: Si linguis hominū loquar & angeloꝝ, & si habuero prophetiā, & nouerim mysteria oia, & omnē scientiā, & habuero omnem fidē, ita vt mōtes transferā, & si distribuero oēs facultates meas in cibos pauperū, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autē non habuero, nihil mihi prodest: continuo eiusdē charitatis membra enumerauit, dicens: Charitas patiēs est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, nō est ambitiosa, nō quærit quæ sua sunt, non irritatur, nō cogitat malū, nō gaudet super iniquitate, congaudet autē veritati.

Hæc cū iudicio legātur: uidetur subesse mendū, tāetsi archetypa concordent.

omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, charitas nunq̃ excidit. Siue aliter recte charitas vestis nuptialis est, quia sicut vestis nō solum nuditates corporũ operit, sed etiam decorem tribuit, sic charitas nō solum cæteras virtutes generat, vel multitudinē peccatorũ operit, sed etiam ornat, dño dicēte: Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui nō habet, & quod videt habere, auferetur ab eo. Et Apostolus: Nunc manet, fides, spes, charitas. Mirum autē quomodo amicum vocat, quem cum tanta cōfusione à conuiuio repudiat. Ad quod dicendũ, quia tropice loquens, per antiphrasin, id est, per irrisionē amicum appellat, qui nō meretur diligi. Ac si diceret: Amice, & nō amice. Amice per fidem: sed nō amice, per operationē. Amice, quia ad nuptias venisti: sed nō amice, quia vestem nuptialē non attulisti.

At ille obmutuit.

Increpatus à rege is, qui sine veste nuptiali nuptias intrauerat, obmutuit: quia in illa discussione districti examinis, nec fugiendi, nec mentiendi, nec cuiq̃ se occultandi locus erit, quando nō solum dei præsentia, & angelorũ atq; sanctorũ multitudo testis erit, sed etiam ipsa cōscientia peccatrix semetipsam, cur peccauerit, accusabit, teste beato Iob, qui ait: Et terra aduersum me clamat. Vnde in persona Iudæ proditoris, siue cuiuslibet impij dicit: Reuelabunt cæli iniquitatē eius, & terra aduersus eum consurget, & manifestũ erit peccatum illius in die furoris domini. Hāc quippe districtionē considerabat Propheta, cum dicebat: Neq; ab oriēte, neq; ab occidēte, neque à desertis mōtibus, subauditur locus fugiendi erit, quoniā deus iudex est. Quid autē post hęc sequat, manifestatur cum subditur.

Ligatis pedibus & manibus, mittite eum in tenebras exteriores.

Si quis autē vult scire, quibus funiculis peccatorũ manus & pedes ligent in pœna, Salomon manifestat, cum ait: Funiculus peccatorum suorũ vnusquisq; cōstringetur. Et Psalmista de ipsis loquit: Funes peccatorũ circumplexi sunt me. Funis enim torquendo cōponitur, vt longior efficiatur: & quicunq; peccatis peccata addunt, quasi funem faciunt, quo in pœna ligent. Quibus Isaias terribiliter clamat: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi funiculũ plaustri peccatũ. Ministri isti immundi sunt spiritus intelligēdi, de quibus per Psalmistā dicitur: Immissiones per angelos malos. Ligatio pedum, vitia & peccata significant. Quisquis autem hic ligatas habet manus vel pedes, ne bonum operetur, ne viam mandatorum dei currat, necesse est, vt illic ligatas habeat manus vel pedes; & qui vndiq; se dilatauit in malo opere, vndiq; constringatur in retributione vindictæ. Digne vero peccatoris manus & pedes ligantur in pœna, quos hic habuit solutos ad culpam. Cum tenebræ semper sint interiores, & nunq̃ exteriores, cur iste in tenebras exteriores mitti dicitur? Ad quod dicēdum, quia tenebræ interiores, cæcitas est mentis: exteriores vero, pœna infernalis. Iustum igitur est, vt post mortē in exteriores tenebras mittatur, qui dum viueret, in interioribus tenebris, id est, in cæcitate mentis se conclusit. Quid autem ibi missus patiatur, manifestatur cum subinfertur:

Ibi erit fletus & stridor dentium.

Vbi per nomina membrorũ, qualitas ostēditur tormentorũ. Acriori enim fumo oculi tacti lachrymari solent, & nimio frigore dentes stridescere. Cum ergo dicit, Ibi erit fletus & stridor dentiũ, datur intelligi, quia reprobi æterno supplicio damnati, & frigus inæstimabile & calorē intolerabilem sustinebunt, beato Iob teste, qui ait: A calore nimio transibūt ad aquas niuium. Vbi etiam considerandum, quia non solum sanctorũ corpora, sed etiam reproborũ in iudicio resurrectura mōstrant. Vnde per beatũ Iob alibi dicitur: Credo q̃d redēptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & in carne mea videbo deum. Oculi enĩ carnei sunt, & dentes ex ossibus: igitur cum dicit, Ibi erit fletus & stridor dentium, ostendit corpora reproborum, quæ constant ex carne & ossibus, veraciter esse resurrectura: vt qui in carne & anima peccauerūt, in carne & anima pariter puniantur. Quod autem ait:

Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

Magis timendum est quàm exponēdum. Quod enĩ omnes vocati sumus, nouimus: vtrum autē ad electorũ sortem pertineamus, adhuc ignoramus. Tāto ergo soliciti esse debemus in bono opere, quanto inexcusabiles nos esse scimus de vocatione, vt nō cum multis reprobis audiamus: Ite maledicti in ignē æternum, sed cum electis audire mereamur: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat deus in secula seculorum, Amen.

DOMINICA VIGESIMA secunda post Pentecosten. Iohannis IIII.

In illo tempore. Erat quidam regulus cuius filius infirmabat Capharnaum. Et reliqua.


Liquoties contingere solet, vt nonnulli à qualitate mentis, quam habent interius, nomina sortiantur exterius, sicut Simon dictus est Petrus ob firmitatẽ fidei, eo quod firmæ petræ inhæserit, & filij Zebedæi Boanerges, id est, filij tonitrui, sunt vocati, quia de spiritali cęlo intonituri erant: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbũ. Et Iudas zelotes dictus est, eo quod zelo amoris dei plurimum ferueret. Sic ergo & iste regulus fortassis à qualitate mentis quam habebat interius, nomen traxit exterius. Regulus enim diminutiuum nomẽ est à rege, quasi dicatur sub rege primus, vel paruus rex. Et ideo quia ex parte credebat, & ex parte non credebat, nõ rex, sed regulus meruit appellari. Sed quod nos verbis de illo dicimus, hoc ipse de se operibus comprobat. Nam subditur:

Hic cum audisset quia Iesus aduenirет a Iudæa in Galilæã, abijt ad eũ, & rogabat eum ut descenderet & sanaret filiũ eius. Incipiebat enĩ mori.

Quæ omnia iuxta literam ita manifesta sunt, vt expositione non indigeant. Hoc tantummodo mirum videtur, quare is qui pro filio rogaturus venerat, à domino audiuit:

Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis.

Cum vtiq; nisi credidisset, nequaquã pro sanitate filij rogaturus ad dominum accessisset? Ad quod dicendum quia credebat & nõ credebat. Credebat quod dominus per præsentiam corporalẽ salutem filio suo restituere posset, sed non credebat eum per diuinitatem vbiq; esse præsentẽ, cuius tam solicite corporalem aduentum requirebat, dicens:

Domine, descẽde priusquam moriatur filius meus.

Quia ergo credebat, rogaturus pro filio accessit, sed quia non perfecte credebat, audire meruit: ⌊Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.⌋ Fides enim augmentũ habet, sicut apostoli domino dixerunt: Domine, auge nobis fidem. Et centurio ille, qui pro puero lunatico rogaturus venerat, cum audisset à domino, Credis, omnia possibilia credenti, respondit: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Inter signa autem & prodigia hoc interest, quia signa dicuntur miracula insolita: prodigia vero ea dicuntur, quæ cum præsentialiter mira sunt, etiam in futuro aliquid præmonstrant. Vnde prodigium dictũ est, quasi porro digium. Sed in hac lectione nostra superbia confunditur, si eam cum alia conferamus. Legimus enim in euãgelio Matthæi, quia cum introijsset Iesus in Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicẽs: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniã & curabo eum. Quis enim ignorat regulum maioris esse potestatis, quàm cẽturionem? Et quid est quod dominus ad filium reguli rogatus ire noluit, & ad seruũ centurionis etiam non rogatus ire paratus fuit? Nimirum nostra superbia, vt diximus, confunditur, qui in hominibus nõ naturam, qua ad imaginem dei facti sunt, sed potentiam cõsideramus. Quos enim potentes cernimus, honoramus: & quos metuimus, veneramur: pauperes autem contemnimus, despicimus & negligimus. E contra filius dei, qui de cælo descendit in terras, ad filium reguli rogatus ire noluit, & ad seruum cẽturionis, etiam cum non rogaretur, ire paratus fuit. Quia sicut Petrus de eo veracissime testatur, non est personarum acceptor deus, sed in omni gente, qui operatur iustitiã, acceptus est illi. Imitemur ergo & nos caput nostrum, & quem plus deum amare viderimus, illum studiosius diligamus. Et hæc dicentes, non prohibemus honorare potẽtes, maxime cum Petrus apostolus dicat: Deum timete, regem honorificate. Sed sicut illorum veneramur potentiam, sic pauperum supplere debemus indigentiam, vt in ecclesia dei vnicuiq; cõgruus honor exhibeatur. Sed quia increpatio pijs mentibus multum prodesse solet, postquam regulus à domino increpatus audiuit:

Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermõi quẽ dixit ei Iesus & ibat.

Vnde fides protinus effectũ cõsecuta est.

Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes quia filius eius uiueret.

Ex eo ergo, quod superius iste regulus domino dixit, ⌊Descẽde priusquam moriatur filius meus.⌋ & hic dicitur, ⌊Iam autem eo descendente,⌋ datur intelligi, quia Capharnaum in valle erat sita, quæ vallis pinguis siue villa pulcherrima interpretatur. At ille volẽs scire vtrum ea hora sanitas esset reddita filio, in qua audierat à domino: Filius tuus viuit,

Interrogauit horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerũt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

Pulchre autem hora septima filius reguli sanatur, quia sep tẽ sunt dona spiritus sancti, cuius gratia & virtute, non solũ remissio peccatorum, sed etiã virtus & sanitas tribuitur, Apostolo teste, qui ait: Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum

qui datus est nobis. Siue certe hora septima filius reguli sanatus est, vt intelligamus, quia in præsenti, vita quæ per septem dies voluitur, salutē animæ nostræ bene operando quęrere debemus.

Cognouit ergo pater quia illa hora esset, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus uiuit, & credidit ipse, & domus eius tota.

In multis locis euangelij promptior fides gentium ad credendū ostenditur, q̄ Iudæorum ipso dño de centurione dicente: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Legimus paulo superius, eodem euangelista Ioanne narrante, quia cum mulier Samaritana audisset à dño omnia quæ fecit, abijt in ciuitatem, & dixit illis omnibus: Venite & videte hominem, qui dixit mihi oia quæcunq; feci. Nunquid ipse est Christus? cū venissent ergo ad illū Samaritani, rogauerūt eū vt ibi maneret. Et mãsit ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: quia iam nō propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus qa hic est vere saluator mūdi. Ibi em̄ sine ostēsione miraculi tota ciuitas credidit, hic cum magnū signum ostensum esset, ipse pater tantum credidit, & domus eius tota.

DOMINICA XXIII. POST Pentecosten. Matt. XVIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et reliqua.



Irtus & sapientia dei dñs Iesus Christus, humanæ ignorantiæ condescendens, frequēter suis sanctis sermonibus similitudines dignatus est adiungere, vt qd' per similitudinē sermonū auditores capere nō poterant, saltē per parabolas & figuras
Psal. 77 tenerent. Vnde sicut alibi Matt. ait: Loquebatur Iesus cum discipulis in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis, vt adimpleretur quod per prophetam dr̄: Aperiā in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Quod in hac lectione eum fecisse cognouimus, si diligentius superiora huius euāgelij consideremus. Cum enim præceptū dimittendi fratribus in nobis peccātibus dedisset, ne dura hæc viderentur & aspera, adiecit similitudinem de rege, qui debitori suo decē millia talēta ad vnam supplicationē dimisit. Spiritaliter hō iste rex dn̄s Iesus Chr̄s de quo scriptum ē: Ecce veniet deus & hō de Dauid qui est rex regū & dn̄s dn̄antiū, & cuius regni nō erit finis. Huius regis serui hoīes sunt q̄s ad sibi seruiendum, seq; laudandum ad suam imaginem cōdidit, quibus etiā sensum & intelligentiā præbuit. Huic rei seruire, summa est libertas: ab eius seruitio recedere, turpissima seruitus. Huius seruū se gloriabatur Psalmista, cū dicebat: Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Et iterum: Seruus tu' ego sum, da mihi intellectum dñe. Ponit aūt rex rationem cum seruis suis, quia non solum opera, sed etiā cogitationes nostras eius maiestatis oculus subtiliter examinat atq; discernit. Sed eo rōnem ponente, solet contingere vt inueniantur plures qui non solum in minoribus peccatis, sed etiam in maioribus criminibus sunt obligati. Quorum speciem tenet iste, de quo subditur:

Et cum cœpisset rationē ponere oblatus est ei unus qui debebat ei decē millia talenta.

Talentū in scripturis aliquoties pc̄t̄m significat, vel pondus, siue multitudinē pc̄tōrum sicut in Zacharia legitur: Vidi, & ecce talentum plūbi portabatur, & proiecit illū in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impietas, sicut em̄ talentum diuersis modis ponderatur, sic pc̄tōrum species diuersæ sunt. Qui em̄ homicidiū, adulteriū, sacrilegiū, & cætera his similia perpetrat, q̄si decē millia talēta debebat.

Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus uenundari & uxorem eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

Non habebat seruus vn̄ redderet debitum quia digne pro peccatis deo satisfacere nō potest per proprium meritum. Siue certe non habet seruus vnde debitum reddat, quia peccator in die iudicij nullā excusationē ꝓ peccatis suis inueniet. Sed quia deus misericors, nec vult peccatores perire ꝑpetuo, iubet seruum venundari, cum peccatorem per pœnitentiam præcipit immutari. In venundatiōe em̄ hoc agitur, vt alterius res ad alterius transeat possessionem. Et tunc spiritaliter seruus venundatur, quando peccator de possessione diaboli, per pœnitentiam ad possessionē conuertitur dei. Venundatur quoq; vxor & filij cum caro, quæ peccatis fuit subdita & cogitationes carnales in seruitio dei immutat. Et qui seruiuit immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, seruiat iustitię in sanctificationem, & pro superbia humilitatem, pro luxuria castitatem, pro auaritia diligat largitatē. Et qui antea procreauerat filios diaboli male viuendo. Et per vxorem, propriam carnem intelligere possum': per filios, vitia & peccata. Vel certe aliter: Venundatur seruus, cum peccatori impœnitenti æternum comminatur sup

plicium, & declinare à malo, & facere bonū ei præcipitur. Venundatur quoq; vxor & filij, quando non solū animæ pro peccatis, sed etiam carni peccatrici pœna æterni cruciatus prædicitur. Quod cum audierit seruus frequēter post peccatum timore concutitur ad pœnitendum, qui pro amore dei noluit cauere peccatum. Vnde & subditur:

Procidēs autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Procidit autem seruus ante deum, cū peccator suam fragilitatem recognoscens, humiliter veniam postulat, dicens cum propheta: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum cōtra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaris. Rogat quoq; patientiam, vt dignam possit exhibere pœnitentiam, quatenus præsentis vitæ dies ad inducias pœnitendi accipiat: & secundum Apostolum, per patientiā dei ad pœnitentiā conuertatur. Quantum autem misericors deus erga peccatores conuersos existat, manifestatur cum subditur.

Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitū dimisit ei.

Ecce enī non solum patientiam, quam rogauerat, inuenit, sed etiam debiti absolutionē accepit. Quia diuina clementia semper maiora consueuit præstare, quam humana fragilitas sciat rogare. Nemo ergo de magnitudine vel multitudine peccatorum diffidere debet, ac de ipsa desperare, cum ille qui decem millia talēta debebat, & patientiā rogaret vt redderet oīa à dño impetrauit. Amat enim deus peccatores post conuersionem, si dignam faciant satisfactionem. Quia sicut ipse dicit p prophetam, nō vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et iterum: Peccator quocunq; die cōuersus fuerit, &c. Et sicut pius redemptor in euangelio ait: Quia non veni vocare iustos, sed peccatores. Et gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiā agente, quàm supra nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Vnum autem summopere necessarium est pœnitētibus, vt sicut sibi sua à deo dimitti volunt peccata, ita fratribus in se peccantibus clementer ignoscant. Sunt enim nonnulli qui cum deum erga se benignum esse desiderant, fratribus duri, asperi & amari existunt. Quorum similitudinem videtur iste tenere, de quo subditur:

Et egressus seruus ille, inuenit unū de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

Egreditur seruus, quando liber abire permittitur. Suffocationem supradictam tribulationes & angustias, quas ei ingerebat, intelligere possumus. Spiritaliter, vnusquisq; nrm exiens, inuenit vnum de conseruis suis debētem sibi centum denarios, quando reminiscitur se ab alio esse læsum.

Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Iisdem ergo verbis quibus dominum supplicauerat à conseruo rogatus est, sed non talem misericordiam conseruo exhibuit, qualē à domino acceperat. Vnde & subditur:

Ille autem noluit, sed abiit & misit eū in carcerem, donec redderet debitū.

Mali autem retributio, carceris conclusione, vel suffocatione designatur. Igitur carcer in hoc loco afflictio, qua eum coartabat, intelligitur. Debitum in scripturis peccatū vocari, ex eo intelligimus, quod quotidie in oratione poscimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra. Vnde in lege præcipitur: Debitū debet tibi quispiam frater tuus, si abstuleris pignus ab eo, añ solis occasum pignus restitue. (Exod. 22) Omnis enim homo debitor est & debitorē habet. Quis enī est, qui nō sit debitor dei cum nullus sit sine peccato? Et quis est, qui debitorem non habeat fratrem suum, nisi ille, in quem nullus peccauit? Quantum autem inter decem millia talenta, & centum denarios distat, tanto maiora sunt quæ in deum cōmittimus, quàm ea quæ fratres in nobis peccāt. Ea ergo benignitate fratribus in nobis peccantibus minora dimittere debemus, qua maiora nobis à deo dimitti optamus. Quod melius agnoscimus si superiorē domini admonitionem, ex qua hæc similitudo orta est, cōsideremus. Cum enim superius præciperet, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, & cætera quæ sequuntur, interrogauit eum Petrus, dicens: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittā ei? Vsq; septies? Ait illi Iesus: Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. Ex qua interrogatione & responsione hoc discimus, quia si toties peccauerit in nobis frater noster, quoties hūana fragilitas in die peccare non sinit, semper parati esse debemus ad ignoscendum. Sed dicet aliquis, peccauit in me frater meus, dimisi ei vsq; septuagies septies, nunquid amplius dimittere debeo, q̄ à Chro præceptū est? Cui respondere debemus, qa etsi septuagies octies, etsi cēties, & quoties omino peccauerit,

ſemper dimittendum ē. Quia ſicut à domino non ex parte, ſed ex integro volumus dimitti peccata: ſic ex toto corde fratrib' in nobis peccantibus dimittere debemus, monēte Paulo apoſtolo: Donate vobis omnia inuicem, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & in Chriſto donauit nobis. Numerus em̄ iſte non pro quantitate, ſed pro myſterio poſitus eſt. Huius numeri ſacramentum Lucas euangeliſta oſtendere curauit, cum humanæ generationis Chriſti ordinem deſcribens, ſeptuagintaſeptem generationes enumerauit. Cum enim Matthæus ab Abraam incipiens vſq; ad Chriſtum deſcendendo, quadraginta duas generationes enumeraſſet, è contra Lucas à Chriſto aſcendēdo vſq; ad primum hominem Adam deſcribens ſeptuaginta ſeptem generationes enumerauit, vt intelligamus, ſeptuagies non ad quantitatē numeri, ſed ad peccatum pertinere. A Chriſto ergo vſq; Adam ſeptuaginta ſeptem generationes numerantur, quia illud peccatum quod primus homo de paradiſo perpetrauit, per ſeptuaginta ſeptem generationes vſq; ad Chriſtum, qui ſine peccato venit, viguit. Vnde bene idem Lucas à baptiſmate Chriſti numerare cœpit, quia om̄ia peccata in baptiſmo abſoluuntur. Quod myſtice Lamech ſuis verbis oſtendit, q̄n vxoribus ſuis ait: Septuplū vltio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties. Nam quantum ad literam pertinet, ſeptuagies ſepties de Cain vltio data ē, quia vindictam, quam pro fratris morte promeruit, vſq; ad ḡnationem in ipſo pertulit. De Lamech vero ſeptuagies ſepties vltio data eſt, quia ſeptuaginta ſeptem animę de ſemore eius egreſſæ ſunt, quæ omnes diluuio perierūt. Spiritaliter vero de Lamech ſeptuagies ſepties vltio data eſt, quia peccatum quod primus homo peccauit, vt diximus, per ſeptuaginta ſeptem ḡnationes vſq; ad Chriſti aduentum viguit. Vnde bene idē Lamech percutiens, ſiue percuſſus interpretatur, quia primus homo peccati, & omnem ſuam ſtirpem eodem vulnere percuſſit. Hęc diximus, vt oſtenderemus ſeptuagies ſepties, non ad quantitatem numeri, ſed ad peccatum pertinere. Omnia ergo, quæ fratres in nobis peccare poſſunt, dimittere iuſſit, quando ſeptuagies ſepties fratribus in nobis peccantibus indulgere præcepit. Regulam ergo dimittendi in nobis ipſis diſcamus, vt ſicut deū poſt peccatum volumus inuenire propitiū, ſic in nobis peccantibus clementes & benigni ſimus, ipſo ſaluatore monente: Cum ſtabitis ad orādum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cęlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Nam qui diuini beneficij oblitus, ſuas vult vindicare iniurias, nō ſolum de futuris peccatis, veniam nō merebitur, ſed etiam præterita peccata, quæ ſibi dimiſſa credebat, ad vindictam ei replicabūtur. Vnde & ſubditur:

Videntes ergo conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt ualde, & uenerunt & narrauerunt omnia domino ſuo, quæ facta fuerant.

Conſerui, qui hæc videntes domino nunciant, angeli ſunt, qui opa noſtra die noctuq; factori noſtro annunciare creduntur, ſicut angelus ad Thobiam ait: Dū oraretis, ego obtuli orationes veſtras ante deum. Qui pro eo conſerui dicūtur, quia noſtris humilitatibus miniſtrant, ſicut Apoſtolus ait: Sunt adminiſtratorū ſpiritus, in miniſterium miſſi, ꝓpter eos, qui hæreditatem cupiunt ſalutis. Contriſtati autem dicuntur, quia ſicut gaudent ſuper bene agentes, ſic dolere dicuntur ſuper male agentes. Siue aliter, conſerui qui hęc domino nunciant, doctores & magiſtri eccleſiæ intelliguntur, qui vidētes minores à maioribus opprimi vel affligi, compatiuntur ei: & dum eis condolent, quaſi per affectum mentis om̄ia hæc domino nunciant.

Tunc uocauit illum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?

Ecce qualem pœnam merebitur, quia ſuas vult vindicare iniurias. Ait em̄. Serue nequam, &cęt. Acſi diceret: Serue male, ingrate ſerue, cum ad vnam petitionem omne debitum tibi dimiſerim, quare non conſideraſti, quia oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?

Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuerſum debitum.

Quæritur, quomodo dominus iratus dicatur, cum in natura dei nulla ira, nulla mutabilitas cadat, teſte Pſalmiſta, q̄ ait: Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcit̃ ꝑ ſingulos dies? Ad q̄d dicēdum, quia multis in locis ſcriptura ſacra more noſtro loquit̃, vt occulta dei iudicia per viſibiles res intelligantur. Sicut em̄ terrenus rex irat' dr̃, q̄n in ſubiectis vindictā exercet, ſic deus omnipotens illis iratus videt̃, quos iuſto iudicio propter peccata damnat & punit, cæterum in ſua natura ſemper immutabilis ſemperq; tranquillus permanet, cui per quendam ſapientem dicitur: Tu aūt dn̄e ſabaoth cum tranquillitate iudicas, & cū magna reuerētia diſponis nos. Sapi. 12. Tortores, quibus ingratus ſeruus tradit̃, im-

mūdi sunt spūs, de quibus scriptū est: Immissiōes p angelos malos: qui grauiter à nobis exigunt, quod blande & leniter persuaserit. Ipsos em̄ pctōr tortores habet ī pœna, quos habuit suasores ad culpam. Qđ aūt dicitur:

Quoadusque redderet uniuersum debitum.

Finitum aduerbiū pro infinito tpe posuit, qm̄ reprobi ęterno supplicio dānati, sic quotidie debitum peccati in pœna exoluent, vt tamē pœnaɋ cruciatus nunq̄ eis deficiat, domino alibi dicente. Amen dico vobis, Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrātem. Non ergo ita est accipiendū, quod post vniuersale iudiciū vindicta peccatorum peracta, reprobi veniam consequi possint, licet Origenistæ testentur, quorum sententia nō est sequenda, quia postquam semel damnati fuerint, veniam non cōsequentur. Exponēs dominus quod in similitudinem pręmiserat adiunxit dicens:

Sic pater meus cœlestis faciet nobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris.

In quibus verbis ostenditur, quia (sicut superius diximus) qui fratribus in se peccantibus dimittere nō vult, etiam illa peccata, quę sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Et quia deus inspector est cordis, signāter dicitur, ⌊de cordibus vestris.⌋ Sunt enim nonnulli, qui cum ab alijs læsi fuerint, ore dimittere videntur, sed corde iniurias reseruant, quod ideo faciunt, quia ab aliqs cogūtur vt dimittant: aut certe defendere non se prævalent ab his à quibus læsi sunt, vel certe tempus vindicandi aptum expectant, de q̄bus per prophetā dr: Ore pacē cū amico suo
Iere. 9. loquitur, & occulte ponit ei insidias. Sed isti tales, qualem vindictam percipiant, Psalmista declarat, dicens: Qui loquuntur pacem cū proximo suo, mala autem in cordibus eorū. Et itē: Da illis secundum opera eorū, & secundum opera manuum eorum tribue illis. Quorum patientia non præmii accipiet virtutis, quia velamentum est furoris. Nihil ergo prodest ore dimittere, qui vult iracundiā corde seruare. Propter hoc, cum dixisset dominus: ⌊Sic pater vester cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo⌋ adiunxit: ⌊de cordibus vestris.⌋

DOMINICA XXIIII. POST Pentecosten. Matt. XXII.

In illo tempore: Abeuntes pharisæi consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone. Et reliqua.



Ab eo tēpore quo totius mūdi monarchia sub vnius hominis principatu redacta ē, propter pacem & concordiam seruandā in populis, statutū est, vt vnusquisq; censum capitis sui redderet. Cuius rei testis ē Lucas euangelista, qui tempore quo dn̄s & saluator noster natus est, hanc legem in populū Iudæorum allatam descripsit, dicēs: Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Super hanc rem aūt Cæsar Augustus Herodem Antipatri filium Iudæis pfecit, vt & tributa exigeret, & Romano pareret imperio. Ergo prædicante dn̄o & saluatore nostro, continuo magna inter Iudæos nata quæstio fuerat, propter redditionem census, alijs dicentibus pro securitate & quiete, quia Romani principes pro eis militarēt, debere tributa solui, ē contra scribis & pharisæis dicentibus, non debere populū dei humanis legibus esse subiectum, maxime cum decimas & primitias & spōtaneas oblatiōes deo offerret. Et quia scribæ & pharisæi (vt sępe diximus) ad hoc dn̄m sequebantur, vt eum vel in opere, vel in sermone reprehendere possent, sub hac occasione consilium ineuntes.

Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces, & nō est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uidetur: Licet cēsum dare Cæsari, an nō?

Quod ideo interrogabāt, vt dn̄ vnū ex eis quodlibet affirmaret, aut illoɋ aut istoɋ odiū incurreret. Vt s. si diceret ⌊licet⌋ reprehēderetur ab alijs, qui censum dare nolebāt, vel videretur esse contrarius legi dei. Si vero diceret ⌊non licet⌋ q̄si qui rebellionē contra Cæsarē mouere cogitaret, à ministris Herodis cōprehensus teneret, Herodianos aūt vel ministros Herodis vocat, qui publice vectigalia exigebāt, vel certe illos q̄s scribæ & pharisæi, quia spōte Herodi tributa soluerēt, illudētes Herodianos vocabāt. Et q̄a (vt dn̄s ait) scribæ & pharisæi similes erāt sepulchris dealbatis, blādā & fraudulentā interrogationē præmittebāt, ei dicentes: ⌊Magister, scimus q̄a verax es & viā dei in veritate doces, & nō est tibi cura de aliquo. Nō em̄ respicis psonā hoīm.⌋ Propriū est em̄ illoɋ, qui alios fraude decipere conant, vt prius mentē audiētis adulationibus demulceant, vt blandimentis prouocatus, non quod verum est respondeat, sed quod illi, qui interrogat, placere probaueris. Quod vero illi fraudulenter de dn̄o

dicebant, nos firmi & immobili fide credere debemus, illum s. verum ac singularem esse magistrum, à quo procedit omnis sapientia, & cum quo fuit semper & est ante ęuum, qui ait in euangelio: Vos vocatis me, magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Et iterum: Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Ipse autem verax est, quia (vt ait scriptura) omnis homo mendax, quia ait in Euangelio: Ego sum via veritas & vita. Viam quoque dei in veritate docuit, quia nec fefellit aliquem, nec falli ab aliquo potuit, quoniam seruantibus quæ præcepit, veraciter dabit quod promisit. Non enim respicit personam hominum, quia nec propter paupertatē aliquem abijcit, nec propter diuitias aliquē eligit, sed quem in suo seruitio viderit deuotiorem, ipsum efficit sanctiorem. De quo verissime Petrus apostolus dicit: In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor deus, sed in omni gente, qui operatur iustitiam, acceptus est illi. Cæsarem autem, nō Augustum, sed Tiberium successorem eius, sub quo passus est dominus, intelligere debemus. Omnes enim imperatores Romanorū Cæsares appellabantur, à primo Caio Cæsare, qui ob duas causas Cæsar est nūcupatus, vel quia cæso ventre matris exijt, vel quia cū cæsarie capitis. i. cum capillis est natus.

Cognita autem Iesus nequitia eorum dixit, Quid me tentatis hypocritę?

Sapientia semper sapienter agit. Et primū cogitationes tētatorum denudauit, vt sic saltem in eo cogerentur cognoscere diuinitatē. Quoniam proprium est deo cogitationes hominum intueri, scriptura teste, quæ ait: Quæ sunt in corde hominis, oculi tui vident domine. Et recte tentatores suos hypocritarū appellatione redarguit, quia aliud ore proferebant, & aliud in corde retinebant. Hypocrita enim grece, latine simulator dicitur. Quo nomine recte illi censentur, qui aliud seruant interius, & aliud ostentant exterius. Quales erāt isti, qui cum domino dicerent: Magister scimus quia verax es, eum capere cogitabant in sermone. Quibus adhuc dicitur:

Ostendite mihi nomisma census.

Nomisma est (vt Isidorus dicit) solidus aureus, vel argenteus, siue æreus. Dicitur enim nomisma, quia nominibus principum effigijsque signabatur.

At illi obtulerunt ei denarium.

Denarius genus erat nummi, qui pro decē nummis imputabatur, & habebat imaginem Cæsaris expressam nomenque superscriptum.

Et ait illis: Cuius ē imago hæc & superscriptio? Dicunt ei. Cæsaris:

Non ex ignorantia interrogatio saluatoris descēdit, maxime cum manifeste pateret, cuius esset expressa imago in nummo. Sed tētatores suos interrogauit, vt illis cuius esset imago respondentibus, rationabiliter & absque reprehensione, quæ dei deo, & quæ Cæsaris, Cæsari reddenda esse doceret. Vnde & subditur:

Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cęsaris, Cęsari: & quæ sunt dei, deo.

Ac si diceret. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. i. tributum, vectigal & censum. Et quæ sunt dei deo. i. decimas primitias & spontaneas oblationes. Vnde subtiliter considerandum, quia sicut Cæsar imaginis suæ cēsum à sibi subditis exigebat, sic deus omnipotens imaginis suę figuram à nobis exacturus est. In denario quippe imago regis exprimebatur, homo autem secundum interiorē hominem, ad imaginem & similitudinem dei factus est, ipso domino dicente: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostrā. Huius imaginis figuram in se expressam nouerat, qui dicebat: Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Quemadmodum ergo Cæsar denarium, in quo imago eius exprimebat, à subditis exquirebat, sic deus omnipotens inuiolatam in nobis suam imaginem vult inuenire in pijs actibus, & pijs moribus vel castis. Simulque etiam considerandum est quia nisi primus homo imaginem dei in se peccando violasset, nequaquā homo homini subiectus esset. Quia in initio cum fecisset deus hominem ad imaginem & similitudinē suam, non ait: Præsit homo hominibus, sed dominamini piscibus maris & volatilibus cæli & bestijs terræ. Postquam vero peccatum inter homines, iurgia, rixæ, & seminariū discordiæ crescere cœpit, ad comprimendam prauorum hominum insolentiam, proposuit deus hominibus hominem, vt quos amor dei non prouocabat ad bonum, saltem timor hominis coërceret à malis. Iam vero Christianorum temporibus diuina prouidentia ordinauit, vt esset in ecclesia dei nō solum pastor & pontifex, sed etiam in seculo princeps, vt iste ecclesiam dei verbis instruat, & ille armis defendat. Et quod iste non pōt corrigere verbo, ille feriat ferro. Et qui nolunt ecclesiasticam suscipere disciplinā, prohibeantur à malis per potestatē regiā. Et qui potestati dei non sunt subditi, mundanis legibus constringantur. Et ideo debem⁹ Christianis principibus esse subditi (nisi cōtra dei voluntatē nobis imperent) & obedientes, vt iuxta saluatoris pręceptum reddamus quæ sunt Cæsaris, Cęsari: & quæ sunt dei, deo. Vnde Apostolus admonet nos dicens: Oībus potestatibus sublimioribus subditi estote, quia non est potestas nisi à deo. Quæ autē sunt, à deo ordinata sunt.

Et qui potestati resistit, dei ordinationi resistit. Et itẽ. Reddite omnibus debitũ: cui tributũ, tributũ: cui vectigal, vectigal: & cui honorem, honorem: & cui timorẽ, timorẽ. Quę non solum dñs verbis, sed etiam exemplis faciendũ ostendit, qñ & deo reddidit, quæ sunt dei, patris faciens voluntatem: & Cæsari, quę sunt Cæsaris, qñ pro se & Petro tributũ reddere iussit, sicut scriptũ est in Euãgelio: Quia cum accessissent hi qui didrachma accipiebãt ad Petrum, dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Et ait: Etiam. Et cum cõtristatus Petrus intrasset domum, præuenit eũ Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? reges terrę à quibus accipiunt tributũ vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et illo respondẽte, ab alienis, ait: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum. Et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumẽs, da eis pro me & te. Cuius etiam exemplum secutus idem Petrus, discipulos suos per epistolã admonet, dicens: Deum timete, regem honorificate. Et itẽ: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deum: siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorũ, laudem vero bonorũ.

DOMINICA XXV. POST Pentecosten. Matthæi IX.

In illo tẽpore. Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorauit eum, dicens: Domine, filia mea. Et reliqua.



INter omnia miracula quæ dñs Iesus Christus per semetipsum ostendit in terris, tres tñ mortuos resuscitasse legitur. Resuscitauit filiã archisynagogi in domo iacentem, de qua nunc sermo agit: resuscitauit filium viduæ, extra portam ciuitatis ad sepeliẽdũ delatũ: resuscitauit nihilominus & Lazarum quatriduanũ mortuũ, iã fœtentẽ in monumento. Qui ergo omnes in se credentes venerat resuscitare in aĩa, non sine causa est, ꝙ tres tñ mortuos resuscitasse legitur in corpore. Trina nanq; mortuorũ resuscitatio varietatẽ significat peccãtiũ, atq; post pctm̃ digne pœnitentiũ. Moritur eñ aĩa per pctm̃, quia (sicut ait scriptura) anima quę peccauerit, ipsa morietur. Ipsum aũt peccatũ tribus modis in mente, tribus perpetratũ in corpore: in mente agitur, suggestione delectatione & consensu: in corpore aliquando occulte, aliqñ palam, aliqñ consuetudine. Qui vero occulte peccat, q̃si intra domum mortuus iacet: sed cum diuina gratia eius cor ad pœnitentiam agendam inflammat, quasi intra domum mortuus resuscitatur: tales significauit filia archisynagogi, quæ in puellari ætate resuscitata est. Qui aũt manifeste peccat, quasi extra portam ciuitatis ad sepeliendum mortuus expellitur: sed cum tales per diuinã gratiam & aliorum correptionem ad pœnitentiam compunguntur, quasi antequã ad sepulchrum perueniant, à domino resuscitantur: hos significauit adolescens filius viduæ, quẽ dominus extra portam ciuitatis resuscitauit. Sunt etiam aliqui, qui non solũ publice peccare non erubescunt, sed etiam ipsum peccatum in longam consuetudinem vertunt: quales significauit Lazarus quatriduanus mortuus, de quo bene scriptum ẽ: Quia iam fœtet, quia dum publice per consuetudinem peccare non erubescunt, pxĩs mentibus fœtorẽ malæ famæ ingerunt: sed nec de talibus desperãdum est, quia dominus etiam Lazarum quatriduanum mortuum fœtentẽ, solo iussu resuscitauit, de quo lachrymasse legit Iesus, & voce magna clamasse, veni foras, quia tales à doctoribus non solum exhortationibus, verumetiam orationibus sunt instruendi, & cũ magna instãtia prædicatiõis voce magna clamandi. Frequenter enim per diuinam gratiã compuncti ab ipsis peccatis resipiscunt, seq; ipsos assiduis fletibus & lõgioribus ieiunijs macerant, largiores eleemosynas tribuũt, & vbi abundauit pctm̃, supabundauit gratia, & sicut prompti fuerunt ad peccandum, sic prõptiores fiunt ad pœnitendum. Sed nunc quid princeps vel filia eius, pro qua rogaturus venerat, allegorice significent, videamus. Ait enim euangelista:

Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorauit eum, dicens: Filia mea defuncta modo est, & reliqua.

Allegorice princeps iste, Moysen significat. Vnde bene iuxta Lucam euangelistã Iairus est dictus, qui interpretatur illuminans, siue illuminatus: quoniam idem legislator Moyses dum verba vitæ alijs ministraturus à deo accepit, & ipse illuminatus est spiritali gratia, & alios sua doctrina illuminans. Filia eius synagogam significat, quam dum primus diuinis præceptis legalibus obseruationib⁹ erudiuit, quasi spiritali vtero genuit. Sed dño loquente ad turbas, principis filia defuncta est, quia tpe quo dominus in carne apparuit, synagoga à paterna religiõe & legis obseruatiõe defecerat. Vñ etenim tumultuantibus rebus pristinam amisit dignitatem? quia nec sacerdotalis honor proprium decorem

habebat, & templi reuerētia & hostiarum immolatio non solū nō spiritaliter, sed etiā nec historialiter obseruabanᵗ. Rogauit ergo princeps pro filia, quia frequenter Moyses pro synagogæ liberatione diuinam exorauit clementiam, queādmodum in multis locis scripturæ scriptum inuenis, præsertim in eo loco, vbi deum vsq; adeo pro populo Israelitico deprecabaᵗ, vt etiā ex libro vitæ deleri cuperet, modo posset dei iram deprecari. Et quia intellexit, eam nō aliter à morte animæ posse liberari, nisi per incarnationem vnigeniti filij dei, recte eiusdem principis voce dicitur:

Veni, impone manum tuam super eam, & uiuet.

Manus enim domini in scripturis, aliquādo incarnationem significat filij, sicut p prophetam dicitur: Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo? Et iterum: Emitte manū tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis. Vt ergo super defunctam filiam manum imponeret, rogare fuit, quatenus p incarnationis domini mysterium mundo visibiliter appareret. Quasi enim spiritaliter Moyses manum super filiā defunctam imponere rogauit, quando incarnationis domini mysterium Iudæis prædicabat, dicens: Prophetam vobis suscitabit deus de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Et quia adueniente plenitudine temporis, nō solum de synagoga carnē assumere, sed etiam deum inter homines visibiliter se dignatus ē demonstrare, recte subiungitur: Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxū patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriā uestimēti ei⁹.

Sicut archisynagogi filia synagogam significat, sic mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis, significat ecclesiam ex gentibus. Fluxus enim sanguinis, immunditiam significat peccatorum, sicut per prophetam dicitur: Furtum, homicidium & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. A quo fluxu sanguinis se liberari optabat ille, qui dicebat: Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ. Non autem prætermittendum videtur, quod hæc mulier duodecim annis fluxū sanguinis patiebatur, vt enim alij euangelistæ commemorant, puella hæc archisynagogi filia, duodecim annos habebat ætatis, considerata ergo vtraq; lectione, cognoscimus, quia quando puella nata est, tunc mulier cœpit infirmari. Qm̄ & illa duodecim annos habebat ætatis, & ista duodecim infirmitatis. Iuxta vero spiritalem intelligentiam, qn̄ synagoga nata est, ecclesia ex gētibus cœpit infirmari: quia facile cognoscuntur vitia in comparatione virtutum. Gentilis ergo populus ex eo vilior esse cœpit, ex quo populus Iudæorū electus est. Si em̄ (vt diximus) puella duodecimo anno ætatis defuncta est, tpe pubertatis appropinquante vitā finiuit: quia tpe liberationis vel redēptionis instante, Iudæa suum non cognouit liberatorē, magisq; mortē elegit q̄ vitam. Iuxta hunc sensum, nō vacat à mysterio, quod archisynagogus filiā suam octauo loco miraculorū à dn̄o resuscitari rogauit. Recensita igitur euangelica lectione, inuenitur primū miraculum dominus in Galilæa fecisse, scilicet de aqua vinum: secundum descendens de monte, leprosum curasse; tertium, puerum centurionis à paralysi sanasse: quartum socrum Petri febricitantem liberasse: quintum, mare turbatum sedasse: sextum, in regione Gerasenorum à legione dęmonum hominem curasse: septimum, in ciuitate sua Capharnaum paralyticum sanasse: octauo loco subintrat archisynagogus, pro filia rogaturus, nolens à mysterio circumcisionis excludi. Subintrat etiam & mulier, à fluxu sanguinis curata. Retro autē accessit, quia non domino manente in carne, sed post eius ascensionē credidit ecclesia ex gentibus. Vel certe accessit retro, quia non solum incarnationis eius mysteriū cognouit, sed etiam vestigia passiōis illius imitaᵗ. Retro enim post dominum accedere, est eius vestigia imitari, sicut ipse dicit in euangelio: Si quis vult venire post me, &c̄. Et iterum: Qui mihi ministrat, me sequatur. Vnde in lege præcipitur: Post dominum deum tuum ambulabis. Hinc Petrus ecclesiam, quæ ad dominum accessit, admonet dicens. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et Iohannes: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Accessit ergo ecclesia corde, non corpore, iuxta illud propheticum: Accedite ad eum & illuminamini. Fimbriam autē vestimenti tangere, est incarnationis eius mysterium agnoscere, & secundum illud spiritaliter viuere. Quia enim deus in diuinitate tangi non potest, quasi fimbriam vestimenti tangendum esse exhibuit, quando se in humanitate visibilem demonstrauit.

Dicebat enim intra se: Si tetigero tātum uestimentum eius, salua ero.

Pulchre hæc mulier intra se dicebat, quia omnis ecclesiæ fides vel operatio, magis in corde est quàm in corpore. Vt enim clarior in conspectu dei appareat, sua bona opera frequenter ab humanis conspectibus abscōdit. De qua per prophetam dicitur: Omnis gloria eius ab intus. In tactu enim vestimēti salutē esse credidit, quia per incarnationis my

sterium genus humanum saluari posse nō dubitauit.

At Iesus conuersus, & uidens eam, dixit: Confide filia.

Conuersio domini ad mulierem, respectū miserationis eius significat ad ecclesiā. Quasi enim terga, & nō faciem domini videbat, qñ post idola manuum suarum currens, creatorem suum deum ignorabat. Et postquam fide cum tangere cœpit, faciem ei ostendit, qñ per suam gratiam mentem ecclesiæ ad se videndum illuminauit. Quod quia per fidē accipere meruit, recte dicitur:

Confide filia, fides tua te saluā fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

Nam si quis solam literam attendat, non paruam fidem mulierē istam habuisse cognoscit. Cuius perfectionem fidei Lucas euangelista manifestius declarat, dicens eam omnem substātiam suam in medicos erogasse, nec ab vllo poterat curari. Sed cum vidisset dominū in turba ambulantem, solo tactu testamenti eius posse fieri credebat, quod multis medicis impossibile fieri comprobauerat. Vnde & accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & cōfestim stetit fluxus sanguinis eius. Cuius virtutem fidei, vt dominus comprobaret, ait: Quis est qui me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & q cū illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligūt, & tu dicis, quis me tetigit? Et dixit: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem de me exisse. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes illius, & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit illi: Filia, fides tua te saluā fecit. Recte ergo filiam vocauit, quæ tam perfectam habuit fidem. Spiritualiter autem (vt diximus) significat ecclesiam, q filia est dei per adoptionem, quia sicut ait euangelista: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Cui per

Psal. 67. Prophetam dicitur: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam. Quæ recte per fidem saluat, quia sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit, & sine fide impossibile est placere deo. Vnde dominus mulieri Chananææ ait: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Notandum autem quia cum dominus ad filiam archisynagogi resuscitandam pergeret, mulier in itinere sanata est: quia cum dominus ad synagogam docendam veniret, ecclesia ex gentibus credēdo anticipauit salutem, iuxta illud propheticum: Aethiopia præueniet manus eius deo. Aethiopia enim quæ nigrum gignit populum, ecclesiam significat ex gētibus nigredine peccatorum coopertam. Aethiopia ergo manus eius præueniet, quando ecclesia ex gentibus, ante synagogam credidit. Oportet autem considerare quia mulier nec in domo, nec in vrbe, quoniam ab vrbe longe excludebatur, sed in via ei occurrit: quia gentilis populus nullam cognitionem dei, nec legis notitiam habebat, & ideo quasi nudus & discoopertus domino occurrebat. Sicq; cum dominus ad puellam tendebat, mulier in via sanata est: quia dum Iudæorum populo prædicabat, fidem gentium approbabat, sicut ipse alibi de centurione ait: Amen dico vobis nō inueni tantam fidem in Israel. Vnde & apostoli Iudæis dixerunt: Vobis quidem oportuerat primum loqui verbum dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Manifeste etiam maior fides mulieris comprobatur, quàm archisynagogi: quoniam cum archisynagogus dominum ad domum suā venire rogasset, & in itinere eundo vel redeundo eum laborare fecisset, mulier perfecte credens, nihil eum laborare fecit, sed tātum simbriam vestimenti tetigit. Sed postquam dominus mulierem in itinere curauit, filiam archisynagogi in domo resuscitauit: quia circa finem seculi synagoga creditura est, iuxta illud Apostoli: Cum plenitudo gentium subintrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. Et iterum: Non prius quod spirituale est, sed quod carnale, deinde quod spirituale, id est, nō prius synagoga credidit, quæ spiritualis fuit, sed gentilis populus, quæ erat animalis, deinde synagoga quæ fuit spiritualis.

DOMINICA VIGESIMA sexta post pentecosten. Iohannis VI.

In illo tēpore: Cum subleuasset oculos Iesus, & uidisset maximam multitudinem uenientē ad se, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes. Et reliqua.



Voties legimus dominum ex paucis panibus multas turbas hominum pauisse, non tantum est mirandum, quantum venerandum. Non est enim mirum, quia potuit: sed potius venerandum, quia facere voluit. Qui enim ex nihilo cuncta creauit, non est mirum, si ex paucis panibus multas turbas pauit. Sed illud considerandū est, quod dominus refecturus turbas, prius subleuatis oculis in cælū respexisse dicitur. Oculi enim domini in scripturis, duplicem habēt significationem &c.

Vide dñicam Lætare in Quadragesima.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ. Lucæ V.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Non est arbor bona quæ facit fructum malum. Et reliqua.



Ominus Iesus Christus ædificator & conseruator suæ ecclesiæ, quales ad ædificationem arbores quęrat, in exordio huius lectionis declarat, dicēs: ⌊Nō est enī arbor bona, quæ facit fructū malū:⌋

Neq; arbor mala, faciens fructum bonum.

Arbores spiritaliter in scripturis homines significant, sicut ille cæcus, qui à domino illuminat⁹ fuerat, dicebat: Video homines quasi arbores. Et Daniel in visione Nabuchodonosor regis, arborem magnam ipsum regem interpretatus est. Fructus autem arboris, opera sunt hominis vel bona, vel mala, sicut dñs ait in euangelio: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborē malam, & fructum eius malum. Sed quæritur, q̄re ipse dominus dicat, ⌊Non est arbor bona quæ facit fructum malum, neq; arbor mala, faciens fructū bonū,⌋ cum legimus Petrum apostolum, arborem vtique bonam, malum fructum fecisse, quando deum negauit & magistrum: & è contra, Iudam arborem malam fuisse nemo dubitat, & tamen fructum bonū fecit, quando cum cæteris discipulis dominū secutus est? Ad quod respondendū, quia tandiu bona arbor .i. bonus homo bonos fructus facit, quādiu in bona intentione perseuerat: & mala arbor tandiu malos fructus facit, quandiu mala intentio perdurat. Sicut enim ex radice arboris procedit frùctus, ita ex radice intentionis, fructus operationis, & ideo necesse est, vt qualis fuerit intentio, talem proferat fructum, domino dicente: Qualis fuerit intentio tua, tale erit & opus tuum. Cæterum & is qui videtur esse bonus, si à bona intentione cessauerit, malos fructus facere potest: & is qui putatur malus, si per pœnitētiam præterita mala correxerit, bonos fructus facere potest. Iuxta quem sensum & Dauid, arborē vtiq; bonam, malum fructū fecisse legimus, quando homicidium pariter & adulteriū perpetrauit: econtra Nabuchodonosor, cum esset arbor mala, fructum bonum fecit, quando deum Danielis in vniuerso regno suo adorari iussit. Similiter & Iethro cum prius mala esset arbor, bonum fructum fecit, quādo Moysi vtile consilium dedit. Paulus quoque cum bona esset arbor, malos fructus fecit, quando ecclesiam dei est psecutus. Et quia ea, quæ occulta sunt hominibus, deo placent, quomodo homines inter bonas & malas arbores discernere valeant, dominus manifestat, cum adiungit:

Vnaquæq; enim arbor ex fructu cognoscitur.

Sicut enim visibiles arbores ex fructu discernimus, cuius generis vel saporis sunt, ita spiritales arbores (id est, homines) ex operib⁹ discernere possumus, cuius intentionis sint. Nam si q̄les mala arbor proferat fructus, vel ex quibus cognosci possit, Paulus apostolus denunciat cum ait: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, auaritia, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones & æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietates, comesationes, quæ prædico vobis sicut prædixi, q qui talia agunt, regnum dei non consequentur. At vero quales bona arbor proferat fructus, idem ipse ostendit cum adiungit: Fructus enī spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, aduersus huiusmodi non est lex. Hos fructus gratulabatur se protulisse Propheta, cum dicebat: Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei, speraui in misericordia dei in æternum & in seculum seculi. Qualem arborē etiam alibi descripsit, dicens: Beatus vir qui non abiit in cōsilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. Adijciens: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet. Et iterum: Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. At vero mala arbor qualem finē habeat, dominus in euangelio ostendit, cum dicit: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, qualem arborē describit Ieremias propheta, cum dicit: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum. De qua adhuc subditur:

Non enim de spinis colligunt ficus, neq; de rubo uindemiant uuam.

Spina & rubus, arbores sunt plenæ aculeis, ita vt vix aut nullo mō absq; læsione tractari possint: quibus contrariæ sunt viris & ficus, quæ & gustū dulcis saporis, & fragrantiā habent suauis odoris. Ergo per spinā & rubū vitia & peccata significant, de quibus primo hoī dictum est, Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi. Sunt enim nonnulli, in quibus ita aculei peccatorum abundant, vt eorū societas absq; læsione haberi non possit, qm̄ cū male in seipsis viuāt, proximis amari, aspeři & insuaues existūt, vel male viuendo, vel iniu

rias irrogando. Sunt vero alij, qui velut vitis, dulcem cælestis patriæ memoriã in suis operibus ostendentes, & fragrantiam bonæ opinionis reddentes, ad amorem cælestem alios pertrahunt, non solum in terrenis substantijs necessitatem indigentium sustentãdo, sed etiam in spiritualibus eruditionibus verbum vitæ suauiter ministrando. Sed quia illi, in quibus compunctiones facinorum abundant, habere nõ possunt, domini voce declaratur, cũ dicitur, Non enim de spinis colligunt ficus, neq; de rubo vindemiant vuam. Possumus per spinam & rubum, hæreticorum prauam doctrinam accipere, quæ animas audientium cruentat & laniat. Hi autem intantum fugiendi sunt, vt (inquantum fieri potest) nulla participatio, nec collocutio cum eis habeatur: qa (sicut ait scriptura) qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Vnde nos Apostolus admonet, dicens: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens qa peruersus est huiusmodi. Sed quamuis spina botrum non gignat, solet tamen vitem cum botro sustinere. Cernimus enim aliquoties in vineis caricem ex spinis vitem cum botro sustinere. Et cum ex alta radice botrus procedat, frequenter tamẽ spina vitem cum botro sustẽtat. Quid ergo faciendũ? Nunquid propter spinam relinquenda est vua? Non. Sed (sicut ait quidam de sapientibus) sic colligendus est botrus, vt tamen caueatur spina. Iuxta ergo hanc similitudinem, quia in suis assertionibus quædam bona & vtilia docẽt, ab ecclesiasticis viris prius discernendi sunt, & postmodum bona carpenda, & mala fugienda. Quod in scripturis veteris testamenti

Exo.12. figurate ostendit, quando egredientibus filijs Israel ex Aegypto, præcepit eis vt mutarent à vicinis suis vasa aurea & argentea non pauca, & expoliarent Aegyptum. Per aurum enim nitor eloquij designatur, Salomone dicente:

Prou.21 Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Per argẽtum, quod sonat & lucet, subtilitas prædicatiõis exprimitur, Psalmista teste: Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Quasi enim vasa aurea & argentea ab Aegyptijs mutuamus, quãdo ab hæreticis vel paganis sententias vtiles nostræ fidei necessarias discimus: quod illi facere debent, qui in fide catholica ita radicati sunt, vt subtilitas hæreticæ prauitatis nullo modo eis nocere possit. Vnde dominus alibi in lege

Deu.21. figurate præcepit, dicens: Cum egressus fueris

Iudi.5. ad pugnam contra hostes tuos, & tradiderit eos dominus deus tuus in manus tuas, captiuos'q; eos duxeris, si videris in numero fœminarum puellam, quæ oculis tuis placeat, volueris'q; eam habere vxorem, introduces eã in domum tuam, ita tamen, vt prius radas cæsariem capitis eius, & præcidas summitates vnguium, maneatq; in domo tua lugens patrem suum & matrem vno mense. Postea vero ingredieris ad eam, & erit tibi vxor. Quasi enim spiritaliter ad bellum contra hostes nostros pergimus, quando cum hæreticis de fide & religione Christiana conflictum habemus, cumq; diuina autoritate à nobis superati fuerint, si viderimus in eorum disputationibus sententias nostræ fidei vtiles & necessarias, debemus eas accipere nobis in vxorem, quia vxor viri sapiẽtia vocatur, ita tamen, vt prius radamus cæsariem capitis eius, & præcidamus summitates vnguium, id est, quicqd hæreticum, quicquid distortum & prauum in eorum doctrina inuenitur, abijciamus & respuamus. Sed & si aliq ex hæreticis ad catholicã fidem cõuerti voluerint, recipiendi sunt, ita tamen, vt pristinum errorem anathematizent. Exponens autem dominus quid dixerit in eo quod ait:

Non enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo uindemiant uuam, adiunxit dicens: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus de malo profert malum.

Thesaurus dicitur locus vbi ponitur aurum, qua θέσις græce latine positio dicitur. Thesaurus ergo in hoc loco intentionem significat cordis, iuxta illud quod alibi ait: Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Bonus ergo homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, quia de bono desiderio cordis procedit loquela boni sermonis: similiter & malus homo de malo thesauro profert malum, quia ex mala intentione cordis, procedit fructus prauæ operatiõis, iuxta illud quod dominus ait: Ex corde enim exeũt cogitationes malæ, adulteria, ebrietates, homicidia, furta, blasphemiæ & his similia. Vnde adhuc subiungit, dicens:

Ex abundantia cordis os loquitur.

Vbi forte quærit aliquis, quare dicat, Ex abũdantia cordis os loquitur, cum sæpe homines, & maxime illi qui hypocritæ appellãtur, alia pro alijs mentientes, & fallant alios, & fallant ab alijs. Sed facilis ad hæc patet rñsio, qa si hoĩbus hæc occulta sunt, deo tñ manifesta sunt, qui clarius videt ea q̃ sunt in corde, q̃ tu videre possis q̃ sunt in facie, dicẽte scriptura: Quæ sunt in corde hominis, oculi tui vident domine. Illi ergo soli ex abundantia cordis os loquitur, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, & ante videt intentionẽ, quàm lingua proferat sermonem. Sed non semper latere possunt homines hypocritæ, quoniam quæ in corde ardenter diligunt, frequẽter in sermone proferũt. Qui enim toto corde de-

um sciunt, etiam sermonibus suum desiderium ostendunt, iuxta illud sapientis:

Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor.

Sed quia sunt nonnulli (vt diximus) qui vt homines fallere possunt, iudicium dei nō metuunt, recte increpatio subinfertur, cum dicitur:

Quid autem uocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico?

Dicere enim domine dn̄e, ad fructum bonæ arboris ptinere videtur, & ad boni thesaurum cordis, sed non facere quæ iubet, magis ad contumaciam pertinet, q̄ ad obedientiam, quoniā sicut Apostolus ait de falsis fidei professoribus, Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Quales dominus per prophetam reprobat, dicens: Populus autem hic labijs me honorat, cor autem illorū longe est à me. Et alibi in euāgelio: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum. Vnde fatuis virginibus ad ianuam sponsi clamitantibus: Domine domine aperi nobis, dicturum se esse testatur: Amen dico vobis, nescio vos. Suos enim confessores, p̄ceptorum suorum vult esse operatores. Vnde adhuc similitudinem adiungit, dicens:

Omnis qui uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis cui similis est.

Et pulchre postquam dixit, ⌊& audit sermones meos,⌋ adiunxit ⌊& facit eos:⌋ qa vt ait Apostolus. Non auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores iustificabūtur Et ipse in euangelio saluator cum dixisset, Beati qui audiunt verbum dei, adiunxit, & custodiunt illud. Vnde alibi dominus discipulos suos beatificat, dicens: Scitis hæc? beati eritis, si feceritis ea. Hinc & Iohannes in Apocalypsi sua cum dixisset, Beatus qui audit & legit verba libri huius, continuo adiunxit: & seruat ea q̄ in ea scripta sunt. Illos enim specialiter dominus suos recognoscit, qui cum recta fide bona opera adiungunt. Vnde Psalmista, cum in laude sanctorum diceret, Inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos, adiunxit: Custodiebant testimonia eius & præceptum quod dedit illis. Et alibi: Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiā in omni tempore. Qui ergo talis est, merito ipsius domini imitator efficitur, sicut subiungitur:

Similis est homini ædificanti domū, qui fodit in altum, & posuit fundamenta supra petram.

Homo iste per similitudinem dominus Iesus Christus est: quia ædificat domum, videlicet sanctam ecclesiam, nō ex lapidibus & lignis visibilibus, sed ex preciosis & imputribilibus animabus sanctorum. De qua per prophetam dicitur, Domum tuam decet sanctitudo domine in longitudine dierum. Qui fodit in altum, quia terrenam cupiditatem radicitus à cordibus fidelium suorum abcidit. Posuit autem fundamentum supra petram, quia fidem ecclesiæ super seipsum cōstituit vel stabiliuit, sicut Petro, cui à firmitate petræ nomen impositum est, dicit: Super hāc petram ædificabo ecclesiam meam. Petra enim Christum significat, sicut ait Apostolus, Petra autem erat Christus. Quod vero subiungit,

Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit ea moueri.

Manifeste patet, quia sæpe persecutionibus concussa est ecclesia, non tamen à fide cōmota, aliquando paganorum infestationibus, aliquando falsorum fratrum peruersis dogmatibus, aliquando impulsione dæmonum, vel propriæ fragilitatis, sed contra hæc omnia firma stat ecclesia, quia non in se cōfidit, sed in Christo, dicens cum propheta: In petra exaltasti me, deduxisti me, qa factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Et iterum: Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Vnde & subditur:

Fundata enim erat supra petram, id est, supra Christum. De quo ait Apostolus, Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus. Sicut enim in ædificationibus nihil fundamento prius ponitur, sic quicunq; amorem dei omnibus rebus præponit, & si pulsari potest, tamen cadere nescit: quia superiecta titubare nesciunt, quando fixa stant ea quę cōtinent. Vnde alibi de ecclesia dicitur: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Math. 16.

HOMILIAE ALIQVOT DE SANCTIS, TVM PROPRIAE SINGVLIS, TVM COMMVNES OMNIBVS:

IN DIE CELEBRI SANcti Andreæ apostoli. Mat. IIII.

In illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem, qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Et reliqua.



IN omnibus operibus suis, quæ dominus Iesus Christus nobis ad imitãdum ostendit, hoc declarare dignatus est, quia si virtutes animæ volumus accipere, prius tentationum stimulos debemus superare. Denique prædicaturus mundo euangelium prius à Iohanne baptizatus, secessit in desertum, ibiq; quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunans, trinam tentationē diaboli superauit: ac inde egressus, ambulans iuxta mare Galilææ, vt præsens lectio narrat, discipulos elegit: nos nimirum in hoc facto instruens, quia si volumus bonum accipere, prius à malo debem⁹ declinare. Est ēm ordo recte viuendi, vt prius vitia superet, qui virtutes vult accipere: quia superato diabolo dominus discipulos eligere voluit, vt ostenderet nobis tunc virtutum culmen posse ascēdere, quando tentationes diaboli fortiter superauerimus, quoniam sicut ait Apostolus, Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio aūt spem, spes vero nō confundit. Quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spm̄ sanctum, qui datus est nobis. Sed de vocatione apostolorum locuturi, primū de situ loci, in quo hæc facta fuisse memorant, aliqua cōmemoranda sunt. Hoc enim mare, quod nunc Galilææ dr̄, propter varietates adiacentium locoꝝ, varijs cēsetur nominibus. Dicitur eñ mare Galilææ, propter adiacentem prouinciam Galilæam. Dicitur & mare Tiberiadis, à Tiberiade ciuitate. Dr̄ & stagnum Genezareth, eo q̄d flantibus ventis, crispantibus vndis, aurā ex se generare videat. Dicitur & lacus Genezareth, propter eādem ciuitatē sibi adiacentē. Et à quibusdam mare asphaltū, propter inopportunitatem portus vocatur. Extenditur aūt in longitudine CXL. stadia, in latitudine XL. Nec propterea mare dicitur, eo q̄ amaræ sint aquæ eius (sunt eñ dulces ad potandum, habilesq; ad piscandū) sed idioma linguæ Hebrææ est, omnes congregationes aquarum vocare mare, sicut in Genesi scriptum est: Congregationes aquarū appellauit maria. Sed vt hæc spiritaliter consideremus, non ab re putandum est, quod euangelista dñm nō sedisse, nec stetisse, sed deābulasse iuxta mare Galilææ descripsit. Ip̄a eñ motio dñici corporis, à mysterio vacua non est putanda. Mare ergo in hoc loco, mundū significat. Et pulchre, q̄a sicut mare immobile esse non potest, sed semper accedit & recedit, sic mundus diuersis perturbationibus & fluctuationibus cōmouetur. Hinc per Psalmistam dicitur: Commouisti dñe terram. Vnde mare à meando dicitur, eo q̄ semper accedat & recedat, significat (vt dictū est) mundum, qui crescit nascendo, decrescit moriendo, eleuatur in prosperis, dejcitur in aduersis. Ad hoc ergo mare dominus venit, qñ per incarnationis suæ mysterium mundo visibilis apparuit, quando (vt ait Apostolus) semetipsum exinaniuit, formam serui accipiēs, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt hō, humiliauit semetipsum. Non autem stetisse vel sedisse, sed perambulasse dicitur, quia non, sicut cæteri mortales in mundo cum esset natus, vt cæteri homines permāsit, sed post doctrinam sancti euangelij, post ostensionem miraculorum, post suam sacrā passionem resurgens à mortuis, victor ad cælum redijt, sicut ipse ait: Exiui à patre & reliq. hoc significauit deambulatio eius. De cuius motione vel trāsitu per Petrum dicitur. Qui pertransiuit benefaciendo & sanando oēs oppressos à diabolo. Neq; illud absq; consideratione prætermittendum est, q̄ dominus discipulos electur⁹, iuxta mare ambulauit, q postea coram illis super fluctus maris ambulasse narratur. Vt enim diximus, mare mundum significat. Discipulis ergo in mari piscantibus, dominus secus mare ambulauit, quia & si venit in mundum per naturam, alienus fuit tñ à mundo per culpam. Quoniam sicut Petrus veracissime testatur, Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed forte quærit aliquis, quare dñs discipulos primū à Galilæa eligere voluit, & non à Iudæa, vel cæteris regionibus, quæ nobiliores putabantur. Ad quod, qui curiosus est, respondere potest, q̄a quāuis gloriosa domini natiuitas prius in Iudæa sit celebrata, tamen eius sancta conceptio primum in Galilæa ab angelo virgini est annunciata, Luca euāgelista teste, qui ait: Eodē tempore missus est Gabriel angelus à deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph. Et post pusillum adiecit: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dñm, ecce cōcipies & paries filiū. Dignū enim erat, vt vbi caput nascēdi sumpserat exordiū, inde mēbra

horum acciperent incrementum: & vbi ortum primum sol iustitiæ dederat, inde stellæ fulgentes mundo apparerent: & vbi virgo audierat: Ecce concipies, ibi piscatores audirēt: Venite post me. Siue ideo à Galilæa dñs discipulos eligere voluit, quia per virtutem miraculorum, per manifestationem suam, primum in Galilæa mundo innotuit. Primum enim miraculum in Chana Galilææ fecisse legitur, quando ex aqua vinum fecit & manifestauit gloriam suam, & crediderūt in eum discipuli eius. Et Petrus: Vos scitis verbum, q̄d factum est in vniuersam Iudæam, post baptismum q̄d prædicauit Iohannes, Iesum à Nazareth, incipiens à Galilæa. Nos autem dicimus primū discipulos à Galilæa eligere voluisse, propter sacramentum ipsius nominis. Galilæa nanq; transmigratio facta, siue reuelatio perpetrata interpretatur, & cum dominus discipulos à Galilæa elegit, nos instruxit, vt si eius discipulatui adhærere volumus, primum diuitijs ad virtutes transmigrare debemus, & de mūdi amore ad amorem dei, dicentes cum propheta: Quoniam aduenæ & peregrini sumus apud te, sicut omnes patres nostri, vt in Galilæa, id est, in reuelatione eternā faciē domini cōtemplantes, dicamus cum Apostolo: Nos autem reuelata facie gloriam domini contemplantes, transformamur à claritate in claritatem, tanquam à spiritu dei.

Vidit duos fratres, Simonē, qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittētes retia sua in mare, & uocauit eos.

Videre dei, eligere est, sicut nescire, reprobare. Sicut enī illos nescit, q̄s reprobat, vnde in finē reprobis dicturus est: Nescio vos vnde sitis: sic videre eos dicitur, quos in æterna præsentia elegit, sicut cuidam dictū est: Cum esses sub ficu, uidi te. Vidit ergo dominus Petrum & Andream, quos per præuenientē gratiam in sorte apostulatus dignos elegit. Sed nec illud prætermittendum est, quod in prima sua vocatione carnales fratres elegit. Petrus enim & Andreas fratres erant non solū spiritu, sed etiam carne germani. Cum ergo carnis fratres elegit, ostendit, qui eius discipulatui volumus adhærere, fratres esse debemus non carne, sed spiritu: nō genealogia, sed charitate. Omnes quoq; qui in Christo regenerati sumus, vnum patrem habemus deum, cui quotidie in oratiōe dicimus: Pater noster qui es in cælis, de quo ipse ait in euangelio: Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est pater vester qui in cælis est. Huius filios nos esse gloriemur, dicentes cum Apostolo: Filij dei sumus, sed nōdum apparuit quid erimus. Mater vero nostra sancta ecclesia est, quæ nos per fidem & sacramentum baptisma tis quotidie spiritaliter generat. Quibus ergo vnus est pater deus, & vna mater ecclesia, cōsequens est, vt fratres sint, id est, vt vnum sentiant, idipsum sapiant, non dissideant, non discordent, vt in eorum numero computētur, quibus saluator ait: Omnes en.m vos fratres estis. Hos enī spiritales fratres admirabatur propheta, cum dicebat: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnū. Notandum autem, quod duos fratres elegit, vt non ostēderet, quia suos discipulos geminam vult habere charitatem, dilectionem scilicet dei & proximi. Væ enim soli, ait scriptura, quia cum ceciderit, non habet subleuantē. Cuius rei gratia dominus binos elegit, binos ad prædicandum postea misit, vt ostenderet quia prædicationis officium non debet suscipere, nisi qui dilectionem dei & proximi habet in pectore. Vel certe binos elegit ad confirmandam autoritatem, qui duorū testamentorum doctores fierent, vt impleretur in eis quod ipse alibi ait: Omnis scriba doctus in regno cælorū, similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Erant enim piscatores.

Piscatores & illiterati à domino eliguntur, ne fides credentium, quæ per eorum doctrinam & prædicationem instruēda erat, in eloquentia verborum, & non in virtute dei fieri putaretur. Magister humilitatis, qui veniens in mundum ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris, humilitatis exēplum, quod in omnibus operibus suis ostenderet, etiam in vocatione apostolorū seruare voluit. Nō enī elegit matrem potentissimā, sed quātum sanctissimam, tantū pauperrimā, in tantū vt non inueniret agnū, quem pro filio offerret. Nec natus est in domibus cedrinis laqueatis & vario picturæ colore decoratis, sed reclinatus est in præsepio, q̄a nō erat ei locus in diuersorio. Neq; inuolutꝰ est vestibus purpureis, auro & margaritis resplēdentibus. sed sicut scriptū est: Pannis eū inuoluit. Hāc ergo humilitatē, quā in his & his similibus seruauerat, in uocatione duorū, non deseruit, quia nō elegit potētes vel filios regum, nō philosophos vel sapientes mundi, sed pauperes simplices, qui quotidianum victum arte piscandi quærerēt, per quorum tamen doctrinam & prædicationem, potentes mundi & sapientes ad suam fidem vocauit, quia sicut Apostolus ait: Mundus non cognouit per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et iterum: Nam sermo noster & prædicatio, non fuit in humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute, vt non euacuetur crux Christi. Quia non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit deus, vt cōfundat fotia: & ignobiliora &

oo

contemptibiliora mundi elegit, vt confundat sapientes: & ea quæ nō sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Sed quid de talibus dominus dicat, videamus. Et ait illis: Venite post me. Bene quidem Petrum & Andream vidisse dicitur, ac postmodum ad sequendum vocasse, quia omnes electos prius ex interna dei præsentia ad sequendum vocat, diciturq; eis:

Venite post me.

Quid est dicere, Venite post me, nisi me sequimini, meis præceptis & non vestris voluptatibus obedite? ire enī post dominū, est eius vestigia imitari, sicut ipse ait: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & cætera. Et iterum: Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non est me dignus. Vnde in lege præcipitur: Post dominum deum tuum ambulabis. Quid autē in promissione dicat, audiamus. Ait enim:

Faciam uos fieri piscatores hominū.

Non dicit piscatores piscium, sed piscatores hominum: nomē mutauit, officium non abstulit. Nam post resurrectionē legimus eos isse piscatum. Et congrue de piscatoribus piscium, piscatores hominū facere voluit: quia sicut officium est piscatoris nauem ascēdere, retia manibus tenere, & de profundis gurgitibus pisces ad litus trahere: sic isti in gremio ecclesiæ recepti, nauem fidei ascendentes, retia prædicationis in verbo & opere habētes, de amarissimis & tenebrosis mundi gurgitibus, multos homines ad veram lucem traxerunt, quæ ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, impleta prophetia, quæ dicit: Populus qui ambulat in tenebris, & cętera. Vide Petrum Hierosolymis retia in manibus tenentem, & multos pisces spiritaliter de profundis gurgitibus capientem. Legimus enim ad eius prædicationem vna die quinq; millia, altera tria millia hominum credidisse. Vide beatum Andreā, cuius hodie festiuitatem colimus, in Achaia retia in in manibus tenentem, & multos pisces spiritaliter capientem. Non solum enim ad eius prædicationē tota ciuitas, sed etiam tota regio credidisse legitur, sicut ipse ait: Christus me misit ad istam prouinciam, vbi non paruum populum acquisiui. Istos piscatores pollicebatur ecclesiæ dominus, cum per prophetam dicebat: Mittam piscatores meos, & piscabuntur eos: venatores meos, & venabuntur eos de omni monte & de omni colle. Sed libet suauiter intueri quod dominus, qui Petrum & Andream de arte piscādi elegit, Paulum quoq; qui non minoris gratię fuit, de arte scenofactoria ad prædicationis officiū vocauit. Sicut enim isti conuenienter de piscatoribus piscium, piscatores hominū facti sunt, sic decenter ille, qui erat tabernaculorum corporalium ædificator, ad spiritalia tabernacula construenda translatus est. Aedificauit ergo spiritalia tabernacula, cum sua prędicatione ab humanis mentibus culturam dæmonū expulit, vt habitaret Christus per fidē in cordibus eorū. Aedificauit etiā spiritaliter Christo tabernacula, quando ab Ierusalem vsq; Illyricum repleuit euāgelio Christi: vt qui corporalia tabernacula, morituris hominibus ædificabat, postmodum inciperet spiritualia deo (vt diximus) construere in animabus in sempiternum victuris. Aedificabat tabernacula deo, quando prædicabat, Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: & cætera. Vel quando præcipiebat, qualiter viri erga mulieres, & mulieres erga viros deberent esse: qualiterq; parentes erga liberos, & filij erga parētes: qualiter serui erga dominos, & domini erga seruos. Quarum pulchritudinem tabernaculorū admirabatur Propheta, cum dicebat: Quàm pulchra tabernacula Iacob, & tētoria tua o Israel. Et Psalmista: Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutū, & cętera. Domini iussio nem obediētia secuta est apostolorum. Nam sequitur:

At illi cōtinuo relictis retibus & naui, secuti sunt illum.

In quorum opere nostra superbia confunditur, nostra duritia redarguitur, qui quotidie flagellis atterimur, & minis terremur, signis prouocamur, promissionibus subleuamur, & tamen vocantē sequi contemnimus. At vero illi non hunc miracula facientem viderant, nō eius promissionibus subleuati fuerant, & tamen ad vnius iussionē relictis omnibus secuti sunt illum. Sequamur ergo & nos eos, quos in Christo patronos habere meruimus, vt eorum exemplo incitati, saltem post multas admonitiones & promissiones sponte relinquamus quod quotidie amittimus, vt impleatur promissio domini, dicentis: Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorū est regnum cęlorum. Ille enim in cælo sedet, qui adhuc in terris de cōuersione nostra monet. Sed solēt hi, qui proprias voluntates abrenunciare volunt, paupertatis occasionem in sua excusatione prætendere, dicētes: Imitari contemptores mundi volumus, sed q̄d relinquamus nō habemus. Quibus nos respōdemus, qa deus omnipotēs in abrenūtiatione mundi, nō censum, sed votum pensat, nec perpēdit quod habeas in arca, sed qualē habeas conscientiā. Vnde si habeas temporalē rem, vēde: si autem nō habes, de magno onere liberatus es. Tāto ergo liberius Christū sequi potes, quāto minus diuitiarum funibus fueris illigatus. Considerare etiam tales monemus, quid & quātum nostri sancti patres reliquerint. Nonne retia &

nauem? Et tamen postea domino promittente audire meruerũt: Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem & matrem, vxorem & filios, fratres & sorores propter me, centuplũ accipiet, & vitam æternam possidebit. Petrus in persona omnium libere respondit: Domine, ecce nos reliquimus oĩa & secuti sumus te, qd ergo erit nobis? Et ille qui (vt diximus) non censum, sed votum pensat, ait: Amen dico vobis, quia vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Parum videtur Petrus & Andreas reliquisse in retibus & naui, & magnam gratiam & præmium à domino accepisse. Sed tamen multum reliquerunt, qui voluntatem habendi abnegauerunt. Tantum enim à sequentibus relinquitur, quantum à non sequentibus concupisci potest. Qm̃ regnum dei, quantum habes, tantum valet. Valuit Zachæo dimidium substantiæ, valuit Petro & Andreæ nauem & retia: sicut cum oĩa quæ relinquerẽt, nihil profuit Hermogeni & Socrati, quia Christum non fuerunt imitati. Valet etiam calicem aquæ frigidæ, & si hæc omnia defuerint, sola bona voluntate comparari potest. Quia domino nato, cæli ciues in terris visi sunt, qui clamarẽt: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. Bene autem postquam dixit ⌊relictis omnibus,⌋ adiunxit, ⌊secuti sunt eũ.⌋, Qm̃ in vacuum omnia sua reliquit, qui Christum nõ sequitur, id est, imitatur. Sed inter hæc oĩa considerandum est, qualis artifex sit spiritussanctus, qui sine mora mentem, quam tangit, nõ solum immutat, sed etiam habet & docet. Tetigit puerum citharœdum, & Psalmistam fecit. Tetigit armentarium sycomoros vellicantem, & prophetam fecit. Tetigit abstinẽtem iuuenem, & iudicem senum fecit. Tetigit publicanum, & euangelistam fecit. Tetigit persecutorem, & doctorem gentium constituit. Tetigit Petrum & Andream, & piscatores piscium apostolos statuit. Rogandus est ergo à nobis artifex & deuotissimis precibus supplicandus, vt mentes nostras tangere dignetur, cuius solummodo tetigisse, docuisse est.

Et procedens inde uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Iohãnem fratrẽ eius, in naui cum Zebedæo patre eorũ, reficientes retia sua, & uocauit eos. Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

Geminata in binis vocatio, superiorẽ narrationem confirmat. Non solum enim semel, sed & iterum bini vocati sunt discipuli: quia duo sunt, quæ erga charitatem proximis solicite seruare oportet. Primo, vt nullum lædamus: secundo, vt bonum, quod possumus, impendamus, quoniam qui dixit: Quod tibi nõ vis fieri, alteri ne feceris, ipse alibi ait: Quod vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Zebedæus interpretatur dealbatio, significat diabolum. Cui ideo recte nomen dealbationis conuenit, quia cum sit & merito tenebrosus, vt ait Apostolus, transfigurat se in angelum lucis. Filij ergo Zebedæi isti discipuli, q à domino vocati sunt, fuisse memorantur: quia vt ait Apostolus, Omnes iræ filij sumus, antequam redimeremur, non conditionis naturæ, sed imitatione & primi parẽtis præuaricatione. Nauis Zebedæi, infidelitatem significat: cuius nauis instrumenta vitia sunt & peccata. Qualia Paulus apostolus enumerat, dicens: Manifesta autẽ sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, auaritiæ, idolorum seruitus, veneficia, & his similia. Sicut autem isti discipuli vocati à domino, relicto patre, secuti fuerũt, & vltra ad patrem non dicuntur reuersi, sic & nos, qui de potestate diaboli per diuinã gratiam liberati ad cæleste regnum sumus vocati, nec propter amorem parẽtum, nec cuiuscunq; cupiditatis obtentu, vlterius ad eũ debemus redire, propter illud quod dominus dicat: Quia nemo mittens manum in aratrũ & respiciẽs retro, aptus est regno dei: sed infatigabiliter vsq; in finem in bono opere perseuerare, quia sicut ait saluator: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vnde cuidam dicenti, Domine, sequar te quocunq; ieris, sed dimitte me prius sepelire patrẽ meum, respondit: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Tu autem sequere Christum. Sed his de vocatione discipulorum breuiter dictis, libet intueri quod non frustra dominus in prima sua vocatione quatuor discipulos elegit. Quaternarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus diuisus, perfectionem significat. Diuiditur nanque in vnum, duos & tres. Vnum ergo, quod est prima pars eius, perfectiõem significat. Quia vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deus & pater omnium. Duo, quod est alia pars eius, ad perfectionem pertinent, propter duo testamenta, vel propter geminam dilectionem. Tres vero, propter indiuiduam trinitatem, & propter tria tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia: vel quia homo interior ex tribus reb9 constat, memoria, sensu & volũtate. Quaternarius autem numerus perfectus est, propter quatuor euangelia, vel quatuor tempora anni, siue propter quatuor elementa, ex quibus constamus in exteriore homine, aere, igne, terra & aqua: frigida, calida, sicca & humida: seu propter quatuor flumina, quæ egrediuntur de paradiso: vel certe propter quatuor

principales virtutes, prudentiam scilicet & tēperantiam, fortitudinem & iustitiam. Has etiam virtutes non solum in numero, sed etiam in nominibus isti discipuli significāt. Petrus enim, qui à quibusdam agnoscens interpretatur, prudētiam significat: cuius virtutis prima pars est, deum eiusq; voluntatem cognoscere: quia sicut insipiens est, qui dicit in corde suo, non est deus, ita prudens, qui cognoscit deum. Hāc virtutem in se habuit, qui corde, hominem videns, deum cognouit, dicens: Tu es Christus filius dei viui. Andreas, qui virilis interpretatur, fortitudinem significat, Quam virtutē non solum in nomine, sed etiam in opere habuit, quia in fide recta vsq; ad passionem viriliter perseuerauit intātum, vt etiam cum duceretur ad crucifigendum, videns crucem, cū gaudio diceret: Salue crux preciosa, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata es, gaudens & exultans venio ad te, vt suscipias me ab hominibus, & reddas me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Per Iacobū, qui interpretatur supplantator, iustitia designatur, quæ iniquitatē supplantare & æquitatē nouit diligere. Quā in omnibus actibus nostris habere debem⁹, sicut propheta dicit: Indicabo tibi homo, & reliqua. Iohannes qui interpretatur gratia dei, vel in quo est gratia, temperantiam designat, quæ alio nomine discretio vocatur, & est mater omnium virtutum. Hanc virtutem habebat ille qui dicebat: Angelus noster es an aduersariorū? Vt enim homo prudēs, fortis & temperatus sit, non à se habet, sed per diuinam gratiam accipit. Cum ergo dominus in prima sua vocatiōe quatuor discipulos suos elegit, in ipso numero nobis innotuit, qa si eius discipuli eē volumus, has quatuor virtutes habere debemus: vt simus Petrus, bonū agnoscendo, vt videamus præterita, præsentia & futura, propter illud quod dominus admonet, dicens: Estote prudentes sicut serpentes. Et ipse Petrus, Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Andreas, viriliter, quod bonum cognoscimus, per fortitudinē tenendo, sicut angelus admonet Iohannem in Apocalypsi, dicens: Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, &c. Iacobus, vitia cum iustitia supplantando, vt in oībus actibus iustitiam teneamus, sicut ait Apostolus: Iuste & pie viuamus. Et Salomon. Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Iohānes gratiam dei adipiscendo. Et cum ipso discretionem habeamus, vt inter bonum malumq; discernentes, bonū teneamus & malum relinquamus, propter illud Apostoli: Omnia aūt probate, quod bonum est tenete. Quod cum fuerimus, habebimus in quadriga Cherubim faciem hois per prudentiam, leonis per fortitudinem, vituli per iustitiam, aquilæ p discretionē. Allegorice aūt p hos quatuor discipulos, vt quidam dicunt, duo populi figurātur. Petrus enim, qui interpretatur agnoscens, populum Iudæorum significat, qui in ceremoniis obseruandis deum cognouit. Id idem significat Iacobus, qui gentilem fratrem suum prius credendo supplātauit. Andreas, qui interpretatur virilis, populum gentium significat, qui postquam deum credidit, viriliter in fide permansit. Eundem significat Iohannes, qui interpretatur gratia dei, quia gentilis populus, gratia dei subueniente, saluari meruit, non suis meritis, sed sicut Paulus dicit: Gratia dei saluæ factæ sunt gentes. Imitemur ergo hos dei apostolos, vt per gratiam ipsius mereamur saluari, quemadmodum & illi. Quod ipse præstare dignetur, qui sine fine viuit & regnat &c.

IN NATIVITATE SANCTI IOHANNIS BAPTISTÆ. Lucæ I.

In illo tempore: Elizabet impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius. Et reliqua.



On solum opera & virtutes sanctorum plenæ sunt admirationibus, sed etiam ipsa verba, quibus ad memoriam posterorum scribuntur, aliquando à mysterio vacua nō sunt. Quod in exordio huius lectionis euangelista ostendere voluit, cum præcursoris domini natiuitatē descripturus, ait: Elizabeth impletum est tempus pariēdi, & peperit filium. Verbum impletionis scriptura sacra in bonorū tantū ortu, actu vel obitu ponere consueuit. Denique impleti sunt dies Marię parere filium. Et Elizabeth impletum est tēpus pariendi. Et Salomon impleuit ædificare domum domini. Mortuus est aūt Abraam, vel alius aliquis patrum, senex & plenus dierum. Merito enim in operibus sanctorum impletio commemoratur, quia etiam in breui tempore ad cumulū perfectionis perueniūt, sicut de vno illorum scriptū est: Consummatus in breui expleuit tempora multa, quia placita erant deo opera illius. Vt ergo ōnderet euangelista quantæ perfectionis præcursor domini futurus esset, in ipso ortu natiuitatis eius, verbū impletionis ponere ratū duxit. At cōtra dies impiorum inanes & vacui, q licet longo tēpore feliciter viuūt, nunq̄ tñ ad cumulū pfectionis pueniūt. De qbus Psalmista ait: Viri sanguinū & dolosi nō dimidiabūt dies suos. Et sicut de eorū principe p beatum

Iob dicitur: Antequam dies eius impleantur, peribit: & vt incaluerit sol, soluetur de loco suo. Horum vmbraticam felicitatem sine perfectione transitura desperat Psalmista, cũ dicebat: Vidi impium superexalatum. &c.

Et audierunt uicini eius quia magnificauit dominus misericordiam suã cum illa, & congratulabantur ei.

Concordet autem hæc euangelistę narratio cũ præmissa promissione euãgelica. Cum enim angelus Zacharię nasciturum Iohannẽ promitteret, inter cætera ait: Et erit tibi gaudium & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Nunc autem nato puero, euangelista adiungit, dicens: [Et audierunt vicini & cognati eius & reliqua.] Merito enim vicini & cognati Elizabet congratulabantur, non solum q; in prouecta ætate filium genuisset, sed etiam quia ad similitudinem Saræ & Annæ per repromissionẽ eum accepisset. Quod superius euãgelista de Zacharia & Elizabeth protulerat, Qui erant ambo iusti ante deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela, hoc nunc in illorum operibus demonstrat, cum ait:

Et factum est in die octauo, uenerũt circũcidere puerum, & uocabant eũ nomine patris sui Zachariam.

Præceptum erat in lege, vt infans recens natus, octauo die circuncideretur, vbi declaratur, cum quanto studio alia præcepta legalia obseruabant, qui etiam in huius mandati custodia tam studiosi erant. Hi autem qui cõuenerant vicini & cognati, vocabant eum nomine patris sui Zachariam, vt dignitas quæ in patre sene & muto videbatur amissa, in filio recuperaretur. Quod autem die circuncisionis nomina pueris imponebãtur, ex eo in autoritatem credimus venisse, quod beatus Abraam patriarcha eum signaculo circuncisionis, augmentum vel immutationem promeruit nominis.

Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed uocabitur Iohannes.

Hæc enim à marito non didicerat, quippe qui ex eo, quod sibi filium nasci non crediderat, mutus permanebat: sed quia ille ab angelo, ista didicerat à spiritusancto. Decebat enĩ vt nouæ gratiæ præco, nouo vocaretur vocabulo, quod ei imponebat diuina electio, nõ autem carnalis cognatio.

Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui uocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem uellet uocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit dicens: Iohannes est nomen eius.

Hi qui conuenerant vicini & cognati, quia nomen patris filio imponere volebant, nec mater ad hoc assensum præbebat, quibus nutibus valebant, patrem mutum interrogare satagebant. At ille postulans pugillarem. i. stylum scriptoriũ, quod verbis non poterat, literis expressit dicens: Iohannes est nomen eius. Vbi notandum quia non dixit: Iohannes erit nomen eius, cum futurũ videret, sed Iohannes est nomen eius. Acsi diceret, Non nos ei imponim[9], quia habet vocabulũ quod agnouimus, nõ quod eligimus. Hoc ergo nomen non tunc primũ impositũ est, sed antequam nasceretur, qñ à Gabriele angelo Zachariæ dictũ est: Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua, & Elizabet vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannem. Vbi magnus præcursor dñi futurus præmõstratus est, qñ eius nomen antequã nasceretur, prædictum est. Nouum enim aliquid in eorũ actibus futurũ præmonstratur, quibus nomina antea à deo imponuntur, quàm corporaliter nascantur: quod de Isaac & Ismael legimus, de Salomone & Iosia, de Iohanne baptista, & de dño saluatore. Magnus ergo iste Iohannes futurus ostenditur, quia antea nominatus est quàm natus. Cui illud conuenire potest, quod diuina voce Ieremiæ dicitur: Priusquã te formarem in vtero, noui te: & antequã exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gẽtibus dedi te. Et illud: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei: & posuit os meum dñs vt gladiũ acutũ sub vmbra manus suæ.

Et mirati sunt uniuersi.

De tali s. concordia, q; mater verbis, & pater scriptis in nomen filij cõcordarent. Mirati sunt tũ maxime, cum in eorum cognatione nemo vocaretur hoc nomine.

Apertum est aũt ilico os eius & lingua eius, & loquebatur.

Merito lingua quam infidelitas vinxerat, fides absoluit, vt impleretur quod ab angelo ei dictum fuerat: Pro eo q; non credidisti verbis meis, eris mutus, nec poteris loqui vsq; in diem quo hæc fiant. Quia enim vox clamantis in deserto nascebatur, merito in eius natiuitate lingua patris, q prius obmutuerat, absoluitur. Loquebatur autẽ non verba ociosa vel fabulosa, sed benedicens deum. Quia consuetudo sanctorum est, vt cum semper benedicant dominum, maxime tunc in eius benedictione ora relaxant, quando ab aliqua tribulatione liberati fuerint. Quod hymnus trium puerorum pleniter declarat, qui in camino ignis ardentis soluti deambulantes, nõ solum deum benedicebãt, sed etiam creaturam ad eum laudandum prouocabant.

Et factus est timor super omnes uicinos eorum, & super omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia uerba haec.

Quia praeco iudicis nascebatur, non solum uicinis, sed etiam aliorum corda timore commouebantur: & quia audierant illum per repromissionem angelicam de sene patre & sterili matre natum, & quia uidebant in eius natiuitate linguam patris esse solutam, non solum admiratione, uerumetiam timore corda eorum commota sunt. Vnde & dicunt:

Quis putas puer iste erit?

Quod est dicere: qualis est? Sed ne putares Iohannem hanc gratiam sua uirtute adeptum esse, & non per diuinum auxilium, recte subiungitur:

Etenim manus domini erat cum illo.

Manus domini in scripturis aliquod diuinae protectionis auxilium significat, sicut in psalmis legitur: In manus tuas domine commendo spiritum meum.

Et Zacharias pater eius impletus est spiritusancto, & prophetauit.

Igitur quia ille natus est, qui non solum propheta, sed etiam plus quam propheta futurus erat, de quo & saluator ait in euangelio: Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne, non solum officium loquendi in eius natiuitate pater recepit, sed etiam spiritu prophetiae repletus, aduentum saluatoris pronunciauit. Quod quia uicinum futurum prospexit: prophetico more quasi iam factum narrauit, dicens:

Benedictus dominus deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suae.

Vbi considerandum quod duo sunt quae posuit: [Visitauit, & fecit redemptionem plebis suae.] Visitatio quippe, ad infirmos pertinet: redemptio, ad captiuos. Visitauit ergo & fecit redemptionem plebis suae, per aduentum suum dominus Iesus Christus, qui in se credentes & à languore animae liberauit, & à captiuitate diabolica precioso sanguine redemit. Vnde finis huius cantici ita concluditur:

Visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Et reliqua.

Plebi suae dicit, non quod hanc ueniens suam inuenerit, sed quia eam uisitando & redimendo suam fecerit, sicut ipse per Osee prophetam dicit: Vocabo non plebem meam, & reliqua. Haec de natiuitate praecursoris domini ad literam breuiter dicta sunt. Spiritaliter cum Iohannis celebratur natiuitas, noui testamenti inchoatur sublimitas. A diebus enim Iohannis (ait saluator) regnum caelorum uim patitur, & qui uim faciunt, diripiunt illud. Congratulabantur uicini & cognati Elizabeth in natiuitate Iohannis, quia gaudium natum est in caelo angelis de ablutione iustorum, domino dicente: Gaudium erit coram angelis dei in caelo &c. Siue congratulabantur uicini & cognati genitrici in ortu noui pueri, quia ecclesia spiritale gaudium habuit, cum fidelem populum per baptismum genuit. Concinit autem gratia noui testamenti, quod eiusdem praeconis circuncisio octaua die celebratur. Octonarius enim numerus ad fidem resurrectionis pertinet, dicente Salomone: Da partes septem, necnon & octo. Et dominus Iesus Christus octaua die resurgens à mortuis, nostram resurrectionem in octaua aetate seculi futuram demonstrauit. Recte cum nouum testamentum inchoatur, Iohannes octaua die circuncidítur, pulchre etiam natiuitate noui praeconis patris lingua absoluitur, quia & spiritualiter sacerdotii dignitas, & ueteris testamenti mysterium, quod absconditum & ligatum erat, post domini resurrectionem manifestatum & declaratum est. Hic autem qui patris nomen puero magis quàm Iohannem imponere uolebant, illam partem populi significant, qui magis ex operibus legis quàm per fidem Christi hominem posse iustificari credebant. Sed mater haec prophetico spiritu prohibet, dicens: Nequaquam, sed uocabitur Iohannes, quia ecclesia eorum ablutionem, quos per baptismum regenerat, magis per fidem & gratiam, quàm per opera legis posse implere credit. Quod nomen Iohannis in nostra lingua sonare uidetur, qui gratia dei, siue in quo est gratia, interpretatur. Gratia enim dei (ait Apostolus) saluae factae sunt gentes. Et sicut alibi ait: Neque circuncisio aliquid ualet, neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur. Vnde spiritaliter patris nomen puero imponere uolentibus, Petrus apostolus cum Elizabeth contradicit, cum ait: Quid uultis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi.

IN DIE SANCTO APOSTOLORUM PETRI & PAULI. Matthaei XVI

In illo tempore: Venit Iesus in partes Caesareae Philippi. Et reliqua.



CAEsareas tres legimus, duas in terra repromissionis, tertiam uero in Cappadocia. Est enim Caesarea Palestinae regionis, in littore maris magni, quae prius turris stationis uocabatur, sed postea ab Herode in ho

norem Cæsaris nobilius reædificata, Cæsarea est appellata. In qua idem Herodes in honore Cæsaris magnificam domum albo marmore cōstruxit: vbi Herodes ab angelo percussus, eo quod non dedisset honorem deo, cōsumptus à vermibus expirauit. In hac etiam Cornelius centurio à Simone Petro baptizatus est: in ea vero quatuor filiarum Philippi virginum sepulchra vsq; hodie ostenduntur. Est & alia Cæsarea quædam in Cappadocia, de qua Lucas euangelista in Actibus apostolorum meminit: Descendit Cæsaream, & salutauit ecclesiam. Tertia autem Cæsarea est Philippi, cuius in hoc loco euangelista meminit, & ipsa in terra repromissiōis, quam Philippus Herodis fili⁹ in honore Cæsaris ad radices montis Libani ædificauit: & hanc Cæsaream Philippi cognominauit, vbi duo fontes oriuntur, vnus nomine Ior, alter vero Dan, qui simul iuncti, Iordanem efficiunt fluuium. In huius ergo partes veniēs Iesus cū discipulis suis interrogabat eos dicēs:

Quem dicūt homines esse filium hominis?

Vt scilicet vbi Cæsar nummum exigebat tributi, ibi saluator nummū accipet fidei Notandum autem, quia non ait. Quē me dicunt homines esse, ne iactanter de se quærere videretur, sed quem dicunt homines esse filium hominis. Et cum maioris honoris videretur filium dei se vocari, filium hominis se voluit nominare, vt ōnderet in oībus actibus humilitatē esse seruandā: siue certe, ne aliquis de veritate assumptæ carnis dubitaret, frequentius filium hominis, quam filium dei se vocare maluit, sicut est illud: Veniens filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Et filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis. Et: Vulpes foueas habēt, & his similia. Vbicunq; enim in latino filius hominis legitur, in hebræo filius Adam habetur, sicut illud in Psalmo: Filij hominum vsquequo graui corde? pro quo in Hebræo habetur filij Adam. Sed interrogati discipuli diuersorum opinionem proferunt, dicētes:

Alii Iohannem baptistam, alii uero Eliam, alii uero Ieremiam, aut unum ex prophetis.

Quid autem homines Eliam aut Ieremiam Christum putauerint, cū ante multa curricula annorum fuisse leguntur. Sed hic error in populo ex stultitia gentilium descenderat, vt putarent aliquem magnum virum post mortem suum spiritū dare posse cui vellet. Quo errore seductus fuerat Herodes, quando audita fama de Iesu, dixit: Iohannes quem ego decollaui, surrexit à mortuis, & virtutes multæ operantur in eo. Diuersorum autem opinionibus auditis, saluator ad discipulos specialiter sermonē conuertit, & dicit:

Vos autem quem me esse dicitis?

Acsi diceret: Illis hominibus humana tantum de me opinantibus, vos, qui ex illis non estis, quia ego elegi vos de mūdo, quem me esse dicitis? In quibus verbis ostendit, eos in humana fragilitate humanæ naturæ meritū transcendisse, & ad imitationem veri dei quodāmodo deos vocari posse, iuxta illud Psalmographi: Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes.

Respōdens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius dei uiui.

Non solum Petrus ordinem sui prioratus seruat, cum interrogatus primus respondit, sed etiam magnitudinem amoris ostendit. Merito ergo primus respondet, quia plus cæteris eum diligit. In multis nanq; euangelij locis legimus, Petrum præ cæteris dominum discipulis dilexisse, ipso domino dicente: Simon Iohānis, diligis me plus his? Et ille: Tu scis dñe, quia amo te, siue diligo. Et cū duodecim discipulis suā passionē prædiceret, hoc Petrus præ magnitudine amoris ferre nō valens, assumpsit eum secreto, & dixit ei: Propitius tibi esto domine, ne fiat istud. Nō enim decet vt filius dei gustet mortem. Et cum imminente articulo passiōis diceret: Omnes vos scādalum patiemini in me in ista nocte. Ille respondit: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Cūq; quod futurum erat prædiceret, dicens: Amē dico tibi, antequam gallus canet ter me negabis. Petrus de se præsumens ait: Etiāsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et cū post resurrectionem stans in littore, discipulis piscantibus apparuisset, audiens Petrus quod dominus est, tunica succinxit se, & misit se in mare, & venit ad Iesum. Cæteri vero discipuli nauigio venerūt. Eiusdē ergo amoris flāma Petrus succēsus, oībus discipulis interrogatis, primus rñdit, dicēs: ⌞Tu es Chrs filius dei viui.⌟ In qbus verbis fundamentū veræ fidei decētissime declarauit. Chrs enim græce, ab vnctione chrismatis nomen accepit. Et cum Christū cōfitet, verū hoiem credere docet, q nō materiali oleo, sed spū sancti dono unctus ē. Vñ Psalmista ait: vnxit te deus tuus, & reli. Cū uero adiunxit, ⌞filius dei viui⌟ verū deū illū esse insinuat: quia quod ē pr, hoc genuit. i. deus deū. Deū autē viuū appellat, ad comparationem falsorū deorū, qui ab hoibus dij putabant, sed mortui erant, vt scilicet, Iupiter, Saturnus, Mars, Mercurius, Venus, & cætera idolorum portenta, de quibus per Prophetam dicitur: Dij qui cælū & terram non fecerunt, pereant, & reliqua.

Et Psalmista: Omnes dij gentiũ dæmonia.

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona.

Mercedem recipit vera cõfessio. Quia em̃ Petrus confessus est Christum filium dei viui, merito beatificatur, & bariona, qđ in nostra lingua sonat filius colũbæ, à domino cognominatur. Quod enim columba spiritum sanctum significet, ipse manifestauit, quando redemptore baptizato, in specie columbæ apparuit. Bariona ergo, filius columbæ .i. spũs sancti dicitur: quia spũ sancto reuelante, filiũ dei viui confessus est. Nonnulli autem Bariona, pro bar Iohanna scribendum putant, eo quod iuxta alij euangelij locum, filius Iohannis sit appellatus, domino dicente: Simon Iohannis, diligis me? Iohanna vero gratia dei, siue in quo est gratia, interpretatur. Merito ergo primus apostolorum Iohannis filius dicitur, quia nõ propria virtute, sed p̃ris gr̃a reuelante filiũ dei cognouit. Vnde & subditur:

Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.

Caro & sanguis in hoc loco carnalem doctrinam scribarum & pharisæorũ significãt, iuxta illud quod Apostolus Paulus protestatur, dicẽs: Cõtinuo nõ acquieui carni & sanguini. Non ergo per doctrinã pharisæorum & scribarũ princeps apostolorum Christũ filiũ dei cognouit, sed patre reuelãte, sicut idẽ filius alibi patrem glorificat, dicens: Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ.

Et ego dico tibi, q̃a tu es Petr⁹, & sup hanc petrã ædificabo ecclesiã meã.

Acsi diceret: Quia tu me confessus es Christũ filium dei viui, & ego dico tibi, non casso vel transitorio sermone, quoniã meum dixisse, fecisse est, dico inquã tibi, quia tu es Petr⁹ &c. Vbi nõ est putandũ, quod nũc ei primũ Petri cognomẽ imposuerit, sed quando euangelizãte Andrea ad eum venit, cum intuitus eum, dixit: Tu es Simon filius Iohãna, tu vocaberis Cephas, quod interpretat̃ Petrus, qđ enim Syriace Cephas, latine Petrus dicitur. Vtrunq; autem nomen ab illa petra deriuatur, de qua ait Apostolus: Petra autem erat Christus, quod autem ait, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. ⌋tale ẽ acsi diceret, super hãc fidem. i. super me, quem tu confessus es, ædificabo ecclesiam meam. Fundamentum enim aliud (ait Apostolus) nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ea erga quæ continentur, cadere non possunt, quia fixa sunt ea quæ continent. Vnde & subinfertur:

Et portę inferi non præualebunt aduersus eam.

Per portas inferi in hoc loco doctrinã hæreticorũ acipere possumus, quæ suos auditores in infernũ ruere facit. Portæ ergo inferi contra ecclesiã, quæ sup Chr̃m fundata est, non præualent. quia licet frequenter pulsata sit persecutionibus hæreticorũ, tñ à fide catholica euelli nõ potuit. Aliter portas inferi, vitia & peccata intelligere possumus, q̃lia Apostolus commemorat, dicens, Manifesta sunt opa carnis, quæ sunt fornicatio, & his similia quæ recte portæ inferi noiantur, quia in se pseuerantes ad infernũ dimergũt, sicut idem Apostolus cõcludit, dicẽs: Q̃m q talia agũt, regnũ dei non consequentur. Portæ em̃ inferi non præualebunt aduersus ecclesiã, qualiter his vitijs & peccatis electi tẽtari possint tamen in his vsq; ad finem perseuerare nesciunt. Aut enim antequam vincantur vincunt, aut post lapsum cito per pœnitentiã surgũt, iuxta quod dñs alibi ait: Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, dicã vobis cui similis est: Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, &c.

Et tibi dabo claues regni cęlorum.

Claues regni cælorũ nihil aliud, nisi ligandi & soluendi potestatẽ significant. Sicut em̃ clauis ad hoc in ostio ponitur, vt amici recipiantur, extranei autem excludantur: sic ligandi atq; soluendi potestas iustos recipit, iniustos vero excludit. De qua subditur:

Et q̊dcũq; ligaueris super terrã, &c.

Vbi considerandum, vir iste quia tanta humilitate vocatur, ad quantam gloriam sit perductus, quia enim relictis omnibus Christũ ardentissimo amore secutus est, ad tantã celsitudinem peruenit, vt vice dei quorundã peccata relaxare, quorundam etiam retinere posset. Nec tamen putandum est, quod solũ beato Petro hæc potestas data est, sed sicut vnus pro omnibus respondit: ⌊Tu es Christus filius dei viui, ⌋ ita in vno omnes audierunt: ⌊Quodcunque ligaueris super terram, & reli.⌋ Vnde cum post resurrectionẽ dñs discipulis suis spm̃ sanctum dedisset, omnibus generaliter ait. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nec solum apostolis hæc potestas data est, sed etiam episcopis & sacerdotibus, qui nunc eorum ordinem in ecclesia retinent, & ligandi soluendiq; potestatem habent. Vnde in lege de leprosis figuraliter pręcipitur, vt si quis lepra percussus esset, ostenderet se sacerdoti, & ad eius iudicium aut eijceretur extra castra, aut reciperetur: nõ quod ipse leprosum mundare, aut mundatum leprosum facere posset, sed quia ad ministeriũ ipsius sacerdotis pertinet, vt discernat inter lepram & lepram, id est, inter peccatum maius & minus. Hunc sensum require in euangelio in octaua Paschæ.

DE SANCTO LAVRENTIO martyre. Iohannis XII.

In illo tempore, loquebatur Iesus cũ discipulis suis in parabolis: Amen amen dico uobis, nisi granum frumẽti cadens in terra mortuum fuerit. Et reliqua.



Ortaturus dominus discipulos ad martyrium, suę passionis exemplum p̃misit, vt tanto minus pro eius nomine mortẽ pati timerent, quanto in hoc opere cęlestis magistri imitatores existerent. Ait enim: ⌊Amen amen dico vobis, & reli.⌋ In quibus verbis intelligimus, quia dominus in similitudine grani frumẽti seipsum dixit mortificandum & multiplicandum; mortificandum, in infidelitate Iudæorum: multiplicandum, in fide omnium populorum. Quod nõ solum facilius, sed etiam apertius intelligere possumus, si superiora huius euangelij parũper attendamus. Supra enim retulit Euangelista, quia prædicãte domino Hierosolymis in die festo, erant quidam gentiles, qui venerant adorare in Ierusalẽ: hi accesserũt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & dixerunt ei: Domine, volumus videre Iesum. Venit Philippus & dixit Andreæ. Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondens dixit eis: Venit hora vt clarificetur filius hominis. Ac deinde subiunxit: ⌊Amen amen dico vobis, & reliqua.⌋ Qui ergo ex gentibus se videre desiderantibus dixit: Venit hora vt clarificetur filius hominis, ac deinde subiunxit: Amen amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram &c.⌋ Ordinem suæ passionis profecto insinuauit, quia prius mortificandus erat à Iudæis, & postea prædicandus gentibus. Nam eius nomen tanto magis crescit in fide credentium, quanto per mortem in perfidia Iudæorum est extinctum. Nec indignum debet redemptore nostro videri, si in assumpta humanitate grano frumẽti comparetur, in qua etiam vilibus vermibus assimilatur, sicut ipse per Prophetam dicit: Ego sum vermis & nõ homo. Et pulchre dominus grano tritici cõparatur, quia sicut in omnibus annonis nihil frumento pulchrius, nihil est delectabilius: ita ipse omnes creaturas excellit, quia nihil eo suauius, nihil dulcius inuenitur. Siue certe grano frumenti comparatur, quia alimento corporis & sanguinis sui fidelium animas reficit. Ipse enim ait in euangelio: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Et iterũ: Panis quem ego dedero, caro mea est, pro seculi vita. Et alibi: Caro mea vere ẽ cibus, & sanguis meus vere est potus. Præmisso autẽ mysterio suæ passionis, mox ad constatiam martyrij discipulos suos hortatur, dicens:

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam.

Anima in scripturis, aliquãdo interiorem hominem (id est, vitalem spiritum) significat, aliquando præsentẽ vitam. Interiorẽ hoiem sicut dñs dicit: Quid prodest hoi, si totũ mundũ lucretur, aiæ aũt suæ detrimentũ patiatur? Præsentẽ vitã, sicut alibi ait: Nonne aia plus est q̃ esca, & corpus plus quã vestimentũ? Ergo in hoc loco animæ nomine præsentem vitam designat, cum dicitur: ⌊Qui amat aiam suam, perdet eam. Mira autẽ res est, vt amando anima pereat, & odiendo in hoc mundo, in vitam æternam custodiatur. Tunc enĩ nostram animam bene odimus, & odiendo custodimus, quando eius carnalibus desiderijs contradicimus, eius appetitum frangimus, eius passionibus reluctamur, & in comparatione futuræ vitæ præsentem vitam pro nihilo ducimus: illud solicite cõsiderantes, quod dominus ait: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & vxorem, filios & fratres & sorores, adhuc autem & animã suam, nõ põt esse meus discipulus. Taliter Paulus animam suam oderat, cum dicebat: Ego autem non solum alligari, sed etiam mori paratus sum in Ierusalẽ pro nomine domini nostri Iesu Christi. Non enim facio animam meam preciosiorem quàm me. Et vt hoc quod dicimus etiã simpliciores intelligere possint, libet aliquos ad medium deducere, qui odiẽtes animam suam amauerunt, & alios q̃ amantes, odio habuerunt. Verbi gratia, dictum est quibusdam: Adorate idola, alioquin interficiemini. At illi odientes animam suam. i. præsentem vitam pro nihilo ducentes, in mortẽ corporis inciderunt, sed ad vitam animæ peruenerunt. Dictum est etiam alijs: Adorate idola, alioquin interficiemini. Illi vero male amantes animam suam, id est, præsentem vitam adorauerunt, & mortem perpetuam inuenerunt. Taliter beatus Laurentius leuita, cuius hodie festiuitatem colimus, animam suam oderat, & odiendo in vitam æternã custodiebat, quando expensis facultatibus ecclesię propter nomẽ dñi nostri Iesu Christi in craticula positus, crudelissimo tyranno dicebat: Assatum est, iam versa & manduca, nam facultates ecclesiæ, quas requiris, in cęlestes thesauros manus pauperum deportauerunt. Cuius autem imitatores in passione sint martyres, dñs manifestat cum dicit: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Sequi enĩ dominũ imitari est, sicut ipse alibi dicit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me. Et iterũ. Qui nõ baiulat

crucem suam,& venit post me,non est me dignus. Varijs eñ modis fideles Christo ministrant. Alij bene dicendo, vt confessores: alij pro eius nomine moriendo, vt martyres: alij iuste eleemosynas tribuendo, vt fideles laici. Sed qui Christo ministrat, Christũ debet sequi. Quia sicut Iohannes Apostolus ait: Qui dicit se in Christo manerere, debet sicut ille ambulauit,& ipse ambulare. Qualem aũt remunerationem pro tali imitatione recipiat, ipse declarat, cum subiungit:

Et ubi ego sum, ibi & minister meus erit.

Quid amplius potest promitti fideli ministro,q̃ vt mereatur esse cum domino suo, nec solũ videre eius humanitatẽ, sed etiã contemplari ipsius diuinitatẽ. Vnde & subditur:

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ pater meus qui est in cælis.

Honorificabit pater ministrum filij, quoniam pro fideli ministerio vitam æternã retribuet, dicens: Euge serue bone & fidelis,& rel. Et tunc implebitur oratio saluatoris: Pater, da vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint: non æqualitate naturæ, sed participatione gloriæ. Ad quam nos adducere dignetur, qui cum patre & spũsancto viuit & regnat in secula seculorũ, Amen.

LECTIO LIBRI ECCLEsiastici, oĩbus festis diebus beatæ virgini dicatis communis. Eccle. XXIIII.

Ab initio & ante secula creata sum, & usq; ad futurum seculum non desinam. Et reliqua.



Lectionis huius capitulum, q̃d ex libro sapientię, sumptũ cognoscitur, specialiter laudem æternæ sapientiæ, per quẽ oĩa creata sunt, cõmendare videt. Sed hæc particula à catholicis & eruditis patribus in solennitate perpetuæ virginis Mariæ, de qua eadem dei sapiẽtia carnem assumpsit, ad legendum ordinata est. Potest pars quædam illius non incongrue eidem dei genitrici aptari, quæ ab ipsa dei sapientia talis creata est, vt, vt per illam ad redimendam humanam naturam dei filius sine humana concupiscẽtia crearetur. Quid enim absurdum, q̃d ve contrarium est, si hoc quod ait:

In oĩbus requiem quęsiui & in hæreditate domini morabor.

Dei genitrici conuenire dicamus? ipsa q̃ppe in omnibus requiem quæsiuit, quæ vt in requie sempiterna patrem inuenire posset, prima omnium uirginitatem suam sine macula seruare deuouit, sicut angelo Gabrieli domini conceptionem nunciãti respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? id est, ne cognoscerem disposui. Ipsa in hæreditate domini morata est, quæ non peccando à possessione domini discessit, sed integram suam animam à concupiscentia,& carnem à corruptione seruans, portio hæreditatis dei effecta est, cantãs cum propheta,& dicens: Etenim hæreditas mea preclara est mihi. Cuius personæ conuenire videtur quod sequitur:

Tunc precepit & dixit mihi creator omnium,& qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.

Quis autem creator omnium credendus sit, Iohannes in euangelio declarat, qui cũ dixisset: In principio erat verbum,& verbum erat apud deum, adiecit: Omnia per ipsum facta sunt,& sine ipso factum est nihil. Et Dauid: Omnia in sapientia fecisti. Iste igitur creator omnium in eius tabernaculo requieuit, quando verbum dei per quod omnia facta sunt, vt homo verus fieret, intra virginis uterum carnem suscepit. Quapropter cesset latrare Manichæorum hæretico grunnitu p̃sumptio, qui ausi sunt dicere Christũ ex virgine veram nõ assumpsisse carnem. Dicat autem ipsa dei sapientia in persona virginis:

Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,& dixit mihi, in Iacob inhabita & in Israel hæreditare. Iacob qui supplantator interpretatur, illorum significat actiones, qui vt in virtutibus animæ proficere valeant, viriliter vitiorum blandimenta calcant. In illis ergo habet dei sapiẽtia habitaculum, qui vitia supplantantes, hoc habent in opere, quod Iacob signat in nomine. Sicut ipse dicit in Apocalypsi: Et inhabitabo in illis,& inambulabo. Israel vero idem Iacob appellatus est, postquã angelum superans, deum videre meruit. Vñ merito vir vidẽs deum interpretatur. Igitur post supplantationem vitiorum, ad contemplationem dei tendens anima, hæreditas efficitur dei sapientiæ, id est, Christi, iuxta illud Apostoli: Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Iubetur nihilominus & in electis mittere radices, id est, cogitationum suarum semina illorum mentibus occulta inspiratione immittere, quos nouit fructum boni operis germinare. Non ergo in reprobis, sed in electis radices mittit, in quorum cordibus ita radicibus spiritalibus bona ligatur voluntas, vt antequam ad maturitatis fructum perueniat, non arescant. Sed qui modo euntes & flentes mittunt semina sua, in furore venientes, venient cum exultatione portantes manipulos,& cæte.

à pio iudice audientes. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratū, & cętera. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & cætera. Sequit: Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Sion in ipsa Ierusalem posita est, non solum ad defensionē munitior, sed etiam ad cōtemplandum sublimior, vnde cōgrue speculum vel specula tio interpretatur. Cuius nominis interpretatio cōgruit ecclesiæ, quæ ne inuisibiliū hostiū insidijs pateat, superior per spiritale desideriū petit, atq; cælestia per mentis mūditiam contemplat, orans cum propheta & dicens: Esto mihi dñe turris fortitudinis. Ciuitas autē sanctificata sancta ecclesia est, quæ ab illo sanctificari se optat, cui quotidie in oratione dicit: Sanctificeť nomen tuū, considerās sollicite admonitionem dñi, dicentis: Sācti estote, quia ego sanctus sum deus vester. In ciuitate ergo sanctificata dei sapiētia requiescit, qa in illorū mentibus requiescit, qui sanctimoniam diligunt. Quod vero subditur:

Et in Ierusalem potestas mea.

Ad hoc pertinet, quia quondam potestatē in illorū cordibus tenet, qui visionem intimæ pacis toto affectu diligunt. Sequitur:

Et radicaui in populo honorificato, & in partes dei mei hæreditas illius.

Populum honorificatum, populum dicit sanctū. Quia, vt ait Apostolus, gloria, honor & pax in omnem animam hominis operantis bonum. In tali ergo populo radicasse dicitur, qui nō flatu tentationis velut fauilla rapiuntur, sed firmiter in amore dei radicati perseuerant, iuxta admonitionem Apostoli, dicētis: In charitate radicati & fundati, vt possitis cōprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit lōgitudo, latitudo & sublimitas & profundum. Huius igiť populi partes dei hæreditas est, qui eius amori nil anteponunt, & in eius comparatione nihil carum æstimant, de quibus in lege dicitur: Tribui autem Leui nō dabis hæreditatem, ego enim pars & hæreditas illius. Et de quibus ait Psalmista: Beata gens cuius est dominus deus eius, & cætera. Et ipse clamans dixit ad illum: Dominus pars hæreditatis meę & calicis mei, tu es, & cætera. Qui ergo tales sunt, ad perseuerantiam tēdere debent, vnde & subditur:

Et in plenitudine sanctorum detentio mea.

Plenitudo sanctorum, perfectio est operū. Plenitudinem habent, qui in bonis operibus consummantur, quam plenitudinem concedere nobis dignetur, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

IN DIE SANCTO ASsumptionis deiparæ virginis Mariæ. Lu. X.

In illo tēpore. Intrauit Iesus in quoddam castellū, & mulier quędā Martha nomine excepit illū. Et reliqua.



Onditor & redeptor humanæ naturæ domin⁹ Iesus Christus, non solum ad se veniētibus verbum vitæ annunciabat, sed etiā circuiens ciuitates & castella, vt euangelium referet, cæleste regnum omnibus euāgelizabat. Cumq; iuxta hanc cōsuetudinē per diuersa discurreret loca, [Intrauit quoddam castellū.] Vt præsens euāgelij lectio narrat, [& mulier quędā Martha nomine, excepit illum in domū suam.] Excepit autē illum quasi hospitē, quasi peregrinū, quasi illum qui non haberet vbi caput reclinaret. Et adhuc excepit illū quasi virū magnum & prophetā eadē deuotione, qua vidua Sareptana quondā Eliam prophetā susceperat. Suscepit illū, suscipiēda ab illo: feminans & sua carnalia, vt meteret illius spiritalia. Huius autē soror erat Maria nomine: quia Martha & Maria sorores erant, nō solum spiritu, sed etiā carne germanæ: quarū fratrem Lazarū domin⁹ à mortuis resuscitauerat. Hæc ergo Maria sedens secus pedes dñi verbum de ore illius intenta auribus audiebat. Audierat enī prophetam dicētem: Vacate & videte quoniā ipse est deus. Et illud quod per Moysen dicitur: Et qui appropinquāt pedibus eius, accipiunt de doctrina eius. Sed quia omnis qui hospitē & peregrinum suscipit, iuxta possibilitatē suam temporale subsidiū ministrare debet. Martha circa frequēs ministeriū intantū solicita erat, vt non solum contra sororem, sed etiam cōtra ipsum dominū querelam assumeret, dicēs:

Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me ministrare solā, dic ergo illi ut me adiuuet.

Ille vero qui nō est personarum acceptor, sed subtiliter singulorum merita dijudicat, & virtutes discernit, vt ostenderet meliorē esse animam quàm corpus, & meliorem esse cibum spiritalem q̄ carnalē. Ita vnius opus laudat, vt alterius non vituperet.

Ait uero: Martha, Martha, solicita es & turbaris erga plurima. Porro unū est necessarium.

Vbi non opus Marthæ reprehēditur, sed Mariæ laudatur, cum dicitur: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quod autē ait, [Martha, Martha,] repetitio istius nois, admonitio est pię intētionis.

Hæc ad literam breuiter dicta sunt. Spiritaliter autē castellum quod dominus ingressus est, mūdum significat. Quasi enim castellum intrauit, quando mūdo visibilis apparuit, quādo exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudine hominum factus, & habitu inuētus vt homo. Duæ autem deuotæ sorores quæ dominum susceperunt in domum suam, duas ecclesiæ vitas significant, actiuam scilicet & contemplatiuam. Quarum proprietatem in suis actibus demonstrant, cum vna circa frequens ministerium satagebat, actiuæ vitæ labor exprimitur. Ad quam pertinet reficere esuriētem, potare sitientem, vestire nudum, suscipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum. His etiam quæ in regimine sunt subiectorum, necessaria laboriosa sollicitudine prævidere. Per Mariam vero quæ sedens secus pedes domini verbum illius audiebat, contemplatiuæ vitæ dulcedo designatur. Cuius sapor quāto magis degustatur, eo amplius à rebus visibilibus, & curarū tumultibus atq; negotijs animus separatur. Spretis enī omnibus curis, calcatis omnibus vitijs, sola mens cum solo deo esse desiderat. Libet ei audire præcepta cælestia, lectioni & orationi frequenter incumbere, & quantum mortalis fragilitas permittit, cœtibus angelorū interesse: & quia ab illorum consortio aliquantulum seperatur, cum spiritali gaudio amarissime deflet. Hanc gratiam inæstimabilē, hanc felicitatem incomprehensibilem dominus significare voluit cum dixit: [Porro vnū est necessarium, Maria, &c.] Tantum autem eius suauitas est necessaria, vt etiam ea quæ hic bona esse videntur, ad illius comparationem superflua iudicētur. Ibi est enim quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit deus diligētibus se. Quam suauitatem optabat ille habere, qui dicebat: Vnam petij à domino, &c. Et actiua quidem vita in via est, contēplatiua in patria. Actiua in necessitate, contemplatiua in dilectione. Actiua in labore, contemplatiua in requie. Actiua nanq; in præsenti vita incipit, & cum præsenti finitur, mercede testante. Quis enim in illa patria esurientem reficiet, vbi esurit nemo? Quis nudum vestiet, vbi vestis est immortalis? Quis infirmum visitabit, vbi qui infirmetur est nullus? Quis mortuū sepeliet, vbi perpetua vita est? Cōtemplatiua vero vita in præsenti incipit, sed in futuro perficiet. Vnde bene de Maria dicitur:

Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.

Quia quod hic animus parumper degustare incipit, illic pleniter percipiet, vbi videbitur deus deorum in Sion, Apostolo teste, qui ait: Quod nunc videmus per speculum ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et iterum. Nunc cognosco ex parte, &c. Hoc ergo inter actiuam & contemplatiuam vitam distat, quia actiua communis est & multorum. Contemplatiua vero speculatio quanto sublimior, tanto est rarior. Raro enim inueniūtur, qui in veritate dicere possint: Nostra autem conuersatio in cælis est. Et illud: Siue mente excidimus deo, siue sobrij sumus vobis. Ordo autē harum virtutum exposcit, vt per actiuum laborem studeat quisq; peruenire ad cōtemplatiuam dulcedinem. Plerisq; enim post quam in actiuæ vitæ labore bene desudauerint, contemplatiuæ vitæ suauitas in mercede datur. Vnde in lege figuraliter præcipitur: Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, & in septimo egredietur liber gratis. Hebræus quippe transiens interpretatur. Et seruus Hebræus spiritaliter emitur, quando mēs de terrena conuersatione ad cœleste desiderium transit. Senarius enim numerus ad actiuæ vitæ laborem pertinet, quia sex sunt dies in quibus operari licet. Septenarius autē propter sabbathi requiem, dulcedinem contēplatiuæ exprimit. Seruus Hebræus emptus, sex annis seruire præcipitur, & in septimo liber gratis egredi iubetur, quia sunt nonnulli qui post diuturnum actiuæ vitæ laborem ad requiem contemplationis transeunt. Quod quia non propria virtute, sed diuino fit munere, recte dicitur, egredietur liber gratis. Quod propriè illorum est, qui post longa exercitia monasticæ vitæ, post diuturnam monasteria lem probationem, secreta sibi loca eligunt, in quibus illud Apostolicū implere possint, Sine intermissione orate, in omnib⁹ gratias agite. Liber egreditur gratis, quia hi postquam omnia fecerint, dicunt se inutiles seruos eius, proculdubio sicut ipsa actiua fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplatiua. Cum quali veste intrauerit, cum tali respondeat, quia omnino necesse est, vt vnusquisq; nostrum in hoc quod incipit perseueret, atque vsq; ad finem operis in ea qua inchoauit intētione perduret. Ille quippe bene ad contēplatiuam vitam transijt, qui in hac vita intentionis suæ vestem non mutauerit. Sunt autē nō nulli, qui diuino feruētes amore, in ipso exordio conuersionis ad contemplatiuæ vitæ suauitatem incipiunt conuolare, sed diuina dispēsatione prius in actiua vita liberari permittūtur. In tanto securius, imo & felicius ad contemplatiuam vitam perueniunt, quanto perfectius in actiua fuerunt vita cōprobati. Quales significauerunt duæ vxores sancti Iacob patriarchæ, Lia scilicet & Rachel. Quarum vna Lia lippis erat oculis, sed fœcūda prole. Rachel autem pulchra facie, sed infœcunda erat. Per Liā ergo quæ lippis erat oculis, sed fœcunda prole, actiua vita designatur. Quæ

cum mundo cordis oculo deum contemplari non possit, tamen per prædicationis bonæ exemplum, spiritales filios deo generat. Vnde bene Lia laboriosa interpretat, quia actiua vita in multis laboribus & solicitudinibus est occupata. Per Rachel vero quæ pulchra erat facie, sed infœcunda, contemplatiuæ vitæ dulcedo exprimitur. Quia mens dum ad videndum deum se vndiq; colligit, minus ꝑ prædicationem filios parit. Vnde bene Rachel, ouis vel visus principiū interpretatur, quia mēs contemplationi dedita, illum videre desiderat qui ait: Ego principium, qui & loquor vobis. Iacob igitur Rachel concupiuit, sed Liam nocte nesciens accepit: qa sunt nōnulli, vt supra diximus, qui ad contemplatiuam peruenire desiderant, sed prius diuino iudicio in nocte præsentis vitæ, pro multorū vtilitate laborare permittūtur. Postquam autem Liam accepit, ad amplexus Rachel peruenit: quia qui bene in actiua vita laborauerint, diuino munere quandoq; ad contemplatiuam vitam peruenient. In vtraque firmi, & in vtraq; inueniuntur ꝑfecti. Qualis erat Paulus apostolus, qui cum haberet solicitudinem omnium ecclesiarum, quod pertinet ad actiuam vitam, raptus est vsq; ad tertium cælum, quod pertinet ad cōtemplatiuam. Has autem duas vitas significauerunt duæ deuotæ sorores, quæ dominum susceperunt in domum suam, Martha scilicet & Maria. Vtrasque enim sanctas, vtrasque bonas & iustas esse credimus. Sed qualis sit melior, ipse declarare dignatus est, qui teste non eget, dicens: Maria optimā partem sibi elegit, quæ nō auferetur ab ea & cæt.

IN FESTO SANCTI MIchaelis archāgeli, Mat. XVIII.

In illo tempore, accesserunt discipuli ad Iesum, dicētes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.


Voties legimus discipulos domini de ordine prioratus inter se contendisse vel interrogasse, non liuori & inuidiæ deputare debemus, sed humanæ fragilitati ac infirmitati, qppe qui rudes erant ac nouelli, quia enim audierāt eū suam resurrectionē prædicātem, & nondū spū sancti gratia illuminati, cæleste regnum perfecte amare didicerāt, (quia vt ait euangelista Iohannes, nōdum erat spiritus datus, quia Iesus nōdum fuerat glorificatus) putabantq; ipse resurgens à mortuis, corporaliter regnum teneret, & ipsi honoribus sublimarentur. Vnde passionis illius tempore facta est contentio inter eos, qs eorum maior esset in regno cælorum. Hac suspicione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi, quando accessit ad dominum, dicens: Domine, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam in regno tuo. Hinc Cleophas & alius discipulus, quibus cum dominus post resurrectionē in specie peregrini apparuisset, dicebāt: Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Et quidam discipulorum interrogātes eum, dicebāt: Domine, si in tempore hoc restitues regnū Israel? Occasio autem interrogandi dominum, quis illorum maior esset in regno cælorum, fortassis ex superioribus acciderat. Nam vt supra euangelista retulit, accesserunt ad Petrum qui didrachma accipiebant, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cum intrasset domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus suscipiūt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto eius ore, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te. Quia ergo alij discipuli viderant Petrū in redditione census domino coæquari, computantes eum illis omnibus esse prælatum, in illa hora accesserūt ad Iesum, dicentes:

Quis putas maior est in regno cælorum?

Sed magister humilitatis, qui ait in euangelio, Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris, vt ostenderet regnum cælorum non per superbiam, sed per humilitatem esse quærendū, illumq; fore maiorem in eo, qui propter deū se humiliat.

Aduocans paruulum, statuit eum in medio eorū & dixit: Amen dico uobis, Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, nō intrabitis in regnum cælorum.

Quod duobus modis potest intelligi. Possumus enim hic paruulum dominum Iesum Christum accipere, qui cū sit magnus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, vt nos excelsos faceret, paruulus natꝰ est nobis, & filius datus est nobis. Et est sensus: Nisi meo exemplo vos humiliaueritis, q non veni ministrari, sed ministrare, & factus sum in medio vestrum sicut qui ministrat, sed non qui vel quasi recumbens, regnū cælorū quod humilibus est præparatum, intrare non potestis. Si autem simpliciter quēlibet paruulum intelligamus, facile patet, quia non solum ad

humilitatem, sed etiam ad simplicitatē seruandam hoc exēplo nos hortatur. Acsi diceret: Sicut paruulus iste cuius vobis exemplū proposui, videns mulierem pulchrā non cōcupiscit, non alienas diuitias appetit, læsus nō relædit, non aliud cogitat, aliud loquit, & iratus nō perpetuas tenet discordias, ita & vos nisi talem habueritis innocētiam in mente, qualē iste habet in corpore, regnū cælorum, quod humilibus & simplicibus est præparatū, intrare nequaquā potestis. Cuius viam nemo supbus graditur, nemo tumidus incedit, quia ardua via est & angusta, quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt eā. Cum ergo ait, Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cælorum.

Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et qui susceperit unū paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scādalizauerit unū ex pusillis istis &c.

Tale est acsi dixisset: Iam si vos delectat locus sublimis, prius exerceat humiliatioēm vitæ innocētis, nō quod apostolos corpore velet esse paruulos, sed vt innocentiam paruulorum in mente possiderent. Huiuscemodi paruulos, dñs suos volebat esse discipulos, quibus dicebat: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnū cælorum. Et Paulus apostolus talium innocentiam paruulorum suos volebat habere discipulos, quibus per epistolam præcipiebat. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autē perfecti sitis. Talē se nouerat rex propheticus, q in regali solio sublimis, sed mente humilis dicebat: Custodiens paruulos dominus, humiliatus sum & liberauit me. Et iterum: Ludam & vilior fiam plusquā factus sum, & ero humilis in oculis meis. Paruulus est enim, qui sibi displicet vt deo placeat, tantoque ante deū erit pulchrior, quāto apud semetipsum erit humilior. Vnde & subditur: Quicunque ergo humiliauerit se se sicut paruulus iste, hic maior erit in regno cælorum. Habeamus ergo virtutē humilitatis, si volumus habere in regno cælorū locū celsitudinis, quoniam sicut saluator ait in euangelio: Omnis qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Vnde & nos alibi scriptura admonet, dicens: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam. Et iterum: Humiliamini sub potenti manu dei, vt vos exaltet in tēpore visitationis. Et ne putares illum esse contemnendum, qui propter deum hic se humiliat, congruam sententiam adiunxit, dicens: Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Hoc est quod dominus in futurum se promisit dicturum: Quamdiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Et signanter ait: Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Quāuis enim non sit eligendum cui iuxta scripturæ vocem benefacere debeamus, illis tamen qui propter deū parui & humiles esse eligūt, in cuius vitæ moribus Christum esse cognoscimus, specialem beneuolentiam impendere debemus. Vnde cum pius pater filium instrueret, ait: Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & ne communicaueris ex eo cum peccatoribus. Et iterum: Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum cui tradas eam. Hinc & Apostolus ait: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Qui enim bona tēporalia illis impēdit, in quorum vita & moribus Christum habitare cognoscit, profecto illi tribuit, pro cuius amore impendit. Vnde bene dicitur, in nomine meo. Multi enī bona temporalia nō in nomine Christi, sed vt laudem hominum captare possint tribuunt, de quibus scriptum est: Quæsierunt gloriam hominum magis quam dei. Et dominus alibi, Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Et iterum: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Et ne ad suscipiendos hospites vel peregrinos pigri remaneremus, seipsum in his suscipi promisit cum ait: Qui susceperit vnum talem in nomine meo, me suscipit. Vnde & ipse alibi dicit: Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. & qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et iterum: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. Sicut aūt suscipientibus merces promittit, ita duris & auaris pœna indicit, cū subinfertur:

Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Vbi considerandum est, quam graue peccatum sit scandalizare fratrem, quādo etiam scandalizātibus talis vindicta comminatur. Quod aūt ait, Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & in profundo maris demergat, iuxta morem prouinciæ loquitur, vbi apud veteres Iudæos capitalia crimina hoc supplicio puniebant. Non ergo arbitretur leue peccatum esse scādalum fratris, cum scandalizantibus talis pœna prædicitur, quin sicut alibi in euangelio ait: Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehēnæ ignis. Quod se cauere oīno Apostolus ostēdit, cum ait: Melius enim mihi est non manducare carnem, neque

bibere vinū,neq; aliquid in quo fratrem scandalizem. A quo peccato etiam discipulos suos compescit,dicens: Quare tu scandalizas fratrem tuum,aut quare spernis illum? Igitur inquantum possumus iuxta Apostoli admonitionem scādalum fratrum vitare debemus, si autem pro veritate scandalum oriatur,magis veritas eligenda est quàm scandalum vitandum. Vel certe per molam asinariam quæ pondus habet,sed nullum iter explicat, volubilis amor seculi exprimitur. Cum ergo ait: Expedit ei vt suspēdatur mola asinaria in collo eius,& demergatur in profundum maris, carnales quoq; & mundi amatores à regimine ecclesiastico prohibet, quoniā melius est, quod mundi amator in seculo viuens carnaliter, se solum pdat, quàm in regimine ecclesiastico constitutus se & alios peruerse viuendo ad interitum trahat: quia cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur, quoniā dum infirmi discipuli patroni sequuntur exemplum, & ipsi pereunt, & illorum pditio in eius caput redundat, qui autor est criminis. Siue certe per molam asinariam doctores intelliguntur, quia sicut mola granum tritici frangitur, vt medulla eius ad sustentationem vel refectionem humanæ naturæ ostendatur, ita quoq; & doctores occultas sententias scripturæ sacræ aperientes, interiorē sensum eorum manifestant vel vitam siue refectionem animarum sanctarum.

Væ mundo ab scandalis.

Mundus cui væ dicitur, non ille est quem venit filius hominis quærere & saluare, sed ille qui in maligno positus est, i. mundi amatores, de quo dominus alibi ait: Pater iuste, mūdus te non cognouit. Qui enim mente & desiderio seculum incolunt, recte mundus appellantur, de qbus Iohannes ait: Mundus transibit & concupiscentia eius. Mundi enim amatores dū propter cupiditates seculi alios non metuūt scandalizare, tamē ipsi scandalum sustinent, aliquando autem corpore, semper autem mēte. Et ideo væ illis, quia ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quibus per Iacobum dicitur: Qui voluerit esse amicus huius seculi, inimicus dei cōstituitur, ad q̄s ptinet quod adhuc subiungit:

Necesse est enim ut ueniant scandala, ueruntamē uæ homini per quem scandalum uenit.

Quod autem ait, necesse est, tale est acsi diceret: Non potest esse vt scandala non veniant. Oportet enim & hæreses esse, sicut ait Apostolus, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Et alia scriptura: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Pacis autem tempore non facile discerni potest, quis bonus malusve sit. Sed cum scandalizatorum flauerit ventus, faciles & tenues proijciet quasi paleas ante faciem venti, grana vero congregabit in horrea Christi. Væ ergo homini illi qui talem se exhibet, vt malum quod venturum est per eius ministerium impleatur, de quibus dominus ait: Mittet filios hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & tradent ea in caminum ignis ardentis. Quod facilius intelligimus, si vnum ad medium deducamus, Iudam scilicet domini proditorem, de quo ipse tempore passionis suæ ait: Filius hominis, vadit sicut scriptum est de illo, væ homini illi p quem tradetur. Necesse enī erat, vt filius dei pro nobis passionem sustineret, sed væ Iudæ, qui nostrum bonū, suum fecit malum. Et ne aliquis sub occasione proximorum vel amicorum à via dei sibi recedendum putaret, omnem magister veritatis errorem tollit cum subiungit:

Si autē manus tua uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te. Bonum est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudū, quam duas manus uel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scādalizat te, erue illum & proijce abs te. Bonum est tibi cum uno oculo intrare ad uitā, quā duos oculos habētem, mitti in gehennā ignis.

Iuxta literam quantum abhorreat hoc, facile patet. Sed cum à litera excludimur, spiritualis sensus est requirendus. Per hoc quod manus, pes, oculus, nostris necessitatibus necessariora sunt, propinquorum & charissimorum affectus in hoc loco designatur. Ac si diceret dn̄s: Si quis tibi fuerit preciosus vt oculus, propinquus vt pes, necessarius vt manus, & à via dei se recedere persuaserit, huius amorem abscinde & abs te proijce. Melius est te solum intrare ad vitam, quàm cum multa turba propinquorum mitti in ignem æternum. Quid proficit hoī si totum lucretur mundū, animæ autem suæ detrimētum patiatur? Verbi gratia: Blanditur vxor, minat̄ pater, psuadet mater, lachrymatur frater & soror, tu aūt in via domini sta firmus, ne illos inutiliter amando à dei amore recedas, sed iuxta illud quod alibi ait: Sine mortuos, mortuos suos sepelire, tu autem sequere me. Neq; hoc diximus, quod parentibus & amicis ingrati & inobedientes esse debeamus, sed qn̄ à via dei remouere voluerint, tunc eorum amorem abscindamus à nobis. Cæterum cum eos deum amare cognouerimus, dupliciter à nobis honorādi sunt. Primum, quia iusti sunt: deinde,

quia propinqui, domino dicente in lege: Honora patrem tuum & matrem, vt bene sit tibi, & lõgo viuas tempore. Hinc Apostolus ait: Si quis suorum curam non habet, & maxime fidelium, fidem negauit, & est infideli deterior. Quantam autem solicitudinem & curam dominus de his habeat, qui totam spem in eo ponunt, manifestat cum subiungit: Videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis. Qui enĩ pusilli & humiles in præsenti vita propter deum sunt, nequaquam contemnendi sunt. Pusilli nanq; sunt, vt diximus, qui coram oculis suis humiles sunt & despecti, de quibus saluator ait in euangelio: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Quisquis ergo tales scandalizare non metuit, offendit deum qui habitat in illis, sicut ipse per prophetam dicit: Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillũ oculi mei. Et iterũ: Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. De quibus valde dulce est quod adhuc subinfertur, quare non sint contemnendi:

Dico enim uobis, quia angeli eorum in cælis semper uident faciem patris mei qui in cælis est.

In hoc loco discimus, quia vnusquisq; fidelium, angelum ob sui custodiam deputatum habet, qui & eum à tentationibus defendit, & in virtutibus iuuat, sicut Apostolus in epistola ad Hebræos ait: Angeli sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Et Psalmista de iusto quolibet: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Hinc de Petro in actibus apostolorum legimus, quia cũ ab angelo de carcere eductus ianuam pulsare cœpisset, fideles qui conuenerant, dicebant: Non est Petrus, sed angelus eius. Angeli ergo paruulorum semper vidẽt faciem patris, quia si propter nos foras exeunt, vt ab eius visione nunquam recedãt, sicut ipse angelus Raphael ad Thobiam ait: Ego sum vnus de septem spiritibus, q assistimus ante deum. Et Daniel: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Angeli enim qui custodes sunt vitæ nostræ, orationes & opera nostra deo nunciare creduntur, sicut angelus ait Thobiæ: Cum orares, ego obtuli orationes tuas ante deum. Et Daniel: Ex die qua posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu dei, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermões tuos. Tu autem domine &c.

DE MARTYRIBVS.

Lucæ VI.

In illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalem. Et reliqua.



On solum per mysteriũ incarnationis de cælo in terram descendens dominus Iesus Christus, humanæ infirmitati condescendere dignatus est, sed etiam in sanctis suis sermonibus ad humanam ignorantiam instruendam ita doctrinam suã temperauit, vt non solum perfecti, sed etiam minus perfecti cibum vitæ inuenire possent. Deniq; vt supra euangelista retulit, cum ascẽdissent in montem, secuti sunt eum eius discipuli, Vbi cum perfectiora mandata quasi capere valentibus dedisset, nolens propter eos simpliciores turbas relinquere, iterum descẽdens de monte, stetit in loco campestri. In q suo facto ostendit, in prædicatione iuxta capacitatem auditorum temperandum esse sermonem doctorum. Mons enim in hoc loco perfectiorem significat doctrinam. Loca vero campestria, humiliorem prædicationẽ atq; communiorem. Qui enim tales sunt, vt cum apostolis audire possint: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, sublimius instruendi sunt. Qui vero propter mentis infirmitatem, ad altiorem non possunt ascendere doctrinã, minimis præceptis sunt erudiendi, vt q idonei nequaquã existunt ad facienda bona, saltem non sint procliues ad perpetranda mala. Quod alibi dominus suo exemplo ostendit, cum cuidam quærenti, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo, quasi in conuallibus moranti respondit: Mandata nosti, nõ occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, nõ concupisces rem proximi tui, honora patrem & matrem. Sed illo rñdente, hæc omnia custodiui à iuuentute mea, ostẽdit ei montem perfectioris doctrinæ, dicens: Adhuc vnum tibi deest. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Sed quia hunc montem difficile qui seculi diuitijs onerati sunt, ascendere possunt, subiunctum est ilico: Ille autem abijt tristis, quia multas habebat possessiones. Huius quoq; exemplum Paulus apostolus secutus est, quando cum discipulis montem ascenderat, quibus dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos. Quasi cum quibusdam in cõuallibus morabatur, quando dicebat: Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalib⁹, tanq̃ paruulis in Christo lac vobis potũ dedi, non escã. Non enim oẽs omnia capiunt, neq; enĩ oẽs æqualiter instru

untur. Aliter quippeadmonēdi sunt supbi, aliter humiles, aliter casti, aliter adulteri, aliter ebriosi, aliter sobrij, aliter viri, aliter fœminæ, aliter coniugati, aliter virgines, aliter pij, aliter impij, aliter contemptores mundi, aliter amatores, aliter pacifici, aliter discordes, aliter suadentes, aliter aliena rapientes, vt & isti audiāt de promissione æternæ vitæ quod ameut, & illi de supplicio æterno quod timeant. Sæpe etenim quod vni morbo prodest, alteri nocet: & venenum cum sit mors hominis, vita est serpentis: & leuis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Iuxta hoc ergo exēplum doctores suā prædicationem debent tēperare, vt & perfecti inueniant quod semper discant: infirmi talia audiant, in qbus non refugiant. Quod suo nobis exemplo beatus patriarcha Iacob ostendit, qui cum oues auunculi sui Laban pasceret, & varia quæq; pro mercede recepturus eēt, tulit virgas populeas & amygdalinas, quas ex parte decorticauit, & ex parte cum corticibus reliquit, posuitq; eas in canalibus tēpore quo ducebantur adaquādum oues, vt in earū aspectu conciperent varios fœtus. Iacob enim pastor ouium, pastores significat animarum. Quorum primo dictū est: Si diligis me, pasce oues meas. Aqua autem scripturam sanctam significat, iuxta illud Salomonis: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrēs redundans fons sapientiæ. Virgæ autem variæ, sentētiæ sunt scripturarum. Ducuntur ad aquandum oues, cum ad audiendum verbū dei cōueniunt fideles. Cumq; ex eloquijs diuinis diuersæ sententiæ ad medium proferuntur, quasi virgæ in canalibus ponuntur. Quæ ex parte decorticandæ sunt, & ex parte cum corticibus relinquēdæ. Quia (vt diximus) perfectiores allegorico sensu instruendi, simplices vero & minus intelligentes, iuxta veritatem hystoriæ sunt pascendi. Vnde & dominus cū discipulos in monte docuit, & turbas in conuallibus curare voluit, ostēdit vt illi qui ex doctrina verborum credere non poterant, saltem ex virtutibus miraculorum crederent. Quod (vt diximus) suo dominus exēplo declarauit, quando ⌞descēdens de monte, stetit in loco cāpestri, & turba discipulorū eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalem.⌟

Et maritima & Tyri & Sidonis, qui uenerant ut audirent eum.

Maritimaenim hic magni maris loca intelligere debemus, maxime cum de Tyro & Sidone, quæ in corde maris sitę sunt, affuisse memorantur. In quo loco cognoscimus, quia virtutes eius nō solum ad Iudæorum regnū, sed etiam ad vicinas & exteras regiones peruenerant, quando omnes concurrebant, non solum vt audirent verbum dei, sed vt sanarentur à languoribus suis, vnde & subditur:

Et omnis turba quærebat eum tangere, quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Multi enim eum tāgere cupiebant, à quo omnis virtus procedit, & qui est dei virtus & dei sapientia, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et ideo, quia de illo omnis virtus exibat, omnes volebant eū tangere. Nam & supra tangendo leprosum curauerat, & nunc omnis turba quærebat eū tangere, vt intelligamus quia tactus sanitas est. Quod experta est illa mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, & cū tetigisset fimbriam vestimenti eius, statim sanata est ab infirmitate sua. Ad cuius tactum virtus de illo exibat, intantum vt quasi nescius dominus quæreret, quis me tetigit? Et discipuli eius ad eum: Rabbi, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Et ille: Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutē de me exisse. Spiritualiter vero Christum tāgit, qui eum verum deum credit, & recta fide cōfitet. At vero pagani, Iudæi & hæretici Christum minime tangunt, quia eum verum deū credere contemnunt, & fide recta hunc confiteri nolunt. Vnde & Mariæ quæ dominum surrexisse non credebat, sed eum mortuū inter mortuos quærebat, volenti illum tāgere, dictum est: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meū. Acsi diceretur: Quia manum fidei me tangere noluisti, manu corporis me tangere noli. Curatio vero dæmonum non solum per eius præsentiam fiebat, sed etiā inuocatione ipsius nominis in sui absentia, sicut discipuli quoq; domino gaudentes dicunt: Domine, in tuo nomine etiam dæmonia nobis subijciuntur. Sequitur:

Et ipse eleuatis oculis in discipulos dicebat: Beati pauperes, quia uestrū est regnum dei.

Etsi generaliter dominus loquebatur, specialiter in discipulos oculos leuauit, quos maiori gratia digniores fecit. Eleuatio qppe oculorum Iesu Christi, amplioris misericordiæ munera significat. Et in discipulos oculos leuauit, quos specialius virtutib⁹ ditauit, iuxta quod alibi legimus: Quia cum dixisset ei qdam, ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes loqui tecum, ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Ecce mater mea & fratres mei. Quid autem eleuatis oculis dicat, audiamus: ⌞Beati pauperes, quia vestrum est regnum dei.⌟ Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi spontanea paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam & originem sumunt. Sicut deniq; ex vna radice arboris

multi rami & folia prodeũt, sic ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam amat paupertatem, erit misericors per largitatem, & non tenax per auaritiam. Erit consequenter & mitis, quia diuitias non quærit per iactantiam, qui paupertatem diligit cum humilitate. Erit & pacificus, quia non erit occasio rixandi, vbi non est voluntas acquirendi. Habebit etiã & cordis mũditiam, quia sicut illi qui diuitias diligunt, turbulenti sunt animo, ita qui spontaneam paupertatẽ amãt, soliciti sunt quæ dei sunt, quomodo placeant deo. Sed illud diligenter considerãdum, quia illa paupertas laudabilis est, quæ aut habere non cupit, aut si forte habet, propter deum distribuenda relinquit. Vnde Matthæus euangelista, vt hanc paupertatem ad beatitudinẽ pertinere ostenderet, cũ additamento ait. Beati pauperes spiritu, qm̃ ipsorum est regnum cælorũ. Alij enim sunt pauperes spiritu & rebus, alij nec rebus nec spiritu, alij rebus & non spiritu, alij spiritu & non rebus. Rebus sunt pauperes & non spiritu, q nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes & non rebus, sicut illi qui secundum Apostolum, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes sunt, quales fuerunt Abraam, Iacob & Dauid, qui regali solio sublimatus erat, pauperem se ostendit spiritu, dicens: Ego autem mendicus sum & pauper. Et iterum: Egens sum, & in laboribus à iuuẽtute mea. Nec rebus nec spiritu sunt pauperes, diuites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilominus mente sunt turgidi. De q bus dicitur in psalmo: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Rebus & spũ sunt paupes perfecti monachi, q propter deum oĩa relinquentes, nec corporis proprij potestatem in suo arbitrio relinquũt, & ideo quãto hic propter deũ sunt pauperiores, tãto in futura gloria erunt ditiores, iuxta promissionem dñi dicentis: Omnis qui reliquerit domũ, agros, patrem & matrẽ, fratres & sorores, vxorem & filios propter me, centuplũ accipiet, & vitam æternã possidebit.

Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.

Quid esurire vel sitire debeant qui ad beatitudinem peruenire desiderant, alius euangelista manifestius declarat, dicens: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Iustitiam quippe esurire & sitire, est præcepta dei libenter audire, & libentius opere implere. Tales enim saturabuntur, qñ ad videndum deum cuius hic mandata cũ magna mentis esurie susceperunt, perducentur, dicentes cum Psalmista: Ego autem in iustitia apparebo, & in conspectu tuo satiabor, dum manifestabitur gloria tua. Vnde & Salomon ait: Diligite iustitiam q iudicatis terrã.

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.

Beati dicunť flentes, non illi qui flent propter temporalium damna commodorũ, propter amissionem charorum, sed qui flent propter remissionem peccatorum, vel pro expectatione regni cęlorum, qui veraciter cũ Psalmista dicere possunt: Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in cõspectu tuo. Et iterũ: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie, vbi est deus tuus? Tales enim ridebunt, quando implebitur illud quod dominus ait: Nunc quidem tristitiam habetis, iterum autẽ videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrũ nemo tollet à vobis. Risum autem hic non pueriliter accipere debemus, sed mentis exultationem & gaudiũ. Vnde & Sara ex repromissione prolis lætabunda ait: Risum mihi fecit deus. De quo per beatum Iob dicitur: Et os veracium implebitur risu. De quo etiã risu in laudibus ecclesiæ dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos, & ridebit in die nouissimo. Quia vero per humilitatis meritum peruenitur ad martyrij præmia, recte post alias beatitudines subinfertur:

Beati eritis cum uos oderint homines, & cum separauerint uos & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanq̃ malũ propter filiũ hoĩs.

Vbi ostenditur quia persecutio prauorum non est timenda, sed potius cum affuerit, toleranda, quia sicut dixit Iacobus apostolus, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit deus diligentibus se. Verũ subtilius discutiendũ est, quia non nos ad nostram persecutionem prauos homines commouere debemus, sed potius cum iustitia & rectitudine quantum possumus, cum fuerint commoti, mitigare. Quod si quiescere noluerint, magis persecutionem tolerandam, quã iustitiam relinquendam. Quod alius euangelista manifestius declarat, dicẽs: Beati qui p̃secutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sustinent eñ multas tribulationes homicidæ, adulteri, fures, alienarum rerum inuasores. Nec tamen talis persecutio ad beatitudinem perducit, quę propter iustitiam sustinetur. Vnde nos admonet beatus Petrus, dicẽs: Nemo vestrũ patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter, aut rapax. Si autem vt Christianus, nõ erubescat, sed glorificet deum in isto nomine. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Vnde recte saluator concludit, dicens:

Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces uestra multa ē in cælo.

Non enim dolendum est in persecutionib⁹ sed potius gaudendum, vt quanto hic quisque propter iustitiam durius affligitur, tanto dulcius in cælo remunerabitur. Vn̄ Iacobus admonet, dicens. Om̄e gaudiū existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ multo preciosior est auro, quod p ignē probat. Et alia scriptura: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Hinc & saluator cum discipulos ad persecutionem tolerandam hortaretur, sui exemplum posuit, dicens: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Et iterum: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, qa vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mūdus. Quapropter studeamus iuxta domini præceptū vel exemplū, seculi huius cunctas aduersitates æquanimiter ferre, sciētes quia si electi sumus ab eo, non ad gaudium mundi, sed (sicut ipse missus est à patre, quem pro humani generis redemptione incarnari cōstituit) ad passiones mittimur in mundum. Inter scandala igitur persecutorum tolerantia sit passionū, terrena desideria quæ separant à deo, fugientes, vt cælestia mereamur cōseq pmia, Amē.

DE CONFESSORIBVS. Matthæi XXV.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidā peregre proficiscens, uocauit seruos suos: & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinq; talenta, alii duo, alii uero unum, unicuiq; secundū propriam uirtutem, & profectus est. Et reliqua.



IN similitudinibus, q̄s ad ignorantiam nostram instruendam dn̄s proposuit, solicite considerandum est, quia sic quędam ad nostram proponitur admonitionem, vt specialiter ad ipsum dei & hominum pertineant mediatorem. Quod in huius lectiōis serie comprobatur, cum dicitur: **Homo quidam peregre proficiscens uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.**

Homo enim iste per similitudinem dominus Iesus Christus accipiendus est, qui cum sit deus ante secula, factus est homo in fine seculorum, de quo scriptum est: Homo factus est in eo, & ipse fundauit eam altissimus. Iste autem homo peregre profectus est, quando carnem suam quam ex hominibus assumpsit ascendendo in cælum eleuauit. Ex eo enī tēpore quo primo homini dictum ē. Terra es, & in terram ibis. Proprie locus carnis terra est. Sed iste homo peregre profectus est, qa caro quam assumpsit, non corruptionem vidit, sed post resurrectionem in cælos ascendit. Huius hominis serui homines sunt, quos sibi ad seruiendum, seq; laudandum rationabiles condidit. Huic autē homini seruire summa libertas est: ab eius seruitute recedere turpissima seruitus est, Huius se seruum gloriabatur Paulus, cū dicebat: Paulus seruus Christi Iesu. Et iterum: Gratias ago deo meo, cui seruio à progenitoribus meis. Et Psalmista: Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et iterum: Seruus tuus sum ego. Bona autem huius hominis, spiritalia dona sunt. i. virtutes animæ, quæ de ei⁹ bonitate sunt natæ, & illius largitate nobis collatę, q̄lis est charitas, pax, patientia, humilitas, castitas, sobrietas, & his similia. Ergo peregre profectur⁹ vocatis seruis tradidit bona sua, quia spiritalibus spiritalia dona concessit. Et quia eadem dona non omnes æqualiter accipiunt, sed secundū dantis distributionem, alius plus, alius minus pficit, recte dicitur:

Et uni dedit quinq; talenta, alii duo, alii uero unum, unicuiq; secundum propriam uirtutem, & profectus est statim.

Sicut talentū apud antiquos varijs modis librabatur, ita dona spūs sancti diuersa sunt iuxta accipientiū merita, nō in se, sed in alijs, qui ea accipiūt. Nam ab vno dn̄o diuersa dona seruis danī, iuxta illud quod ait Apostolus: Alij quidē per spm̄ daī sermo sapientiæ, alij aūt sermo scientiæ, secundū eundē spm̄, alteri fides in eodem spū, alij gratia sanitatū, in vno spū, alij operatio virtutū, alij prophetia, alij discretio spirituū, alij gn̄a linguarum, alij interpretatio sermonū. Hæc aūt oīa operatur vnus atq; idē spūs, diuidēs singulis prout vult. In quinq; ergo talētis, quinq; sensus corporis designanī, per quos exterior hō regitur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus & tactus, in duobus autem intellectus & operatio designatur. Et vnius talenti nomine intellectus solummodo exprimitur. Plus ergo accipit cui duo, quàm cui quinque talēta commissa sunt: quia sunt nonnulli qui p exteriores sensus opera quæ possunt operātur, & tamen in intellectu spirituali minus proficiunt. Sūt vero & aliqui, qui extrinsecus magna agunt, & interius maiora intelligūt. Sūt etiam aliqui qui vnum tm̄ talentū accipiunt,

quia bona quidem intelligũt, ſed operari minime ſtudent. De quibus ſcriptum eſt: Sapiẽtes ſunt vt faciãt mala, bene autem facere neſcierunt. Quod autem ſtudio in multiplicandis bonis operibus inſiſtere debeamus, manifeſtatur cum ſubditur:

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo.

Iam ſuperius per quinq; talenta, quinque corporis ſenſus. & per duo, intellectũ & operationem diximus deſignari. Quinq; ergo talenta geminare, eſt per exteriores ſenſus deuotiſſime deo ſeruire, tribuendo eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtitum, in carcere poſitum requirendo, infirmum viſitando, mortuum ſepeliẽdo, aliaq; pietatis opera implendo. Quaſi enim talenta multiplicãdo geminãtur, qñ nonnulli tardiores in ſenſu per conſuetudinem boni operis, in intellectu ſpirituali proficiunt. Duo quoq; talenta geminant, qui bene uiuendo & docendo, eccleſiã dei multiplicare non negligunt, illud attendentes quod ad Timotheũ ſcribitur: Doctrinam quam accepiſti à me, commenda fidelibus hominibus, qui idonei ſunt & alios docere. Taliter accepta talenta ſeruis ſpiritualibus geminare ſuadebat Apoſtolus, cum dicebat: Habentes donationes ſecũdum gratiam quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, q miſeretur in hilaritate.

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.

Quaſi enim vnum talentum in terra abſcõdit, qui ingenium, quod à deo accepit, in terrenis actibus occupat, ſeſeq; totum in mundi amore obligat. Sed veniet tempus, quãdo ſpiritales de aequiſito lucro gaudeant, & mũdi amatores pro ſuis cupiditatib⁹ erubeſcãt. vnde & ſubditur:

Poſt multum uero tẽporis uenit dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.

Poſt multum tempus dominus redire dicitur, quia longũ ſpatium eſt inter domini aſcẽſionem & ſecundum eius aduentũ. Tunc enim ratio cum ſeruis ponetur, quando diſtricte à nobis exiget dona, quæ miſericorditer nobis tribuit, quãdo aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt Apoſtolus ait, rationẽ pro his quæ geſſimus reddituri. Felix autem qui in illa hora diſcuſſionis talis inuentus fuerit, qualis iſte memoratur, de quo ſubditur:

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuper lucratus ſum.

Ex quinq; enim talentis alia quinq; lucratur, qui per quinque ſenſus corporeos, quos ſupra diximus, bona quæ poteſt operatur. Sunt enim nonnulli in eccleſia, qui cum tardiores videantur ingenio, tamẽ cum per exterius miniſterium fideliter ſeruiũt, eius munere ad ſpiritualem intellectum perducũtur, intantum vt etiam aliquando in eccleſiaſticũ magiſterium eligantur. Qualem autem mercedẽ ſit recepturus, manifeſtat cum ſubdit:

Ait illi dominus eius: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.

Pauca enim ſunt omnia præſentis vitæ ad cõparationem futurorum bonorum, q̃uis magna eſſe videant. Qui ergo ſup pauca fidelis fuit, ſuper multa conſtituitur, quia is qui terrenam ſubſtantiam bene diſpenſauit, pro rebus tranſitorijs perpetuam accipiet mercedem, audiens ab ipſo iudice: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.

Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo ſuperlucratus ſum.

Similiter alia duo lucratur talẽta, qui à domino duo acceperat, quãdo is qui intellectũ & operationem habet, non ſolum bene viuẽdo, ſed etiam bene docẽdo plurimos ad amorem dei vocat. Notandum autem, quod & is qui de quinq; talentis decem, & is qui de duobus quatuor reportauit, ęquali voce collaudant, cum vtriq; à domino dicitur:

Euge ſerue bone & fidelis.

Quod eſt, bene gaude. Et qualiter ſeruus cum dño gaudeat, declaratur cum ſubinfert:

Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.

Cui recte dicitur:

Intra in gaudium domini tui.

Quia cum tantis & pro tantis mercedẽ accipiet, quamos bene viuendo, bene docendo lucratus eſt. In quib⁹ verbis intelligimus, qa illi maiorẽ mercedẽ ſunt à dño in ęterna vita recepturi, qui bene viuendo (vt diximus) & bene docendo, ad aliorum eruditionem vel

doctrinam ſpiritualiter inuigilant. Quod alibi dominus apertius declarat, cum dicētibus apoſtolis: Domine, ad nos dicis ad hanc parabolam, an & ad omnes? reſpondit: Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem cōſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Beat⁹ ille ſeruus, quē cum venerit dn̄s, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, q̄m ſup omnia bona ſua cōſtituet eum. Qui enim ſuper omnia bona conſtituitur, duplicem mercedem accipiet, nō ſolum qui ſancte vixit, ſed etiam qui digne docuit. Vnde Daniel cum de reſurrectiōe mortuorum loqueretur, vt oſtēderet magiſtros ſpirituales ſuper omnia conſtituendos, ait: Qui autē docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Quam deſiderabilem vocem & ineffabile gaudium audire deſiderans beatiſſimus pater noſter, cuius hodie feſtiuitatem celebramus, talentum ſibi creditum bene docēdo & bene viuendo ſtuduit erogare, vt geminatū illud domino reportaret, non tantum monēdo pios, ſed etiam cōprimendo reprobos. Et ideo quia iuxta ſcripturæ vocem, gaudiū patris eſt filius ſapiens, tanta huius excreſcunt merita gaudiorum, quanta incrementa proficiunt ſpiritualiū filiorum. Vnde neceſſe ē, vt vnuſquiſq; noſtrum fratres chariſſimi, huius beatiſſimi patris noſtri veſtigia ſequētes, talentum quod à deo accepimus, non in terra abſcondamus, ſed cū magno deſiderio erogare ſtudeamus, vt geminatum domino referamus. Et quia alius artem legendi, alius cantandi, alius prædicandi, alius pingendi, alius ea quę ad ornamentū eccleſiæ pertinēt, fabricandi talentū accepit, alius hoc q̄d didicit ſtudeat erogare. Nec ſolum in eccleſiaſticis miniſterijs: ſed etiā ſunt tales in hoc populo, q̄ diuerſas artes habent quibus victitāt, alij cementarij, alij lignarij, alij fabri, alij ſectores, & vnicuiq; ars qua paſcitur, pro talenti commēdatione reputabitur: & ſi in hoc quod ſcit alios inſtruit, mercedem in futuro recipiet. Qualiter autem huiuſmodi talenta quod accepit, erogare debeat, dominus oſtendit cum ait: Gratis accepiſtis, gratis date. Vnde neceſſe eſt fratres dilectiſſimi vnicuiq; noſtrum, vt cum ſumma diligentia vigilanter cogitet, quatenus talentum quod accipit, duplicatum domino repræſentet. Si autem ſuæ talentum vtilitatis prodeſſe alijs non vult, timeat increpationem quam is qui talētum vnum in terra abſcōdit, à domino audiuit: Serue male & piger, quare non dediſti pecuniam meam nūmularijs, & ego veniens, recepiſſem vtiq; q̄d meum eſt cum vſura? Et implebitur quod ſequitur:

Tollite ab eo talentum, & date illi q̄ habet decem talenta.

Quia quæcūq; ſine charitate operatus eſt, bona in conſpectu dei non ſunt, quamuis bona coram hominibus videantur. Tanto enim quiſq; ampliorē gloriam cum domino poſſidebit, quanto largius talētum acceptum pro eius amore erogauerit, quod ipſe pręſtare dignetur, qui cū patre & ſpūſancto viuit, &c.

DE CONFESSORIBVS. Lucæ XII.

In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lūbi ueſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus ueſtris. Et reliqua.



INter ceteras virtutes, quas dn̄s noſter Ieſus Chriſtus diſcipulis tradidit, & per diſcipulos nobis, maximam & pręcipuam caſtitatem oſtendit. Nam cum ſuperius ad ſpontaneam paupertatem amandā nos incitaſſet, dicens: Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficiētem in cœlis, quo fur non appropiat, nec tinea corrumpit, continuo de ſeruanda caſtitate adiecit, dicens:

Sint lumbi ueſtri pręcincti.

Quod enim luxuria viris in lumbis ſit, & fœminis in vmbilico, dn̄s teſtatur, cū de diabolo loquit ad beatū Iob: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico vētris eius. Lūbor enim noīe hic luxuria deſignat cum dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum ardorē libidinis amore caſtitatis refrenamus. Taliter lumbos præcinctos habebat Iohannes baptiſta, de quo ſcriptum eſt, quia erat veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius. Nec erat de immundis, qui propter fluxum ſeminis eijciebantur extra caſtra, ſed caſtitatem quam in mente habebat, in ipſo habitu corporis demonſtrabat. Sic & Elias zonā circa lumbos habebat. Qui enim non propter amorem filiorum iunguntur, ſed propter libidinem explendam, lumbos præcinctos non habent, ſed potius de illis ſunt, qui propter immunditiam extra caſtra eijciuntur, comparatis iumentis inſipientibus. Qui vero tollens membra Chriſti, facit ea membra meretricis, nequaquam lumbos habet præcinctos, quoniam ſicut vere ait Apoſtolus Paulus: Sine pace & caſtimonia

nemo videbit deum. Quantum enim incorruptio carnis deo placeat, ipſe per prophetã teſtatur, dicẽs: Hæc dicit dominus eunuchis qui cuſtodierit ſabbata mea & elegerint quę volui, tenuerintq; fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum nominatum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum, quod non peribit. Et in Apocalypſi de talibus dicitur: Hi ſunt qui cũ mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Quod cum omnibus fidelibus generaliter obſeruãdum ſit, ſpecialiter tñ miniſtris eccleſiaſtici ordinis cuſtodiendũ iniungitur, quando in veteri lege carnes agni, qui in figura corporis & ſanguinis domini immolatus eſt, non prius credere permiſſi ſunt, quàm renes accinctos haberent, domino dicente: Sic ergo comedetis illum, renes vſos accingetis, calceamẽta habebitis in pedibus. Itẽ: Dixit dominus ad Moyſen: Loquere ad Aaron, & ad filios eius: Homo de ſemine veſtro, in quo fuerit macula, non accedat ad altare. Si gibbus fuerit, ſi lippus, ſi albuginẽ habẽs in oculo, ſi impetiginẽ in corpore, vel iugẽ ſcabiẽ, ſi cæcus fuerit vel claudus, ſi fracto pede vel torto naſo, ſi fuerit ponderoſus vel hernioſus. Qui enĩ ſacra myſteria manibus tractare & alijs miniſtrare debent, dignum eſt vt ab omni immunda pollutione ſint alieni, vt ſ. & mente ſint caſti & corpore pudici. Quod in opere Dauid diſcimus, qui cum veniſſet ad Achimelech ſacerdotem, nõ prius panes ſanctificatos accipere voluit, quàm ſe ſuosq; mundos à mulieribus teſtaret, non vtique ſolum ab alienis neq; à concubinis, ſed etiam à proprijs vxoribus. Ait enim: Et quidem ſi de mulieribus agitur, cõtinuimus nos ab heri & nudiuſtertius quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum munda.

Quapropter conſideret vnuſquiſq; conſcientiam ſuam, & ſi ſe incontinentem ſenſerit in corpore, abſtineat ſe à ſacra communiõe, ne forte ad iudicium accipiat, quod fidelibus datum eſt ad remedium, timens illud quod terribiliter clamat Apoſtolus, dicens: Quicunq; manducauerit panẽ, vel biberit calicẽ dñi indigne, reus erit corporis & ſanguinis dñi. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi mãducat & bibit, non dijudicãs corpus domini. Vel certe aliter lumbos præcingimus, cum oĩa impedimenta mũdi poſtponimus, vt in via mãdatorum dei, greſſum mentis firmiter figere valeamus. Qui cum diſcinctus eſt, ipſis ſuis veſtimẽtis impeditur ne libere ambulet. Qui vero præcinctus eſt, quaquauerſus liber diſcurrere poteſt. Præcingitur ad prælium miles, & circa renes gladium portat, quo aduerſarium ſuũ percutiat. Et tu ergo qui cupis eſſe miles dei, præcinge lumbos tuos. i. omnia fluxa & impedimenta mũdi poſtpone, vt pugnare valeas nõ aduerſus carnẽ & ſanguinẽ, ſed aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtib⁹. vt impleatur in te quod idem Apoſtolus ſubiungit: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis. Taliter miles caſtrorum lumbos præcinxerat, quando audiuit: Accinge ſicut vir lumbos tuos. Vnde & in laude eccleſiæ dicitur: Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Quiſquis autem talis ẽ, alijs ad exemplum imitationis proponendus eſt, q̃a ſicut ait dominus. Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Vnde poſtquam dixit: Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardẽtes, quid per lucernas, niſi opera bona deſignantur? Lucernas ardẽtes habere, eſt bona opera alijs ad imitãdum oſtẽdere, iuxta illud quod dominus alibi ait: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Conſiderandum autem illud eſt, quod duo ſunt quæ præcipiuntur, lumbos ſ. præcingere, & lucernas ardentes habere, quia nec caſtitas prodeſt ſine bono opere, nec bonum opus aliquid valet ſine caſtitate. Primum enim pręcipimur lumbos reſtringere, & poſt lucernas tenere: quia ille ad aliorum exempla promouẽdus eſt, in cuius pectore ſalutaria deſideria vigent, & cuius mentem carnalis voluptas non occupat. Quod in lege præfiguratum eſt, cum ꝑ Moyſen præcipitur, vt leuitæ vſq; ad quinquageſimũ annũ miniſtrẽt, poſt annũ vero quinquageſimum cuſtodes vaſorum fiant, legitimum tempus attendentes, ſiue ad regendũ, ſiue ad officium prędicationis ſuſcipiendum. Sed quæritur quare præcipiat lucernas tenere, cum alibi dicat: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum. Ad quod dicendum, quia illis præcipitur bonum opus ad exemplum aliorum oſtendere, qui tã perfecti ſunt, vt ab hominibus laudati non extollantur. Illis autem qui imperfecti ſunt, ad quos fauor humanus extollit, pręcipitur: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum. Et cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Et quia iuxta Iohannis vocem: Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus in die iudicij, quicunq; lumbos habent præcinctos & lucernas ardentes, aduẽtum domini nõ tam timere debent quàm diligere. Vnde & ſubditur:

Et uos ſimiles hominibus expectan-

tibus dominum suum, quādo reuertatur a nuptiis, ut cum uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.

Ad nuptias quippe dominus noster abiit, quando ascendens in cælum, multitudinē angelorum nouus homo sibi sociauit. Tunc autem reuertetur ad seruos suos, quando periudicium manifestari cœperit. Siue aliter: Certe dominus nobis quotidie uenit, cū consciētias nostras per suam gratiam visitat, & cor nostrum suo amore inflammat, Pulsat vero, quando per ægritudinis molestiā, vicinam mortē denuntiat. Cui ille statim aperit, qui lætus de corpore exit, & eius speciē, quem semper desiderauit, videre cōcupiscit. Pulsanti iudici aperire timet, qui eius præceptis se minime obtemperasse cognoscit: & videre eū exiens de corpore trepidat, quem contēpsisse se meminit: & quasi iudicem videre metuit, cuius iussis se obtēperasse non cognoscit. Sicut eñ iudicis aduentū in ciuitate eius iusti diligunt, fures & latrones timent: ita & aduentū domini illi timēt, qui eius præceptis se minime obtēperasse sciūt. Soli autē illi diligunt, q recte se viuere recolunt: quod illorū est facere, qui vitam suā quātū humana fragilitas patitur, inculpabilem custodiūt, & cor suum de terreno amore in cælestis patriæ gaudio ponūt. Talis erat Paulus apostolus, qui de bonis actibus securus dicebat: Ego autē iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamē certaui, cursum cōsummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Et iterū: Cupio dissolui, & esse cū Christo, multo melius est. Et rursus: Viuo autē iā nō ego, viuit vero in me Christus. Taliter pulsanti iudici beatus Martinus aperire parat⁹ erat, quādo inter ęgritudinis molestiam constitutus, discipulorū fletibus commotus, dicebat: Grauis est domine pugna laboris, qua hucusq; certaui, sed si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso propter eos laborē, fiat voluntas tua. Talibus qualis remuneratio præparata sit, dominus manifestat cum subdit:

Beati serui illi, quos cum uenerit dominus inuenerit uigilantes.

Vigilare eñ est, in bono opere vnumquēque solicitū esse. Ille vero bene vigilat, qui recte credit & recte viuit. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis apertos tenet oculos mentis. Vel certe vigilat, qui, torporē & negligētiam à se excutit, & diuinis mādatis ardēti animo inhæret. Taliter Paulus apostolus vigilare monebat, quibus dicebat: Euigilate iusti, & nolite peccare. Et iterum: Hora est iam nos de somno surgere. Et rursus: Vigilate & orate, & state in fide. Adhuc etiam ipsius remunerationis qualitas insinuatur cum subditur.

Amen dico uobis quod pręcinget se & faciet illos discumbere & transiēs ministrabit illis.

Præcingi vero dei, est ad retributionem se præparare. Nostrum autem discumbere, est in æterna beatitudine quiescere, iuxta quod ipse alibi ait: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cū Abraam & Isaac & Iacob in regno cælorum. Transire vero dicitur, cum post iudicium ad regnum properat. Vel certe dominus transiens nobis ministrabit, eum de forma humanitatis vsq; ad contēplandam charitatem diuinitatis nos perducet. Omnibus eñ in iudicio in forma humanitatis apparebit, iustis scilicet & iniustis, sicut scriptum est: Et videbit omnis caro salutare dei nostri. Sed reprobis iusto iudicio damnatis, iuxta illud quod scriptum est. Tollatur impius ne videat gloriā dei, solis electis transiet, quos de visione humanitatis vsq; ad cōtemplandam charitatem diuinitatis sublimabit, vt qui modo intuentur tantum hominē, tūc facie ad faciem mereantur videre deum, qualiter pater in filio, & filius manet in patre. Sed quia omnibus præsentis vitæ terminus incertus est, recte subiungitur.

Et si uenerit in secūda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, beati sunt serui illi.

Antiqui enim noctem in quatuor vigilias diuidebant, ita vt vnaquæq; vigilia trinas haberet horas. Varietates namq; horarū, diuersitatē significant humanæ vocationis. Prima enim vigilia, primæuum est tempus nostræ ætatis, id est, pueritia. Secunda vigilia, adolescentia vel iuuentus, quæ pene idem sunt, Salomone dicente: Lætare iuuenis in adolescētia tua. Tertia vigilia senectus est. Cum vero dominus nonnullos in pueritia bene operantes ab hac vita vocat, quasi ad seruos vigilantes in prima vigilia venit. Cū vero alios in adolescētia vel iuuētute ab hac vita ducit, quasi in secūda vigilia venit. Si quis ergo in prima vigilia vigilare noluerit, saltem hic in secunda vigilet, id est, si quis in pueritia à bono opere torpuit, saltem in adolescentia vel iuuentute somnum torporis à se excutiat, & dum virtus corporis viget, in bono opere se exerceat. Si quis autem tam negligēs & desidiosus fuerit inuentus, vt nec in prima nec in secunda vigilia vigilauerit, saltem in tertia, id est, in senectute iā resipiscat, & tūc vigilare nō timeat cū parū vigilatur⁹ ē. Neq; eñ sero cōuersos diuina pietas despicit, qui p

leste desiderium. Quem ille venditis omnibus comparat, qui corpus suum per cælestis patriæ disciplinam affligit in ieiuniis, vigiliis & orationibus. Sed & ille agrum cum thesauro inuento, datis omnibus emit, qui cruci figens membra sua cum vitiis & concupiscentiis, Christum sequitur, & quodammodo spirituali venundatione seipsum mutat, declinando à malo & faciendo bonum. Hunc enim thesaurum absconditum in agro, cuidam domino emere persuadebat eũ dicebat: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Illud autem notandum, quod thesaurus inuentus, custodit vt seruetur, quatenus intelligamus quàm studiose in bono opere vanam gloriam cauere debeamus. Sic est enĩ præsens vita quasi via, latrones autem iuxta viam, immũdi sunt spiritus, qui illis maxime inuident, quos cũ spirituali thesauro ad cælestem patriam tendere cognoscunt, sicut per prophetam de eorũ capite dicitur: Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Illorũ ergo diuitias isti latrones rapiunt, qui per inanem iactantiam bona sua opera coram hominibus denudant. Vnde necesse est, vt cum opus bonum exteri⁹ agimus, intentionẽ deo placendi semper in occulto teneamus, iuxta quod ipse nos admonet, dicens: Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Et iterum: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum: & clauso ostio, ora patrem tuum, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Ad accendendum autẽ mentem in amorem cælestis desiderii, alia similitudo datur cum subinfertur:

Iterum simile est regnum cælorum homini negociatori quærẽti bonas margaritas, inuenta autem una preciosa margarita, abiit & uendidit omnia quæ habuit & emit eam.

Vbi preciosæ margaritæ nomine, dulcedo vel claritas æternæ patriæ intelligit, quæ preciosior est cunctis preciosis rebus, & suauior omnibus delectationibus. Negociatores autem spiritualiter nos sumus, qui de terrenis facultatibus cælestem gloriam mereari iubemur. Notandum autem quod ait: Vẽdidit omnia quæ habuit & emit eam, quia ille preciosam margaritam vnam (id est, cælestem patriam) datis omnibus emit, qui non solum terrenis facultatibus, sed etiã propriis renunciat facultatibus. Qui vero sua pauperibus tribuit, sed adhuc propriis voluntatibus seruit, preciosam margaritam nõdum emit: quia quod carius deo poterat offerre, retinuit. Non enim deus nostra, sed nos quærit, qui terrenam substantiam non nisi propter lucrum animarum dare præcepit. Quia ergo negociatori bonas margaritas quærenti, bonisq; margaritis sumus comparati, seruare debemus in opere quod accepimus in nomine. Et sicut terrenos negociatores nõ maris pericula ab officio negociãdi prohibent, non latronum insidiæ terrent, non asperi casus itineris vetant, non hyemis frigus, non æstatis color retinet, tantum vt terrenum lucrum acquirere possint: ita & nos, qui spirituales sumus negociatores, ab amore cælestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla eius aduersitas terreat, nec aliqua tribulatio prohibeat, vt preciosam margaritam amantes, cũ Apostolo dicere valeamus: Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum autem quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, ne fortitudo, neq; altitudo, neque profundũ, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Imitemur & aliud negociatorum opus. Habent enim hoc proprium hi, qui negociandi operibus insistunt, vt si in vno negocio dãna incurrerint, studiosius negociandi operibus insistãt, quoadusq; quod in vna re perdiderunt, in alia acquirant. Ita ergo & nos, si in aliquo casu damnum animæ inciderimus, studiosius incepto bono operi instamus, vt quod per negligentiam amisimus, per bonũ opus recuperemus, q̃tenus ad preciosæ margaritæ lucrum peruenire possimus, & vocem domini audire mereamur, dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia in pauco fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Hæc autem margarita tam chara ẽ, vt nullis terrenis diuitiis possit compari: tã vilis, vt sola bona voluntate possit acquiri. Hanc margaritam preciosam multis facultatibus Zachæus comparare studuit, qui cum huius margaritæ largitorẽ in domo sua suscepisset, præ nimio gaudio dixit: Domine, dimidium bonorum meorum do pauperib⁹, & si aliquid tuli, in quadruplum restituo. Hanc quoq; margaritã vidua illa duobus æris minutis, in gazophilatio iactatis comparauit. Cuius precium ipse testis conscientiæ, dominus scilicet, collaudauit, dicens: Amen dico vobis, quia vidua hæc pauper plus om̃ibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundauit illis, miserunt: hæc vero de penuria sua quod habuit, misit totum victum suum. Huius margaritæ pulchritudinem beatissima N. cuius hodie festiuam celebramus festiuitatem, multis diuitiis datis cõparauit, quando pro eius amore

regni potentiam derelinquens,& thorũ regalis matrimonij spernens, ad spontaneam paupertatem se contulit. Vnde sine dubio, quia regis terreni coniugium contempsit, sponsa effecta est regis cælestis: & quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Christo in cælo. Et quia salutationes & officia refugit regalium ministrorum, ministrat nunc cum Christo, coniuncta cœtibus angelorum. Et ideo dignum est, vt qui temporalem reginam honore debito veneramur, hanc deo acceptam reginã deuotis precibus supplicemus: vt quia nos suo exemplo in nomine Christi congregauit, suis nos meritis & orationibus in præsenti vita iucũdos efficiat, & in futuro acceptos reddat.

Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti.

Pulchre sagenæ assimilatur ecclesia, quia & piscatori est commissa, & intra rete fidei quotidie homines capit. Sicut enim piscatorum est, cum sagena de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere, sic quotidie ecclesia per doctrinam prædicatorum, de turbulẽtis & amaris gurgitibus mundi, mentes hominum ad veram lucem trahere studet. Et quoniam quãdiu in præsenti vita ecclesia cũ bonis colligit & malos, recte de eadem sagena subditur:

Quam, cum impleta esset, educentes & secus littus sedentes, elegerũt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt.

Vbi cum boni & mali nominantur, præsentis temporis ecclesia designatur. Boni enĩ soli nusquam sunt, nisi in cælo: mali autẽ nusquam soli sunt, nisi in inferno. Hæc autem ecclesia quæ in medio consistit, vtriusq; patriæ ciues recipit, sicut per Psalmistã dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vbi considerandum est, quia super numerum electorum modo in ecclesia multi reprobi intrare possunt, sed in regnum cælorum non possunt. Vnde & bene dicitur ⌊Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.⌋ In qbus verbis manifeste discretio electorum & reproborum, in fine seculi futura esse ostenditur. Sicut enĩ mare, seculum: sic littus maris, finem significat seculi. In littore enim sedentes ⌊elegerũt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt,⌋ quia in fine seculi electi assumẽtur ad gloriam, & reprobi separabuntur ad pœnã, iuxta quod alibi dominus ait in euangelio: In illa nocte erunt duo in lecto vno. vnus assumetur, & vnus relinquetur. Vnde & exponens dominus similitudinem, adiunxit:

Sic erit in cõsummatione seculi. Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.

Hoc est quod dominus alibi in euangelio dicit: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Et item de zizanijs quæ inimicus homo superseminauit tritico interrogatus ait: Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Idipsum est quod alibi dicit à domino: Cũ sederit filius hoĩs in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum oẽs gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, &c. In eo autem qđ subditur: ⌊Ibi erit fletus & stridor dentiũ.⌋ manifeste qualitas pœnarum describitur. Oculi enim præ nimio fumo fluere lachrymas solent, dentes vehementi frigore stridescere. Cum vero ait: ⌊Ibi eri fletus & stridor dentium,⌋ ostendit quia reprobi in gehenna, & & frigus intolerabile, & calorem inæstimabilem sustinebunt, iuxta illud quod per beatum Iob dicitur: Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium, & vsq; ad inferos peccatum illius, obliuiscatur eius misericordia, dulcedo illius vermis. Finita autem similitudine, de eius intellectu saluator discipulos requirit, ostendens pijs magistris, vt alios possint erudire, aliquando interrogare debere. Ait enim:

Intellexistis hæc omnia?

Illisq; dicentibus, etiam, de profectu illorum gloriabatur, dicens:

Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

Qđ specialiter ad apostolos ptinere, ex eo manifestũ est, q hoĩ patrifamilias cõparant, proferẽti de thesauro suo noua & vetera. Si enĩ p noua & vetera vetus & nouũ testamẽtũ accipimus. Abraã & Moysen cæterosq; pres, q añ dñi aduentũ fuerũt, noua cũ veteribus nõ ptulisse cognoscim⁹: qa etsi noua narrauerũt, dñi tñ incarnationẽ nouã corporalibus oculis nõ viderũt, sicut ipse discipulis suis ait: multi reges & prophetæ voluerũt videre q̃ vos videtis, & nõ viderunt: & audire quæ auditis, & nõ audierũt. Apostoli aũt noua & vetera spũaliter intellexerunt, & noua corporalibus oculis viderũt. Quibus ipse ait:

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Siue aliter: Vetera ad pœnam, noua pertinent ad gloriam. Vetustum enim erat homini post peccatum ire ad pœnam, cui aliquid nouum per redemptoris aduentum cõtigit, quando bene operantibus gloria est repromissa. Cũ ergo dominus discipulos collaudat, dicens:

Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis ẽ homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

Ostendit hunc ordinẽ doctoribus in prædicatione seruandum, vt vetera proferant de terrore supplicij, & noua de promissione prꝣmij. Quod & in huius lectionis serie suo exemplo dominus ostendit, cum in prioribus similitudinibus incitauit ad præmium, & in sequentibus comminatur supplicium, ostendẽs (vt dictum est) doctoribus quia sic bene operãtibus debẽt promittere gloriã, vt non cessent peccãtibus comminari pœnam. Quæ etiam in lege figurate ostendit, quando per Moysen tale præceptum dedit, dicens: Non accipies loco pignoris superiorem & inferiorem molam, quia apposuit tibi animam suam. Superior enim & inferior mola, spes & timor accipitur. Quasi enim à debitoribus pignus accipimus, eum confessionem peccatoris accipimus. Cui si pœnitenti spem nõ repromittimus, veniam negamus, superiorẽ molam tollimus. Si autem pecatori securitatem damus, inferiorẽ abstrahimus. Sed vtrũque obseruandum est, vt sic pœnitentibus ꝓmittamus veniam, quatenus in peccato perseuerãtibus comminemur pœnam, vt quos non prouocant ad bene agendũ præmia promissa, saltem denunciata terreant supplicia. Tu autem domine miserere nostri.

SERMO DE CONfessione Iesu ad patrem, & de iugi eius suauitate & oneris leuitate.

Matthæi XI.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi pater, domine cꝣli & terrꝣ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus. Et reli.



IN fronte huius lectionis euangelicæ quæstio suboritur, cum nec superi⁹, nec inferius describatur, quod aliquis eum interrogasset. Legimus enĩ in alijs locis, quod interrogatus est à discipulis, & respondit. Interrogauerunt eũ scribꝣ & pharisæi, & respondit: Hic datur intelligi quia nihil tale reperitur, sed tantummodo absolute dicit, respondit Iesus. Concordia Lucæ euangelistæ facienda est, qui hoc aptius manifestat, cum dicit: Designauit dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus, & dedit ei potestatẽ calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit, & vt sanarẽt infirmos & cæteras virtutes facerent, Quod idem Lucas in sequentibus testatur, cum dicit: Qui euntes, fecerunt sicut constituit eis Iesus, & faciebãt multa miracula, & inter cætera dæmonia eijciebant. Vnde reuersi cum gaudio ad dominum dixerunt: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis Iesus: Videbam satanam sicut fulgur de cꝣlo cadentem. Veruntamen nolite in hoc gaudere quia spiritus vobis subijciũtur, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Inde subinfert & dicit: In ipsa hora exultauit Iesus spiritusancto, & dicit:

Confiteor tibi domine.

Hoc est quod dicit Iesus: sciendum est enĩ quia in vno homine duo homines sunt, interior & exterior. Solet enim interior exteriori respondere, & exterior interiori, sicut legimus de Nabuchodonosor, qui dum deambularet dominus in aula regni sui in Babylonia tumens superbia respondit: Nonne hæc est Babylon illa, quam ego ædificaui in robore & in brachio fortitudinis meæ? Sed dominus non taliter respondit sicut Nabuchodonosor: sed respondit hũanitas diuinitati, imò filius ad patrem. Videbat enim simulacra dæmonioꝝ destrui, principẽ mũdi eijci foras, et suum numerum crescere, & ideo exultauit & dixit: ⌊Confiteor.⌋ Tribus enim modis confessio dicitur. Est confessio in fide, & confessio in peccatis, est & confessio in laude. In fide, sicut confitetur uniuersalis ecclesia cum dicit: Credo in deum. Est confessio in peccatis, de qua Apostolus dicit: Confitemini alterutrum peccata vestra. Est & in laude, de qua propheta dicit: Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Sed dominus nec in fide, nec in peccatis dicitur confiteri, sed tantummodo in laude. Vel certe dicitur confiteri, eo quod sanctis hoc faciat facere. Cõfiteor tibi domine. Ad hæc surgentes, hæretici dixerunt, quod dominus Iesus Christus non fuisset verus filius dei per proprietatem naturæ, dicẽtes quia si fuisset filius dei verus, nunquam eum dominum appellasset, non considerantes illud, quoniam ipse per humanitatem minor est patre, sicut ipse ait: Pater,

maior me est, in diuinitate nanque æqualis est patri, velut ipse dicit: Ego & pater vnum sumus. Secundum enim humanitatem dominum appellat. Vnde & pater ad eum per prophetam dicit: Noli timere serue meus. Et beata Maria se ancillã illius appellat & dicit: Ecce ancilla domini.

Pater cęli & terræ.

Et recte eum patrem appellat, quia ipse ascendens in cælum, dixit: Ascẽdo ad patrem meum. Quidam per hyperbaton hoc volũt intelligere, id est, per transcensionem verborum, dicentes: Confiteor tibi pater. Deinde subinferrẽt & dicerẽt: Domine cæli & terrę. Vt sit sensus: ꝙ sit ipsiꝰ pr̃, & dñs cæli & terræ. Quanquam ita possit intelligi, tamen secundum præfatum sensum accipiendum est, quia ipse æqualis est patri per diuinitatem. Pater cæli, id est, angelorum: terræ vero, hominum. Aliter autem pater cæli, id est, sacrarum animarum. Vñ scriptum est: Cæli enarrant gloriam dei, & opera manuum, & cætera. terræ vero hominum, qui adhuc in terrenis sunt implicati, necdum possunt contemplari cælestia per oculum mentis, nec valent dicere cum Apostolo: Nostra autem cõuersatio in cælis est. Et recte pater cæli & terræ appellatur, qa ipse cuncta creauit ex nihilo visibilia & inuisibilia, sicut scriptum est: In principio creauit deus cælum & terram. Et alibi: Qui manet inęternum, creauit omnia simul. Vnde & nos quotidie in oratione dicimus: Pater noster. Et ipse alibi ait: Vnus est enim pater vester.

Qui abscondisti hęc a sapiẽtibus & prudentibus.

Vbi perquirere debemus, quid absconderit dominus à sapientibus & prudẽtibus, nũquid abscondita est humanitas à scribis & pharisæis, cum Simeon dicat: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Et in alio loco scriptum sit: Et videbit eum omnis oculus. Non vtique humanitatem, sed diuinitatem eis abscondit: quia scribæ & pharisæi diuinitatem in humanitate latitantem nõ cognoscebant. Quia si cognouissent, nũquam dominũ gloriæ crucifixissent. Nam sapientes & prudentes sancti apostoli fuerunt, de quibus dominus Iudæis ait: Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas. Et iterum apostolis: Estote ergo prudentes sicut serpentes. Et Petrus apostolus: Estote prudentes & vigilate in orationibus. Sed nunquid istis diuinitas abscondita fuit? Non. Sed illis de quibus per Prophetam dominus dicit: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et iterum: Sapientes sunt vt faciant mala. Et Apostolus: Quia nõ potuit mundus per sapientiam credere deum, placuit deo per stultitiam saluos facere credentes. Quoniam stulta mundi elegit deus, vt confundat fortia, &c.

Et reuelasti ea paruulis.

Qui sunt isti paruuli? nimirum sancti apostoli, Habes enim in euangelio. Quia conuocans Iesus paruulum, statuit eum in medio, & dixit: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, &c. Et iterum: Sinite paruulos venire ad me. Paruulos autem non propter modicitatem corporis, vel propter insipientiam dicit, sed propter innocentiam. Vnde Apostolus discipulis suis ait: Nolite pueri effici sensibus. Reuelauit dominus filium suum sanctis apostolis, sicut Thomæ, qui dixit: Dominus meus & deus meus. Et sicut Petro ait: Caro & sanguis non reuelauit tibi. Regnum enim dei possidebunt beati oculi iustorum, quibus dominus se & patrem reuelare dignatus est.

Ita pater, sicut fuit placitum ante te.

Sic enim placitum fuit deo patri, vt filium suum vnigenitum mitteret pro salute generis humani. Siue etiam vt sapientibus & prudentibus huius seculi absconderet filium suum, & paruulis reuelaret. Vel certe in præsentia dei patris fuit ante omnia secula, quos eligeret de mundo, mittens filium suũ in mũdum. Quia sicut Apostolus dicit: Quos præsciuit: hos & prædestinauit, quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit.

Omnia mihi tradita sunt a pr̃e meo.

In Christo semper duas naturas & duas operationes intelligere debemus, diuinã scilicet & humanam: secundum diuinam æqualis est patri, & omnia habet cum patre, sicut ipse dicit ad patrem: Pater, omnia mea tua sunt. Secundum vero humanam, qua minor est patre, omnia ei subiecta sunt à patre. Vñ pr̃ ad eum ait: Pete à me, & dabo tibi. Et in hoc loco: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et in Psalmo: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Vnde & ipse dominus post resurrectionem suam gratulabundus ait discipulis: Data est mihi omnis potestas, &cæt. Habet enim pater, quod non habet filius: habet filius, quod nõ habet pater, habet spiritussanctus, quod habet pater & filius. Pater habet æternitatem sine natiuitate. Filius habet æternitatem cum natiuitate. Spiritus vero sanctus à patre filioꝙ procedit. Ergo pater ingenitus, filius genitus, spiritussanctus nec genitus, caue ne fallatur, sed nec ingenitus, sed à patre & à filio procedit.

Et nemo nouit filium nisi pater, neqꝫ patrem quis nouit nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare.

Valde perquirere debemus cur dicit, nemo nouit filium,&cæ.cum Apostolus dicat: Cum autem placuerit ei qui me segregauit, Nam & Iohannes vidisse eum testatur indutum pudore & mammillam eius. Et non solum in nouo testamento, verumetiā & in veteri inueniuntur sancti, qui se deum vidisse testati sunt, sicut Abraam qui tres vidit, & vnū adorauit. Et sicut Iacob qui dixit: Vidimus facie ad faciem. Nam & Moyses loquebatur cum illo facie ad faciem. Et Isaias: Vidi dominum sedentem super solium excelsum, & Iohannes Apostolus dicit: Quod vidimus, qđ audiuimus. Et hic dicit: Nemo vidit filium nisi pater. Si nemo nouit filium nisi pater, ergo sancti frustra credūt illuc ascēdere vbi Christus est. Sed ista questio facile soluitur, si hoc consideremus qđ superius diximus, in Christo duas naturas inesse, diuinam & humanā. Sciendum nanq; est, quia sicut ille coęternus est & coæqualis patri. Nullus eñ nouit nec nosse potest, Iohanne dicente: Deū nemo vidit vnquam. Quomodo enim deus lumē de lumine, oñipotens de omnipotente, nemo nouit, neq; scire potest, sicut Propheta dicit: Generationem illius quis enarrabit? Hoc est quod Apostolus considerans ait: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, &c. Ad Moysen enim dominus dicit: Non enim videbit me homo, & viuet. Vel etiam quomodo in vtero beatæ Mariæ virginis, nullus nouit. Angelus enim ad beatam Mariā ait: Spiritussanctus superueniet in te. Vnde Iohannes dicit: Post me venit vir, & propheta: Brachium domini cui reuelabo? Ergo pater nouit filium, quem coæternum & consubstantialē sibi genuit. ⌊Et cui voluerit filius reuelare.⌋ Quia quamuis modo non videant sancti corporaliter, tamen restat tempus quando videbunt. Vnde Iohannes dicit: Filioli, nunc filij dei sumus. Cui vult & quantū vult se & patrem ostendit.

Venite ad me omnes.

Quatuor vocationes in sacro eloquio reperimus, duas in veteri testamento, duas & in nouo. Prima in veteri testamento: Venite filij, audite me. Secunda: Venite, adoremus. Prima in nouo testamento, ista quæ in p̄senti recitatur, cum dicitur: Venite ad me oēs. Secunda: Venite benedicti patris mei, & reliqua. Sicut enim synagoga admonebat filios suos, vt venirent atque timorem discerēt, dicens: Venite filij, audite me. &cæt. Postea vero hortabatur adorare, inquiens: Venite, adoremus: ita etiam sancta ecclesia hortatur, cum ait: Venite ad me omnes. Quod eñ synagoga dicebat: Venite filij, audite me, hoc ecclesia dicit: Venite ad me omnes. Et quod illi dicebant: Venite, adoremus: ita & Christus dicturus erat sanctis: Venite benedicti patris mei. Tres vocatiões iam implete sunt, & adimplentur quotidie. Restat quarta, quæ in die iudicij adimplebitur, quam qui audire meruerint sine fine gaudebunt.

Qui laboratis & onerati estis.

Laborabat enim plebs gentilium in cultu ris dæmoniorum, & in delubris idolorum, siue etiam in desiderijs carnis, de quibus scriptum est: Telas araneæ texuerunt. Et Apostolus dicit: Scitis, quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, & reli.

Et ego reficiam uos.

Quid promisit: Refectionem non solum in cibo carnali, sed in spiritali. De qua refectione in Apocalypsi scriptum est: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Quam sancti accipientes, dicēt: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, &cæte. De hac refectione dominus mulieri Samaritanæ ait: Qui biberit aquam quā ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Tollite iugum meum super uos.

Nunquam poterit homo sine iugo esse aut Christi, aut diaboli. Dudum autem Iudaica plebs iugum legis sustinebat, de quo iugo Petrus Apostolus ait: Quid vultis imponere iugum super nos? &cæte. Quia ait dominus postea: Onera grauia & importabilia imponunt in humeros hominum. Plebs autem gentium iugum diaboli portabat, videlicet sarcinam peccatorum in dorso. De hoc nanque superius dictum est: Venite ad me oñes qui laboratis & onerati estis. Notandum autem, quia non onus diaboli suum iugum dixit. Iugum enim Christi, eius doctrinam intelligere possumus, quam omnes sancti, qui eum sequi voluerunt, portabunt, sicut ipse dicit: Qui vult venire post me, &cæte. Notandum autem, quia homines qui alios ad se venire faciunt, & eos erudire cupiunt, dicunt eis: Discite à nobis: ita & dominus suam doctrinam nos erudire cupit, cum dicit:

Discite a me quia mitis sum, & humilis corde.

Non dixit virtutes facere, infirmos sanare, mortuos suscitare, & cætera talia. Iam eñ supra dederat illis potestatē ad hoc faciēdū. Hic nihil tale reperitur, sed tñ dixit: Discite à me. Quid nisi humilitatem? Et notandum ést, quia se mitem dixit esse: Iā enim mitibus terram promiserat, dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et ne graue videretur quod domin' p̄cipiebat facere,

ipse superius exemplis monstrabat, Et recte dicitur humilis corde, quia semetipsum humiliauit, sicut ait Apostolus: Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, &c. Multi videntur humiles exterius tumidi sed interius humiles sunt. Bona conscientia, quæ talem fert fructum, quæ semp intus seruat humilitatem.

Et inuenietis requiem animabus uestris.

Et alibi dicit: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sancti post tribulationem requiē percepturi sunt.

Iugum enim meum suaue ē, & onus meum leue.

Iugum ipsius suaue est, quare suaue? aut q̄re leue? Quia quod docuit ipse, prius impleuit, sicut Lucas dicit: Quia cœpit Iesus facere & docere. Præcepit nobis humiles eē, ipse prius in semetipso humilitatē exhibuit, nullam rem iussit quam ipse non demonstraret. Solent etiam nonnulli magistri grauia & importabilia discipulis iniungere, quod ipsi facere non valent. Loquuntur ore, & opere destruunt, ideo discipulis grauia videntur: sed dominus talia nō fecit. Iugum eius leue est. Sancti namq; quicquid in hoc seculo patiuntur, leue sustinent, quod iugum perfidi Iudæi portare noluerunt, dicentes: Disrumpamus vincula eorum. Ergo nec scientiā patris, nec filij, nec spiritussancti portare voluerunt dicētes: Scientiam viarum tuarum nolumus.

SERMO DE ORATIONE dominica. Lucæ. XI.

In illo tempore, dixit unus ex discipulis Iesu ad eū: Domine doce nos orare, sicut docuit Iohannes discipulos suos, Et reliqua.



Vcas Euangelista refert quia cum dominus ab oratione surrexisset, accessit ad eum vnus ex discipulis eius, dicens:

Domine, doce nos orare, sicut & Iohannes docuit discipulos suos.

Quibus cum dixisset: Orantes autem nolite multum loqui sicut ethnici faciunt, q putant in multiloquio se exaudiri, breuem quidem verbis, sed plenam mysterij docuit orationem, dicens:

Sic ergo orabitis, dicētes: Pater noster, qui es in cælis, &c.

In qua oratione septem specialiter petitiones commendātur, quarum tres priores ad futuram vitam pertinent, reliquę quatuor ad præsentem pertinere videntur, propter futuram tamen accipiendam. Quod enim ait:

Sanctificetur nomen tuum, fiat uolūtas tua, sicut in cælo & in terra.

Ad futuræ vitæ beatitudinem pertinet. Quod vero subiungitur:

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Etiam vsq; in finem, ad præsentis vitæ necessaria pertinere videtur. Sed cuncta per ordinem videamus. Ait enim: Pater noster qui es in cælis. Vbi considerandum est, quia cum singulis hanc orationem dicendam docuit, nō dicimus, pater meus singulariter, sed pater noster pluraliter, vt intelligamus hāc paternitatem non ad naturam pertinere, sed ad gratiam. Hoc enim dicit Imperator, hoc etiam miles, hoc dominus, hoc seruus, hoc diues, hoc pauper. Omnes æqualiter dicunt, Pater noster, quia non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui operatur iustitiam, acceptus est illi. Vbi reuera magna dignatio hominibus datur, vt dominū & creatorem suum patrem audeant appellare, Siue certe, eum communiter patrem inuocādum esse docuit, spiritaliter nos fratres esse debere insinuat, iuxta illud quod ipse alibi ait: oēs enim vos fratres estis. Qui em̄ vnum inuocant patrem, vnanimem debent habere fraternitatem, secundum illud quod per Psalmistam dicitur: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Cum vero deus vbique sit totus, vbiq; præsens, specialiter in cælis esse dicitur, vbi angelorum agminibus vicinus apparet, & sublimius collaudatur: vbi nobis innuit, quia qui patrem nos habere gloriamur in cælis, iuste debemus viuere in terris, vt quandoque terreno puluere exuti, ascendere mereamur in cælos, vbi patrem quotidie inuocamus. Quod vero subditur: Sanctificetur nomen tuum, cum nomen dei in se semper sanctū sit, in nobis sanctificari petimus, vt scilicet nos in quibus nomē eius inuocatum est, sancte & iuste viuamus. Vnde diligētissime cauendum, ne ad nos illa sententia terribilis dirigatur, qua dicit: Vos polluistis nomen sanctum meum, sed potiꝰ tales simus, vt ad nos pertineat, vel in nobis impleatur, quod ipse alibi dicit: Sācti estote, quia ego sanctus sum dominus deus vester.

Adueniat regnum tuum.

Regnum dei illud hic commemorat specialiter, quod venturum est per vniuersale iudicium, vbi regnabunt sancti cum domino in gloria, qui non permittunt modo regnare in suo mortali corpore peccata. Quales erant apostoli, quibus à domino dictum est: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt sedeatis super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Hoc ergo regnū, velimus, nolimus, vēturum est: tamen si ad illud nos pertinere confidimus, totis viribus, vt veniat optare debemus. Cum vero subiūgimus:

Fiat uoluntas tua.

Cognoscimus quia non nostris voluptatibus obtemperare, sed voluntatem dei in omnibus debemus quærere, vt iuxta admonitionem apostoli, probantes quæ sit voluntas dei bona, & bene placens & perfecta, hoc impleamus in opere, quod illius voluntati placere fuerit comprobatum. Quod autem dicimus:

Sicut in cælo & in terra.

Cæli nomine angelicam creaturam possumus accipere: terræ, humanam, cui dictum est: Terra es, & in terrā ibis. Et hoc petimus, vt sicut angeli eius voluntatem faciunt in cælo, ita & nos faciamus in terris. Siue aliter cęli nomie, iustos accipimus, de quibus scriptū est: Cæli enarrant gloriam dei: terræ nomine, peccatores. Et cum diximus: ⌊Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.⌋ Hoc petimus, sicut iusti eius faciunt voluntatem, ita ad eius voluntatem sequendam conuertantur etiam peccatores. Vel certe cæli nomine ecclesiam: terræ vero, incredulos & paganos possumus accipere. Et cū dicimus: ⌊Fiat voluntas tua, &c.⌋ Hoc petimus, vt etiam increduli & pagani conuertantur ad fidem.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Panis quotidianus ad victum pertinet & vestitum, quibus secundum Apostolum contenti esse debemus, in quibus verbis spontanea paupertas poscitur. Quoniam sicut dominus ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum ē regnum cœlorum. Qui enim panem quotidianum petit, superfluitatem diuitiarū non quærit. Hodie vero cum dicitur, omne tempus vitæ præsentis significat. Qui ergo dicunt, ⌊Panem nostrum quotidianū da nobis hodie⌋ Iubentur de crastino non cogitare: vel certe, quia iuxta domini vocem, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore dei. Cum ēnī dicimus. panem nostrum, hoc oramus, vt animę cibū spiritalem tribuat. i. verbum dei. Et sicut quidie moriturę carni carnale tribuit alimentū: sic animę sine fine victurę tribuat esurire verbum dei: quia beati (vt dominus ait) qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabūtur. Siue aliter: Cum dicimus ⌊panem nr̄m quotidianum da nobis hodie⌋ possumus de perceptione eucharistiæ accipere, de acceptione corpis & sanguinis domini. Et hoc oramus, vt quia sine peccato esse nō possumus, sic nobis vitam præsentē tribuat sine crimine transire, vt ab eucharistiæ perceptione non separemur.

Et dimitte nobis debita nostra.

Quod debitum in scripturis ad peccatum pertineat, illa parabola euangelij indicat, vbi seruus qui decem millia talenta debebat, ad vnam petionem impetrauit absolutionē. Cū ergo dicimus: ⌊Dimitte nobis debita nr̄a.⌋ Hoc precamur, vt dimittat nobis peccata nostra, quod sine dubio non negabit, si nos fecerimus quod subditur:

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Regulam enim dimittendi peccata nostra in nobisipsis habemus, vt sicut volumus nostra à deo dimitti nobis peccata, sic dimittamus & proximis quæcunq; in nobis peccauerint. Et sicut volumus post peccatum benignum inuenire deum, sic nos his qui in nobis peccauerint, clementes simus & benigni, propter illud quod dominus ait: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Vbi & discretio necessaria est, vt discernamus quia alia sunt peccata quæ in nobis fratres committūt, & alia quæ in deum: vt scilicet cum in nobis peccauerint, facile dimittamus: cum vero in deum, nō sine castigatione vel correptione, vel si necessitas fuerit, districtiorem adhibeamus disciplinam. Peruerso enim itinere graditur, qui in se peccātibus vindictam, & his qui in deum peccant, exhibent patientiam. Notandum autem quia non solum per baptismum, sed etiam post baptismum alijs modis in ecclesia remissio tribuitur peccatorum. Septem enim modis remissio peccatorum dari creditur. Primo, per baptismum, sicut dominus ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Secundo per pœnitentiam, de qua dominus alibi ait: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, & cæte. Tertio fit per eleemosynam, iuxta quod dominus alibi ait: Date eleemosynam, & ecce oīa munda sunt vobis. Quarto fit per indulgentiam proximorum, de qua dominus dicit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cælestis, & cæte. Quinto per correptiōem veræ charitatis, de qua per Iacobum Apostolum dicitur: Qui

conuerti fecerit peccatorē ab errore viæ suę, saluabit animam eius à morte, &c. Sexto fit per assumptionem corporis & sanguinis domini, sicut dominus, cum eiusdem sacramentum discipulis traderet, ait: Hic calix nouum testamentū est in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundet in remissionē peccatorum. Hæc facite quotiescunque feceritis, in meam, &c. Septimo vero fit per sanguinis effusionem in martyrio, sicut angeli voce in Apocalypsi dicitur: Isti sunt qui venerūt ex magna tribulatione, & lauerūt stolas suas in sanguine agni. In eo quod subditur:

Et ne nos inducas in tentationem.

Hoc petimus, ne nos permittat incidere in tentationem. Quasi enim deus nos in tentationem inducere dicitur, quando à tentatione non liberat, sicut de Pharaone dictum est: Ego indurabo cor Pharaonis, cum nihil aliud sit deo indurare, nisi à duritia non liberare. Quapropter considerantes fragilitatē nostram cordis vocibus supplicemus, ne nos inducat in tentationem, sed iuxta Apostoli sententiam, faciat cum tentatione etiam prouentum, ut possimus sustinere: Quod autem subdimus:

Sed libera nos a malo.

Vel generaliter ab omni quod malum e, nos liberari petimus, vel specialiter à diabolo, qui est inuentor omnium malorum. De quo alibi dominus ait: Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit. Ab huius ergo malitia nequaquā possimus liberari, nisi per ei' adiutorium, qui ait: Nemo bonus, nisi solus deus, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

D. HAYMONIS HALBERSTATENSIS EPISCOPI, IN ALIQVOT EPISTOLAS PAVLI HOMILIAE, NVNC PRIMVM ADIECTAE.

DOMINICA DECIMAnona post Trinitatis.

Ad Ephesios IIII.

Fratres: Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis.



HAEc verba apostoli ex superioribus pendent. Sic nanq; loquitur Ephesiis: Deponite uos secūdum pristinam conuersationem, ueterem hominem, qui corrumpitur secundū desideria erroris.

Ac deinde subdit: L Renouamini autē spiritu mentis vestræ. J Pristina cōuersatio, est peccatorem in peccatis manere, vet' autem homo, veteris cōuersatio hominis Adæ. Qui cunq; enim in peccato manet, conuersationē veteris hominis habet, qui homo.i. conuersatio illa, corrumpitur & deprauatur secundum desideria errorum & vitiorum. L Renouamini, inquit, spiritu mentis vestræ. J Spiritum & mentem pro bono debemus accipere secundum beatum Augustinum.i. pro rationabilitate mentis. Duæ autem sunt renouationes. Vna est subitanea ac momentanea, quæ fit ī baptismate, in qua renouamur ab omnibus peccatis originalibus & actualibus. Altera quę fit per spatiū tēporis, & per assiduitatē lectionis, & per operationē bonorū operum, de qua hic dicit. Dū eñ ea animus quotidie per studium lectionis de deo intelligit, quæ ante ignorabat, & dū proficit quotidie de virtute in virtutem, quotidie innouatur: Tale ē ergo ac si diceret: Estis renouati in baptismate, quotidie renouamini per studiū lectionis, ea de deo intelligenda, quæ ante nos latebant, & crescēdo de virtute in virtutem. L Et induite, inquit, nouum hominem. J .i. nouum homins conuersationem, vel ipsum dominum Iesum. Videamus quomodo sit ipse nouus homo, & quomodo secundum deū creatus est. Conceptus est in utero virginali ope re sancti spiritus, ex semine mulieris sine semine viri, hoc nouū fuit. Fecit miracula quæ nemo alius fecit, conuersatus est sine peccato in hoc mundo verus deus & verus homo, resurrexit à mortuis, & hæc noua omnia fuerunt & sunt. L Secundum deum creatus est, in iustitia, J quia iustus est, L in sanctitate & veritate, J quia sanctus & verus est. Et nō solum sanctus, iustus, & verus, sed insuper ipsa iustitia, ipsa sanctitas, & veritas. Quod ergo dicit: Induite nouum hominem, tale est ac si diceret: Induite dominum IESVM Christum, id est, conuersationem noui hominis, & omnes virtutes quas intelligitis in

Christo esse. Quicunq; enim assumunt iustitiam, sanctitatem, veritatem, sapientiam, charitatē, omnesq; virtutes quas in Christo cognoscit esse, Christum vtiq; induit.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatem unusquisq; cum proximo suo.

Ioh. 8. Quia omne mendacium à diabolo est, qui est mendax & pater mendacij. Quicunq; filij
1. Pet. 2. veritatis sunt, debēt deponere & abijcere mendacium, dolositatem & duplicitatem, & loqui veritatem de animo puro, cum omni homine, non solum cum Christiano, verumetiam cū hæretico & pagano, quia oēs sunt nri proximi. Et quare debemus loqui veritatem cum proximo?

Quoniam sumus inuicem membra.

Et Christus caput, mēbra illius sunt electi. Et sicut mēbra nostri corporis sunt sibi inuicē necessaria, & sibi ministrant inuicem quæ ne-
1. Co. 12. cessaria sunt: Verbi gratia. Oculus est neces-
Rom. 12. sarius manui & pedi, & manus, pes, oculo, ideoq; ministrat oculus manui & pedi lumē manus autem abstergit illum & lauat à sordibus. Sic in sancta ecclesia prædicator quilibet qui est oculus, debet ministrare lumen sciētiæ & prædicationis alijs qui sunt manus & pedes. i. qui sunt eleemosynarij, & q currunt ad speliendum mortuum, & qui actiuæ vitæ sunt deditі. Econtra illi debent de substātia sustentare oculum prædicatorem, præbendo ei cibum & potum, & ministrando cætera quæ necessaria sunt illi. Hæc faciendo erūt sibijnuicem membra. Sequitur:

Psal. 4. **Irascimini, & nolite peccare.**

Dupliciter possumus hoc intelligere. Si qn peccatis & à via rectitudinis diabolo suadēte receditis, irascimini vobisipsis, & indignemini, ne amplius talia faciatis, castigādo corpus vestrum vigilijs & ieiunijs. Aliter: Et si, inqt, irascimini, nolite iram perficere, permittit qdem apostolus irasci φ humanū est, sed prohibet vindictam expetere, quod iam non est humanū, quia ira viri iustitiā dei non operaſ.

Sol non occidat super iracūdiam uestram.

Similiter & duplici modo potest intelligi, dicamus simpliciter. Sol non occidat super iracundiam vestram. i. si commoti fueritis ad tēpus aduersus proximum, ante solis occasum reconciliamini & recedat ira à vobis. Aliter: Sol appellatur Christ⁹ in scripturis sacris, vt ibi: Vobis timētibus nomen meum, orietur sol iustitiæ. Qui sol plerunq; propter irā, quæ vindictam expetit, & propter discordiam, occidit vobis. i. recedit à vobis, sicut occidit falsis prophetis, de quibus dicitur: Occidit eis sol, cum adhuc dies esset media. Sol non occidat super iracundiam vestram. i. cauete ne propter iram vestrā, & propter vestrū pctm̄ recedat sol iustitiæ Christus à nobis,

& nolite locum dare diabolo. i. nolite vindictā expetere, neq; vltra modū irasci, ne Ephe. 6.
recedat sol à vobis Christus, & veniat diabolus princeps tenebrarum. Qñcunq; enim peccamus, locum diabolo in nobis damus.

Qui furabaſ bona alioꝝ **iam nō fureſ.** Iere. 14.

Vel, qui furabatur verba & doctrinā euangelij, per hæreticam prauitatē, sicut prophetæ falsi, de quibus dicitur: Vident vana & diuinant mendacium, dicētes: Hæc dicit dn̄s deus, cum dn̄s non miserit eos, iam nō furetur, sed recedat ab errore suo.

Magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Ille qui ante furabatur, non solum debet à furto cessare, sed debet operari manibus suis, vt habeat vnde sustētet alios inopiā patiētes.

DOMINICA VIGESIMA post trinitatis. Ephesi. V.

Fratres, Videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes sed ut sapientes.



Oquitur apostolus Ephesijs, in illis omnes hoies hortatur, vt caute & cōsiderate viuant sicut sapientes, & nō sicut sapientes. Fratres aūt illos vocat in fide, Mat. 23.
in societate dilectionis, quia vnum patrē deū omnipotentem omnes habemus, non per naturam, sed per adoptiōem. ⌊Videte fratres⌋ .i. considerate ⌊quō caute⌋ & ordinate ⌊ambuletis⌋ viuatis & conuersemini in medio nationis prauæ & peruersæ, & ⌊non quasi insipientes⌋ .i. infideles qui non habent sapientiā veram. i. Christum in se habitantem, ⌊Sed vt sapientes⌋ .i. fideles qui sapientiam substantialem in vobis habetis. Quanta enim distātia est inter tenebras & lumen, inter fidelē & infidelem, tanta distantia est inter insipientem & sapientem, quia lumen & sapientia nō potest esse in eo, nisi fidē omnipotentis dei habeat.

Redimentes tp̄s qm̄ dies mali sunt.

Quō est tempus malum, quod secundum dispositionem dei semper voluitur, mēsibus, diebus, & noctibus, horis, momentisq; currētibus. Sicut ergo dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet: Ita dicunſ mali dies, in quibus mala fiunt à malis hominibus. Quid est quod dicit, redimentes tēpus? .i. vestrum illud facite. Verbi gratia: Alij vendunt illud, mala operando ad malum suum: Vos redimite illud, talia opera faciendo, pro

quibus remunerationem capiatis. Quicunque enim hoc facit quod sibi est utile, tempus sibi redimit, & acquirit, quia suum illud facit, & ad suam salutem illud occupat.

Propterea subaudis, quia dies mali, tunc nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit uoluntas dei.

Prudens homo dicitur quasi prouidens, quia longe considerat quem finem sua opera habitura sint, & qui scit quid debeat petere, & quid vitare, qui considerãt etiam quæ placeãt aut quæ displiceant deo. Econtra ille qui incõsiderate & improuide omnia agit, & qui non cõsiderat ad quem finem opera sua deducat, & quod placeat voluntati dei, appellatur imprudens & stultus. Vnde dicit Apostolus:
1.Thes.4 Propterea, inquiens, quia dies mali sunt, in quibus multa mala fiunt: Nolite fieri imprudentes siue inconsiderati, sed estote intelligentes quæ sit voluntas dei. i. quid placeat deo & in quibus operibus voluntas dei impleatur.

Et nolite inebriari uino in quo est luxuria.

Per luxuriam debemus intelligere oia vitia quę per ebrietatem solent euenire, quia vt quidam doctor dicit, ebrietas nullum vitium excusat. Sed hic notandum est, quia sicut illi qui replentur vino ⁊ replentur inuerecundia, impatientia, luxuria, impudicitia, superbia, cæterisque vitijs: ita illi qui replentur spiritusancto, replentur castitate, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus.

Loquentes uobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus.

Nobismetipsis loquimur, quando alternatim canimus psalmos. Psalmi dicuntur à psallendo, quia in psalterio inueniuntur. Hymnus græce, latino eloquio sonat laus dei. Hymnus autem si componitur & cantatur in laudẽ dei, tunc est Hymnus. Hymnos autem apud latinos, præcipue Ambrosius & Hilarius clarissimi viri composuerunt. Vnde igitur cum dixit canticis, subiunxit spiritualibus, quia sunt cantica quæ non sunt spiritalia, neque in laudem dei cantantur. Sicut sunt cantica secularium hominum. (Deu.32.) Cantica autem spiritalia sunt, quæ composuerunt prophetæ spiritusancto (1.Reg.2.) afflati & repleti, vt sunt cantica Moysi, canticum Annæ, canticum Deboræ, canticũ Isaiæ, (Isa.38.) canticum Iezechiæ, cæterorumque prophetarum. (Exo.15.) Hoc vero distat inter canticum & psalmum, quia canticum ne solummodo proferatur, sed & decantatur. (Hab.3.) Psalmus autem addito quodã instrumento musicæ artis, i. psalterio.

Cantantes & psallentes in cordibus uestris domino.

Ideo dixit cantantes in cordibus vestris, quia multi sunt qui cantant solummodo ore, quorum mens nõ concordat voci, & qui magis attendunt ad sonoritatẽ vocis vt auditoribus placeant, quàm considerent mentẽ quid dicant. Illi vero cantant in corde, quorum mẽs concordat voci, iuxta illud beati Benedicti: Sic stemus ad psallendum, vt mens nostra cõcordet voci nostræ.

Gratias agẽtes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri.

Pro omnibus beneficijs nobis à deo gratis datis, vel pro omnibus prosperis & aduersis debemus semper gratias referre deo patri (Mat.11.) id est, deo omnipotẽti patri, qui omnibus creaturis est deus pater. i. creator & factor. Et quomodo? In nomine dñi nostri Iesu Christi dicentes ei. Gratias tibi referimus domine sancte pater, qui nos per filium tuum fecisti & redemisti & viam patriæ cælestis aperuisti. Et ideo in nomine domini nñi Iesu Christi gratias referre debemus deo patri, quia per (1.Tim.2.) illum qui mediator noster est, preces & sacrificia nostra offerimus & transmittimus ad deum patrem, dicentes: Suscipe domine preces populi tui, per dñm nostrum Iesum Christũ filium tuum, qui tecum &c.

Subiecti inuicem in timore Christi.

Sicut auditores & subiecti suis prælatis subditi sunt causa obedientiæ & reuerentiæ: Sic debent etiam prælati humiliare se erga subiectos, inquantum vident illos æquales sibi in virtutibus & vitæ meritis, inquantum autem vident illos erigi in superbiam contra se & vitia sectari, debent officium suæ præpositurae ostendere & fortiter redarguere & increpare. Quod probari potest ex factis apostoli Petri, qui cum vidisset Cornelium cẽturionem (Act.10.) cum omni domo sua humiliter velle se adorare, econtra ille humiliauit se illi, dicens: Surge. Nam & ego homo sum. Vbi autem vidit (Act.5.) Ananiã & Saphyram à via veritatis recedere, & vitijs subiacere, potentiam sui officij & præpositurae ostendit solo verbo illos interficiens. Sed ista omnia in timore Christi sunt agenda. i. per amorem dei, non causa adulationis neque patrocinationis, quod quidam faciunt, vt possint inuenire gratiam prælati, & liberius quod eos delectat operentur.

DOMINICA VIGESIMA prima post trinitatis. Ephes. VI.

Fratres, Confortamini in domino, & in potẽtia uirtutis eius, Induite uos armaturam dei, &c.

POst spiritalia precepta, quibus admonuit Apostolus viros & mulieres, patres & filios, dominos & seruos, subiunxit ista generalia, non solū ad Ephesios quibus mittebat hanc epistolam, sed ad omnem sexum, & ad omnē conditionem, & dixit: De cætero, id est, deinceps & præter illa quæ supius diximus. ⌊Fratres⌋ mei in fide & dilectione, & qui vnū deū
Mat. 23. patrē omnipotentem habemus, ⌊Confortamini in domino & in potētia virtutis eius.⌋ Nolite confidere in vestra fortitudine, neque in meritis vestris, neq; in potentia principum huius seculi, sed in domino & in potentia virtutis eius confortamini, ⌊Induite armaturam dei,⌋

Vt possitis stare aduersus insidias diaboli.

In hoc nomine quod est armatura cōprehenduntur omuia vasa bellica, vt lorica, galea, scutum, lancea, tela, cæteraq; instrumenta armorum. Specialiter autem debemus intelligere per armaturā dei, dominum Iesum Christum, cuius protectione defenduntur omnes electi, & quē induunt, iuxta quod idem Apostolus alias dicit. Quotqt in Christo ba
Rom. 6. ptizati estis Christū induistis. Tūc induūt ele
Galat. 3. cti Christum, quando virtutes quæ in Christo sunt, per adiutoriū illius assumunt. Quod ergo dicit. Induite armaturam dei, tale est ac si diceret. Induite dominū Iesum Christum, id est, omnes virtutes quas scitis in illo esse in vos assumite. Verbi gratia: Est ille iustus, ve-
Ioh. 1. rus, patiens, castus, mansuetus. Appellatur
Apoc. 5. agnus & leo & vitulus: Induite vos iustitiam, veritatem, patiētiam, charitatem, castitatem, mansuetudinem. Estote agnus, id est, mites, leo fortes in fide, in bono opere cōtra diabolum. Estote & vitulus, mortificantes vosmetipsos cum vitiis & concupiscentiis, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Multis enim modis insidiatur nobis diabolus. Deniq; insidiatur nobis per malas suggestiones. Insidiatur pernicia carnis nostræ, & incentiua malarum delectationū. Insidiatur per ministros suos vt per hæreticos, & falsos fratres atque paganos. Sed cōtra hos omnes debemus nos viriliter pugnare, vt possimus superari. Poterat aliquis dicere. O Paule, quare præcipis omnem armaturam dei indueret Ad hæc ille subiungit:

Quia non est nobis (inquiens) colluctatio aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principes & potestates &cæt.

Carnem & sanguinem appellat Apostolus isto loco omnes homines, qui cōstant ex carne & sanguine, à quibus plerunq; suadente diabolo impugnamur: & dicit, quia nō est nobis colluctatio, id est, pugna aduersus illos solummodo, sed aduersus dæmones, qui principantur malis hominibus, & potestatē exercendo super illos, regunt illos potius ad malum quàm ad bonum. Ipsiq; appellantur spiritalia subaudis dæmonia, nequitia, id est, ma Luce 12
litia qui morantur in hoc aere. Cælum denique appellatur aer in scripturis sacris. Vnde & aues cæli dicuntur: Qui vt philosophi dixerunt, & doctores nostri opinantur, ita plenus est dæmonibus & malignis spiritibus, sicuti radius solis minutissimis atomis. Con- Luce 8.
tra hos ergo pugnādum est nobis, quā etiam Marc. 4
contra homines constantes ex carne & sanguine, quia quicquid mali contra nos homines machinantur, ab illis suggeritur. Et si superauerimus illos qui sunt principes malitię, & quorum instinctu vitia carnis nostræ contra nos seuiunt, tunc facile superare poterim⁹ omnes ministros illius. Verbi gratia: Sicut superato principe, exercitus facile fugatur. Qđ
probari potest ex libro Iudith, quo narrante Iudith 13
discimus, quia Holoferno principe militię interempto, multitudo exercituum in fugā versa, & à Iudæis est facilime superata Sed quærendum est quomodo pugnare possimus cōtra dæmones qui spiritus sunt? Nam omnibus patet, cōtra spiritum armis materialibus
non posse pugnari. Quapropter quia spiri- 2. Co. 10.
tus sunt & inuisibiles, necesse est vt arma spiritualia assumantur, virtutes videlicet supra memoratæ, & detractemus eo modo, quomo
do legimus Iacob luctatum esse cum angelo Gen. 32.
orando, ieiunando, vigilando, cæterisq; bonis operibus insistendo, vt sicut meruit ab angelo sancto benedici cum quo luctabaƭ orando, Ita & nos superando diabolum à domino benedici mereamur. Cæterum quæri potest, vbi acceperit Apostolus vt dæmones & malignos spiritus, principes & potestates & rectores tenebrarum harum appellaret .i. hominum infidelium, deum iguorantium & peccatorū, de quorū ministerio fuerāt illi quondam, quibus dicebat. Fuistis aliquando tene-
bræ, id est, infideles deum ignorantes & pec- Ephe. 5.
catores. Ad quod dicendum, quod ex libro Danie. 10
Danielis illud accepit, vbi legitur: Princeps Græcorum, & princeps Persarum: Ex libro quoq; Iezechielis. Vbi dicitur ad principem Tyri. Tu signaculum similitudinis in paradiso dei fuisti, & cętera quæ ibi dicuntur de hoc & de principibus aliarum gentium Aegyptiorum, Assyriorum Idumæorum. Nam per principes illi dæmones intelligūtur illis gentibus præpositi. Sicut enim vnusquisq; fidelium habet bonum angelum delegatum ad custodiam sui: Ita & pagani habent malos angelos, qui eis principantur permissione dei. Et sicut Michael præpositus est genti Iudæorū,

de quo dicitur: Et nemo est mihi adiutor, nisi Michael princeps noster. Ita habent & gentes in infidelitate manentes malos principes. Dicamus altius: Apostolus repletus gratia dei cognouit per spiritumsanctum, quia sicut boni reges Israelitarum significabant dominum Iesum Christum, & principes qui sunt in ecclesia. (Verbi gratia) qualis fuit Dauid qui interpretatur manu fortis, siue desiderabilis, alijq; quam plurimi. Et sicut populus Israel significabat populum credentiũ qui sunt veri Israelite: Sic mali reges & principes cum suis gentibus qui contra populum dei pugnabant, & fuerunt reges Ismahelitarum & Idumæorum atq; Philistinorum significabãt dæmones, qui principantur paganis & hæreticis, qui ecclesiam dei semper impugnant.

Propterea subaudis, qa colluctatio est nobis aduersus principes & potestates, Ideo

Accipite armaturam dei, de qua superius diximus, id est, omnes virtutes,

Vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, id est, in omnibus prosperis & in aduersis perseuerare [margin: Ephe. 5.] firmi in fide bonisq; operibus. Diem malum appellat præsens tempus, non quod per se sit malum, sed quia multa mala in eo fiant. Vel etiam diem malum dicit diem iudicij, in quo omnes mali damnabuntur.

State ergo succincti lumbos uestros in ueritate.

Lumbos succingimus, cum luxuriam refrenamus. State, inquit, in fide, id est, in bono opere restringẽtes lumbos à luxuria vbi maxime viget, & hoc in veritate facite, nõ in mẽdacio neq; per hypocrisim, nec vt laudem hu- [margin: Ioh. 14.] manã capiatis. Vel in veritate dicit, pro amore nominis Christi, qui est veritas.

Induite loricam iustitiæ.

Recte iustitia loricę comparatur, quia sicut lorica multis circulis contexitur, ita iustitia [margin: Isa. 59.] multis virtutibus constat. Aliter: Iustitia enĩ bene loricæ potest comparari, quia sicut lorica pectus munit, ventrẽ stringit, femora protegit, ita iustitia superfluas cogitationes, quæ in pectore versari solent repellit, ingluuiem ventris restringit, luxuriam quoq; coprimit.

Et calciati pedes, subaudis sint vobis, in præparatione euangelij pacis.

Et est sensus. Sicut ille qui calciatos habet pedes, serpentes spernit, spinas, omnemq; asperitatem viæ pro nihilo ducit: Ita & vos diabolum serpentẽ antiquum, spinas quoq;, id est, passiones punctionũ, oẽm asperitatem huius vitæ contemnite, & liberi ad prædicationem euangelij incedite. Aliter: Per calciamenta q̃ ex mortuis animãtibus fiunt, debemus intelligere dicta & exempla præcedentium patrũ. Calciatos ergo pedes habemus, cũ dictis & exemplis præcedentium patrum muniti, securi ad prædicandum euangelium pacis pergimus. Dicitur autem euãgelium pacis, quia [margin: Ioh. 14.] ibi continetur pax quam Christus apostolis commendauit, & in apostolis omnibus fidelibus, vel etiam quia per obseruantiam euangelij, meremur reconciliari deo.

In omnibus prælijs & certaminibus sumẽtes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.

Quicquid missile est & iacitur, telum potest appellari, proprie tamen illud quod in longũ protenditur, vt lancea. Nam telon dicũt græci longum. Vnde mustela dicitur mus longus. Sicut scutum se tenentem protegit, & tela repellit: Ita fides hominem munit, & à dia- [margin: Iacob. 2.] bolo iaculis & infestationibus defendit, illa [margin: Galat. 5.] tamen quæ fuerit bonis operibus adornata. Tela autem diaboli ignea, appellat suggestionem prauam, qua nos incendunt ad mala opera agenda, quæ extinguuntur, id est, superantur per virtutem fidei.

Et galeam salutis assumite.

Galea in capite ponitur, quæ omnes sensus corporis munit, id est, protegit. Visum videlicet in oculis, auditum in auribus, gustum in ore, olfactũ in naribus, tactum in toto capite. Quid ergo debemus intelligere per galeam, quę vt diximus omnes sensus corporis protegit? Dominũ nostrum Iesum Christũ, & protectionem illius. Per caput vero mentem, quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. Ponamus igitur in capite, i. mente, protectionem Christi, recordemur ipsius in secreto mentis nostrę, habentes in illo fiduciam nõ in nosipsos, & ipse tuebitur oẽs sensus nostros, ne à diabolo hoste antiquo possint vulnerari.

Et gladium spiritus quod est uerbũ dei, subaudis assumite.

Gladius sancti spiritus intelligitur verbum [margin: Heb. 4.] dei vt Apostolus ait, i. doctrina & scientia diuinarum scripturarũ, quæ per spm̃ nobis tribuitur. Idcirco autem gladius appellatur, qa sicut gladio fugantur hostes, ita per cogitationem diuinarum scripturarum, quæ per spiritumsanctum nobis tribuitis, possumus fugare omnes insidias & omnia machinamẽta diaboli, appetendo quæ scriptura sacra docet, & vitando quæ prohibet. Et non solum dæmones per eius cognitionem & adiutorium possumus superare, sed etiam autoritate illius hæreticos conuincere, & errorem illorum destruere.

Gratia, id est, fides & remissio peccatorum, sit in incorruptione .i. integritate fidei, cum omnibus qui diligunt dominũ Iesum Christum.

Vel aliter. Gratia, id est, fides, remissio peccatorum, societas æterna, sint cum omnibus sanctis in incorruptione, hoc est, in resurrectione generali, vbi omnes accipiẽt electi in
1.Co.15. corruptionem & immortalitatem in corpore, & incommutabilitatem in anima, fulgen-
Mat. 13. tes sicut sol in regno patris sui. Cum quo felices in secula seculorum manebunt.

DOMINICA VIGESIMA secunda post Trinitatis. Philippen. I.

Fratres, Confidimus in domino Iesu, quia qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.



Hristus qui dedit nobis initium fidei & bonæ conuersationis, dabit & perseuerantiam vsq; in diem mortis nostræ, vel vsq; ad diem iudicij per successionem.

Sicut iustum est mihi hoc sentire pro omnibus uobis.

Id est, iustum est mihi hoc intelligere de vobis, quia pmanebitis in fide Christi, & ideo debeo gaudere.

eo quod habeam uos in corde, & in uinculis meis .i. vestri reminiscor, & in defensione & in confirmatione euangelij, socios gaudij mei, id est, promissionis æternæ vitæ. Multis modis autem defendebat & confirmabat euangelium, videlicet recte medendo, iuste viuendo, bene docendo. Defendebat quoq; & confirmabat sanctam esse doctrinam euangelij, dum dicebant ei: Nega Christum & abijce doctrinam
Act. 5. istam, erisq; florens magno honore in pala-
2.Co.11. tio meo, & ille magis eligebat ab illo flagellari, & in vinculis astringi, quam ei consentire, tunc defendebat euãgelium. Et videntes alij hoc, dicebant. Vere nisi esset doctrina ista vera, & nisi esset Christus dei filius verus, nequaquã Paulus talia pro eius nomine sustineret. Omnes vos subaudis volo esse, id est, opto, vt sicut estis socij in labore prædicationis, ita sitis & in remuneratione. Poterat enim aliqs dicere. Vere circuitor Paulus mundi, verbosus neq; diligit nos. Vnde dicit ad hæc ille:

Testis enim mihi est deus, quomodo cupiam omnes uos in uisceribus Christi Iesu.

Viscera dicunt filij, & viscus dicitur, quasi quam inter carnẽ est, ideo duobus modis intelligitur. Cupio (inquit) vos omnes filios esse dei, vel cupio vt ipse sit templum vestrum, & vos communicantes corpori & sanguini illius, maneatis in illo.

Et hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet, sicut fides habet initiũ, habet incrementum, & perfectum: ita & charitas. Oro, inquit, vt non solum ad deum & proximum, sed ad inimicos extendatur vestra charitas.

Iustitia, subaudis legis & omni sensu, .i. doctrina euangelij, ut pbetis potiora, id est, intelligatis maiora de deo,

ut sitis sinceres, id est, perfecti & fide & in omni bonitate. Sinceris materia est integra, solida, & firma, quæ nullius rei varietate maculatur: Ita debet & fides esse solida, & sine offensa in die Christi, id est, sine offensione in die mortis vestræ, vel die iudicij.

Repleti fructu iustitiæ, id est, & sitis repleti omnib⁹ virtutibus, de quibus dicit Apostolus. Fructus aũt spiritus, est gaudium, pax, Galat. 5.

Per Iesum Christũ in gloriam & laudem dei, id est, vt glorificetur deus in nobis, & laudetur dominus Iesus, per quem oĩa bona habemus.

DIE DEDICATIONIS TEMPLI. Apocalypsis XII.

Vidi ciuitatẽ sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo, a deo paratam sicut spõsam, ornatã uiro suo.



Aec ciuitas sancta ecclesia, quę idcirco ciuitas appellatur, quoniam à multis inhabitatur, & in quatuor mundi partes distenditur, habens habitatorem domini. Hinc Paulus dicit. Templum dei sanctum dei est, quod estis vos. Sancta dicitur, 1.Co.3.6 quia quotidie per baptismũ sanctificatur. Vocatur quoq; Ierusalem quæ visio pacis interpretatur, quia ad hoc laborat, vt visiõem dei in cælestibus percipiat. Noua dicitur, quia à vetustate peccati exuitur, peccati enim perpetratio ad veterem Adam pertinet. Et ideo dũ ecclesia à peccato originali mũdatur, & à vetustate peccati, ad nouitatẽ venit. Vnde Apo- Col. 3.
stolus: Expoliantes vos veterem hominem, Ephe. 4
induite nouum, qui renouatur in agnitionem dei. Idcirco autem ciuitas hæc à deo descendere dicitur, quia ab exordio sui, Iam cum capite suo descendit. Vnde idem dominus dicit: Nemo ascendit in cælũ &c. Aliter: In hoc Ioh. 3.

descēdere de cælo dicit,quia cælestis est gra-
tia,q; dominus fecit eam ecclesiam. Iuxta il-
Isai. 43. lud:Ego dominus faciens te. Quicquam enī
habet in fide,spe & charitate, cæterisq; virtu
tibus,& baptismo desuper datum est illi. Vn
Iacob.1. de Iacobus:Omne datum optimum,&omne
donum perfectum, desursum est descendens
à patre luminum.

Paratam,id est, fide cæterisq; virtutibus or
natam. Vnde meretur dici sponsa.

Sicut sponsam ornatam uiro suo.

Duo dicit,sponsam & virum, in quo sub-
intelligitur vxor, quia consuetudo est sacræ
scripturæ,vt sponsos appellet viros, & spon
Iohel.2. sas vxores. Vnde Iohel: Egrediatur sponsus
de cubili suo,& sponsa de thalamo suo.Et Se
Exo.4. phora ad Moysen.Sponsus sanguinū tu mihi
Mat.2. es.In euangelio ab angelo dicitur: Ioseph au
Deu.22. tem vir eius.Et in lege:Si inuenerit vir puel-
lam desponsatam in agro, & dormierit cum
ea,morte morietur, quia humiliauit vxorem
proximi sui.Sponsa itaq; nūc est sancta eccle-
sia per fidem,spem & charitatē: Sed tunc erit
vxor,quando ad amplexus viri,id est,ad con
templationem dei omnipotentis peruenerit.
Quod tota die quidem in singulis agitur ele-
ctis,generaliter aūt in fine complebitur,tunc
Mat.25. omnes in commune audient. Venite benedi-
cti patris &c. [ornatam] dicit,id est,in omī
bus virtutibus cōpositam. Iuxta illud Psalmi
Psal.44 stæ:Astitit regina à dextris tuis &c.

Et audiui uocem magnā de throno.

Thronus hic intelligitur homines & ange
li sancti in quibus habitat deus, ideoq; hæc
vox magna, vox intelligit omnipotentis dei.
Quæ idcirco magna dicitur, quia de magnis
loquitur deus.

Ecce tabernaculū dei cū hominibus.

Magna est enim dei gratia, vt homines il-
lius fiant tabernaculum, cuius magnitudinē
non capit mundus. Tabernaculum dei cū ho
minibus,id est,ipsi homines sunt tabernacu-
lum dei. Iohannes in hoc loco typum tenet
sanctæ ecclesiæ, quæ audit vocem dicentem:
Ecce tabernaculum dei cum hominibus, quæ
p internā inspirationē seipsam cognoscit esse
dei tabernaculum.

Et habitabit cum illis,id est, cum illis q
tabernaculum dei esse meruerunt. Vnde ipse
Mat.28. dominus dicit.Ecce ego vobiscum sum omī-
bus diebus.

Et ipsi populus eius erunt.

Isa.19. Iuxta illud.Hæreditas mea Israel.

Et ipse cum eis erit eorum deus.

Habitans in eorum fide & dilectione, sicut
ipse dicit. Si quis diliget me, sermonem meū
Iohā.14 seruabit.Et pater meus diliget eum,&ad eum
veniemus, & mansionē apud eum faciemus.
Vnde & idem Iohannes in epistola sua ait.
Qui manet in dilectione,in deo manet & de- 1.Ioh.4.
us in eo.Et ipsorum deus,omnipotens est de
us,cum quibus habitare dignatur.Vnde Psal
mista:Dominus pars hæreditatis meę.Et ipse Psal.15.
in lege loquitur,dicens:Filijs autem Leui nō Deut.18
dabitis hæreditatem, ego enim hæreditas il-
lorum. Qn̄ enim hō peccando recedit à deo,
non est populus dei,nec deū possidet, sed dū
pœnitendo reuertitur ad deū,populus dei est
q possidet deū & possidetur à deo.

Et absterget deus omnem lachrimā ab oculis eorum.

Hæc verba non ad pręsentem vitam luctu
& lachrimis plenam pertinēt,sed ad futuram,
quādo omnis luctus auferetur à fidelibus, &
perpetuū gaudium possidebitur.Iuxta illud:
Beati qui lugent,quoniam ipsi consolabūtur, Matt.5.
Intuendum autem,quare omnem lachrimam
ab oculis sanctorum dicat auferendum, cum
sufficere potuisset dicere. Absterget lachri-
mam ab oculis eorum? Sed sciendum quod
diuersæ sunt qualitates lachrimarum, qui-
bus in hac vita affliguntur electi. Aliquan-
do scilicet propter timorem tormētorum ne
ob demerita iniquitatis suæ,pœnis tradantur
vltricibus, Aliquando propter amorē & con
sortium supernorum ciuium. Postquam enī
veniam peccatorū consequuntur, iterum fle-
re incipiunt,non iam quia timēt damnari,sed
quia differuntur à regno. Aliquando quoq; 1.Re.15.
deplorant aliorum peccata,sicut Samuel;fle-
bat Saul, eo quod pœnituisset dominum, q̄d
constituerat eum regem super Israel. Et sicut
Paulus deflebat Corinthios, qui propter for 2.Co.12.
nicationem & idololatriam,non egerunt pœ
nitentiam. Omnem ergo lachrimam ab ocu-
lis electorum dominus absterget, quia neq;
timore artabuntur pœnarum,neq; iam diffe-
rentur à regno quod præsentialiter posside-
bunt,neq; etiam aliorum peccata deflebunt,
quia iusto dei iudicio damnatis reprobis,nul
lus deinceps peccare poterit.

Et mors ultra non erit.

Postquam enim omnes à mortuis resurre
ximus,in electis iam vltra non erit mors ne-
que corporis neq; animæ.Primus nanq; ho-
mo ea lege cōditus est in paradiso,vt nisi pec
casset immortalis mansisset.Et completo ele-
ctorū numero ab illo paradiso terreno,absq;
mortis interuentu transiret ad patriam cæle-
stem.Sic autem est cōditus, vt si peccaret mo
ri posset.Quæ mors, quia per peccatum eam Osee.13.
incurrit,destructa est per domini mortem.
Ideoq; locum in electis non habebunt, Post-
quam omnes ad vitam resurgemus,tales effe
cti vt deinceps neq; mori neq; peccare possi
mus,neq; luctus erit in illa ecclesia,qui,vt
supius dictū est multis modis fit in præsenti.

neq; clamor, neq; dolor erit ultra.

Clamor in hoc loco intelligitur querelæ prauæ suggestionis. Prius enim quàm peccaret homo, in magna quiete erat omniaq; mēbra sibi subiecta, & nullo modo in aliqua repugnantia possidebat. Sed postquam peccauit, statim clamorem prauæ suggestionis cōtra se exurgentem sensit, vidensq; mulierem cōcupiuit, factumq; est dei iudicio, vt qui noluit esse subiectus deo, non posset habere mēbra sibi subiecta. Hunc clamorē deinceps sustinemus, quo & Paulus se fatigatum ostendit, dicens: O infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Video enim aliam legem in mēbris meis &c̄. Semper enī fit hic clamor, quia semper caro spiritui resistit. Sed cum corruptibilem hoc induerit incorruptione, & mortale hoc induerit immortalitatē, cessabat clamor tumultuari contra electos, qui eos in hac vita quiescere non sinebat. Ibi enim cessabat omnis praua suggestio, vbi nulla erit carnis delectatio. Sed & dolor post hæc non erit, quia videlicet caro electorum, vltra spinas & punctiones peccatorum pro quibus dolere debeant, non generabit.

Quæ prima abierunt, quia in præsenti seculo hæc omnia sustinent. Sed cum innouata cælum & terra fuerint, tūc & ipsi electi innouabuntur, & nequaquam præteritas passiones sustinebunt.

Et dixit qui sedebat in throno, id est, deus omnipotens qui præsidet ecclesiæ suæ.

Ecce noua facio oīa, ea scilicet quæ superius dicta sunt, inter quæ etiam cælū & terra innouabuntur.

FINIS.


VINCIT OMNIA

